DISPVTATIONES THEOLOGICAE

De Restitutione, & Extrema Vnctione,

AVCTORE

F. PHILIPPO FABRO FAVENTINO

ORD. MIN. CONVENT.

In Vniuersitate Patauina Sacræ Theologiæ Professore.

In quibus hæc materia exactè tractatur, & Doctrina Scoti dilucidatur, et contra Aduersarios omnes veteres, et recentiores defenditur.

Cum duplici Indice, vno Disputationum, altero Rerum memorabilium.

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D.

D. Laudiuium Zacchiam Montis Falisci & Corneti Episcopum,

Sacræ Cameræ Apostolicæ Prothesaurarium.



Permissu Superiorum, & Priuilegio.

VENETIIS, M DC XXIV.

Ex Officina Marci Ginammi.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISS.
LAVDIVIO ZACCHIAE
MONTIS FALISCI, ET
CORNETI EPISCOPO,
Sacræ Cameræ Apoſtolicæ Protheſaurario,

Marcus Ginammus F. P.

NEscio, an mihi quidquam in vita fœlicius potuerit contingere, quam te Patronum nanciſci, cuius auctoritate in primis atque opera, & ornamenti mihi plurimum, & æmolumenti accederet. Nam per id tempus, quo tu Venetijs Oratoris Pontificij munere functus es, nihil ipſe, aut deſideraui abs te, quod non impetrarim, aut impetraui, quod aliquo etiam pacto promereri non ſim viſus. Scilicet tu, quæ tua eſt humanitas, ita beneficia conferre didiciſti, vt non ambitione id facias, quemadmodum Magnatum plerique, ſed clientum commodo atque decori. Ego verò quanquam ſæpius & voto, & cogitatione concepi, vt aliqua ratione munificentiam tuam publice teſtarer; nunquam tamen hac in re, vel tenuitati meæ fortuna reſpondit, vel fortunæ conſuluit induſtria. Si quidem verebar, ſin minus non ingratam, certe parum te dignam fore quamcumque ſignificationem meam. Quoniam verò ſummum erat facinus, tantopere tam ingrati animi vitio laborare, nolui amplius rem differre, ſatiuſque duxi temeritate, quam ignauia, aut quod deterius eſſet, improbitate peccare. Itaque cum typis meis euulgandæ eſſent Theologicæ Diſputationes, quas de Reſtitutione, & de Extrema Vnctione conſcripſit Philippus Faber Fauentinus, illas nomini tuo Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Præſul inſcribere decreui; alio profecto quocumque nomine, quam vt quod tibi debeo, ne minima quidem ex parte perſolutum

† 2 vellim.

vellim. Scio enim præclarissimorum hominum tui similium gloriam benignitatis accessione cumulari, tenuiorum verò officia ab ipsa potissimum accipientium liberalitate pendere. Præterquam quod parum erat, aut nihil omnino tuorum munerum magnitudinem tam exigua demonstratione pensitare. Placuit potius doctissimi Viri monumenta sapientissimi, ac doctissimi Antistitis illustrare memoria: & cum illum ipsum operis auctorem, virtutum, meritorumque tuorum æstimatorem ægregium, huiusce facti suasorem, ac impulsorem habuerim, volui cum eidem, tum mihi eodem tempore satisfacere. Tu interim Disputationes hasce te dignas suscipe, lege, tuere; me verò ipsum in tuam pridem clientelam cooptatum, adscriptumque lubens retine, eumque iudica, cuius humilitati titulorum tuorum maiestas minime officiat. Vale Illustriss. & Reuerendiss. Præsul omni munere, atque honore dignissime.

Venetijs, Kalendis Iulij 1624.

INDEX DISTINCT. QVAEST. DISPVT. ET CAP.

FINIS.

INDEX CAPITVM, ET RERVM MEMORABILIVM

De Extrema Vnctione.

Rerum memorabilium.

FINIS.

INDEX RERVM
MEMORABILIVM.

Quando

Culpa,

An

Iudex

Qui

Peccatum.

Peculium.

Religio.

Res.

Restitutio.

Quid

An

Quan-

FINIS.

Approbatio Operis.

Publicis his meis, & testimonialibus litteris attestor Ego Fr. Michael Stella Venetus Ord. Min. Conuent. ad examen cuiusdam Operis de Restitutione nuncupati, Auctore R. Adm. Patre Magistro Philippo Fabro Fauentino in Vniuersitate Patauina publico Theologo, à Reuerendiß. Patre Magistro Michaele Misseroto Bononiense eiusdem Ordinis Ministro Generali specialiter deputatus, & fidem indubiam omnibus exhibeo, prædictum Opus à me recognitum, nil continere, quod aut Sanctæ Catholicæ Fidei, aut Principum ordinationibus, aut bonis moribus in aliquo aduersetur, propterea illud iudico dignum, quod in lucem prodeat in studiosorum gratiam, & vtilitatem.

Dat. Venetijs, die 8 Iunij 1623.

Ego Fr. Michael Stella, qui supra, manu propria.

Visa dicta attestatione pro Impressione Fr. Paulus Inquisit. Generalis Venetiarum.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE DE RESTITVTIONE,

F. PHILIPPI FABRI FAVENTINI, &c.

In Quartum Librum Sententiarum.

Distinctio XV. Quæstio Secunda. Disputatio XLIII.

Vnde rerum dominia distincta sint, vt hoc dicatur meum, illud tuum.

De iure, & iurisdictione, ac varijs quæstionibus circa ipsum. Caput Primum.

1 TRACTANT Theologi Scolastici communiter de Restitutione in hoc 4. Sent. distin. 15. præsertim autem Scotus tribus quæstionibus posterioribus illius distinctionis. D. Thomas, 2. 2. q. 62. Alex. Alensis, 4. p. q. 24. Recentiores in tractanibus de iustitia, & & iure. Iuris Canonici Interpretes de Regulis iuris in 6. cap. *peccatum*, & cap. *si res*. dist. 18. q. 6. Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 6. & sequentibus, & Summistæ verbo *restitutio*, & multi alij diuersis in locis, vt in sequentibus videbimus. Agunt verò Scolastici in 4. dist. 15. de restitutione, quia ibi Magister Sententiarum agit de satisfactione: satisfactio autem, & restitutio licèt sint res omninò diuersæ accipiendo satisfactionem tàm in communi, quàm in particulari proprìè; quia restitutio non est species, nec pars satisfactionis, vt infrà dicam cum Scoto articolo 4. secundæ quæstionis; tamen extendendo nomen satisfactionis ad omne opus pœnale voluntariè assumptum, ad quod tenetur siue iudicio Dei, siue iudicio Sacerdotis, restitutio potest dici pars satisfactionis, vt docet

Restitutio, & satisfactio extendendo nomē satisfactionis sūt idem. Alexander Alensis, 4. p. q. 24. m. 5. art. 1. quia vt videbimus, restitutio est opus pœnale voluntariè assumptum, ad quod quis teoetur iudicio Dei. Restitutio enim est vel bonorū animæ, vel fortunæ, vel corporis ablatorum, ad quæ restituenda quisque tenetor iudicio Dei. Sed hoc est parui momenti, hæc enim dixi, vt ostenderē sine ratione Soro in 4. dist. 15. q. 1. art. 1. & dist. 19. q. 1. art. 1. concl. 3. accusare Magistrum, & Scholasticos, quòd agant de Restitutione distinctione illa 15. simul cum satisfactione: nam licèt re vera sint materiæ diuersæ, tamen secundùm aliquam rationem communem conueniunt, & etiam ambæ ad iustitiam in communi pertinent; & proindè non fuit ita magnus error agendo de satisfactione, agere quoque de restitutione.

Tota materia de restitutiōe ad tria cap. reducitur. 2 Scotus autem totam hanc materiam de Restitutione tribus qq. absoluit, quia tota hæc materia ad tria capita reducitur: res enim de quibus quis tenetur facere restitutionē reducuntur ad tria, seu quatuor genera, s. ad bona fortunæ, ad bona animæ, & corporis, & ad bona famæ. Vndè priùs agit de restitutione quò ad bona fortunæ. Secundò de restitutione quò ad bona animæ, & corporis. Tertiò quò ad restitutionem famæ: & hac ratione facit tres quæstiones, in quibus de restitutione horum bonorum agit. Agit autem in priori quæstione de restitutione boooram fortunæ, quia præsertim materia hæc versatur circa bona fortunæ.

3 Quoniam autem fundamentum ad cognoscendum quando quis teneatur ad restitutionem, & quando non, est cognoscere quando in contractando rem aliquam fit iniustitia, vel non fit iniustitia; & quando fiat iniustitia, vel iustitia, non potest cognosci, nisi cognoscatur vnde rerum dominia distincta sint, & vnde ortum habuerit, vt hoc dicatur meum, & illud tuum; ideò priori loco cum Scoto, & alijs videndum est, vnde ipsa rerum dominia distinctionem habuerint. Secundò videbimus quomodo dominia primò distincta iustè transferuntur. Tertiò Ordo dicendorum. ex hoc patebit quæ sit iniusta rerum alienarum occupatio, seu alterius damnificatio in re temporali. Quartò quomodo talis ad restitutionem teneatur. Vltimò videbimus qnid sit dicendum de damno dato in rebus animæ, corporis, & famæ. Et quoniam ad hæc omnia cognoscenda necessarium est cognoscere quid sit ius, iustitia, & dominium, priùs de his breuiter agemus.

4 Quantum ergo ad primum dimissis varijs acceptio- Quid sit ius. nibus huius termioi *ius*, de quibus D. Thomas, 2. 2. q. 57. art. 1. ad primum, & l. *ius pluribus*, & l. *nonnunquam*, *ff. de iustitia, & iure*, duobus modis præsertim ad propositum nostrum accipitur. Vno modo pro lege, seu Canone, regula, vel iussu superioris. Alio modo pro dominio, & potestate alicuius super aliquam rem, vel faciendi aliquid. Principaliter accipitur priori modo. Et de iure in hac significatione agemus in hoc cap. de iure in alia significatione agemus cap. sequenti.

5 Solet autem disputari vnde ius sit dictum. Et varijs Vnde ius sit dictum modis dicendi dimissis. Respondemus dictum esse à iussu: quia ius est iussum, seu iussio superioris, nimirum Dei, vel naturæ, vel alicuius hominis superioris. Ex quo apparet, quod ius non venit à iustitia, sed potiùs iustitia à iure. Nam (licèt sit aliqua contentio) videtur absque dubio dicendum esse iustitiam ordinari ad ius, quia ius est obiectum iustitiæ in communi, quæ est idem quod æquitas, & iustitia in particulari, quæ est virtus moralis cardinalis: iustitia enim ordinatur ad iustum, & illud constituit, & determinat: iustum autem includit ius, quia illud est iustum, quod est secundùm ius, seu secundùm iussum superioris, Dei, vel naturæ, vel hominis. Et hanc acceptionem supponit Scotus cum alijs Doctoribus in hac materia de Restitutione. Vnde illa contrectatio rei alienæ erit iusta, quæ erit secundùm ius, & legem diuinam, vel naturæ, vel humanæ; & illa erit iniusta, quæ erit contra ius diuinum, vel naturæ, vel humanum. Et vniuersaliter illud quod est conforme iuri prædicto est iustum; quod est illi contrarium est iniustum.

6 Quantum autem ad diuisionem iuris, siue legis, di- De diuisione iuris. ximus suprà cum Scoto in hoc 4. distin. 17. ar. p. in principio, & D. Thoma, 2. 2. q. 57. ar. 2. dimissis multis diuisio-

nibus allatis à iurisconsultis, quòd ius prima diuisione diuiditur in ius naturale, & positiuum; & positiuum diuiditur in diuinum, & humanum; & humanum diuiditur in ius Canonicum, & Ciuile. Ius naturale ex eisdem Theologis vbi suprà, & ea Scoto in 3. dist. 37. & alijs est duplex. Aliud est, quod per se, & ex terminis notum est, vt sunt prima principia practica, quæ omnibus esse vera patet, (hæc enim se habent in practicis, sicut prima principia speculabilia se habent in speculabilibus) vt bonum esse amplectendum; malum fugiendum; nemini esse nocendũ; vim vi esse repellendam; quod tibi vis alteri facere, & quod tibi non vis alteri non facere; vnumquemque seipsum tueri debere; suum cuique tribuendum. Aliud verò est, quod ea per se notis euidenter deducitur, vt rem alienam esse restituendam, depositum esse reddendum, iusiurandum esse implendum, pretium rei emptæ esse soluendum, promissa esse præstanda, egentibus subueniendum, & huius generis alia. Tertiò addit Scotus vbi suprà etiam largiori modo, & extendendo nomen legis naturæ, illa posse dici de iure naturæ, quæ sunt consona principijs, & conclusionibus legis naturæ, inquantum notum est omnibus, illud conuenire tali legi. Ius positiuum est, quod non naturalis ratio, sed aliqua auctoritas, seu voluntas diuina, vel humana statuit. Et sic leges statutæ immediatè à Deo dicuntur ius diuinum, (licèt etiam lex naturæ, quatenus est insita cordibus nostris à Deo, dicatur, & sit diuina.) Leges statutæ ab hominibus dicuntur ius humanum. Et leges statutæ ab hominibus ecclesiasticis, vt à Summo Pontifice, & alijs Prælatis habentibus potestatem iurisdictionis, dicuntur ius Canonicum. Leges statutæ à Principibus ciuilibus dicuntur ius Ciuile.

Ius naturale quid sit. — *Ius positiuum quid sit.* — *Ius diuinũ.* — *Ius humanum.*

Aliæ diuisiões iuris.

7 Aliæ diuersæ diuisiones iuris habẽtur in prima parte Decreti dist. 1. & apud iurisperitos, sed sub hac comprehenduntur, & sunt veluti sub diuisiones membrorum adductorum. Quod conspicitur ex illa diuisione celebri Vulpiani, & Isidori lib. 5. Ethimologiarum cap. 4. quæ habetur dist. 1. cap. 6. in ius naturale, gentium, & Ciuile. Nam primum, & tertium membrum huius diuisionis apertè comprehenduntur in prima diuisione. Difficultas verò est de secundo membro; quia terminus ille, *ius gentium*, non semper eodem modo accipitur, & ideò oriuntur æquiuocationes inter Doctores. Alij enim volunt illud pertinere ad ius naturale. Alij ad ius positiuum. D. Tho. 2. 2. q. 57. ar. 3. Medina 1. 2. q. 95. ar. 4. Soto lib. 1. de iustitia, & iure, quæst. 5. ar. 4. & lib. 3. q. 1. ar. 3. censent ius gentium esse idem quod ius positiuum. Alij verò ex Recentioribus dicunt esse ius naturale; sed est distinguendum, quòd aliquando ius gentium est idem quod ius naturale: vt cum auctores dicunt ista esse de iure gentium; Deus est colendus; parentibus est parendum, & similia: patet enim ista pertinere ad ius naturæ, (accipiendo ius naturæ, non pro eo, quod est insertum naturæ omnium animalium, immò omnium rerum naturalium, vt aliqui iurisperiti accipiunt, cum distinguunt ius naturale contra ius positiuum: sed accipiendo ius naturale pro eo, quod est insertum naturæ hominum tantùm.) Aliquãdo verò ius gentium accipitur pro eo quod voluntate, & auctoritate omnium, vel saltem plurimarum gentium, & populorum est institutum; & sic distinguitur à iure naturali, quia ius naturale est id, quod ratio naturalis immediatè omnium hominum non voluntas dictat esse faciendum, vt dictum est. Exempla iuris gentium in hac significatione adducuntur dist. 1. cap. *ius gentium*, ea D. Isidoro nimirum. Sedium occupatio, ædificatio, seruitia, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera pacis, induciæ, legatorum non violandorum, religio, conubia inter alienigenas prohibita, quæ non à natura, sed à voluntate humana esse inducta patet. Ista tamen omnia exempla non pertinent ad ius gentium, vt distinguũtur à iure naturali; sicuti sunt bella: nam illa pertinent ad ius naturale, quia vim vi repellere est de iure naturali. Ius gentium ergo in hac significatione quatenus distinguitur à iure naturali, pertinet ad ius positiuum. Ea enim, quæ sunt de iure gentium, à voluntate humana introducta sunt: licèt possint dici quoque esse de iure naturæ, quatenus sunt conformia iuri naturæ, iuxta tertium membrũ adductum à Scoto. Cum ergo ius gentium reducatur ad ius naturale, vel ad ius positiuum, rectè prima diuisio iuris est in ius naturæ, & in ius positiuum: & propter hoc Theologi non distinguunt ius gentium à iure positiuo, & naturali; tamen ad ius positiuum magis reducitur, vt patet ex exemplis supra adductis de iure gentium. Et hæc est eadem sententia Philosophi 5. Eth. c. 7. vbi in primis verbis Aristoteles diuidit ius in naturale, & legitimum: per legitimum autem intelligit ius Principum, quod antequam statueretur non erat bonum, nec malum, sed postquam statutum est, est bonum, vt ibi se declarat. Nec dissentiunt alij Philosophi, & Theologi hanc priorem diuisionem ab ipso Aristotele acceperunt, & alias subdiuisiones iuris positiui addiderunt, quas Aristoteles ignorauit, cum caruerit lumine fidei.

Resolutio.

8 Possemus etiam aliam diuisionem iuris facere hoc modo. Ius omne vel est diuinum, vel humanum. Diuinum vel est naturale, idest insertum à Deo naturæ ipsi rationali, & hoc est ius naturæ: vel est positiuum, & hoc est, quod est à Deo ipso per se, vel per Angelos, vel per Prophetas, vel Apostolos, & alios Sanctos constitutum, vt sunt præcepta cerimonialia, & iudicialia in lege Moysi, & Euangelica, & similia. Ius humanum verò (quod est positiuum, idest non naturale) diuiditur in ius gentium, quod est illud, quod omnes gentes, vel maxima pars constituit; & in ius Ciuile, quod est illud, quod ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus secularibus est constitutum in suis Regnis; & in ius Canonicum, quod à Præsulibus Ecclesiasticis, præsertim verò à Summo Pontifice est conditum. Sed prima diuisio est melior.

Alia diuisio iuris.

9 Obseruandum est autem D. Isidorum loco citato adducere nouem exempla de iure naturali, quæ habentur eadem dist. 1. cap. *ius naturale*, circa quorum intelligentiam inter Theologos, & iurisconsultos est discrepantia. Primum exemplum est fœminæ, & viri coniunctio: hoc enim exemplum aliqui intelligunt de quacumque coniunctione viri, & mulieris extra matrimonium; ex quo deducunt ante leges positiuas nullam fuisse differentiam inter filios legitimos, & non legitimos: quæ opinio tribuitur Alberico, Bal. & Malumbso, l. 1. §. 3. ff. de iustitia, & iure, & Instit. de iure nat. & gent. & alijs eos seqq. Hic autem intellectus est falsus, quia ante omne ius Ciuile, qui nascebantur ex adulterio, stupro, scorto, sacrilegio, & alio quolibet vago, & incerto concubitu non censebantur filij legitimi, quia erant extra matrimonium: licèt leges Ciuiles posteà multas alias differentias addiderint. Fornicatio enim semper fuit illicita: quia matrimonium, idest coniunctio determinati viri, & mulieris est de iure naturæ, vt tradunt Theologi in 4. distin. 26. præsertim Scotus, quæst. 1. concl. 2. & dist. 33. quæst. 1. Intelligunt ergo de coniunctione debita, s. matrimoniali.

Coniũctio viri, & mulieris debita, scilicet 1 matrimonio est de iure naturali secundum Isidorũ, non autem coniũctio indebita.

10 Secundum exemplum est liberorum successio, quæ intelligitur de susceptione filiorum per propagationem, & etiam de successione in bonis parentum, quantum ad illam partem, quæ pertinet ad victum necessarium ipsorum filiorum, vt habet ibi glosa, quod enim in 4. vel 3. vel 5. parte bonorum succedant, legis Ciuilis est.

Propagatio filiorũ, & successio in bonis parentum est de iure naturæ.

Tertium exemplum est puerorum educatio, quod intelligitur, & quò ad alimenta, quia in paruula ætate aliũde commodè ali, & sustẽtari nequeunt, & hoc feræ quoque faciunt suis catulis, & quò ad institutionem bonæ vitæ. Ex quo colligitur, parentes debere alimenta filijs, etiam ex damnato coitu susceptis, & leges hoc prohibentes sunt iniustæ, teste Couarr. 2. par. c. 8. § 6. qui citat Bar. in Authen. ex complexu, C. de incestuosis nuptijs.

Educatio paruulorũ est de iure naturæ.

Quartum exemplum est communis omnium possessio, quod facit ad nostrum propositum, & infra declarabitur in hoc cap.

Communis possessio omniũ est de iure naturæ.

Quintum

Cōmunis libertas omniū eſt de iure naturę ſeruitus autē aliquorū de iure gētium.

Quintum exemplum eſt, communis libertas omnium, quod non intelligitur ita quòd ius naturæ iubeat omnes eſſe liberos, vel quòd nemo poſſit eſſe ſeruus, quia videmus iure gentium introductam eſſe ſeruitutem. Inſtit. de iure perſonarum, §. 1. & inſtitutione de libertinis, §. 1. ſed quòd natura omnibus libertatem permiſerit, nec quemquam ſeruum procreauerit.

Sextum exemplum eſt, acquiſitio eorum, quæ cœlo, terra, marique capiūtur. Septimum eſt depoſitæ rei reſtitutio. Octauum eſt commendatæ pecuniæ reſtitutio: horum intellectus eſt clarus, ſed infra de his erit ſermo.

Vim vi repellere eſt de iure naturæ.

11 Nonum exemplum eſt, violentiæ per vim repulſio: hanc diſſenſionem eſſe de iure naturæ nulla eſt dubitatio, cum videamus etiam bruta animalia natura duce vim vi repellere, & omnem rem naturalem contrarijs obſiſtere, vt ſe tueatur; & non ſolùm in foro fori, ſed etiā in foro conſcientiæ licitum eſt. Vnde in cap. *ſi verò*, de ſententia excommunicationis, dicitur. Vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittunt, & Gratianus, 23. quæſt. 1. in principio idem inſinuat, dum oſtendit eſſe de perfectione Euangelica vim vi non repellere, ſed patienter tollerare: licèt autem ius naturale non præcipiat vim vi repellere, (ſi enim præciperet, qui non repelleret vim vi peccaret, quia faceret contra legem naturæ) ſatis eſt, quòd permittat vim vi repellere, hoc enim ſufficit ad oſtendendum hoc non eſſe malum, ſi enim eſſet malum, illud ius naturæ non permitteret.

Vim vi repellere licet adhibito moderamine inculpatæ tutelæ.

12 Obſeruandum eſt autem, hoc ius vim vi repellendi generaliter nō habere locum, ſed ſolùm adhibita moderatione debita quod ſolet dici eſſe licitum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, id eſt ad ſeruandum, & tuendū propriam vitam, neque enim ratio naturalis concedit, aut permittit, vt quis vim vi propulſet, ſed ſolùm, vt vitam ſuam tueatur, atque ſeruet: & intelligitur de vi illata à perſona priuata, non à magiſtratu, quia vis illata à magiſtratu non reputatur iniuria, l. iniuriarum, §. 1. ff. de iniurijs.

An vindicatio violentiæ, & iniuriæ ſit de iure naturæ.

13 Sed dubium graue eſt, an de iure naturæ ſit vindicatio violentiæ, & iniuriæ. Nonnulli dixerunt vindicationem eſſe de iure naturæ, & in hanc ſententiam citatur Conannus in Commentarijs iuris Ciuilis, lib. 1. cap. 6. & hoc probat ex Cicerone, lib. 1. de Officijs, dicente *ne quis cui noceat, niſi laceſſitus iniuria*, & lib. 2. de Inuentione inquit, *iuris naturalis ſunt religio, pietas, obſeruantia, veritas, gratia, vindicatio, qua nos defendimus, & iniuria vlciſcimur*. Communis tamen opinio eſt in oppoſitum. Nam D. Ambroſius lib. 1. de officio, cap. 28. reijcit illud fundamentum Ciceronis, *ne quis cui noceat niſi laceſſitus iniurijs*, auctoritate Euangelij, quod docet non eſſe reddendum malum pro malo.

14 Vbi eſt obſeruandum, aliud eſſe ſe defendere, & aliud iniuriam vlciſci: nam ſe defendere, eſt tueri ſe ab imminente, aut futura iniuria; Vindicatio verò eſt qua iniuriam factam vlciſcimur: de lege naturæ eſt ſe defendere; at de lege naturæ non eſt iniuriam vlciſci. Et hoc eſt quod probatum eſt ex D. Ambroſio, & ex Euangelio, & euidenter probatur ex auctoritatibus Euangelij adductis à Gratiano, 23. quæſt. 1. in principio. Et in cap. *ſignificaſti* 2. de Homicidio expreſsè dicitur, hoc ius vim vi repellendi intelligi non ad ſumendum vindictam, ſed ad iniuriam propulſandam.

Obiectio.

15 Verùm contra hoc eſt, quòd vindicatio eſt pars iuſtitiæ, vt diximus in materia de pœnitentia, diſt. 14. q. 2. & ideò eſt licita. Et D. Thomas, 2. 2. quæſt. 108. ar. 1. tenet vindictam eſſe licitam: & Scotus in 4. diſt. 14. q. 2. ar. 1. E. inquit, quod vindicare eſt actus ordinatus.

Solutio D. Thomæ, & Recētiorū.

16 Reſpondent D. Thomas, & Recentiores cum illo, quòd ſi animus vindicantis feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, eſt peccatum, quia ſic eſt odire proximum, & vinci à malo: ſi verò principaliter intentio vindicantis eſt in correctione illius, vindicatio eſt licita.

Reijcitur.

Sed contra hoc eſt, quòd vt inquit Scotus loco citato, vindicatio propriè reſpicit correſpondentiam pœnæ ad culpam ſecundùm legem, licèt non concomitetur correctio ipſius puniti. Vnde quandoque iuſta vindicta fit exterminando reum, & tunc patet, quòd non fit corrigendo.

Vera ſolutio.

Eſt ergo dicendum, quòd ſufficit, quòd intentio vindicantis ſit infligere pœnam, & vlciſci iniuriam propter bonum publicum, vt malum impunitū non euadat: & hoc idem habet D. Thomas loco citato. Vnde vindicatio præſertim ſpectat ad legiſlatorem, vel ad alium ex eius commiſſione, vt ibidem habet Scotus, & proinde qui vult vindicare ſe de iniuria illata, debet implorare officium Iudicis, & per illud petere compēſationem iniuriæ, ne delicta impunita maneant; & ne quis audacter alteri noceat.

Quomodo quis debeat ſe vindicare.

Poteſt etiam per ſe ipſum, ſi non primò intendat malum puniti, ſed bonum eius, vt correctionem, vel bonum publicum, quod innuit Scotus vbi ſuprà, dum ait, quòd inter actus iuſtitiæ, actus præmiationis eſt nobilior, quia competit ſoli Principi, vel alteri de eius commiſſione; cæteri verò actus, inter quos eſt vindicatio, cōpetere poſſunt regulariter cuicunque perſonæ. Difficile eſt autem, quòd perſona læſa faciat vindictam prædicto debito modo, & non transgrediatur præceptum de diligendo inimicum: ideò ſatius eſt vindictam facere per implorationem officij Iudicis.

17 Circa ius gentium nihil aliud dicendum occurrit præter ea, quæ ſuprà diximus; exempla enim de eo adducta ex D. Iſidoro d. 1. cap. *ius gentium*, ſunt clara, licèt aliqua pertineant ad ius naturale, vt ibi dictum eſt. Eſt aliqua difficultas circa exemplum de ſeruitute, & diuiſione dominiorum quomodo ſint de iure gentium; ſed de his infrà agemus, cum tractabimus vnde originem habuerit diſtinctio dominiorum.

De iure diuino.

18 Viſo quid ſit ius naturale, diuidamus ius poſitiuum in diuinum, & humanum: ius autem diuinum eſt quod à Deo immediatè, vel per aliū nomine ipſius Dei, conditum eſt, ſicut ſunt lex vetus, quæ Actorum 7. & ad Galatas 3. dicitur diuina, quamuis per Angelos nomine Dei ſit Moyſi data; & lex noua data immediatè à Chriſto. Et hæc aſſertio eſt vera, quidquid dicat Hoſtienſis in cap. *Nimis*, de iureiurando, & alij eum ſequentes, quos confutat, & rectè Panormitanus in eodem cap. *Nimis*, num. 3. ea ratione, quia Canonicæ ſanctiones, in cap. *non Debet*, de conſanguinitate humanæ vocātur, etiam ſi ſint editæ à Concilio.

An ius Canonicū ſit ius diuinū.

Vnde Pontifex dicit ibi ſe poſſe ſuper illas diſpenſare, quod fieri non poſſet, ſi eſſent diuinæ, quia certum eſt Papam non poſſe diſpenſare ius diuinū. Præterea Romanus Pontifex auctoritate ſua ordinaria condit leges, & Canones; ipſe autem eſt miniſter, & Vicarius Dei, non tamen ipſe Deus, nec illas condit nomine ipſius Dei, vt conſtat de Moyſe &c. Ergo eius Canones ſunt humani, non diuini. Nec obſtat, quòd ius Canonicum deducatur à Pontifice ex iure condito ab ipſo Deo, quia hoc non ſufficit: nam etiam leges Principum, & omnis recta actio deducitur ex lege diuina condita ab ipſo Deo; neque tamen huiuſmodi leges, & actiones dicuntur diuinæ, ſed humanæ. Requiritur ergo vt ab ipſo Deo, vel ab Angelis, vel Prophetis, vel Apoſtolis, & Euangeliſtis nomine Dei conſtituantur: Sumunt enim denominationem ab inſtituente.

An diuinū ius poſſit à Papa, vel à poteſtate ciuili mutari.

19 Circa ius diuinum tres ſolent pertractari quæſtiones vulgatæ à Canoniſtis. Prima, an ius diuinum poſſit humana auctoritate, id eſt Pontificia mutari.

An Papa poſſit ſoluere aliquē à vinculo iuris diuini.

Secunda, an Papa poſſit hunc vel illum à vinculo iuris diuini abſoluere.

An in interpretatione iuris diuini ſtan-

Tertia, an in interpretando, & diſcernendo iure diuino ſit magis ſtandum Theologo, vel Canoniſta. De prima quæſtione agunt iuris Canonici interpretes in Cap. *Quæ in Eccleſia*, de Conſtitutionibus, vt Abbas, Ancharanus, Felinus, & alij: & ex iuris Ciuilis interpretibus Bartol. in l. omnes populi, ff. de iuſtitia, & iure, quæſt. 3. principali. Cynus in lege reſcripta, C. de precibus Imperatori offerendis, & omnes communiter tenent, auctoritate humana non ſolùm Pontificum, ſed

dũ sit magis Canonistæ, an Theologo. Opinio iurisperitorũ quo ad primam quæstionem.

Principum temporalium aliquod ius diuinum in his, quæ ad mores, & res agendas spectant posse iusta ex causa restringi, determinari, & declarari, immò mutari ex parte, quamuis non in totum abrogari.

1. Ratio. *2. Ratio.* *3. Ratio.* *4. Ratio.* *5. Ratio.*

20 Et quidem quòd hoc possint Principes temporales probant. Quia ius diuinum Exodi 20. habet, non occides: & tamen videmus leges Ciuiles hoc præceptum restrinxisse, & determinasse, ff. *ad legem Corneliam*. Præterea qui auctoritate Principis proscripti sunt, & vulgò, banditi vocantur, impunè occidi possunt. Solet etiam concedi facultas aliquibus, vt homicidam impunè interficiant, vt parentibus, & cognatis interfecti; ergo à legibus Ciuilibus ius illud diuinum restringitur, & determinatur. Quartò, ius diuinum Deuteron. 19. & Matth. 18. habet, quod in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, tamen in iure Ciuili statutum est, ne testamentum valeat, nisi coram septem, vel pluribus testibus fiat. Quintò, quòd à Pontifice possit immutari probant, quia Papa absoluit, & liberat à vinculo voti, & iusiurandi, & matrimonium ratum, non consummatum iustis de causis dirimit, & tamen ista pertinent ad ius diuinum: ergo.

Reijcitur opinio iuristarum.

21 Hæc opinio Iurisperitorum est omninò falsa, & Theologi communiter oppositum sentiũt, scilicet legem diuinam naturalem, vel positiuam non posse auctoritate humana, nec Ecclesiastica, nec Ciuili, neque in totum, neque in partem tolli, vel abrogari, sed ab ipso solo Deo, vel ab illo, cui specialiter à Deo cõmissa sit talis potestas. Pro cuius intelligentia obseruandum est Doctores communiter, vt est videre in Soto lib. 1. de iustitia, & iure, q. 7. art. 3. in Valentia 2. par. disp. 7. de lege naturali, puncto 6. Vasquez c. 2. disput. 178. & in alijs recentioribus, hæc nomina distingui irritare, abrogare, interpretari, & dispensare.

Irritare, abrogare, interpretari, dispensare differunt.

Irritare dicunt esse legem impedire, ne vigorem habeat obligandi; vt si legem constitutam à Ciuibus Rex non probaret, sed cassaret. Addit Soto votum filij hoc modo irritari à patre. Abrogare, dicunt esse legem postquam vim habet in totum tollere. Interpretari esse per Epicheiam declarare in aliquo casu legem vim non habere. Dispensare verò esse quempiam subditum à lege excipere, cõcessa illi licentia, sine qua esset legi obnoxius: quam expositionem accepit Soto à D. Thoma, 1. 2. q. 100. art. 8. & vt inquit Valentia, disputare propriè est remouere obligationẽ legis ab aliquo in casu quo alioquin obligaretur, & affert pro hac explicatione Ricchardum in 3. d. 37. ar. 1. q. 5. & Durandum in 1. d. 47. q. 4. num. 6.

Reijcitur.

22 Verùm circa huiusmodi terminorum explicationem solent esse aliquæ contentiones, quas ommittere satius est, quia circa terminorum, & verborum explicationem non est contendendum. Scotus breuiter rem agit: nam in 3. distin. 37. quæst. vnica, §. *sed istæ expositiones*, & 4. sent. dist. 46. q. 1. §. in responsione ad tertiam obiectionem factam contra solutionem principalem, dicit, quòd duplex est dispensatio in vniuersum, scilicet iuris reuocatio, & iuris declaratio.

Duplex est dispẽsatio, secũdũ Scotum, scilicet iuris reuocatio, & iuris interpretatio.

Sub primo membro continentur irritatio, abrogatio, & dispensatio: illis enim tribus modis aliquis superior potest aliquam legem reuocare, nimirum irritando legem factam ab aliquo superiore inferiori; vel legem iam habentem vim in totum tollere, quod est abrogare; vel excipiendo aliquem à lege communi, quod est tollere legem in parte: nam respectu illius est legem reuocare. Exemplum, concedere vsum carnium tempore ieiunij alicui propter studium. Nam hoc non est tollere legem ieiunij in toto, & in vniuersali, neque est interpretari, quòd ille in tali casu non teneatur ad ieiunium, sed est dispensare secum, quòd etsi obligetur ad legem illam ieiunij, tamen immunis sit ab obseruatione ieiunij. Et hæc dispensatio requirit causam iustam. Sub altero autem membro, quod est legis declaratio, continetur interpretatio legis per Epicheiam, vt concedere esum carnium in die ieiunij alicui inedia pereunti; est interpretatio per Epicheiam, quòd ille in tali casu non tenetur ad ieiunium: & sic in verbis tantùm est discrepantia. Quæ autem Valẽtia loco citato, & alij, 1. 2. q. 100. art. 8. dicunt contra Scotum de dispensatione præceptorum Decalogi tractabimus infrà disp. 48. cap. 3. agendo de pœna vti tetigimus etiam aliqua suprà disp. 1. de pœnitentia disputando, an peccatum sit peccatum, & malũ, quia prohibitum, vel è conuerso.

Opinio iuristarũ reijcitur.

23 Redeundo ad propositum opinionem Iurisperitorum esse falsam accipiendo dispensare in primo sensu, scilicet prout dispensare est ius reuocare, vel abrogare, in toto vel parte omnes Theologi docent. Scotus in 4. d. 15. quæst. 3. ar. 2. versiculo. *Ad propositum lex diuina*. D. Thomas, 1. 2. quæst. 97. art. 4. ad 5. & cæteri omnes Theologi, vel apertè tradunt, vel supponunt, immò & Couaruuias in relectione super Regul. *Peccatum*, de Regulis iuris in 6. par. 2. §. 11. reprehendit Canonistas, qui illam sententiam sustinent.

Fundamentũ Theologorum cõtra iuristas.

Ratio autem generalis, quam Scotus adducit loco citato, & alibi sæpè tangitur, est: quia inferior non potest derogare, seu abrogare in toto, vel in parte legem superioris, quæ est maxima, & euidentissima. Vnde cum creatura sit quàm maximè inferior Deo, sequitur eam non posse legem superioris Dei tollere, vel abrogare.

24 Et cum dicunt non posse in toto, sed in parte, contra inquit Couaruuias, quia vel ex ea parte est ius diuinũ, vel non: Si primum, sequitur eadem ratio: si secundum, ergo, dum illa priùs abrogatur, non abrogatur ius diuinum, sed humanum.

25 Quòd si quis dicat. Papa est minister, & Vicarius Dei constitutus caput Ecclesiæ: ergo. Respondetur verum esse, Papam esse Vicariũ Christi ordinarium, & eius auctoritatem esse ordinariam. At ex hoc non sequitur eum habere specialem commissionem, qua possit ius diuinum mutare, vel abrogare: sed oppositum, scilicet, quòd iuri diuino sit subiectus. Vnde relinquitur, quòd possit dispensare in iure diuino solùm secundo modo, vt infrà ad secundam quæstionem propositam dicemus.

Sententia Theologorum probatur.

26 Pro hac sententia Theologorum solent adduci variæ auctoritates ex sacra scriptura, & ex Patribus, vt illud Isaiæ 24. *terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum pp hoc maledictio vocabit terram*. Et D. Augustinus lib. de vera Religione cap. 31. asserit conditorem legem temporalium *si Vir bonus* est, & *sapiens consulere legem æternam, vt secundùm eius Regulas incommutabiles quid sit pro tempore iubendum, vitandumque decernat*.

Papa potest interpretãdo dispensare ius diuinum.

27 Addunt tamen Theologi supracitati, Pontificem Romanum posse dispensare in iure diuino secundo modo, scilicet interpretando, & declarando ius diuinum, quod intelligitur per Epicheiam: nam vt Scotus supponit prædicto loco, & tangit in 4. dist. 46. q. 1. K. soluendo tertiam obiectionem, & Diuus Thomas tradit apertè, 2. 2. q. 120. ar. 1. & 1. 2. q. 119. art. 3. & Aristoteles 5. Ethicorum, cap. 10. & omnes alij Theologi, & Philosophi concedunt, Epicheia siue æquitas est virtus quædam, quæ legem corrigit, non quia lex sit mala, sed quia in aliquo casu particulari non intendit conditor illius eam obligare, quia si in tali casu obligaret, sequeretur aliqua iniustitia in illo casu particulari, vel impediretur bonum commune, vel induceretur aliquod malum in eo casu, vel melius bonũ tolleretur, quæ omnia sunt contra mentem legislatoris.

Quid sit Epicheia.

Datur enim lex ad hæc omnia tollenda; etenim actus humani, de quibus dantur leges, sunt singulares, qui infinitis modis variari possunt, & ideò non fuit possibile condere aliquam regulam legis positiuæ, quæ in nullo casu deficeret: Legislatores autem attendunt ad illud, quod in pluribus accidit, ideò in aliquo casu ea deficit, & eam tunc seruare est contra iustitiam. Exemplum de iure diuino naturæ est deposita reddere: attamen si furiosus deposuit gladium, & eum reposcat dum est in furia, non debet reddi, & de iure diuino positiuo est, quòd confessio integra fiat eidem sacerdoti, quandoque tamen potest accidere, quòd confessio alicuius certi peccati sit causa mor-

sa mortis pœnitentis, in hoc casu non obligat, quia Epicheia, siue æquitas dictat non habere tunc locum huiusmodi legem, neque conditorem illius intendere eum obligare in tali casu.

Dispẽsatio in iure diuino pertinet ad Põtificem Romanũ solum.

28 In huiusmodi ergo casibus potest Papa dispensare in iure diuino, idest declarare, & interpretari legem non obligare per Epicheiam. Quod autem huiusmodi dispensatio pertineat ad Pontificem Romanum probatur ex communibus principijs. Nam communiter huiusmodi interpretatio legum pertinet ad Rectores Reipublicæ, quia vt ait D. Thomas 1.2.q.97. art.4. & alij Theologi consentiunt periculosum valdè esset hoc iudicium, & interpretationem committere cuicunque. Debuit ergo hoc iudicium, & interpretatio, & consequenter facultas non obseruandi legem committi Rectori Reipublicæ, ad quem spectat obseruare facere leges, vt in talibus casibus tanquàm persona Legislatoris absoluat huiusmodi personam ab obligatione legis. Vnde si dispensatio sine iusta causa, idest extra hos casus fiat nulla est: quia tunc esset abrogare legem, non interpretari.

Quomodo intelligat. quod necessitas nõ habet legem.

In casu autem necessitatis, idest quando occurrit aliquis casus, & non adest tempus recurrendi ad superiorem propter subitum periculum, tunc persona priuata potest non seruare legem sine licentia Rectoris Reipublicæ; sed dum adest tempus, & facultas, non potest sine licentia superioris, quia ille tunc gerit vicem Legislatoris.

Facultas interpretãdi est penes Pontificem.

29 Ad propositum, quia Pontifex Romanus est caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi Matth. 16. *tibi dabo claues Regni Cœlorum*, ideò ipsi hæc facultas dispensandi modo prædicto in iure diuino concessa est. Tunc autem datur locus interpretandi modo prædicto ius diuinum, quando illud est obscurum, ambiguum, & dubium, & si seruetur fit aliqua iniustitia, vel impeditur aliquod bonũ, vel causatur aliquod malum, vel saltem est dubium, quòd non sequatur.

Non est penes Principes temporales.

Principibus verò secularibus talis potestas interpretandi ius diuinum non est concessa, quia ista est potestas spiritualis, non temporalis, & Ciuilis: Principes autem temporales habent solùm potestatem temporalem, & in rebus temporalibus, non in spiritualibus. Possunt tamen Principes addere aliquid iuri diuino, quia hoc non est illis prohibitum, & propter conditiones varias temporum est consonum iuri diuino illas additiones facere, vt patet de multiplicatione testium in testamentis condendis; ex Euangelio enim duo, vel tres testes sufficiunt, & tamen Principes temporales rectè iubent non valere, nisi adsint septem testes.

Ad primã rationẽ pro iuristis.

30 Ad rationes pro Iuristis. Ad primam dico, quòd si quæ sunt leges Ciuiles, quæ occisionem hominis tãquàm licitam sine iusta, & debita causa permittant, iniustæ sunt, & ideò secundùm conscientiam locum non habent; leges autem, quæ habentur in digestis ad legem Corneliã de sicarijs, auferunt pœnam, non culpam: ideò non dispensant ius diuinum, ita quòd non obliget. Præterea leges, quæ cędem hominis permittunt iusta de causa, non sunt contra ius diuinum, sed secundùm illud, quia in lege diuina occisores eorum, qui blasphemant nomen Domini, & proditorum Patriæ impunes sunt. Vnde non contrariantur illi præcepto *non occides* Exodi 20. sed ista iura sic concordantur, quòd istud intelligatur quando non adest iusta causa; illa quando adest iusta causa.

Ad secũdã.

31 Ad secundam patet, quòd adest iusta causa, quia banditi, & similes reputantur hostes Patriæ, & boni communis.

Ad tertiã. Non rectè faciũt Principes concedẽdo liceat inimicis occidendi inimicos.

32 Ad tertiam respondetur, non rectè fieri à Principibus, cum dant facultatem parentibus, & cognatis interfecti, vt inimicum proscriptum interficiant, quia eis præbetur occasio vt hoc faciant, non vt ministri iustitiæ, sed in vindictam, & ex odio, & ira; tamen quia hoc videtur expedire bono publico in aliquibus casibus, quia melior modus non videtur occurrere liberandi populum ab huiusmodi hominibus prauis, hoc licet; sed hoc tunc non est eis concedere licentiam, vt licitè possint occidere huiusmodi sicarios, sed est liberare eos à pęna, quæ imposita est homicidis: & sic istæ leges non sunt contra ius diuinũ. Vel est dicendum esse per accidens, quòd parentes odio, & ira, & in ratione vindictæ occidant inimicos: esse autem per se quòd occidant vt ministri iustitiæ: Princeps concedendo illam licentiam respicit id, quod est per se, non quod est per accidens, & ita istæ licentiæ sunt licitæ.

Ad quartã.

33 Ad quartam respondetur, iure diuino statutum esse sufficere duos, vel tres testes ad aliquid probandum, non tamen prohibitum est plures adhiberi posse in aliquibus casibus ad vitandum faciliori modo fraudes: & ideò Principes absque violatione iuris diuini potuerunt decernere, vt ad testamenta condenda requirantur plures, quàm tres testes, quia difficilius est corrumpere septem testes, quàm duos.

Ad quintã.

34 Ad quintam respondetur, Summum Pontificem non posse in votis, iuramentis, & contractu matrimonij non consummati dispensare, nisi ob iustam causam; tunc autem non est abrogatio iuris diuini, sed interpretatio, quòd in casu illo ius diuinum non obliget, quia sequeretur aliqua iniustitia, vel sequeretur aliquod malum, vel impediretur aliquod bonum in illis personis particularibus, vnde tunc locum habet Epicheia. Quapropter quando non adest iusta causa, secundùm omnes, dispensatio est nulla. Et hoc colligitur apertè ex cap. 2. *Auctoritatem*, & ex cap. 4. *Nos Sanctorum*, 15.q.6. Nec Panormitanus aliud voluit intelligere, dum in cap. 5. *Non est*. de voto, & voti redemptione, dicit à Summo Pontifice, votum commutari, redimi, relaxari, vel solui posse ex causa, quoniam ex tacito iuris diuini permissu hoc fit: permissio enim diuini iuris est, quòd non obliget vbi iusta causa adest non obligandi.

2. Quæstio soluitur. An Papa possit absoluere aliquẽ à iure diuino.

35 Ad secundam quæstionem suprà motam, an scilicet Papa possit hunc, vel illum soluere à vinculo iuris diuini. Respondeo ex dictis patere, implicare contradictionem, quòd maneat vinculum, & obligatio iuris diuini, & tamen Papa possit aliquem stãte illo vinculo absoluere ab illo vinculo. Potest ergo solùm soluere per interpretationem, vt nunc suprà dictum est.

An in interpretatione iuris diuini stãdum sit magis Theologo, an Canonistę. Opinio iuristarum. 1. Ratio pro prima parte.

36 Ad tertiam quæstionem. Canonistæ Petrus Ancharanus, Alexander Imolensis, & alij iuris Pontificij interpretes in cap. 63. *illi*. 1. q. 1. respondent per distinctionem. Nam vel quæstio est de moribus, & rebus agendis, vel est de rebus, & articulis fidei. Cum quæstio est prioris generis, aiunt præferendos esse Canonistas Theologis: cum verò quæstio est secundi generis, Theologos esse præferendos Canonistis. Prima pars probatur ab eis, quia in iure Canonico sunt responsa Pontificum de Baptismo, Matrimonio, & alijs Sacramentis, de Vsura, de Iureiurando, de Voto, de Adulterijs, de Hæreticis, de Simonia, & alijs, quæ ad mores, & actionem spectant.

2. Ratio.

Secundò, quia multi Theologi quandoque in materia de Simonia, Vsura, & similibus errantes dederunt respõsa contra Canones.

3. Ratio.

Tertiò, quia Theologi errant in aliquibus, vt quòd decimæ non sint de iure diuino: & quòd Episcopatus non sit ordo distinctus ab alijs ordinibus sacris. Secunda pars verò patet, quia articuli fidei eliciuntur ex sacris litteris, quæ cum tractentur à Theologis, ad ipsos quoque spectat has quæstiones dissoluere, & hæreticos confutare.

Reijcitur.

37 Cæterùm hæc opinio Canonistarum absolutè sic prolata est falsa. Ratio fundamentalis est, quia omnia decreta, & Canones Summorum Pontificum desumuntur, vel ex iure diuino positiuo, nimirum ex sacra scriptura, vel ex sanctis Patribus, quorum doctrina ex sacra scriptura desumpta est; vel ex iure naturæ omnibus noto: Canones enim sunt veluti conclusiones ex prædictis iuribus desumptæ. Ad Aduersarij fatentur proprium esse Theologorum sacras litteras interpretari: ergo cũ quæstio est de iure diuino, vel naturali, quomodo debeat intelligi, recurrendum est ad Theologos, à quibus ipsi Pontifices sua decreta, & responsa desumunt. Et hoc est ve-

rum non solùm de articulis fidei, sed de quæstionibus pertinentibus ad mores, & ad actionem. Verum est quidem cum quæstio est de rebus iam decisis recurrendum esse ad decreta, & canones, & consequenter ad Canonistas, qui circa illos versantur, & Theologus habet cedere; quia canon est veluti conclusio certa deducta ex sacris literis, vel ex iure naturali. Sed quando res non est decisa, sed dubia, & nondum determinata, standum est magis iudicio Theologorum, quàm Canonistarum; immò cum dubium est circa intellectum alicuius canonis, standum est magis Theologo, quia conclusio dependet à principiis suis, & iuxta principia sua debet intelligi: principia autem canonum sunt scriptura, & lex naturæ, circa quæ versatur Theologus: ergo maximè standú est Theologo, licèt etiam Canonista habeat suas partes in hac re, quatenus ex alijs canonibus potest dubium insurgens soluere, quia præstat iura iuribus concordare.

Ad primã rationẽ iuristarum.

38 Ad Rationes pro Canonistis. Ad primam, patet quòd Canonistæ paucissima tractant de Sacramentis, & reliquis materijs in comparatione ad ea, quæ tractant Theologi Scolastici. Ad secundam respondetur, nos intelligere non de quibuscunque Theologis, vel profitentibus Theologiam, sed de Theologis principalibus, & faciendo comparationem inter Theologos principales, & Canonistas principales; nam & inter canonum professores non omnes sunt peritissimi. Ad tertiam respondetur, veram esse sententiam Theologorum de decimis: nam etsi in lege noua habeatur, & sit de iure naturæ, quòd populus alat ministros Ecclesiæ de suis bonis, non tamen est de iure diuino, vel naturę quantum ad quotam partem decimarum, idest, quòd præcisè, & in rigore debeant dare decimam partem suorum fructuum: quia præceptum sub hac specificatione erat præceptum iudiciale veteris legis: clarum est autem, quòd præcepta iudicialia legis Moysis abrogata sunt in noua. Et quando Pontifices in Decretalibus *extra de decimis* dicunt præcepto diuino decimas esse soluendas, item non esse statutas ab hominibus, intelligũt exemplariter, & imitatiuè, idest præceptum datum ab Ecclesia de decimis soluendis factum esse ad exemplar, & imitationem Dei, qui præcepit decimam partem fructuum esse soluendam. Decimæ ergo quò ad quotam partem sunt de iure Ecclesiastico, de qua re D. Thomas, 2.2.q.87. ar.1. Alensis 3.p.q.51. & alij Theologi suis locis.

Ad secũdã.

Ad tertiũ.

An Episcopatus sit ordo distinctus ab alijs.

39 Quò ad Episcopatum, res est dubia, an sit ordo, & distinctus a sacerdotio, & licèt multi Theologi sustineant, Episcopatum non esse ordinem, vt D. Thomas, & sui sectatores, & aliqui alij, tamen nonnulli alij, vt Scotus in 4.dist.24.art.1.& 2. sunt problematici, & dant modum sustinendi Episcopatum esse ordinem sacrum distinctum à sacerdotio, & tamen ordines sacros esse solùm septem: quia etsi ordo Episcopatus addat aliquem actum supra sacerdotium: tamen id, quod addit, non ordinatur ad actum nobiliorem, quàm sit actus, ad quem ordinatur sacerdotium, qui est confectio Eucharistiæ, qui est nobilissimus actus simpliciter in Ecclesia: ideò ordo Episcopatus ordinatur ad sacerdotium; & cum sacerdotium ordinetur ad Eucharistiæ cõsecrationem, Episcopatus non ponitur distinctus ordo à sacerdotio, & sic sacerdotium est primus, & principalis ordo, & gradus in Ecclesia; & sacerdos Episcopus est maior presbiter Ecclesiæ: sacerdos simplex non Episcopus, est presbiter minor in Ecclesia. Quæ distinctio sacerdotum, & presbiterorum sępè habetur in sanctis Patribus, qui communiter Episcopos comparant Apostolis, & sacerdotes 72. discipulis, vt est videre in Damaso Epist.3. D. Hieron. Epistola 85. ad Euagrium. D. Leone Epist. 88. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ.

De Iustitia. *Caput Secundum.*

Difficultas quid intelligatur per iustitiã vniuersalem, & particularem.

40 QVò ad vocem hanc *iustitia*, & eius quidditatem, & acceptionẽ inuenio tantam diuersitatem in doctoribus, vt rei clarissimæ densissimas tenebras offudisse certum sit: pręsertim verò circa distinctionem illam, quam habet Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. & 2. de iustitia vniuersali, & particulari: quid enim sit illa iustitia vniuersalis, & quid particularis, & quomodo distinguantur est maxima confusio, vt est videre apud expositores quinti Ethicorum cap. 1. & 2. Buridanum q.4. Soto lib.3. de iustitia, & iure q.2. ar.5. & alios, & Recentiores, vt Valentiam tomo 3. disp.5. q.2. puncto 2. Lessium lib.2. cap.1. dubitatione 3. Azorium p.3. lib.1. cap.10. Molinam tomo 1. de iustitia, & iure, disp.1. & alios: quæ confusio orta videtur ex modo dicendi D. Thomæ 2.2.q.58. præsertim ar.5.6. & 7. vbi per iustitiam vniuersalem vult intelligi iustitiam, quæ ordinat hominem in his, quæ pertinent ad bonum commune; iustitiam verò particularem esse eam, quæ ordinat hominem in his, quæ pertinent ad bonum particularis personæ, vt patet præsertim ar.7. in responsione ad secundum argumentum principale.

Modus dicendi Diui Thomæ.

41 Hic autem sensus est omninò alienus ab intentione Aristotelis loco citato, & contra D. Ioann. Chrysostomum, quos tamen profitetur D. Thomas sequi, vt patet eisdem tribus articulis. Nam iustitia vniuersalis, quæ est idem quod æquitas, & est omnis virtus, non solùm pertinet ad bonum commune, sed ad bonum cuiusque personæ particularis: quod enim est secundùm bonum commune, vel contra, non exercetur, nisi in aliqua particulari persona, vt patet de actu fortitudinis, temperantiæ, & huiusmodi, qui ab Aristotele ibi dicuntur pertinere ad iustitiam vniuersalem: & actus oppositi ad iniustitiam vniuersalem. Similiter actus iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ, quæ sunt species virtutis particularis, pertinent immediatè quoque ad bonum commune, non autem primò ad bonum alicuius singularis personæ.

Reijcitur.

42 Denique si hæc sententia D. Thomæ, Molinæ, Azorij, & aliorum D. Thomæ sectatorum, quod quælibet virtus, vt ordinatur ad commune bonum multitudinis, sit virtus iustitiæ generalis; quatenus verò quælibet virtus ordinatur ad bonum particulare particularis personæ, sit iustitia particularis, esset vera, sequeretur, quòd iustitia particularis non esset virtus specialis distincta secundùm se à iustitia generali. At hoc est falsum: ergo. consequentia est euidens, quia iam dicunt, omnem virtutem particularem esse iustitiam, quæ est virtus generalis, quam ipsi appellant iustitiam legalem, quatenus ordinatur ad bonum commune. Falsitas consequentis patet, quia Aristoteles locis citatis, præsertim in cap. 2. dicit iustitiam particularem contradistinctam à iustitia generali, esse iustitiam illam, quæ diuiditur in commutatiuam, & distributiuam, quæ est vna ex quatuor virtutibus Cardinalibus.

43 Præterea secundùm istos omnis virtus particularis esset iustitia particularis. Consequens est falsum: ergo. Consequentia patet, quia dicunt omnem virtutem, quatenus respicit bonum particulare alicuius personæ, esse iustitiam particularem: at omnis virtus particularis respicit etiam bonum particularis personæ: ergo. Falsitas consequentis est euidens, quia iustitia particularis est virtus particularis contradistincta à fortitudine, temperantia, & alijs virtutibus particularibus, vt habet Aristoteles prædicto loco. Potest tamen dictum hoc D. Thomæ saluari, vt infrà nunc dicam, sed non ad mentem Aristotelis prædicto loco, & in alio sensu.

Modus dicendi Diui Thomæ potest saluari.

44 Vt ergo distinctè intelligamus quid sit iustitia, & quæ sit iustitia vniuersalis, & particularis, ex quibus apparebit qui actus sint iusti, & qui iniusti, & consequenter qui obligent ad restitutionem, & qui non, obseruandum est. Hanc esse germanam doctrinam Aristotelis in citato loco, vt etiam explicauimus disp. 1. de pœnitentia c.4. ratione vltima pro opinione Scoti, declarando quodnam sit formale in peccato actuali, quòd iustitia duobus modis accipitur. Vno modò pro iustitia generali. Alio modò pro iustitia particulari. Iustitia generalis est idem, quod

Vera interpretatio.

Iustitia duobus modis accipitur.

quod æquitas, & legitimum, & sic omnis actus, qui est æquus, & legitimus, idest, est consonus rationi rectæ, est actus iustitiæ generalis; & actus contrarius rectæ rationi, & æquitati, dicitur actus iniustus, & contra iustitiam generalem. Hæc iustitia dicitur continere omnes virtutes, quia omnes virtutes ordinantur ad æquitatem, & legitimitatem; dicitur etiam iustitia legalis, quia debet esse scopus cuiuscunque Legislatoris, & legis: omnes enim tendere debet ad id, quod est æquum, & legitimum, & à recta ratione dictatum. Iustitia verò particularis est virtus illa particularis Cardinalis, quę versatur circa lucrum, & damnum in actionibus, & contractibus humanis, & diuiditur in distributiuam, & commutatiuã, & est pars iustitiæ generalis, quia non habet pro obiecto æquum, & legitimum in communi, sed solùm æquum, & legitimum in actionibus, & contractibus, & commertijs humanis, & pertinentibus ad commutationem, & distributionem bonorum humanorum, ad quam in speciali spectat materia Restitutionis, de qua acturi sumus. Quando enim in actionibus humanis, & contractibus quis plus lucratur, quàm ęquum sit, tenetur ad restitutionem, quando damnificatur refici debet.

Alius sensus verę vtilatę diuisionis.

45 Obseruandum est tamen vulgatam istam distinctionem de iustitia generali, & particulari posse habere alium intellectum, & eum posse admitti, licèt sit diuersus à sensu intento ab Aristotele vbi suprà. Nimirum quòd iustitia generalis dicatur illa rectitudo, & æquitas, quæ respicit bonum publicum, & bonum in communi, quam habere debet Legislator in condenda lege, licèt hoc quãdoque sit contra bonum particulare alicuius personę particularis. Iustitia verò particularis sit rectitudo quælibet cuiuscunque virtutis particularis, quæ rectitudo virtutis particularis est pars rectitudinis, & æquitatis vniuersalis, & boni communis. Et hoc sensu accipiendo hanc distinctionem possumus etiam dicere, quòd iustitia vniuersalis sit omnis virtus, quatenus, scilicet omnis virtus tendit ad rectitudinem, & æquitatem ipsam in communi, & in se. Iustitia verò particularis, quæ huic iustitiæ generali opponitur, non est virtus particularis iustitiæ, quæ est virtus Cardinalis, de qua acturi sumus, vt diximus suprà, sed est quæcunque virtus particularis, quatenus quælibet virtus particularis versatur circa aliquam rectitudinem, & bonum particulare, quod est pars boni communis: & in hoc sensu hanc distinctionem D. Thomæ, quam habet clarè 1. 2. q. 60. ar. 7. Scotus non improbat in 4. distin. 46. q. 1. §. *Hic primo, &c.* & eodem 4. dist. 14. q. 2. ar. 1. D. & Scotus hoc modo intelligit dictum illud vniuersale, iustitia est omnis virtus: omnis enim virtus inquantum ordinatur ad rectitudinem, & æquitatem dicitur iustitia, & hoc modo concedit ibi virtutem vindicandi, & puniendi peccatum in se ipso contineri sub virtute iustitiæ.

Scotus.

De diffinitione iustitiæ.

46 Nunc dimissa iustitia generali, quæ ad præsentem materiam proximè non spectat, & dimissis varijs acceptionibus istius nominis *iustitiæ*. & solùm agendo de iustitia, quæ est particularis virtus, & virtus Cardinalis. Primò, eius diffinitio est assignanda. Secundò, quædam difficultates circa ipsam incidentes sunt explicandæ. Quò ad primum variæ diffinitiones assignantur communiter. Solet diffiniri sic. Iustitia est virtus quædam, qua quis cuique tribuit quod suum est. Duæ tamen principales diffinitiones assignantur. Prima est D. Anselmi lib. de Veritate cap. 12. & est hæc. *Iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata.* Hanc diffinitionem adducit Scotus in 4. dist. 46. q. 1. in principio. Et quia hæc diffinitio videtur nimis communis, se enim extendit ad quemlibet rectum voluntatis affectum, Scotus dicit ibidem eam specificari ab Aristotele 5. Ethicor. cap. 3. per hanc aliam differentiã, quod est *ad alterum*, quod est proculdubio verum. Nam genus in hac diffinitione est, *rectitudo*, seu *æquum*, (supponitur enim quòd sit habitus in creaturis, quod est genus proximum, & tunc rectitudo erit prima differentia;) certum est autem, iustitiam virtutem esse habitum rectum, & continentem rectitudinem oppositam iniquitati. & malo. Sed quia hoc est commune omni virtuti, vt diximus, addidit Aristoteles, vt ait Scotus, illam aliam differentiam specificantem hanc virtutem, *ad alterum*; iustitia enim est rectitudo ordinata ad alterum, seu seruanda in altero, non autem in se ipso, propriè loquendo, sed impropriè, scilicet quatenus eam quis exercens in seipsum, illam exercet, quasi in alterum.

Diffinitio iustitiæ D. Anselmi cõsideratur.

47 Quòd autem iustitia sit ad alterum non eget probatione; sufficiens enim est ratio, quam Aristoteles loco citato adducit, quæ est: quia iustitia est inter plures, non in vno solo, & ad minus inter duos. Vnde concludit, quòd iustitia versatur inter quatuor ad minus. Nam est inter homines, qui ad minus duo sunt, est in re, in qua est iustitia, seu secundùm quam est iustitia, & denique est ipsa iustitia, quæ est medium, & æquum, quo homines sunt iusti: & sic iustitia inter quatuor versatur. Est ergo clarum, iustitiam esse ad alterum, neque enim aliquis dicitur iustus in se, nisi impropriè, scilicet gerẽdo vicem duorum, & exercendo iustitiam in se quasi in alterum.

48 Sed aliquis obijciet Beneficentia, Amicitia, Misericordia, & huiusmodi sunt etiam ad alterum: ergo non est proprium iustitiæ esse ad alterum. Præterea obedientia, religio, pietas, obseruantia, fides, qua promissa præstantur, non sunt species iustitiæ, & tamen sunt ad alterũ: ergo malè dicitur, quòd esse ad alterum, sit differentia propria iustitiæ. Tandem si homo se interimat, peccat contra iustitiam: ergo iustitia est ad seipsum. Respondetur, esse ad alterum contingit præsertim duobus modis. Vno modo communiter, & largè, quatenus aliquid tendit in aliud, & sic prædictæ virtutes dicuntur ad alterum, & quodammodo pertinent ad iustitiam. Alio modo esse ad alterum strictè accipitur prout idem est quòd reddere vnicuique ius suum, & vt dicebat Aristoteles est reducere homines ad æqualitatem, lucrum auferendo, & damnum recompensando, hoc enim est proprium virtutis iustitiæ, & nulli alteri competit. Aliæ autem virtutes, licèt versentur circa aliquid, quod alteri cõfertur, vt obedientia, pietas, &c. tamen non respiciunt lucrum, & damnum, nec sunt medium ad faciendum æqualitatem inter personas, inter quas est inæqualitas in lucro, & damno: si enim quis non obedit suis superioribus, non seruat fidem, &c. obedientia, & fides non corrigunt hanc inæqualitatem, & vitium: illud autem corrigit iustitia.

Obiectio.

Solutio.

49 Altera diffinitio iustitiæ assignatur à Vulpiano iurisconsulto in l. iustitia, 10. ff. de iustitia, & iureiuran. quæ est. *Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Quam diffinitionem iuris Ciuilis interpretes amplectuntur, & D. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 1. explicat, & defendit, & coincidit cum diffinitione D. Anselmi, si ei addatur illa, particula, *ad alterum*, quam addendam esse dicit Scotus. Nam cum dicitur iustitia est, voluntas, ibi, voluntas, non accipitur pro actu primo. Patet enim, quòd iustitia non est vis, nec facultas animæ, sed pro actu secundo; & sic est idem quod rectitudo voluntatis, vt dicebat Anselmus. Iustitia enim est duplex, habitualis, & actualis, vt habet Scotus in quolib. 18. §. *contra iste*, in solutione tertiæ obiectionis: Vulpianus autem hic definit iustitiam actualem, sicut D. Anselmus. Vnde est idẽ, ac si dicat. Iustitia est actus firmus, & cõstãs, ac rectus, quo voluntas vult vnicuique ius suum reddere. Qui vellet verò diffinire iustitiam habitualem, posset dicere, quòd iustitia est voluntas firma, & constans inclinans ad reddendum ius suum vnicuique. Voluntas ergo in hac difinitione posset accipi, & pro iustitia habituali, & actuali. Accipitur tamen pro actu voluntatis, quia definitur iustitia actualis, non habitualis à Vulpiano, & alijs. Particulæ autem illæ *constans*, & *perpetua*, non ideò ponuntur, quia Vulpianus ibi intendat definire solùm iustitiam Dei, vt aliqui dixerunt, sed ponuntur ad denotandum actum iustitiæ esse actum prouenientem ab habitu firmo, & stabili, iustitia enim est virtus, & virtus est

Altera diffinitio iustitiæ assignata à Vulpiano consideratur.

tus est

tus est habitus dirigens hominem nō ad tempus, sed perpetuò, & constanter quantum est ex natura habitus, licet aliunde possit deficere. Non apponit Vulpianus particulam illam *ad alterum* expressè; tamen implicitè intelligitur, dum dicit, *ius suum cuique tribuendi*.

An iustitia sit inter æquales.

50 Solet disputari, an iustitia sit inter æquales, & inter Patrem, & Filium, Dominum, & seruum; sed de his agit Aristoteles 5. Ethicor. cap. 5. & 6. & nos aliqua diximus in 3. in disputatione de satisfactione, & merito Christi, & infrà aliquid dicemus, ideò pertranseo. Quædam aliæ quæstiones mouentur à D. Thoma, & alijs de iustitia, sed illas in sequentibus commodius explicabimus.

Iustitia particularis diuiditur in distributiuam, & cōmutatiuā. Iustitia distributiua, quid sit.

51 Vltimò addendum est, iustitiam, quæ est particularis virtus esse duplicem, siue diuidi in duas species, scilicet in distributiuam, & commutatiuam, vt tradit Aristot. 5. Ethicor. cap. 2. in fine, & duobus sequentibus, & Scotus in 4. dist. 46. quæst. 1. art. 1. & D. Thomas, 1. 2. q. 61. iustitia distributiua, vt colligi potest ex Aristotele, & Scoto vbi supra, & alijs, est quæ consistit in distributione perfectionum quasi additarum ipsis personis, & naturis rerum secundùm conuenientiam earundem personarum, & naturarum: & sic distributio bonorum, pecuniarum, & cæterarum rerum, quæ inter aliquos diuidi possunt, qui in eadē Repub. vel Ciuili societate versantur, pertinent ad iustitiam distributiuā. In hac iustitia requiritur æqualitas proportionis, non quantitatis, quam Aristoteles appellat proportionem geometricam, non arithmeticam: quia est æqualitas non inter quantitates; sed inter proportiones, adeò vt sit proportio proportionū, e. g. Achillis persona in Republica habet dignitatem vt 12. Aiacis persona vt 6. æqualitas in iusta distributione honorum Reipublicæ debet attendi dignitas personarū, Achillis & Aiacis. Vnde cum Achilles superet in duplo Aiacem etiā distributio honorum Reipublicæ inter has duas personas debet fieri secundùm proportionem duplam, scilicet, vt Achiles in duplo recipiat maiorem honorē, quàm Aiax: sic de pecunijs, & alijs bonis. In distributione enim honorum, vel pecuniarum iusta, non requiritur, quòd tanta pecunia, vel æqualis dignitas omnibus detur, sed plus pecuniæ, & pluris honoris debetur ei, qui dignior est in Republica.

Iustitia cōmutatiua, quid.

52 Iustitia verò commutatiua propriè respicit emendationem, & correctionem contractuum humanorum. Commercia autem, seù contractus humani ex Aristotele eodem loco, sunt in duplici discrimine: quidam sunt voluntarij, vt venditio, emptio, mutatio, vadimonium, locatio, depositio, mercede conductio. Quidam verò sunt contractus inuiti, quia non fiunt concorditer, & sponte ab vtraque parte, sed violenter ex aliqua parte. Et horum rursus alia sunt clandestina, vt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, seruorumque seductio, cædes cum dolo, falsum testimonium. Alia fiunt palam, vt verberatio, vincula, mors, rapinæ, membrorum captio, conuitium, contumelia. Hæc exempla adducuntur ab Aristotele eodem lib. 5. cap. 2. in fine. In hac iustitia non requiritur æqualitas proportionis, sed quantitatis, quam vocat Aristoteles proportionem Arithmeticā, idest quæ est inter quantitatē, & quantitatem, vt cum quis furatus est decem, debet restituere decem: neque enim attenditur ratio, & dignitas personæ, sed quantitas rei ablatæ; vt tantundem restituatur, quantum est ablatum, siue persona vna sit dignissima, & altera indigna, vel è conuerso, vt Aristoteles eodem lib. 5. cap. 3. & 4. explicat apertè.

An præmiatio, & punitio pertineat ad iustitiam cōmutatiuā. Opinio Caietani.

53 Occurrit autem disputatio hic parui momenti, quā excitant Caietanus 2. 2. q. 61. art. 1. ad 1. & Soto lib. 3. de iustitia, & iure quæst. 5. ar. 4. ad 1. Azorius 3. p. lib. 1. c. 10. & alij, an præmiatio meritorum, & punitio malorum pertineat ad iustitiam distributiuam, vel commutatiuam. Caietanus loco citato tenet pertinere ad iustitiam distributiuam: ratio eius est, quia actus puniendi, & præmiandi in Deo, qui est exemplar perfectæ iustitiæ in die iudicij pertinebit, & continuò pertinet ad iustitiam distributiuam: probat, quia Deus præmiat vltra condignum, & punit citra condignum: ideò illa iustitia non pertinet ad commutatiuam, in qua æqualitas rei ad rem attenditur præcisè: licèt ergo habeat aliquam rationem commutatiuæ iustitiæ, tamen propriè est distributiua, quia non attendit Deus præcisè medium Arithmeticum. Sotus autē loco citato, & Azorius tenēt pertinere ad iustitiam commutatiuam: & re vera hæc est sententia D. Thomæ loco citato apertè, & quam explicat Scotus in 4. d. 46. q. 1. ar. 1. vbi habet hæc verba. *Commutatiua propriè respicit punitionem, & præmiationem, vt scilicet pro meritis quasi commutando reddantur præmia, & pro peccatis supplicia*. Et certè hæc sententia est vera, est enim apertè Aristotelis in Ethicis locis citatis: nam lib. 5. c. 2. in extremis verbis loquens de iustitia commutatiua exemplificat de mercede conducto: merces autem est præmium operis, & laboris, quo quis laborauit. Vnde maiori labori maius præmium redditur, & minori labori minus præmium: hoc autem est proprium iustitiæ commutatiuæ, vt æqualitas, & medium sit secundùm quantitatem rei, & proportionem Arithmeticam. Recompensatio etiam iniuriarum, & punitio earundem patet pertinere ad iustitiam commutatiuam.

Opinio Scoti.

Ad rationē Caietani.

54 Argumentum autem Caietani petit aliam quæstionem, an in Deo sit iustitia commutatiua propriè, & simpliciter respectu creaturæ. Ad quam respondent Scotus loco citato, Soto, Azorius, & alij, esse quidem in Deo iustitiam commutatiuam respectu creaturæ, sed non propriè, & simpliciter: quia cum creatura offendit Deum, vel facit aliquam actionem bonam non potest redigi ad æqualitatem: quia creatura nihil habet, quod sit suum, & pro quo Deus teneatur facere recompensationem: ergo inter Deum, & creaturam est iustitia commutatiua secundùm similitudinem tantùm, sicut est inter seruum, & dominum, vt docet Aristoteles Ethicorum lib. 5. cap. 5. & hac ratione dicitur Deus punire citra condignum, & præmiare vltra condignum. Et hoc modo conciliatur D. Thomas, qui 1. p. q. 21. negat in Deo esse iustitiam commutatiuam, & 2. 2. q. 61. ar. 4. ad primum, illam in Deo concedit.

Iustitia cōmutatiua, quō sit in Deo.

55 Obseruandum est tamen, quòd licèt dixerit medium, siuè æqualitatem in iustitia commutatiua esse debere secundùm æqualitatem rei ad rem, non tamen vult, quòd huiusmodi medium sit repassio, vt volebant Pithagorici, quos Philosophus 5. Ethicorū reijcit, sed in commercijs quidem repassio potest habere locum; at in iniurijs resarciendis nequaquam, sed in his æqualitas rei ad rem debet attendi penes rationem, scilicet, quòd illud reddatur pro iniuria, quod recta ratio iustum iudicabit, vt Aristoteles eodem lib. 5. cap. 5. fusè ostendit.

De Dominio. Diffinitio Dominij.

56 Dominium rei dimissis multis definitionibus, definitur à Bartolo l. 7. si quis vi, §. primo, differentia, ff. de acquirenda, vel amittenda possessione, in huncmodum. *Dominium est ius de re corporali perfectè disponendi, nisi lex obsistat, vel conuentio prohibeat*. In hac definitione genus est, ius: quia ius latius patet, quàm dominium: nam ius hic accipitur pro facultate vtendi, nō pro iussu, neque pro lege: (nam de iure in hac significatione egimus superiori capite,) patet autem, quòd multi habent ius in aliqua re, in qua tamen non habent dominium, vt Pater habet ius in filiū, non tamen est dominus filij, & maritus in vxorem, non tamen dominium. Deinde ius se extendit ad possessionem, ad vsusfructum, & similia, quia qui habet possessionem alicuius rei, vel vsumfructum illius, habet ius in illa re, non tamen habet dominium in illa. Genus ergo sub quo reponitur dominium est ius, idest legitima facultas disponendi de re. Prima differentia est, *de re corporali*, propriè enim dominium est rerum corporalium, non spiritualium, nisi impropriè, ff. de rerū diuis. l. 1. *Sūma rerū*. Secunda differētia est *perfectè disponendi*, quæ ponitur ad differentiam possessionis, & aliarum

Genus in definitione Dominij.

1. Differentia.

2. Differentia.

rerum

rerum similium, & à quouis alio iure. Dominium enim est ius, quo quis potest de re sua statuere quod voluerit, l. in re mandata, C. mandati. Vnde dominus potest rem suam donare, vendere, alienare, locare, & consumare, vt ipse voluerit; non sic qui habet ius in aliqua re. Possessio autem est ius insistendi rei; vsusfructus, est ius vtendi, & fruendi re, & similia. In his ergo non est potestas perfecta disponendi de re, sed cum aliqua limitatione. Tertia differentia est, *nisi lex obsistat*, hæc particula ponitur ad denotandum legem quandoque ponere impedimentũ, ne dominus possit perfectè disponere de re sua, vt pupillus sine tutore non potest alienare quod est suum, vel illo ad libitum vti, quia lex prohibuit consulens imbecillitati, & ingenio fragili pupilli. Vltima differentia est, *vel conuentio prohibeat*, quæ similiter limitat potestatem domini: nam debitor est dominus pignoris, & tamen non potest illud alienare, quia sic conuenit cum creditore, cui pignus tradidit quò ad solueret debitum.

3. Differentia.

Vlt. differentia.

Dominiũ triplex.

57 Dominium est triplex, directum, vtile, & plenum. Directum est, quod habet quis super rem aliquam, sed non percipit fructum ex ea, habet tamen spem habendi, vt est dominium, quod habet dominus rei in emphiteusim, vel in feudum datæ. Dominium vtile est dominium super vsumfructum, vt est illud, quod habet ille, qui rem aliquam in emphiteusim, vel in feudum accipit. Dominium plenum est dominium directum, & vtile simul. Ex his sequitur, plenum dominium duos effectus principaliter habere, primus est dominum posse de se sua facere quidquid voluerit, vt diximus supra. Secundus est dominum posse vindicare, & repetere rem suam, si alius eam possideat. Denique obseruandum est dominium requirere iustum titulum secundùm omnes, idest causam iustã, per quam quis acquisiuerit dominium in illa re, vt puta, quia emit, vel quia illi dono data est, vel aliquid simile: de quibus infra agemus, dum tractabimus de dominio transferendo.

Differẽtia inter ius in re, & ius ad rem.

58 Obseruandum est autem quia diximus, dominium esse ius disponendi &c. quod Iurisperiti solent distinguere de iure in re, & de iure ad rem. Et breuiter ius in re est potestas, quam habet quis in re, quam actu habet, & possidet: vt est ius dominij recti, & dominij vtilis. Ius ad rẽ est potestas, quam habet quis ad disponendũ circa aliquam rem, quam actu non habet, sed est illi debita, vt si Titius vendidit domum Caio, sed Caius nondum soluit pretium, Caius quidem habet ius ad domum, sed non in domo. Item Hæres institutus, sed qui nondum hæreditatem adijt, habet ius ad hæreditatem, non autem in hæreditate: quia nundum habet possessionem hæreditatis, sed est sibi debita tantùm.

An dominium differat à proprietate.

59 Solet autem pertractari quæstio satis vtilis ad statum Regularium, scilicet, an dominium differat à proprietate, quam tangit Azorius Institutionum moralium, 3. par. lib. 1. cap. 12. & de qua infrà erit sermo fusius: aitque & rectè, dominium differri à proprietate eo, quia dominium latius se extendit, quàm proprietas: nam proprietas dicitur solùm de dominio pleno, quod complectitur dominium directum, & vtile, vel saltem de dominio directo: de dominio autem vtili tantùm nunquam. Quod probat ex lege vltima, ff. de superficie, & per Baldum in l. eum res, C. de probat. & confirmatur, quia dominij sunt duæ partes, scilicet proprietas, & vsusfructus: & aliquando proprietas separatur ab vsufructu, ita quòd penes vnum sit proprietas, penes alterum sit vsusfructus. Quò fit contingere posse, vt aliquis possit habere dominium alicuius rei, & tamen non esse proprietarium, quod multum refert, sed de hoc infrà.

Penes quos sit dominium.

60 Obseruandum est etiam, quosdam dixisse, dominium, & ius idem esse, atque competere bestijs quoque, vt iumentis, & etiam rebus inanimatis, atque proindè bouem habere ius, & dominium ad pascendum, & stellas ad illuminandum, & huiusmodi, quæ opinio tribuitur Maiori, in 4. dist. 15. q. 10. & non nullis alijs; sed iure hæc opinio, vt absurda reijcitur. Dominium solùm est in animantibus rationalibus, quæ sunt capacia iniuriæ, & pertinent ad societatem humanam, non in belluis.

De vsufructu, & vsu simplici.

61 Denique ad distinctam cognitionem dominij, necesse est videre quid sit vsusfructus, & vsus: cognita enim diffinitione, & acceptione istorum terminorum, magis patet differentia eorum inter se, & consequenter eorum quidditas, & essentia. Vsusfructus ergo sic diffinitur l. 1. quotiens. ff. de vsufructu, & Inst. eodem titulo in principio. *Vsusfructus est ius alienis rebus vtendi, & fruendi salua illarum substantia*. Genus in hac diffinitione est, ius; diximus enim suprà, hoc nomen ius esse terminum latius patentem, quàm dominium, & proindè est genus ad dominium, ad vsumfructum, & vsum. Vsusfructus ergo est ius, idest potestas quædam legitima. Particulæ illæ, *vtendi*, & *fruendi*, ponuntur ad differentiam vsus simplicis, & nudi. Nam Vsuarius, siue qui habet simplicem vsum rei, est ille, qui potest vti re aliena pro se, & sua familia tantùm, non tamen potest fructus illius rei alijs donare, vel vendere. Vnde qui habet nudum vsum in fundo, vel in aliquo horto potest capere olera, poma, fructus, herbas, flores, & alia huiusmodi in vsum, & commodum suum, & suæ familiæ, non tamen potest ea vendere, aut donare: nequit etiam ius quod habet in illa re alteri donare, vel vendere, vel aliquo alio contractu permutare. Quæ omnia patẽt l. in hominis, & l. fructus hominis, ff. de vsufructu, & Inst. de vsu, & habit. §. 1. Vsufructuarius verò nedum potest vti re aliena ad vsum, & commodum proprium, & suæ familiæ, sed potest ea vti arbitratu suo, vt vendere fructus, eam locare, & omnia alia facere quælibet, dummodo substantia rei salua maneat, vt patet ex iuribus suprà allegatis: propter hoc ergo in diffinitione vsusfructus ponuntur illæ duæ particulæ est *ius vtendi*, & *fruendi*. *Vtendi* ponitur ad significandum, quod vsusfructuarius est etiam vsuarius, & habet omnem potestatem, quam habet vsuarius: ponitur verò illa particula *fruendi*, ad distinguendum auctoritatem, quam habet vsusfructuarius suprà vsum, scilicet vtendi re aliena pro libito. Vltimò in hac diffinitione ponitur illa particula, *rebus alienis*, ad denotandum vsumfructum formalem, qui est propriè vsusfructus.

Diffinitio vsusfruct⁹.

Vsuarius quis sit.

Vsufructuarius quis sit.

62 Distinguunt Iuristæ duplicem vsumfructum, alterum quo quis simul est dominus rei, & fructuum; & hic appellatur vsusfructus causalis, qui est in illo, qui pleno iure est dominus rei, & de hoc non est sermo. Alter est vsusfructus subiecto separatus à dominio pleno, & directo, quem contingit separatum esse à dominio, ita quòd dominium rei sit pœnes vnum, & vsusfructus pœnes alterum: hic est vsusfructus formalis, de quo hic est sermo. Vltima particula est, *salua illarum substantia*: per hanc distinguitur vsusfructuarius à domino: nã dominus potest vti re sua, vt vult, ita quòd potest substantiam illius ipso vsu consumere; vsusfructuarius verò quia non habet dominium rei, non potest rei substantiam ipso vsu consumere.

63 Et quia diximus vsuarium differre ab vsufructuario, obseruandum est, vt etiam obseruauit Molina Tractatu 2. de iustitia, disp. 5. & 6. in qua agit, an Fratres minores habeant aliquod dominium rerum, vsum esse duplicem, alium facti, & alium iuris. Vsus facti est actus vtendi re, vt equitatio, dicitur vsus equi; & habitatio domus dicitur vsus domus. Vsus iuris est ius ad vtendum aliqua re priori modo. Vnde differunt isti modi vsus, quòd qui priuat aliquem vsu, quem habet in aliqua re, non facit illi iniuriam, quia non tollit illi aliquod ius, quod habet in re: at qui priuaret aliquem vsu alicuius rei, super quam habet ius vtendi, faceret illi iniuriam. Ex quo sequitur, Fratres minores, qui seruant Regulam in puritate sua, habere in rebus, quibus viuntur solùm vsum facti: & ideò si quis illis auferret vsum rerum, quas habẽt, nulla illis fieret iniuria; & propter hoc differunt ab vsuarijs propriè dictis, qui sunt illi, qui habent vsum iuris.

Vsus facti, & vsus iuris.

De vso Fratrum minorum.

Reliqui

Reliqui verò Fratres minores, qui seruant Regulam D. Francisci, sed priuilegiatam, vt nos Conuentuales, non sunt differentes ab alijs Regularibus emittentibus votum paupertatis.

Resolutio Quæstionis, Quo iure Dominia sint distincta. Cap. III.

64 EXplicatis terminis necessarijs pro cognitione dicendorum, oportet quæstionem ipsam soluere. Ad propositam ergo quæstionem respondet Scotus in 4. dist. 15. q. 2. ar. 1. Sex conclusionibus. Prima est ista: lege naturæ, vel diuina non sunt rerum distincta Dominia pro statu innocentiæ, immò tunc omnia erant communia. Hæc conclusio est ab omnibus concessa. Probatur à Scoto, & hæc probatio deinde ab omnibus adducitur, dupliciter, scilicet auctoritate, & ratione. Auctoritas est duplex. Prima sumitur ex illo Decretorum dist. 8. cap. 1. vbi ex D. Augustino habentur hæc verba. *Quo iure defendis villas Ecclesiæ? diuino, an humano? Diuinum ius in scripturis habemus, humanum ius in legibus regum. Vnde quis possidet, quod possidet? nonne iure humano? Nam iure diuino Domini est terra, & plenitudo eius. Pauperes, & diuites Deus de vno limo fecit, & pauperes, & diuites vna terra supportat. Iure tamen humano dicitur hæc villa mea est, hæc domus mea hic seruus meus est,* & infrà. *Tolle iura Imperatorũ, quis audet dicere mea est illa villa?* & infrà, *per iura Regum possidentur possessiones.* Probatur etiam per illud Clemẽtis Papæ, 12. q. 1. cap. *dilectissimus,* quod habet sic, *Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta est diuisio.*

1. Conclusio. Lege naturæ dominia rerum non sunt distincta.

65 Probatur etiam eadem conclusio duplici ratione. Prima est. Vsus rerum secundùm rectam rationem, ita debet competere hominibus, sicut cõuenit, & congruum est ad pacificam, & congruam conuersationem, & necessariam sustentationem ipsorum. At in statu innocentiæ communis vsus sine distinctione dominiorum erat magis congruus ad vtrumque istorum, quàm distinctio dominiorum: ergo. Maior est euidẽs. Minor probatur, quia in statu innocentiæ nullus occupasset, quod fuisset alteri necessarium: & proindè non fuisset necessarium extorquere ab eo id, quod abstulerat alteri necessarium: vnusquisque enim tũc occupasset ad suum vsum necessariũ, id quod primò illi occurrisset, & illo contentus fuisset. Secũdò, hoc etiam vsu communi faciliùs homines habuissent necessaria ad sustentationem, quàm si vsus alicuius rei præclusus fuisset alicui per appropriationem illius rei ad alterum: & proindè in statu innocentiæ non erat congruum facere distinctionem dominiorum rerum.

1. Ratio.

2. Ratio.

66 Secunda conclusio. Illud præceptum legis naturæ de habendo omnia communia, reuocatum est post lapsum, & rationabiliter. Hæc conclusio probatur à Scoto duabus rationibus similibus duabus rationibus positis ad priorem conclusionem. Prima est, quia post lapsum communis vsus rerum fuisset contra pacificam conuersationem hominum. Probatur hoc assumptum, quia homines per peccatum facti mali occupassent vltra ea, quæ sibi sunt necessaria; & insuper intulissent cùm ijs, qui vellent eos impedire ab hac iniusta occupatione, & vellet vti eisdem rebus omnibus ad suam necessitatem: sicut legitur Gen. 10. de Nembrot, quòd *erat robustus venator coram Domino,* idest hominum oppressor. Secunda ratio est, quia si nunc essent omnia communia, deficerent aliquibus necessaria ad sustentationem vitæ: quod est inconueniens. Probatur assumptum, quia fortiores bellatores priuarent alios necessarijs.

2. Conclusio. Post lapsũ reuocata est lex naturæ, quod omnia sint cõmunia.

1. Ratio.

2. Ratio.

67 Hac ratione subiungit Scotus pollitiam Aristotelis 2. Polliticorum cap. 1. & 4. quòd non sint omnia communia, multò meliorem esse, quam pollitiam Socratis, & Platonis, qui asserebant, communitatem rerum etiam mulierum, & filiorum esse meliorem; & proindè rationabiliter Aristotelem reprehendere eos, præsertim propter rationem adductam. Nam licèt Respublica Socratis, & Platonis de vsu communi rerum esset melior, stante statu innocentiæ, vt probant rationes pro prima conclusione: tamen in statu peccati, quem inuenit Aristoteles, & in quo nos sumus, procul dubio melior est pollitia, in qua astruuntur rerum dominia, & diuisiones rerum.

Pollitia Aristotel. est melior Pollitia Socr.

68 Præsertim autem in Republica illa Socratis, & Platonis apparet turpitudo maxima in cõmunitate mulierum, & filiorum, quam ipsi admittebant, quæ est tanta, vt etiam ipsi naturæ repugnet. Vnde in statu innocentiæ, in quo erat tanta sanctitas minimè fuisset: dicente scriptura, *erunt duo in carne vna*: & ratio, quam ipsi adducebant, scilicet, quia tunc maximè viguisset charitas, quia tunc omnes viri vocarẽt omnes pueros suos filios: & omnes mulieres vxores suas, rectè ab Aristoteles ducitur ad oppositum. Nam quæ sunt communitatis negliguntur magis, quàm propria, vt experientia patet. Cum ergo tunc pueri non agnoscerent proprium patrem, sed omnes homines haberent pro patre: nec matres proprios filios agnoscerent, sed omnes reputarent filios suos, non esset, ita incensus amor filiorum erga patres: nec amor, & cura patrum erga filios. Accedit quòd in illa communitate mulierum non possent non esse magnæ contentiones, dum vnusquisque pulchriores adamaret, reliquas despiceret, & similia. Vnde dato, quòd vsus communis aliarum rerum esset vtilis, non tamen communis vsus mulierum. Aristoteles adducit aliàs rationes, quæ in ipso videri possunt.

Vsus communis mulierum improbat' ab Aristotele.

69 Circa has duas conclusiones præsertim circa secundam occurrit dubitatio. Nam Soto lib. 4. de iustitia, & iure, quæst. 3. ar. 1. in respõsione ad primum argumentum impugnat hanc secundam conclusionem Scoti, atque esse falsam, & duplicem adducit rationem. Prima est ius naturale est immobile, & indispensabile, quod probat per Isidorum dist. 6. can. 3. *non est peccatum,* §. *ir itaque*; indè enim colligit præcepta decalogi esse indispensabilia, quia sunt de iure naturæ.

Obiectio ex Soto cõtra secundã Conclusionem.

70 Respondet Azorius parte 3. Moralium instit. lib. 1. cap. 3. Scotum posse facile respondere, quòd huiusmodi præceptum etsi fuit de lege naturæ, tamen non obligauit pro omni statu, sed solùm ad tempus, & proinde mutatum esse. Sed contra hanc responsionem procedit secunda ratio, quam ibidem facit Soto contra Scotum, quæ est. Si fuit naturæ præceptũ, vt res possiderentur in cõmuni, vel illud fuit pro omni statu, & hoc dici nõ potest à viro sanę mentis: quia sequeretur in statu naturæ lapsæ esse omnia communia, quod est error. Vel fuit solùm pro illo statu innocentiæ, vt dicebat Azorius, & tunc falsam est, quod in statu naturæ lapsæ facta sit dispẽsatio illius præcepti, quia iam hoc præceptũ nõ obligabat pro isto statu.

Responsio Azorij pro Scoto.

2. Ratio Soto quæ.

71 Molina etiam de iustitia tractatu 2. disp. 20. inquit, Scotum hic iure reprehendi, quòd dicat ius naturale esse mutatum, propter rationem adductam à Soto, quia ius naturale est immutabile. Declarat deinde cum ipso Soto quomodo facta sit mutatio ista, quòd quæ erãt de lege naturæ communia, non ampliùs sint communia, sed diuisa; & inquit, quòd non est facta mutatio in lege naturæ, quia lex naturæ est immutabilis; sed quòd facta est mutatio in subiecta materia, scilicet, quia res, quæ erant communes non sunt ampliùs communes, sed sunt factæ propriæ huius, & illius. Dat Soto exemplum de vino. Nã ex D. Aug. lib. 1. Confessionũ, medicinalis regula est, vinũ homini esse congruũ: huic tamen non derogatur, dum infirmo interdicitur, sed mutatio fit in homine, cui perpetua illa regula non congruit. Explicando autem quomodo vixere in communi fuerit præceptum naturæ, Respondent non fuisse præceptum præceptiuum vsus cõmunis, neque prohibitiuum diuisionis rerum, sed fuisse permissiuum. (Ideò Molina tenet, quòd etiam in statu innocentiæ potuisset fieri rerum diuisio si voluissent, &

Molinæ obiectio.

congruum

congruum illis visum fuisset, neque hoc derogasset iuri naturæ pro illo statu,) quæ solutio sumitur ex D. Thoma, 2.2.q.66. artic.2. ad primum, & eam tenent Azorius vbi suprà, & alij.

Reijciūtur obiectiões allatæ.

72 Obiectiones istæ si procedunt contra Scotum, valent etiam contra D. Thomam; sed neque cōtra D. Thomam, neque contra Scotum valent, & multa falsa continent. Si valent contra Scotum, valent etiam contra D. Thomam probatur. Quoniam Scotus, & D. Thomas idem sentiunt, & Scotus rem clariùs explicat. Nam D. Thomas loco citato habet conclusionem negatiuam hanc. Ius naturale non dictat omnia esse possidenda communiter verba enim D. Thomæ loco citato ad primum sunt hæc. *Communitas rerum attribuitur iuri naturæ, non quia ius naturale dictet omnia esse possidenda communiter, & nihil esse quasi proprium possidendum; sed quia secundùm ius naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundùm condictum hominum.*

73 At Scotus in conclusione prima idem habet, illa enim habet sic. *Lege naturæ, vel diuina non sunt rerum distincta dominia pro statu innocentiæ, immò tunc omnia erant communia.* Conclusio ergo Scoti est quoque negatiua, scilicet, quòd distinctio rerum, & dominiorum non est de lege diuina, nec de lege naturæ. Cum ergo ibidem Scotus, & in secunda conclusione dicit omnia esse communia de lege naturæ, intelligit pro tanto esse præceptum de lege naturæ, omnia esse communia, quia distinctio rerum non est præcepta à natura, nec est de lege naturæ, quod est, ac si dicat, de lege naturæ habemus solùm omnia esse communia, quia ea non præcipitur distinctio rerum: non tamen habetur ex lege naturæ, & diuina, quòd distinctio rerum, & dominiorum sit prohibita, & quòd illa fieri aliquando non posset, si accideret occasio, & opportunitas.

74 Ex hoc sequitur, Scotum rectè dixisse in secunda conclusione, præceptum illud naturæ, de habendo omnia communia reuocatum fuisse post peccatum. Nam licèt præceptum legis naturæ non prohiberet fieri distinctionem dominiorum: tamen antequàm fieret, omnia debebant esse communia. Necessarium ergo fuit, vt priùs promulgaretur lex de distinctione dominiorum facienda, & postea ad ipsam diuisionem dominiorum accederetur: ergo antequam fieret actualis diuisio dominiorū, lex illa naturæ, quòd omnia essent communia, habebat vigorem, & proinde erat necessarium priùs illam reuocare, & hanc aliam publicare: Dominia sunt distinguenda. Et hoc totum confirmatur, quia si quis ante promulgationem istius legis, quòd dominia erant distinguenda, & antequam lex illa naturæ, omnia esse communia, reuocaretur, voluisset distinguere res, & accipere dominiū, & proprietatem alicuius, peccasset, quia fecisset contra legem naturæ, iam latam, & vsu receptam. Vt ergo rectè posset fieri, distinctio rerum, debuit priùs illa lex reuocari, & promulgari hæc secunda de distinctione dominiorum facienda.

Molina cōfutatur.

75 Ex quo sequitur, Molinam malè dicere, quòd in statu innocentiæ potuissent homines facere distinctionē dominiorum. Nam licèt lex illa de habendo omnia in communi non prohiberet distinctionem dominiorum fieri, tamen durante ipsa lege quòd omnia essent communia, illi repugnabat fieri distinctionem dominiorum. At abrogata illa lege naturæ, quòd omnia essent cōmunia, cuius abrogationem, & alterius oppositæ de distinctione dominiorum publicationem, natura non prohibebat, poterat fieri distinctio dominiorum.

Contra Soto Molinā, & Azoriū.

76 Ex hoc etiam sequitur contra Sotum, Molinam, & Azorium, legem naturæ de habendo omnia communia, non fuisse solùm permissionem, sed fuisse absolutum decretum, quòd omnia essent communia, licèt non includeret prohibitionem reuocationis sui ipsius, & institutionis oppositæ pro tempore sequēti opportuno: lex enim, & decretum, seu præceptum est actus efficax aliquid faciendi; permissio autem est actus remissus voluntatis de aliquo contra præceptum; ita quòd permissio, & lex pugnant simul, quod disertè probatur per auctoritates adductas pro prima conclusione: ius enim diuinum habet *Domini est terra, & plenitudo eius*, ecce legem affirmatiuā: & Clemens, inquit *communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit.* Non dicit, permissum est esse communem.

Ad primā rationē Soto contra Scotum.

77 Hinc etiam sequitur responsionem Azorij ad primum argumentum Soto valere posse. Nam lex illa naturæ de habendo omnia communia, quia non continebat prohibitionem suæ abrogationis, potest dici, quòd intendebat obligare tantùm ad tempus, scilicet, pro statu innocentiæ; ideò illo transacto poterat reuocari.

Ad secūdā.

78 Ad secundam autem obiectionem ex Soto contra hanc responsionem, quia tunc nō obligasset pro statu naturæ lapsæ, & sic non posset abrogari; abrogatur enim præceptum, quod ligat, non illud, quod non ligat, nec aliquid efficit. Respondetur, legem illam naturæ obligasse semper quò ad vsque reuocabatur, quia licèt non prohiberet fieri distinctionem dominiorum, & propriā abrogationem: tamen dum non erat abrogata, & opposita promulgata, erat lex, & habebat suum valorem. Possumus tamen aliter respondere, nimirū illam propositionem adductam à Soto, legem naturæ esse indispensabilē posse dupliciter intelligi. Vel de præceptis de lege naturæ stricto modo; & de his verum est, nullam posse esse dispensationem stantibus rebus, & natura prout stant; vt sunt præcepta Decalogi primæ tabulæ. Vel de præceptis legis naturę largo modo, vt sunt præcepta Decalogi secūdæ tabulæ, & de his potest esse dispensatio, vt optimè docet Scotus in 3. dist. 37. præceptum istud de habendo omnia communia est de lege naturæ secundo modo, quia non est aliquod primum principium practicum ex terminis notum, vt illud, Deum esse colendum, sed benè est conforme legi naturæ, vt sunt præcepta secundæ tabulæ Decalogi, ideò super hoc præceptum, licèt sit de lege naturæ, cadit dispensatio.

Alia respōsio.

Confirmatio opinionis Scoti.

78 Quod confirmatur ex confutatione modi dicendi aduersariorum, dicunt ipsi, non factam esse mutationem in præcepto, & lege naturæ, quia ipsa est immutabilis, sed factam esse mutationem in re, & obiecto ipsius legis: nimirum quia id, quod erat commune, factum est, vt iam non sit commune, sed distinctum, & particulare. Hic enim modus dicendi est falsus. Probo. Tota mutatio, quę inest rei, & obiecto est propter mutationem factam in lege: ergo lex est mutata. Consequentia est euidens. Antecedens probatur: ideò res, quæ priùs erat communis, nunc facta est particularis, & propria alicuius, quia vbi priùs lex iubebat rem esse communem, nunc iubet esse particularem: ergo tota mutatio est ex parte legis. Antecedens est euidens, & probatur, quia quæro ab aduersarijs: Vnde habebat res, vt priùs esset communis? ex se, an ex lege illa status innocentiæ, quòd omnia essent communia? non ex se, vt patet; quia res quantùm est ex se sūt indifferētes ad vsum communem, & proprium: ergo habebat ex lege. Quæro etiam: Vnde nunc res habent quòd non sint communes, sed propriæ? non ex se propter eandem rationem: ergo propter aliam legem: ergo tota mutatio, quæ est in re, est ratione mutationis legum: ergo lex naturæ illa erat mutabilis.

Ad exemplum Soto.

79 Exemplum autem adductum à Soto de vino, & homine ægroto, licèt posset explicari iuxta dicta, scilicet, quòd non est congruum pro omni tempore; tamen meliùs dicitur non esse simile, quia reuera in illo exemplo tota mutatio est ex parte hominis, qui intrinsecè ex sano fit ægrotus. At in proposito tota mutatio est in re extrinsecè, non intrinsecè, scilicet ex diuerso ordine ad legem, vt dictum est.

80 Deducitur vlteriùs ex dictis falsum esse, quod asserit Molina vbi suprà, scilicet, quòd si quis nunc prohiberet quemquam ne sumeret aquam ex fonte omnibus cō-

muni;

Non peccaret contra legem, nãque q nũc prohiberet aliquẽ ab vsu cõmuni viæ, &c.

muni; aut ne transiret aliqua via publica, peccaret contra ius naturæ, eo quia ius naturæ præcipit, ne quis prohibeat aliquem ab vsu rerum omnibus communium; hoc enim esse falsum conspicitur ex eo, quia post lapsum lex illa naturæ, quòd omnia sint communia abrogata est: ergo nemo potest contra eam peccare; sed qui illa faceret, peccaret contra ius gentium, quod aliqua voluit esse communia aliquibus pluribus, vt fontes quosdam, flumina aliqua, & similia, quædam verò non item. Confirmatur, quia supponit Molina adhuc post lapsum esse aliquas res adhuc communes omnibus secundùm ius naturæ; hoc autem falsum est, quia omnia Regna mundi sunt diuisa, & si quæ sunt, quæ non sint diuisa, quia incognita, de iure gentium sunt primi occupantis: ideò nihil est commune iure naturæ, sed omnia sunt sub ditione alicuius domini. Et licèt fontes, flumina, & huiusmodi videãtur esse communia omnibus iure naturæ, hoc est falsum, quia nullum horum reperitur, quod non sit sub ditione alicuius Principis, vt dixi: ideò licèt omnes subditi illius Principis habeant illa communia, vt flumina, fontes, & huiusmodi, tamen subditi aliorum Principum illis non possunt vti, nisi Principes vellent. Vnde subditi Regis Galliarum nõ possent vti aqua, & fluminibus Regis Hispaniarum, si ipse nollet, & è conuerso. Quidquid ergo nunc est commune pluribus, est commune ex iure gentium, non iure naturali; ideò qui prohiberet aliquẽ ab vsu alicuius rei communis, vt à via publica, vel ab aliquo fonte, peccaret contra ius gentium, non contra legem naturæ.

3. Conclusio Scoti.

80 Tertia conclusio Scoti loco citato est. Reuocato præcepto legis naturæ, de non habendo omnia communia, & per consequens concessa licentia appropriandi, & distinguendi communia, actualis diuisio non fiebat per legem naturæ, nec per diuinam. Addere possumus, sed per positiuam. Hæc conclusio quò ad legem diuinam probatur per illud D. August. super Io. cap. 2. adductum dist. 8. cap. 1. *Quo iure defendis villas Ecclesiæ, &c.* quod suprà ad primam conclusionem adduximus. Quò ad legem naturæ probatur etiam, quia lex naturæ non potest opposita statuere. At suprà iam diximus secundùm legem naturæ omnia esse communia: ergo distinctio dominiorum, & rerum non potest esse de lege naturæ.

81 At contra hoc posset quis obijcere propositionem illam Inst. lib. 2. de rerum diuis. §. *Fera igitur bestia*, versi *Quod enim*, qua dicitur, *quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur*, hæc enim videtur esse de iure naturæ, quia post naturalem apprehensionem de hoc, quod est res esse diuidendas, illa statim occurrit, tanquam probabilis; & proindè videtur esse dictata à iure naturæ. Respondet Scotus meliùs dici esse de iure positiuo, nimirum de iure gẽtium, quàm de iure naturæ propter rationem adductam, scilicet, quia natura non dictat opposita. Ratio autem concludit esse de iure gentium, quia communiter homines in illam propositionem conspirant, tanquam valdè rationabilem stante imperfectione naturæ humanæ propter peccatum. Hæc assertio est communis, eam habet D. Thomas 2. 2. q. 66. artic. 2. ad 7. Soto lib. 4. de iustitia, & iure, q. 3. art. 1. conclus. 3. Suarez lib. 3. aduersus Regem Angliæ, cap. 2. Molina, & Azorius, vbi

Opinio Io. Medinæ reijcitur.

suprà. Ioan. tamen Medina adductus à Molina, vbi suprà asserit, rerum diuisionem post peccatum esse de iure naturæ, accipiendo ius naturæ largè, & pro omni eo, quod lumen naturale iudicat esse faciendum. Sed hæc opinio reijcitur rationabiliter. Quia licèt diuisio rerum esset rationabilis, & conformis lumini naturali post peccatum ad vitanda mala, tamen non propter hoc sequitur diuisionem ipsam actualem rerum factam esse per legem naturæ: quia vt dicebat Scotus lex naturæ non præcipit opposita. Nisi ergo homines fecissent hanc diuisionem, nunquam facta fuisset, nec extiterit in rerum natura. Argumentum autem assumit falsum, quia si omne quod est conforme lumini naturali deberet dici de iure naturæ, omnis lex iusta positiua deberet dici de iure naturæ: quia legislator debet facere legem iustam, & conformem dictamini rectæ rationis. Illud ergo communiter dicitur de lege naturę, quod est principium practicum primum notum ex terminis, vel proximè deductũ ex illis, non remotè, cuiusmodi est lex positiua.

82 Quartam conclusionem subiungit Scotus ex proximè dictis. Nam dictum est, primam rerum diuisionem factam esse per legem positiuam humanam: si enim nec per legem diuinam, nec per legem naturæ facta est, sequitur quòd facta sit per legem positiuam humanam. Ad videndum autem, an illa diuisio per legem positiuam humanam facta sit iusta, videndum est consequenter, quomodo lex positiua talis sit iusta. Ad hoc autem videndum ponit quartam conclusionem, quæ est hæc. Lex positiua iusta requirit in legislatore prudentiam, & auctoritatem. Probatur hæc conclusio quò ad prudentiam, quia prudentia est suprema virtus, quæ dictat, quid sit faciendum secundùm rectam rationem: ideò ista virtus maximè requiritur in legislatore, ad faciendum legem pro communitate vtilem, & conuenientem secundùm rectã rationem. Quò ad auctoritatem quoque probatur, quia lex ad hoc, vt obliget, requirit in legislatore auctoritatẽ: nam lex à ligando dicitur, non autem quælibet sententia prudentis ligat communitatem, sed requiritur auctoritas in legislatore. 4. Conclusio. Lex positiua iusta q̃d requirit.

83 Ad videndum autem, quomodo auctoritas iusta habeatur in legislatore, quæ requiritur ad faciendum legem iustam, ponit Scotus quintam conclusionem, quæ est hæc. Duplex est Principatus, seu auctoritas, scilicet, & paterna, & politica. Hæc conclusio est Arist. 1. lib. Politic. cap. 2. & 3. & ab omnibus communiter concessa est. Potestas paterna est potestas, quam habet pater in filios, & descendentes; potestas ciuilis est, quam habet Princeps, vel Republica, vel communitas super extraneos nulla cõsanguinitate, vel propinquitate coniunctos. Quid autem sit potestas: varij varia dicunt, vt est videre apud Nauarrum in capite *Nouit*, de iudiciis, corrolario 16. & apud Molinam de iustitia, par. 3. disp. 21. Breuiter videtur posse diffiniri esse eminentiam, & sublimitatem quandam alicuius super alios, per quam potest eos obligare ad aliquid agendum, vel faciendum. Hæc diffinitio manifestatur inductione. Nam potestas paterna, & politica non aliud sunt, quam quædam superioritates super filios, & subditos eos regendos, & gubernandos, per quam filij, & subditi tenentur obedire legibus, & præceptis parentum, & Principum: & habet hæc diffinitio fundamentum in verbis D. Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Significat ergo potestatem esse quandam sublimitatem, & eminentiam in aliquibus, qui habẽt subditos, quib. præcipere, & imperare possunt. 5. Conclusio. Duplex est Pricipatus. Quid sit potestas.

84 Hæc potestas duplex est, scilicet paterna, & ciuilis: paterna est de iure naturæ, vt habet Aristoteles 1. Politicorum cap. x. potestas enim, quam habet pater in filium eorum habet non à voluntate aliqua hominum, sed ab ipsa natura, & respicit consensum naturalem; licèt enim filij sint liberi, tamen naturaliter sunt aliquid patris, cum ab illo habeãt esse. Hæc potestas paterna per legem aliquam, vt Mosaicam, vel Euangelicam, non est reuocata, sed confirmata magis. Altera potestas, nempe ciuilis, & politica quæ est super extraneos, est de iure gentium, & est iusta, quia introduci iustè potuit, vt videbimus. Potestas duplex paterna, & politica.

85 Verùm hic occurrit duplex dubitatio. Prima est, quia Scotus hoc loco dicit, solam potestatem paternam esse de lege naturæ: politicam verò, & ciuilem esse de iure gentium. Ex quo videtur velle, quòd in statu innocentiæ, in quo lex naturæ sola vigebat, nulla esset præsidentia, vel potestas ciuilis. D. Thomas autem 1. parte, quæst. 96. artic. 4. disputans, an in statu innocentiæ homo homini dominaretur, videtur ponere in statu innocentiæ aliquo modo etiam potestatem ciuilem. Nam eo articulo ponit duas conclusiones. Prima est, quod homo in statu innocentiæ non fuisset dominatus homini, tanquam seruo. An in statu innocentiæ homo homini dominaretur. Opinio D. Thomæ.

Secunda

Secunda verò conclusio est, quòd in illo statu homo dominatus fuisset homini, tanquàm subdito in ordine ad debitam gubernationem. Primam conclusionem probat auctoritate D. Aug. lib. 19. de Ciuitate Dei, cap. 15. dicentis, *hominem rationalem ad imaginem suam factum noluit, nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori*. Secundam conclusionem probat auctoritate D. Augustini eodem lib. 19. cap. 14. *Iusti non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit*. Adducit etiam rationem D. Tho. Primò, quia homo est animal sociabile, vndè oēs in statu innocentię socialiter vixissent; non potest autem vita multorum esse sociabilis, nisi vnus præsideat, qui ad bonum commune tendat: Et hoc confirmatur auctoritate Aristotelis 1. Politicorum in principio, qui rationem prædictam facit. Cōfirmatur adhuc, quia si in illo statu vnus habuisset supereminentiam scientiæ, & iustitiæ inconueniens fuisset, nisi hoc exequeretur in vtilitatem aliorum, secundùm quod dicitur 1. Petri 4. *vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes*.

86 Quomodo autem hęc duo dominia distinguerentur, & istæ duæ conclusiones non repugnent, declarat D. Thomas per distinctionem: Quia dominium duobus modis accipitur. Vno modo secundùm quod opponitur seruituti, & sic dicitur dominus cui aliquis subditur, vt seruus. Alio modo accipitur dominium secundùm quod communiter refertur ad subiectum qualitercumque. Et hoc modo qui habet officium gubernandi liberos, potest dici dominus. Dominium, & seruitus primo modo non fuisset in statu innocentiæ, quia seruus in eo sensu dicit pœnam, & tristitiam subditorum: nam in eo sensu seruus ordinatur ad vtilitatem dominantis, non propriam; & ideò tristitiam affert, quia bonum, quod deberet esse suum, est alterius; & in hoc seruus differt à libero; sed seruus, seu subditus secundo modo ordinatur non ad bonū dominantis, sed ad bonum ipsius subditi, vel communitatis: ideò hoc dominium potuit esse in statu innocentiæ, & sic conciliantur istæ duæ assertiones. Prima procedit de seruitute, & dominio primo. Secunda de seruitute, & dominio secundo.

Reijcitur. 87 Cæterùm hęc conclusio non videtur multùm probabilis, quia ponit aliquam subiectionem, & dominium ciuile, & politicum in homine pro illo statu, quod repugnat dictis suprà. Vbi etiam diximus D. Thomam, & sectatores communiter asserere distinctionem dominiorū esse de iure gentium, non de iure naturæ. Et confirmatur, quia si fuisset huiusmodi præsidentia in statu innocētiæ, qua gubernator ordinaret suos subditos ad bonum eorū proprium, & commune, certè fuisset distinctio dominorum, & subditorum: quia non omnes homines potuissent in toto mundo habere eundem gubernatorem, & præsidentem; necessarium ergo fuisset esse distincta dominia, & præsidentes. Præterea, vt habetur ex D. Augustino locis citatis à D. Thoma, præsertim autem lib. 19. cap. 13. vbi est pax, ibi non est bellum: in statu innocentiæ fuisset pax, quia non aderat fomes peccati: ergo nullum bellum, quod propter peccatum accidit. Vbi autem non est discordia, nec bellum, omnes tendunt ad bonum commune, & tam proprium, quàm proximi: ergo non fuisset ibi opus aliquo gubernatore, & præsidente, quia adfuisset maxima pax, & concordia interna, & externa, propter quam homines non eguissent gubernatore, & præsidente, eos ciuiliter regente; sed in vnaquaque familia suffecisset auctoritas paterna, qua gubernaret filios in rebus necessarijs quousque peruenirent ad vsum rationis, & ætatem perfectam, qua se regere, & gubernare potuissent.

88 Præterea auctoritas D. August. lib. 19. de Ciuitate Dei, cap. 15. apertè tollit omnem præsidentiam, & superioritatem hominis super hominem ante peccatum, & in statu innocentiæ. Eius enim verba cap. 15. sunt hæc. *Rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti pastores pecorum magis quàm Reges hominum constituti sunt, vt etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum*. Ex hac auctoritate videmus in statu naturæ hominem factum fuisse dominum creaturarum irrationalium, non autem hominum; & ait hoc fecisse Deum, vt sic ostenderet quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccati. Secundùm ergo D. Augustinum ordo creaturarum non exigit dominium, & præsidentiam hominis ad hominem, sed hoc oritur ex peccati demerito.

89 Auctoritas autem adducta à D. Thoma, ex D. Augustino eodem lib. 19. cap. 14. non adducitur integra, neque vt iacet: integratur enim sententia D. Augustini ex verbis in fine cap. 14. & in principio cap. 15. positis, & sunt hæc. *Sed in domo iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illa Cœlesti Ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare: neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia* (sequitur cap. 15.) *hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit. Nam dominetur (inquit) piscium Maris, & volatilium Cœli, & omnium repentium, quæ reptant super Terram. Rationalem factum ad imaginem suam*, &c. Et deinde sequuntur verba D. Augustini, nunc suprà adducta. Ex his conspicitur, quòd D. Augustinus loquitur de iusto in statu peccati, in quo locum habet misericordia prouidendi alteri, non in statu innocentiæ, in quo non erat opus misericordia ad prouidēdum alteri per personam publicam, & gubernatorem communitatis; tum quia ibi nulla fuisset indigēntia; aut quia si aliqua ex illis adfuisset, homo quicumque per se ipsum sibi ipsi succurrisset, & per principatum paternum prouisum fuisset.

90 Quod aūt ait D. Aug. *hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit*, significat actum imperandi, & dominandi iustum, qui est imperare non dominandi cupiditate, nec principandi superbia, sed misericordia prouidēdi, esse naturalem, & inditum esse homini à Deo in creatione: quia Deus fecit hominē rectum, & iustum. Aliud autem est dicere Imperium, & dominium est de iure naturæ; & aliud dicere actum iustum dominandi, & imperandi est de iure naturæ, hoc enim secundum est verum, quia Deus creauit hominem iustū, & inseruit illi principium illud, *quod tibi vis alteri feceris; & quod tibi non vis, alteri ne feceris*, ex quo oritur omnis iustitia, non autem primum. Vndè licèt Principatus politicus sit de iure gentium, tamen inquantum est iustus, siue iustè imperare, & dominari est de iure naturæ: quia natura dictat actus debere esse iustos.

91 Quòd si quis obijciat in Angelis bonis est prælatio, & ordo, ita quòd inferiores subijciūtur superioribus: ergo multo magis esse debuit in hominibus in statu innocentiæ. Respondetur. Prælationem in angelis esse ordinem, non præsidentiam; hierarchia enim, & principatus in angelis est ordo inter se se, & ad Deum, à quo ordinatè secundùm dona naturalia, & gratuita procedunt; sed solus Deus est eorum princeps: ideò accipiendo subiectionem in hominibus in statu innocentiæ, sicut est in angelis bonis, conceditur. Quia inter homines vnus in donis naturalibus intra eandem speciem excessisset aliū, & etiam in donis gratuitis; & sic potuisset dici subiectus illi. At accipiendo prælationem pro potestate imperandi propriè etiam ad bonum commune vel alterius, nulla videtur fuisse prælatio, & dominium ciuile in statu innocentiæ, neque quò ad vim directiuam, neque coerciuam: sed solùm potestas paterna.

92 Possumus etiam dicere, quòd imperare est de iure naturæ eo modo quo suprà diximus distinctionem dominiorum esse de iure naturæ, scilicet, quia non prohibetur à natura, seu quia concomitatur naturam hominis:

homo enim à natura habet libertatem subijciendi se alteri. Et cum Aristot. 1. Polit. cap. 2. ait aliquos esse natura seruos, vult dicere, quòd aliqui habent magis inclinationem ad seruire, quàm ad dominari, quod est verum in statu peccati, quem solùm nouit Aristoteles, & hoc accidit propter peccatum.

93 Ad rationem autem primam D. Thomæ dicitur, quod ratio valet apud Philosophum, qui non nouit nisi istum statum: pro statu autem isto peccati verũ est, quòd aliqua multitudo non potest viuere socialiter, vbi non est vnus Præsidẽs: at in statu innocentiæ, vbi nulla erat discordia, nec prauus affectus, sed maxima pax, poterant viuere socialiter sine Gubernatore, & Principe, habendo omnia communia.

94 Ad aliam rationem eodem modo respondetur; currit enim pro statu peccati, non pro statu innocentiæ, quia ibi non erat opus actum illum exercere. Ij autem qui maiorẽ sciẽtia, & maioribus donis à Deo ornati fuissent, in debita veneratione habiti fuissent absque vllo imperio, & dominio super alios. Videtur ergo dicendum in statu naturæ fuisse tantùm Principatum paternum, non autem politicum.

An principatus politicus sit iure naturę.
Opinio Scoti de origine potestatis Ciuilis.

95 Secunda difficultas est, quia Scotus dicit Principatum politicum introductum esse de iure gẽtium post peccatum, & esse iustum, quod probat, quia vnusquisque homo creatus est liber à Deo, ideò potuerunt aliqui plures extranei conuenire ad ędificandum, vel ad habitandum aliquam Ciuitatem, & videntes, quòd non possent commodè viuere sine aliqua auctoritate, & principatu, potuerunt eligere aliquam vnam personam, vel plures, seu aliquam communitatem, & illi, & suis successoribus se subijcere pro se, & sua posteritate in ijs, quæ non sunt contra legem Dei, & in quibus meliùs possent dirigi ab illo, quàm à seipsis.

Opinio Soto, & aliorũ opposita.

96 At Soto lib. 4. de iustitia, & iure q. 4. art. 1. Victoria in relectione de potestate Ciuili num. 6. & 8. quos sequitur Molina Tract. 2. de Iustitia c. 22. Suarez lib. 3. aduersus Regem Angliæ c. 2. dicunt, potestatem Ciuilem non habere ortum ex voluntaria subiectione cuiusque hominis ad Principem aliquem, & gubernatorem Reipublicæ, sed ex iure ipso naturæ immediatè, siue à Deo immediatè naturam instituente: voluntque actu hanc potestatem oriri in ipsa multitudine, ex ipsa natura sic instituta à Deo, eo ipso quo cõueniũt simul ad integrãdum vnũ corpus Reipublicæ. Rationes pro hac opinione sunt.

1. Ratio.

97 Primò Cõmunitas integrans vnum corpus Reip. instigãte natura, atque ipsa impellente, & postulante proficiscitur ad hanc potestatem, ipsaque natura cõmunitatis iam ortæ postulat in se potestatem super singulas suas partes: ergo hæc potestas est de iure naturali, atque à Deo immediatè.

2. Ratio.

98 Secundò vnicuique de Rep. est prohibitum interficere malefactores, vel alijs pœnis eos afficere, esto ipsi sint, qui iniuria sint affecti ex 5. præcepto Decalogi. At Respublica hoc potest: ergo alia, & diuersa est potestas Reip. à priuata potestate cuiusque: ergo non à potestate priuata cuiusque hæc potestas ciuilis emanat, sed immediatè à natura, & à Deo.

3. Ratio.

99 Tertiò addit Molina. Si auctoritas Reip. non esset à Deo immediatè, sed à personis particularibus, sequeretur, quòd si aliquis non vellet assentire in hanc potestatem, Resp. in eum non haberet potestatem. Falsitas consequentis est euidens. Consequentia probatur, quia si à Republica acquiritur potestas in partes Reipublicæ per consensum partium, illa pars, quæ non consentit, non se subijcit Reipublicæ potestati: & sic in eam Respub. non haberet potestatem.

Reijcitur.

100 Cæterùm opinio hæc omnino videtur reijcienda, primò quia si potestas Ciuilis immediatè esset à natura, & à Deo collata naturæ, sequeretur illam esse inseparabilem à natura. Consequens est falsum: ergo. Consequentia est euidens, quia quod inest alicui immediatè, inest illi primò, & per se; quod inest alicui primò, & per se est inseparabile ab ipso, ex 1. Post. c. 4. de propositione vniuersali, talia enim prædicata insunt subiecto maxima necessitate, ideò sunt inseparabilia ab eo, vt visibilitas ab homine. Falsitas consequentis est euidens, quia potestas Ciuilis non fuisset in statu naturæ, vt suprà probauimus: ergo tunc potestas Ciuilis separata fuisset à natura. Et confirmatur, quia in statu innocentiæ nõ fuisset potestas hominis super hominem, saltem coactiua, etiam secũdùm aduersarios: at de essentia potestatis Ciuilis est potestas nedum directiua, sed coactiua etiam in homines: ergo.

2. Ratio.

101 Præterea ratio introductionis potestatis Ciuilis est præsertim ad seruandam pacem, & tollendum discordias in Rep. & seruãdum vnicuique ius suum. At in simplici statu naturæ summa fuisset pax, quia iniustitia, & discordia & iniquitas est nata in natura propter peccatũ: neque de iure naturæ est meum, & tuum, nec diuisio dominiorum. Denique de essentia potestatis, & principatus politici est dominari nõ solum irrationalibus creaturis, sed etiam rationali, atque eam pœnis afficere, & etiam interficere. At ex D. Aug. suprà lib. 19. cap. 15. de Ciuitate Dei vidimus, Deum noluisse hominem dominari, nisi irrationalib. nõ hominẽ homini, sed hominẽ pecori.

3. Ratio.

102 Propter has rationes, quæ certè sunt euidentes, proculdubiò opinio ista videtur dimittenda, & opinio Scoti vera apparet. Potestas enim Ciuilis habuit tantummodo locum post reuocationem legis naturæ de habendo omnia in communi, & constituta lege de diuisione dominiorum: quia nisi aliqua potestas fuisset introducta ad coercendum potentiores, vita humana non potuisset conseruari. Potestas ergo Ciuilis de iure gentium est, & ortũ habet ex libero consensu hominum; & proinde potest quidem dici esse de iure naturæ mediatè, scilicet mediante libera volũtate hominis, quam homo habet à Deo, nõ autem immediatè: potest etiam dici de lege naturæ largè accepta, quia est conformis lumini naturali; post quàm enim diuisio rerum est introducta, natura dictat necessitate ducta sibi prouidere de remedio, quod fuit institutio Ciuilis Principatus.

103 Ad primam rationem pro opinione adducta, respondeo, concludere esse à natura mediatè, scilicet mediante voluntate creata, & esse de lege naturæ largè accepta, vt dictum est, quia potestas Ciuilis est introducta à voluntate hominis sibi à Deo, & à natura data.

Ad primã rationem pro opinione opposita.

104 Ad secundam. Concedo potestatem Reipublicæ esse maiorem, quàm sit potestas cuiusque particularis, sicut totum est maius parte; at non sequitur ob hoc, quòd potestas illa ciuilis non consurgat ex potestatibus particularibus: sicut non sequitur, quòd etsi totum sit maius qualibet parte, non tamen consurgat ex singulis partibus. Posset etiam dici, quòd si non esset potestas Ciuilis, & cessaret ratio scandali, liceret priuato interficere malefactorẽ, quia licet vim vi repellere, & se indemnem seruare.

Ad secundam.

105 Ad tertiam. Respõdeo bonum publicũ præponderare priuato, ideò si multitudo iudicat esse bonũ publicum instituere potestatem Ciuilem, & vnus, vel quidam pauci non consentiant, despiciuntur, & coguntur sequi voluntatem plurium, vt fit in omnibus electionibus superiorum, in quibus etsi aliqui non consentiant, tamen cum adest sufficiens numerus electorum, remanent obligati, & subditi.

106 Ex hoc deducit Scotus patere vnde lex positiua humana habere potuit vt esset iusta, potuit enim habere ex hoc, quia lata fuit à persona, vel personis habentibus prudentiam debitam in se, vel in suis Consiliarijs: & habentibus potestatem, & facultatem legitimam præcipiendi subditis, & obligandi eos ad obseruationem legis, & sic statuit Sextam cõclusionem, quæ est. Prima distinctio dominorum potuit esse iusta à lege positiua iusta, siue lata à Patre, siuè Principe, siuè communitate iustè regnante, vel regente. Hæc conclusio de se patet, neque vlla est discrepantia. Subiungitque Scotus hoc modo fuisse de

Vnde lex humana positiua habet vt sit iusta.

Sexta conclusio.

Prima distinctio dominorum

facto

iusta fuit à lege iusta positiua. Quomodo de facto diuisio rerũ, & dominiorum introducta sit.

facto introductam, & institutam. Vnde possumus dicere tribus modis potuisse legitimè institutam fuisse rerum diuisionem, & dominiorũ. Vno modo per legem latam a Patre, & hoc modo videtur de facto fuisse facta, quia legimus Genesis. 4. Caim, & Abel habuisse propria peculia distincta; nam Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & Caim ædificauit Ciuitatem, vocauitque eam ex filij sui nomine Henoc; hoc eodem modo potuit Noè post diluuium res diuidere suis filijs, cum iam ipse nosset sic factum fuisse ante diluuium à parentibus suis. Atque potuit sanxisse illam legem, quòd res non occupata esset primi occupantis. Secundò potuit diuisio prima rerum iustè fieri per legem latam à Principe, vel Republica. Tertiò potuit fieri prima rerum diuisio communi omnium consensu, eo modo quo legitur Genesis 13. orto iurgio inter pastores Abraham, & Loth, factã fuisse inter Abraham, & Loth. Nam Abraham dedit optionem Loth, vt eligeret sibi dexteram, vel sinistram. Quocumque autem horum trium modorum facta fuerit, iustè facta fuit. Quocumque autem modo facta fuerit, illa propositio Institutæ de rerum diuisione §. 12. *fera igitur bestia* versic. *quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur* communi omnium expresso, vel tacito consensu affirmata, & comprobata fuit. Quò fit, vt sicut de iure gentium est rerum diuisio, ita de iure gentium sit, vt quæ nullius sunt, fiant primò occupantis. Ex quo sequitur quòd primũ dominium vniuscuiusque rei fuerit acquisitum ex prima occupatione rerum. Homines enim priores, inter quos facta fuit prima diuisio rerum communium, illud acquisierunt dominium, quod primò occupauerunt, & antea nullius particularis erat: & illa occupatio fuit causa acquisitionis iusti dominij: quia lege & iure gentium, vel potestate paterna, vel ciuili communi fuit statutum id, quod nullius particularis erat, fieri primi occupantis. Sed circa istam occupationem à Principibus, & potestatibus ciuilibus sequentibus postea factæ sunt aliæ leges, & statuta, quibus acquisitio dominij rerum ex occupatione rerum nunc derelictarũ à primis occupantibus, vel si numquam fuerunt occupatæ, est valdè modificata. De quibus Iurisperiti Titulo *de acquirendo rerum dominio*, & alibi. Varij alij modi acquirendi dominium assignantur, de quibus in sequentibus agendo de translatione dominij dicemus. Nam reliqui modi acquirendi dominium rerum sunt introducti post primam acquisitionem dominij, & supponunt iam aliquod priùs fuisse dominium rei, cuius de nouo ab alio acquiritur dominium.

DISPVTATIO XLIIII.

De translatione dominij rerum.

De translatione dominij rerum auctoritate publica. Caput Primum.

1 POstquam Scotus dist. illa 15. quæst. 2. ar. 1. tractauit vndè rerum dominia sint distincta, vt hoc dicatur meum, illud tuum, in 2. art. illius quæstionis tractat, quomodo Dominia primò distincta iustè transferantur: & primo loco ponit hãc regulam generalem. Quòd translatio rerum ab vna persona ad aliam potest fieri duobus modis. Vno modo quãtùm ad dominium. Alio modo quantùm ad vsum, seu quantùm ad ius vtendi illa re, manente tamen dominio rei apud eundem. Istæ duæ translationes sunt specie distinctæ, quia habent regulas distinctas, & diuersas ad seruandum iustitiam in eis. Agemus priùs de translatione iusta dominij rerum, deinde de translatione iusta vsus. Quò ad translationem dominij inquit Scotus, & omnes asserunt, posse fieri duobus modis. Vno modo auctoritate publica. Secundo modo auctoritate priuata ipsius domini immediatè possidentis.

Translatio rerũ duobus modis fieri põt.

2 Quantùm ad translationem factam auctoritate publica idest legis, vel principis ponit Scotus hanc conclusionem. Translatio dominij auctoritate legis iustæ iusta est. Hæc cõclusio probatur facilè à Scoto. Potestas ciuilis, seu potestas Principis, & Reipublicæ potuit à principio iustè distinguere dominia, & iustè illa determinare huic, & illi: ergo & post primam diuisionem dominiorum potest iustè transferre dominium huius rei ab isto in alium propter iustam causam, & finem bonum. Consequentia patet, quia non minor est potestas modò in principe, & republica, quàm fuerit ante, cum facta fuit rerum prima diuisio. Quod supponit Scotus vt verum; & certè de hac re nulla potest esse dubitatio: quia potestas illa habet originem à voluntate hominis libera, qui iudicauit illud esse bonum, & voluit se subijcere alteri: hanc autem voluntatem habent ita homines nunc, sicut tunc illi: ergo non est minor hæc potestas nunc, quàm prioribus tẽporibus. Antecedens in præcedenti disp. cap. vltimo probatum est.

1. Conclusio Scoti.

Probatio allatæ Cõclusionis.

3 Ex hac conclusione deducit Scotus vnum corollarium; nimirum quòd præscriptio in immobilibus, & Vsucapio in mobilibus est iusta translatio. Antequàm hoc corollarium tractem, est notandum Iurisperitos de hoc vocabulo, *Vsucapione, Præscriptione, Exceptione*, multa tractare in proprijs titulis *de Vsucapione & Præscriptione*, & in decretis. 16. q. 3. & alibi. Breuiter tamen, Vsucapio est captio seu acquisitio dominij alicuius rei ex possessione & vsu illius, per certũ tempus, definitum à lege, quo transacto dominus illius rei amittit dominium illius rei, & transfertur dominium ad eum, qui ea re vsus fuit tempore illo præscripto à lege. Lex enim ciuilis statuit quòd si dominus alicuius rei eandem rem negligat, & illa res perueniat ad vsum & possessionẽ alicuius alterius, qui illa vtatur certo tempore, nec dominus eam infra illud tempus repetat, illius rei dominium amittat, & transeat ad eum, qui illius vsum & possessionem habuit toto illo continuato tempore. Vsucapio autem & præscriptio idem sunt; licèt aliqui dixerint hos terminos differre, quia præscriptio est circa bona immobilia, vsucapio circa mobilia, quos Scotus hic sequutus est. Tamen nũc communiter pro eodem videntur sumi: quia vtrumque locum habet tam in mobilibus, quàm in immobilibus. Præscriptio autem, etsi accipiatur pro acquisitione dominij ex possessione & vsu rei per certum tempus præscriptum à lege, vt est Vsucapio; tamẽ diuerso nomine nominatur, quia deriuat ab actione, quam solet facere acquirens dominium per vsucapionem, quæ dicitur exceptio & præscriptio. Nã si, postquàm quis acquisiuit dominium rei per vsucapionem, prior dominus intẽtaret litem contra nouum dominum, quòd res illa sua existat, nouus dominus aduersùs hanc actionem facit hanc exceptionem, seu oppositionem aduersario, quòd rem illam tempore statuto à lege cõtinuato possederit, & vsum eius habuerit, & quòd ideò iurè acquisiuerit eius dominium. Hæc exceptio siue oppositio communiter appellatur præscriptio à Doctoribus, & significat idem, quod Vsucapio. In re ergo pro eodem sumuntur, quod etiam tradit Nauar. in Man. cap. 17. n. 85. & alij citati ab ipso Molina de iustitia tractatu 2. disp. 6.

Corollarium.

Præscriptio & Vsucapio licẽt.

Quid sit Vsucapio.

Vsucapio & Præscriptio sunt idẽ & quomodo.

4 Hæc omnia confirmantur ex definitione Vsucapionis, quæ tamen nõ eodem modo ab omnibus assignatur, licèt parùm differãt. Modestinus I.C. l. 3. ff. de Vsucap. ait *Vsucapio est adiectio Dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti*, hoc est per continuationem possessionis tẽpore definito à lege. Panormitanus in Rubrica de *præscriptionibus* definit præscriptionem, quam accipit pro eodem, quod est Vsucapio, sic. *Præscriptio est ius quoddam ex tempore congruens, legum auctoritate uim capiens, negligentibus pœnam imponens, & finem litibus.* Patet autem ex hac definitione idem esse Vsucapionem & Præscriptionem; siquidem hęc definitio præscriptionis est eadem definitio, quæ vsucapionis assignata à Modestino paulò ampliùs explicata.

Definitio Vsucapionis.

Definitio præscriptionis.

5 Hæc definitio non placet Molinæ quòad illam particulam *negligentibus pœnam imponens*, quia inquit, sinẽ

Obiectio ex Molina

præscriptionis siue Vsucapionis esse prospicere bono publico, ne dominia rerum confundantur, non autem puniri negligentiam illius in cuius detrimentum præscribitur; immò quandoque præscriptio fieri poterit sine negligentia, quia ille, in cuius detrimentum præscribitur, poterit laborare ignorantia inuincibili, & sic erit sine negligentia.
Reijcitur. Sed hæc obiectio est parui momenti. Neque enim negari potest quòd lex præscriptionis non sit ordinata quoque in pœnam negligentiæ eorum, in detrimentum quorum fit præscriptio, vt hac de causa diligentiùs homines inuigilent circa dominium rerum, ne lites tam facilè exoriantur: ideò licèt quandoque non adsit negligentia in aliquo indiuiduo, tamen intentio legislatoris fuit negligentiam eius, quæcumque illa sit, punire.

An lex Vsucapionis & præscriptionis habeat vim in cõscientia. 1. Opinio. 6 His visis redeũdo ad Corrolarium Scoti est magna difficultas inter Doctores Theologos, & Canonistas, an lex Vsucapionis, & præscriptionis habeat vim in conscientia, siue sit iusta? quam difficultatem hic tractat Scotus. In hac difficultate sunt diuersæ sententiæ. Aliqui asserunt, vt refert Glossa, & Panormitanus in caput *Vigilanti* de præscrip. & alij, vim non habere in foro conscientiæ, & ideò si post præscriptionem legitimam constet præscribenti esse rem alienam, teneri restituere eam.

1. Ratio. 7 Probatur hæc opinio primò. Non debet quis locupletari cum iniuria, & iactura alterius, vt habetur de regul. iuris in 6. Regul. *Locupletari*; sed sic est quòd qui bona fide præscripsit rem alienam, & postea sciẽs esse alienam, si non restitueret, locupletaretur cum iniuria, & damno alterius: ergo lex Vsucapionis nõ est iusta, nec habet vim, & præscribens tenetur ad restitutionem.

2. Ratio. 8 Secundò. Fundamentum præscriptionis est bona fides: ergo cessante bona fide quouis tempore tenetur is, qui rem vsucapit, restituere: ergo Vsucapio, & præscriptio per se non habent vim, neque tutam faciunt conscientiã.

2. Opinio. 9 Secunda opinio fuit quorundam asserentium, quòd si Præscriptio facta est titulo oneroso, vt quia res fit empta, aut permutatione acquisita, rem non esse restituendã, etiam cessante bona fide: quia dicunt potiùs esse consulendum indemnitati illius, qui præscripsit, quàm illius in cuius detrimẽtum facta est præscriptio: quia qui præscripsit iuris auctoritate adiuuatur, non ille in cuius detrimentum facta est præscriptio: si verò titulo gratioso res est acquisita, vt donatione, vel legatione, vel successione ex testamẽto, vel ab intestato, aiunt esse restituendam. Ratio est quæ à præcedenti opinione adducta est, scilicet, quia nemo cũ alterius iniuria debet locupletari, vt dictum est.

3. Opinio. 10 Tertia opinio asserit præscriptionem tunc habere vim, & cessante bona fide præscribentem non teneri ad restitutionem, quotiescumque is, aduersùs quem præscribitur, fuit negligens in requirenda, & recuperanda re propria. Fundamentum est, quia dicunt intentionem legis esse punire negligentiã perniciosam Reipublicæ: ideò iustè illum priuari dominio suo, & illud transferri in præscribẽtem. Si verò non adsit negligentia, præscriptionem nõ habere vim, & cessante bona fide teneri ad restitutionem rei, nisi res sit vsu consumpta, quo casu solùm teneretur ad id in quo factus esset locupletior. Hæc opinio tribuitur Adriano in 4. de restitut. q. propria de restitutione. Medinæ de rebus restitu. q. 16. & 14. Castro 2. de lege
Hæc opinio tribuitur Scoto. pœnali cap. 5. Maiori in 4. d. 15. q. 11. Panormi. cap. *Vigilanti* de præscriptionibus num. 6. & alijs. Molina etiam hanc opinionem tribuit Scoto in hac q. quatenùs Scotus affirmat legem præscriptionis fuisse statutam in pœnam negligentiæ domini cuius res illa erat.

11 Omnes istę sententiæ communiter reijciuntur, & communior & vera sententia est, præscriptionis legem habere vim in conscientia, & esse iustam, & proinde licèt facta præscriptione in præscribente cessaret bona fides, eũ non teneri ad restitutionem: etiam si nulla fuerit negligẽtia ex parte prioris domini à quo per præscriptionem trãs-
Vera sententia Scoti. latum est dominium in præscribentem. Et hæc sententia maximè est Scoti in hac d. 15. q. 2. art. 2. vt optimè notetunt Soto in lib. 4. de iustitia q. 5. art. 4. Azorius 3. p. lib. 1. cap. 16. & euidentissimè patet ex rationibus quas adducit Scotus, quæ sunt illæ eædem quas adducit Molina, & alij. Motiuum autem, quo Molina inductus est ad tribuendum opinionem præcedentem Scoto, & propter quod forsan nonnulli dixerunt eam esse opinionem Theologorum, vt summa Rosella Verbo *præscriptio*, num. 14. & alij, infrà nullius momenti esse ostendam. Interim certum est hanc esse communiorem sententiam Theologorum, eam enim præter Scotum tenet D. Thomas quol. 12. q. 5. 4. vbi habet hæc verba. *Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiã si sciat alienum fuisse post præscriptionem: quia lex potest aliquem pro peccato, & negligentia punire in re sua, & alteri dare.* Eam deinde tenet Soto in lib. 4. de iustitia & iure q. 5. art. 4. Caietanus in summa Verbo *præscriptio*, & recentiores. Molina Azorius, & ex Canonistis Couaruuias regul. *Possessor* p. 1. §. 1. & 2. Felinus in rubrica de præscriptione. Panormitanus ibidem. Siluester verbo *præscriptio* q. 12. & multi alij citati ab istis.

12 Hæc ergo opinio probatur à Scoto, & primò quia hæc assertio quòd vsucapio, & præscriptio habeat vim in foro conscientiæ deducitur ex Conclusione prima Scoti nunc supra adducta, & probata. Assertio enim huius opinionis, vt corollarium, deducitur ex illa. Nam conclusio illa asserit quòd translatio dominij auctoritate legis iustæ, iusta est. At trãslatio dominij per præscriptionem est translatio facta auctoritate leges iustæ: ergo iusta est. Et consequenter obligat in conscientia. Quòd autem lex de præscriptione, seu vsucapione sit iusta probatur à Scoto, primò auctoritate, deinde ratione. Auctoritas est Alexandri III. in cap. *Vigilante* de præscriptionibus, quo loco Põtifex ponit discrimen inter leges ciuiles & canonicas. Nã leges ciuiles volunt, vt etiam possessor malæ fidei præscribat. Papę autem ibi hoc displicet, & decreuit possessorem malæ fidei non præscribere, sed teneri ad restitutionem. Vnde ex opposito sequitur possessorem bonæ fidei præscribere in consciẽtia. Et glossa eodem cap. verbo *Aliena* hanc quęstionem excitat, & soluit modo prędicto, adducens multos tex. & diluens, quę facere videtur in cõtrariũ. 1. Ratio Scoti pro allata conclusione.

13 Secundò probat Scotus eandem sententiam duplici, immò triplici ratione. Prima est. Iustè illud statui potest à legislatore, quod est necessarium ad pacificam conuersationem subditorum; sed dominium rei neglectę, sicut negligitur, in pręscriptione, & vsucapione trãsferri in occupantem est necessarium ad pacificam conuersationẽ ciuium: ergo iusta est lex pręscriptionis & Vsucapionis. Maior est euidens ex dictis superiori disp. cap. vltimo. Minor verò probatur. Quia si non transferretur dominium in occupantem, sed remaneret apud primum post quantumcumque tempus, essent lites immortales. Nam post quantumcumque tempus ille qui neglexit, vel hęres repeteret illam rem neglectam ab ijs, qui illam quantocumque tẽpore occupassent; & sic lites tales excitarentur quas esset impossibile decidere: quia non possent haberi probationes sufficientes. Ex talibus autem litibus perpetuæ essent contentiones & forsitan odia inter litigantes, & sic tota pax Reipublicæ perturbaretur. 2. Ratio.

14 Altera ratio Scoti est. Legislator potest iustè per legem punire transgredientem, cuius transgressio vergit in detrimentum Reipublicæ etiam pœna corporali: ergo multo magis pœna pecuniaria, & hoc eam applicando fisco: ergo pari ratione potest eum punire pœna pecuniaria applicando illud in quo punitur alicui, qui in hoc est minister legis. Sed negligens rem suam tanto tempore facit talem transgressionem, quæ est in detrimentum Reipublicæ: ergo sicut iustè potest lex rem illam neglectam applicare fisco; ita potest ad maiorem pacem transferre illam in eum, qui tanto tempore illam occupauit, tãquàm in ministrum legis. 3. Ratio.

15 Ex his patet motiuum Molinæ quo existimauit cũ alijs Scotum inclinare in illam sententiam, quòd lex Vsucapionis

capionis, & Præscriptionis habeat solùm vim cum interuenerit negligentia prioris domini, esse nullum. Nam & si dicat Scotus legislatorem punire posse iustè negligentiā prioris domini transferendo dominium illius rei in præscribentem; tamen non dicit, quòd si negligentia non adsit, lex non valeat, nec obliget vt dicebat illa prior opinio: neque enim vult quòd scopus totus legis præcisè sit ad puniendum negligentiam domini rei; ita quòd illa circumscripta lex præscriptionis non habeat vim; sed vult scopum principalem esse bonum commune seruandum, vt patet in vtraque ratione, licèt etiā finis accessorius sit monere dominos rerum, & eos impellere ad non esse negligentes in conseruatione dominij rerum suarum: quia hæc negligentia causare potest deinde tumultum in republica, vt etiam tandem ipse Molina fatetur.

4.Ratio. 16 Quod etiam confirmatur ex ratione sequenti, quā facit Scotus, & erit quarta. Nam quòd lex Vsucapionis sit iusta solet probari à Iuristis per hanc rationem: quia res quæ præscribitur, præsumitur derelicta, & ideò princeps potest eam conferre occupanti, vel primum occupans de iure gentium rei illius dominium acquirit. Et hæc præsumptio est præsumptio contra quam nō admittitur probatio. Hæc enim præsumptio debet sic intelligi; quòd licèt non sit verum, quòd prior dominus fuerit negligens circa conseruationem dominij illius rei: quia forsan potuit ignorantia inuincibili ignorare se esse dominum illius rei: tamen legislator punit illum ac si habuisset illam rem pro derelicta: quia in aliquo assimilatur habenti pro derelicta: illud autem in quo assimilatur derelinquēti meretur similem pœnam. Quia ergo legislator & lex præsumit rem præscriptam esse derelictam, quia se habet ac si esset derelicta, licèt re vera non sit derelicta, iustè trāsfertur in dominium præscribentis siue primi occupantis.

5.Ratio. 17 Quod adhuc confirmatur alia ratione quę erit 5. pro hac opinione quā sequitur Scotus. Si quilibet particularis homo potest trāsferre suum dominium in alterum, tota communitas potest cuiuslibet de communitate transferre dominium in quemlibet; At quilibet potest: ergo & tota communitas. Maior probatur, quia in facto communitatis supponitur includi consensum cuiuslibet particularis de communitate: ergo illa communitas habens illum consensum quasi iam oblatum in hoc, quòd quilibet consensit in leges iustas condendas à communitate, vel Principe, potest per legem iustam cuiuslibet dominium transferre in quemlibet. Et sic patet quòd lex Vsucapionis & præscriptionis est iusta, & habet vim in conscientia.

De conditionibus ad Vsucapionem, & Praescriptionem requisitis, & primò de possessione, bona fide, & tempore requisito. Cap. II.

18 AD claram cognitionem Vsucapionis & præscriptionis oportet breuiter assignare conditiones, quæ ad ipsas requiruntur, ad hoc vt legitimæ sint, & sine quibus nullam vim habent; assignantur autem variæ cōditiones à varijs, sed tamen omnes coincidūt, ideò ad tres reducuntur. Prima est Possessio. Nam sine possessione rei non fit præscriptio. cap. *fine possessione* de Regulis iuris in 6. quid autem sit *possessio*, dicunt doctores esse difficile assignare propter varias acceptiones huius vocis. Pro nunc breuiter hic accipitur *possessio* formaliter scilicet pro illa re qua formaliter, quis dicitur possessor alicuius rei. Hostiensis in Summa, & Syluester Verbo *dominium* num. 3. & verbo *possessio*, quos alij sequuntur sic diffiniunt. Possessio est rei corporalis detentio corporis, & animi iurisque adminiculo, quam Couarruuias ad regulam possessor p. 2. in initio num. 1. paulò explicatius assignat sic. *Possessio est apprehensio rei corporalis vera vel ficta corpore, & animo iurisque adminiculo*. In hac definitione dicitur quòd *possessio* est *apprehensio rei corporalis vera*: quia apprehensio rei corporalis propriè & verè, est manibus rem apprehendere, si sit nobilis; vel pedibus eam intrare, si sit

Tres cōditiones necessariç ad Vsucapionem & pręscriptionē.

1.Cōditio.

Quid sit possessio.

Fab. de Restitutione.

immobilis: possessio autem in proposito est actus quo res verè manibus, vel pedibus apprehenditur, vel intratur in eam. Altera particula possessionis est *ficta* quia apprehensio rei corporalis ficta non vera, est, quando interuenit aliquis actus, qui ex iuris dispositione sit sufficiens ad possessionem comparandam; eo enim actu iuris fictione censetur res apprehensa, vt si aliquis possessor rem, quam vult alteri tradere, ostendat ei, & verbis concedat: nam hoc actu ille acquirit possessionem rei corporalis, etiam si absens sit à re corporali; vel tradat claues domus, vel horrei in quo res, quam vult illi tradere, manet: vel det scripturam in qua constabat titulus, quo rem illam possidebat, & similia. De quibus Panormitanus in cap. *ex litteris* de consuetudine, num. 9. Corradus *de contractibus* q. 14. §. vltimo, & alij. Apponitur illa particula *rei corporalis*, quoniam rerum incorporearum vt iurium, seruitutum non est propriè possessio, sed *quasi possessio*; & quia nō per se, sed per aliquid reale, & corporeum apprehenduntur, Ex cap. *Cum Ecclesia de causa possessionis & proprietatis* & ex glossis in Verbo *quasi possessionem*. Frequenter tamen harum etiam rerum dicitur esse possessio, vt beneficij cōmendis, vsusfructus &c. Additur in definitione *corpore & animo*, quia vt habeatur possessio requiritur apprehensio corporis & animi: nec vna sine alia sufficit l. 3. in principio & §. *in amittenda*. & l. *quemadmodum* ff. *de acquirenda possessione*: nam si aliquid corpore apprehendat rem aliquam corporalem, sed non animo acquirendi dominium illius, illa apprehensio non est possessio; & si animo etiam, & non corpore apprehendat possessionem alicuius rei, vt fure alicuius, non propter hoc dicitur habere possessionē illius feræ: requiritur ergo vtraq; apprehēsio.

19 Vbi est obseruanda distinctio Iuristarum de possessione naturali, & ciuili. Nam possessio naturalis est possessio siue apprehensio ipsa vera vel ficta rei corporalis, facta corporali apprehensione, quam suprà explicauimus. Possessio ciuilis est apprehensio rei corporalis animo tantùm: vt cum quis animo actuali, & habituali simul etiam dormiens, vel absens intendit habere, & insistere in possessione rei. Quando ergo vtraque possessio animi & corporis adest, possessor dicitur possidere naturaliter & ciuiliter; quando verò solùm apprehendit animo: vt quando quis discedens corpore à re, quam possidet, animo tamen insistit in eam quousque vel propria voluntate, & animo à propria possessione desistat, nolens eam amplius possidere: vel iuxta iuris dispositionem deiectus à possessione, & spoliatus esse censeatur. Hæc possessio ciuilis, quæ habetur in dormiēte absente, & nihil de ea re cogitāte, est ea, de qua potissimum habetur ratio in iure & pertinet ad Vsucapionem & præscriptionem. Vltima particula in definitione posita est *iurisque adminiculo*, quæ ponitur ad significandum possessionem factam corpore & animo esse factam iuxta iuris dispositionem; idest non sit contra aliquam iuris dispositionem, quæ talem apprehensionem impediat, ac prohibeat esse veram possessionem, vt habet Bartolus l. 1. in principio ff. de acquirenda possessione. Exemplum. Laicus si corpore, & animo apprehendat locum sacrum, illa apprehensio non est possessio vera: quia ius disponit laicum esse incapacem possessionis loci sacri, vt habetur l. qui vniuersas §. 1. ff. de acquirenda possessione.

Quid sit possessio naturalis & ciuilis

20 Ad propositum ergo ad legitimam vsucapionem, & præscriptionem requiritur possessio, & quidem ad capiendam possessionem requiritur possessio naturalis, & ciuilis; ad continuandum verò possessionem sufficit possessio ciuilis tantùm.

21 Secunda conditio necessaria ad vsucapionem & præscriptionem est bona fides. Nam possessor malæ fidei nullo vnquàm tempore præscribit, vt habetur regul. *possessor* de regulis iuris lib. 6. & cap. vlnimo *de præscriptione*. Possessor autem malæ fidei est, qui possidet rem aliquam vt suam, quam tamen existimat, & mente iudicat non esse suam. Possessor vero bonæ fidei est qui possidet

2.Cōditio.

De bona fide.

B 3 rem

rem vt suam,& conscientia, & mente meritò iudicat esse suam. vt colligitur ex cap. *si Virgo* 34.q.2. & ex alijs iuribus. Et nota quòd ad hoc vt quis sit possessor malæ fidei sufficit, vt sciat rem, quam possidet, non esse suam, licèt ignoret cuius sit, vel credat esse Titij, & sit Caij; hoc enim nihil refert, sed sufficit quòd sciat non esse suam. Et in hoc differt ius Canonicum à Ciuili, quod concedit præscriptionem etiam possessori malæ fidei, vt patet cap. vltimo *de præscriptionibus*, in quo Papa decreuit possessorem malæ fidei numquam posse præscribere, quia semper manet in peccato mortali: nam retinet rem alienam.

Quis sit possessor malæ & bonæ fidei.

Differētia inter ius ciuile & canonicū circa possessorem malæ fidei.

22 Est autem dubitatio grauis an qui dubitat de re, quam possidet, an sit sua, nec ne, possit præscribere, & vsucapere expleto tempore à lege statuto. In hac re sunt graues doctores pro vtraque parte. Aliqui dicunt in eo instanti, in quo quis incipit dubitare rem, quam possidet esse suam, interrumpi bonam fidem, & impedire præscriptionem, vt Maior in 4.d.15.q.11. Adrianus de restitutione q. de præscriptione, quos sequitur Soto de iustitia & iure lib.4.q.5.a.4. Eorum ratio est quia sicut agere contra conscientiā est peccatum, ita agere & facere aliquid de quo est dubium an sit peccatū est peccatū: qui ergo continuat possidere id de quo est dubius an suum sit peccat, iuxta illud D. Pauli ad Rom. 14. *quod non est ex fide peccatum est*, de quo tractauimus agendo de peccato contra conscientiam. Ex altera parte asserunt alij dubium huiusmodi impedire inchoationem præscriptionis, tamen iam inchoatam bona fide & sine dubio, nō impedire, quin post statutum tempus à lege præscribat. Ita glossa, Imola, Panormitanus, & Felinus in cap. vltimum de præscriptionibus. Syluester in Verbo *præscriptio* q.3. quos secuti sunt Medina *de rebus restituendis* q.17. Couaruuias in regul. *possessor* p.2.§.7.num.3. & sequentibus. Molina tractatu 2. de iustitia cap.63. Azorius p.3.lib.1.cap.18. qui dicunt priorem partem esse communem, vt reuera est. 2. pars verò huius opinionis probatur ex cap. vltimo *de præscrip.* vbi in possessore ad præscriptionem faciendam requiritur, vt in nulla parte temporis constituti ad præscriptionem faciendam habeat conscientiam, rem illam esse alienam & nihil amplius: ergo dubitatio, An res sit aliena, non impedit præscriptionem: quia Canon illam non nominat. Secundò probatur, quia in dubio melior est conditio possidentis, ergo is, qui bona fide possidere cœpit, potest legitimè persistere in possessione rei, licet habeat aliquam dubitationem an sua sit; addunt hanc limitationem, dūmodo adhibeat diligentiam ad cognoscendum an ea sit aliena, & tamen ea adhibita adhuc manet dubitatio.

An qui dubitat rem quam possidet esse suam possit præscribere.

1. Opinio.

Altera opinio.

23 Propter has duas rationes hæc 2. op. mihi quoque magis placet, videtur enim irrationabile, quòd quia quis dubitat, an res quam possidet sua sit, debeat alteri eam cedere, quam nescit certò eius esse, neque habere maius ius in eam, quàm ipse qui possidet. Vnde cum vulgata sit propositio. *In dubijs esse meliorem conditionem possidentis*, atque hæc sit conformis rationi, contra rationem naturalem faceret qui propter dubium cessaret à possessione rei, quam inchoauit bona fide. Aliud autem est inchoare possessionem sub dubio, & continuare; quia qui inchoat possidere aliquam rem de qua dubitat an sua sit, exponit se periculo capiendi rem alienam, & nihil habet quod eum tueatur ab hoc periculo. At qui iā bona fide inchoauit, habet iam iustam possessionem, atque illam maximā, *melior est conditio possidentis*, eum tuetur à periculo peccati mortalis. Et per hoc satisfit argumento prioris opinionis, continuans enim possessionem sub dubio, eximitur à periculo peccati mortalis propter illam maximam *melior est conditio possidentis*; seruat enim ius suum, donec appareat certò cuius sit; tūc enim debet domino vero cedere.

2. Opinio approbat.

24 Sed si quis intra tempus statutum ad præscribendum non solùm dubitat rem esse alienam, sed etiam dubitat, An possidere queat tuta conscientia illam rem, potest ne rem alienam præscribere? Respōdet Azorius vbi sup. hanc dubitationem tollere bonam fidem, etiam si per errorem dubitet se non posse possidere: quia conscientia erronea sufficit ad tollendum bonam fidem. Quod probat per l. si sur. §. 1. ff. de vsucapionibus in qua sic habetur. Si quis id quod possidet non putat sibi per leges licere vsucapere, dicendum est, etiam si erret, non procedere tamē eius vsucapionem, vel quia rem videatur bona fide possidere, vel quia in iure erranti non procedit Vsucapio.

An dubius an possidere queat præscribere possit.

25 Hæc tamen opinio, salua veritate, mihi non videtur approbanda, sed dicendum esse hanc dubitationem non tollere bonam fidem, propter rationem adductam in solutione superioris dubitationis. Nam qui post inchoatam possessionem bona fide incipit infrà tempus perficiēdi vsucapionem dubitare se posse possidere rem illam, quam etiam dubitat esse alienam, est in possessione rei illius: ideò melior est conditio ipsius, qui possidet, quàm alterius, qui non possidet: ideò contra rationem est, quod ipse dimittat possessionem continuare, & rem illam possessioni alterius cedere, quem non est certum habere maius ius in illa re, quàm ipse qui possidet. Sicut ergo in priori casu dubitatio, An res sit aliena, non tollit bonam fidem, sic neque hic. Ad probationem Azorij respōdeo legē loqui non de eo qui dubitat an possit possidere, sed de eo qui verè credit se nō posse possidere; verba enim legis adducta ab ipso Azorio sunt ista. *Si quis id quod possidet non putat sibi per leges licere vsucapere*, dicit *non putat*. non dicit. *si dubitat*, lata autem est differentia in hoc modo loquendi, quia in primo apertè descendit in partem vnam contradictionis, scilicet sibi non licere, in secunda est dubius, neque ad hanc, neque ad oppositam partem se determinat.

Reijcitur.

26 An ignorantia, quòd res, quam quis possidet, sit aliena, tollat bonam fidem, & impediat præscriptionem in conscientia. Breuiter respondetur eam ignorantiam tollere bonam fidem, quæ est culpabilis, illa autem est ignorantia iuris; vel ignorantia facti, crassa, vel supina; non autem ignorantia facti inuincibilis; de quibus ignorantijs suprà egimus de pœnitentia disp.7.cap.2. à num. 27. ad num.61. Est tamen hic grauis contentio inter Medinam *de rebus restituendis* q.17. qui tenet etiam ignorantiam iuris excusare quando est inculpabilis, & Couaruuiā regul. *possessor* q.2.§.7. à num.5. Molinam, Azorium vbi suprà, & alios ex alia parte sustinentes quòd ignorantia iuris, quòd res sit aliena, non excuset, sed tollat bonam fidem, & impediat præscriptionem. Et ratio est quia præscriptio est introducta de iure positiuo, ciuili, & canonico: ideò est subiecta conditionibus illi assignatis à iure; at in iure specialiter cauetur, quòd ignorantia iuris non suffragetur præscribenti. Quæ iura adducuntur à prædictis auctoribus, præsertim l. *ita iuris* ff. de iuris & facti ignorantia, cuius hæc sunt verba. *Iuris ignorantia in Vsucapione negatur prodesse. facti verò ignorantia prodesse constat*, & alia multa iura. Et concordat ius canonicum Regula *qui contra iura mercatur*. De regulis iuris in 6. & cap. 2. §. *contractus* de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6. & alia multa iura, & glossæ. Hoc autem intelligitur de iure maximè claro non de dubio secundùm Panormitanum, Felinum cap. *de quarta*, de pscriptionibus, & Couaruuiā vbi suprà.

An ignorantia tollat bonam fidem.

Opinio 1.

Opinio 2.

27 Est autem difficultas an mala fides auctoris idest illius à quo res deriuat in præsenbenie noceat præscribenti, ita quòd impediat præscriptionem, e.g. Titius mala fide possidet domum, sciebat enim esse alienam non suā, & tamen eam vendit Celio, & Celius eam emit putans domum illam esse reuera Titij. Quæritur, An transacto tempore ad præscribendum, & manente bona fide Celij possit præscribere, neque teneatur ad restitutionem transacto tempore præscriptionis debito. Respondetur communiter duplicem esse successorem. Alter est qui dicitur successor vniuersalis, qui est ille qui simpliciter, & propriè est hæres alicuius, siue ex testamento, siue ab intestato. Alter est, qui dicitur successor particularis, & est ille qui succedit alicui viuo, vel mortuo in aliqua re, non autem in omnibus, sicut hæres, vt legatarij, & quicumque alij qui

An mala fides auctoris impediat præscriptione.

aliquo

aliquo alio titulo siue oneroso, vt emptionis, permutationis &c. siue lucratiuo, vt donationis legati &c. Ad propositũ successor vniuersalis nõ præscribit; & ratio est quia successor vniuersalis reputatur psona auctoris; succedit enim ei, atque ideò se habet vt persona illius, & ideò quia eius possessio vitiosum habet initium, tota eius possessio vitiosa censetur iuris fictione, & sic se habet ac si re vera ipse quoque esset possessor malæ fidei, hoc habetur l. *cum hæres* ff. de diuersis, & temporalibus præscriptionibus, & l. *si mala fides* C. communia de Vsucapionibus, eamque tradunt Panormitanus cap. 2. num. 8. & cap. *si diligenti* num. 9. de præscriptionibus. Couaruuias, & alij auctores suprà citati locis citatis. Si tamen hæres vniuersalis alia de causa præterquàm ex causa hæreditatis rem defuncti possideret, posset eam vsucapere.

28 Obseruandum est tamen quòd, & si hæres vniuersalis, qui immediatè succedit auctori possidenti mala fide, non possit præscribere, tamen hæres & successor illius successoris potest præscribere, si permaneat in bona fide tempore determinatam ad præscriptionem absque accessione idest dummodo non computet in tempore statuto ad præscribendum tempus quo suus præcessor rem illam possedit, quia iam ille non poterat præscribere, sed ipse si sine computatione alterius temporis in bona fide possideat toto tempore statuto ad præscriptionem faciẽdam. Hoc tradit Couaruuias vbi suprà nu. 6. cum Accursio & alijs, & eum sequũtur recentiores Mol. disp. 45. Azor. lib. 1. c. 28. Et ratio est: quia iura duplicem fictionem in eadẽ re, & ex eodem cap. *detestantur*. Primus autem hæres fictione iuris tantùm erat possessor malæ fidei, non autem re vera. Vnde si etiam secundus possessor dicatur possidere mala fide, quia gerit personam auctoris defuncti, qui re vera mala fide possidebat, concurrerẽt duæ fictiones iuris malæ fidei, ex eodem cap. quòd iura detestãtur. Successor verò particularis præscribit, & possessio malæ fidei auctoris ei non nocet, licèt computare non possit tẽpus quo auctor mala fide possedit, sed ipse possideat bona fide toto integro tempore statuto ad præscribendum, & hoc habetur expressè l. *Ante virum* ff. de *diuersis & temporalibus præscriptionibus*, & *alibi*, & traditur ab auctoribus suprà nominatis locis citatis.

An Reus possit præscribere pœnã & actionem cõtra seipsam.

29 An Reus possit præscribere pœnam, & actionem à lege latam contra eum, etiam si sciat pœnam illam & actionem esse latam contra eum, e.g. Titius propter aliquod delictum condemnatus est in tertia parte suorũ bonorum, & illa applicata sũt fisco, & ipse scit hæc bona esse confiscata & applicata fisco, tñ fiscus non procedit ad possessionẽ istorum bonorum, sed Titius remanet in possessione illorum bonorum toto tempore statuto ad præscriptionem: quæritur an transacto tempore statuto ad præscriptionem Titius possit præscribere idest acquirere dominium illorum bonorum, ita quòd fiscus ampliùs non possit contra illum agere, nec ea bona illi auferre.

1. Opinio.

30 In hac quæstione est maxima contentio inter Doctores. Panormitanus & Felinus cap. vltimo de præscriptionibus, quos sequitur Couaruuias in epitome ad quartum decreti p. 2. cap. 6. § 8. num. 5. quos quoque sequitur Molina disp. 66. asserunt reum posse præscribere omnem pęnam, & actionem, neque malæ fidei possessionem impedire. Ratio eorum est, quia licèt reus, seu hæredes illius etiam si sit hæreticus, sciant pęnam talem & actionẽ esse debitam fisco, tamẽ non tenentur illam offerre fisco, neque cupere, vt fiscus illam exigat, sed solùm subire pęnam si sententia feratur, & executioni mandetur, & ideò si non exigatur, licitè pęnam tenent, neque impedit quòd scient pęnam illam esse adiudicatam fisco, quia hæc non est propriè possessio malæ fidei, quia non est cum peccato; caput autem vltimum *de præscriptione* nihil aliud requirit in præscribente nisi, quòd non adsit peccatum, vel occasio peccati, hic autem nulla esse videtur, quia vt dictum est, non tenetur offerre pęnam fisco, neque solicitare executionem, sed solùm subire. E conuerso Azorius lib. 1. cap. 28. tenet etiam in præscriptione harum pœnarum, & actionum requiri bonã fidem in possessore, quia ius canonicum hanc requirit, & canones omnes fatẽtur; in huiusmodi autem reis non videtur esse bona fides, quia sciunt pœnam adiudicatam esse fisco.

2. Opinio opposita.

Resolutio.

31 Posset dici priorem sententiam esse veriorem, quia falsum est reum possidere illa bona confiscata, & pœnã vt bona aliena, & mala fide, quę sit peccatum, vt dictum est: nam donec fiscus illa bona confiscata non accipit, & possessionem illorum non accipit, non videtur fecisse illa sua, & illorum dominium perfectum accepisse, quia ad acquirendum dominium perfectum requiritur traditio non nuda, sed realis l. *Adeò quidem* §. *hæc quoque res*. Vnde Deus potest præsumere fiscum parcere velle, & condonare, dum non exigit.

Excipitur hæreticus.

32 Excipiuntur tamen hæreticus, & hæredes hæretici, quando illa possident cum scientia, quòd fuerint homines hæretici post crimen commissum; si tamen hæredes illius, vel alij successores in bonis illius succedant bona fide idest ignorantes, quòd fuerint homines hæretici post quadraginta annos possint præscribere, vt habetur in c. *Accusatus*, §. *in eo* de hæret. lib. 6. c. 2. de præscrip. lib. 6.

An debitor præscribat.

33 Debitor verò, qui alicui tenetur soluere aliquid nõ in modum pœnæ, sed in recompensationem damni, cum mala fide non præscribit idest si sciat se esse debitorem alteri, & possidere rem alienam, etiam si sit ignorantia crassa, licèt creditor non exigat, nunquàm potest præscribere; sed si sit bonæ fidei idest ignoret se illi esse debitorẽ transacto tempore statuto ad præscriptionem, præscribit quoad debitum, & quoad actionem; ita quòd creditor non potest ampliùs rem illam petere, neque agere contra creditorem. Prima pars huius assertionis patet, quia in illa possessione est retentio rei alienæ cum scientia, quæ non potest esse sine peccato si restituere potest. Secunda pars quoque est euidens, quia tunc est possessor bonæ fidei. Hæc est assertio Panormitani in cap. vlt. *de præscriptionibus* num 9. & aliorum multorum.

34 Ad comparandum etiam aliquod ius in quamuis rem, vt ad eligendum, præsentandum, piscandum, pascendum in aliquo loco, ius viæ, aquæ ductus, aut alterius seruitutis, via præscriptionis, requiritur bona fides in comparante ius illud; neque satis est vsus eiusmodi iurium cum scientia, & patientia eius ad quem spectat tale ius concedere, sed requiritur quòd comparans huiusmodi iura habeat bonam fidem, & existimet quòd ius illud licitè ab eo vsurpetur, & retineatur. Hoc deducitur ex dictis suprà & expressè traditur à Medina q. 17. & à Molina vbi suprà. Ad præscribendum verò ius, quod aliquis habet in re nostra, vel ad extinguendum illud, requiritur bona fides in præscribente; nimirum quòd ignoret alterum habere ius in illa re, nec sufficit quòd alter ignoret se habere illud ius, vel non vtatur iure suo. Ratio est, quia fit illi iniuria deijciendo eum à iure suo, & ideò cum peccatum sit cum eo nunquam potest præscribere; si verò præscribens sciat alterum habere illud ius, & tamen toto tempore statuto ad præscribendum illo non vti, & quòd non vtendo amittet, potest præscribere. Ratio est quia præscribens non tenetur admonere alium, vt vtatur iure suo, sed solùm nõ impedire vsum illius, quando ille vti voluerit seruitute, hæc Molina vbi suprà, quæ ex dictis deducuntur.

3. Cõditio. De tempore statuto ad præscriptionem.

35 Tertia cõditio requisita ad Vsucapionem, seu præscriptionem est determinatum tempus statutũ à lege ad possidendum rem cum bona fide. De hac conditione latè agunt doctores, præsertim Panormitanus in caput primum *de in integrum restit.* num. 11. & Couaruuias in regul. *Possessor* par. 2. §. 2. numer. 5. & Recentiores locis cit. Breuiter obseruandum est res omnes, quæ vsucapiuntur, vel præscribuntur esse vel mobiles, vel immobiles. Mobiles secundùm Panormitanum cap. *nul. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, num. 9. & 10. citatum à Molina tract. 2. disp. 8. cap. 6. consonanter ad quædam iura, & consentiũt Doctores communiter, sunt res corporales, quæ loco mo-

ueri

Res mobiles quę sint

Pecunia est res mobilis.

ueri possint, vt animalia, vestes, pecunia, naues &c. Res verò immobiles sunt res corporales, quæ loco dimoueri non possunt, vt prædia &c. Et licèt propriè res mobiles & immobiles sint res corporales, tamen quandoque etiam res spirituales vocantur res immobiles, & mobiles, vt seruitutes, iura ad aliquid faciendum, recipiendum, aut exequendum iteratis vicibus dicuntur res immobiles, vt beneficium Ecclesiasticum, cathedra, coméda, vsusfructus, & similia. Iura verò quæ ad semel aliquid faciendum, vt debita rerum mobilium, & actiones ad illa obtinenda computantur inter res mobiles, quæ omnia colligit Molina de iustitia Tract.2.disp.68. ex glossa in verbo *iura* cõsonè ad tex. cap. 2. *de rebus Ecclesiasticis non alienandis* in 6.& ex Clementina *Exiui de paradiso §. cum qua annui redditus*, de verborum significatione.

34 Ad propositum Vsucapio, & pręscriptio potest procedere, vel contra res personarum priuatarum, vel publicarum, vt contra Ecclesiam, vel principem, vel fiscũ: omittendo, quæ contra personas publicas, de quibus Iuristæ locis citatis fusè; loquendo de personis priuatis communiter Doctores asserunt ad vsucapiendum in rebus mobilibus priuatorum (Vsucapio enim propriè dicitur in rebus mobilibus, & præscriptio in rebus immobilibus licèt confundantur, vt suprà diximus) requiri possessionem trium annorum cum bona fide, & titulo iusto. Cum enim quis bona fide, & ex titulo iusto, vt emptionis, permutationis, & huiusmodi per triennium possedit aliquam rem mobilem alienam, trãsacto hoc tempore rei illius fit dominus, neque tenetur illam ampliùs restituere, etiam si deinde sciat illam fuisse alienam: ita habetur Inst. *de vsucapione* in principio, & l.vnica C. *de vsucapione transf.* Quòd etiã titulus sit necessarius, colligitur apertè ex l. *Celsus ff. de vsucapionibus*, & affirmat Couaruuias regul. *possessor* p. 2. §. 5. num. 2. & Doctores quos ipse citat. Res mobiles priuatorum sine titulo præscribuntur spatio triginta annorum: hoc probatur, quia vt infrà dicemus res immobiles spatio triginta annorum præscribitur, quando sunt sine titulo: ergo multo magis res mobiles eodem spatio præscribuntur, siue vsucapiuntur.

Tẽpus ad vsucapiendũ iuribus mobilibus.

Tẽpus præscribẽdi res immobiles

35 Res verò immobiles priuatarum personarum, quando adest titulus, & bona fides, præscribuntur spacio decem annorum inter præsentes, & spacio viginti annorum inter absentes; quando non adest titulus, sed solùm bona fides, tam inter præsentes, quàm inter absentes pręscribuntur spatio triginta annorum. Hanc assertionem totam collegit Gratianus ex varijs iuribus ciuilibus §. *præscriptionum*, qui habetur post caput *Placuit* 16. q. 3. relatus à Molina disp. 69. ad quę confirmanda adducit etiam alia iura, & Doctores, qui omnes idem sentiunt. Et hæc de conditionibus requisitis ad Vsucapionem & præscriptionem, prout nostro instituto inseruit, occasione data ex loco Scoti allegato, reliqua plura quæ pertinent ad res, quę præscribi possunt, & p̃sonas, quæ præscribere possunt omittimus, quia non est instituti nostri, sed Iuristarum, videri possunt apud prædictos auctores.

DISPVTATIO XLV.

De trãslatione dominij rerum auctoritate priuata.

De donatione, & primò de prima conditione donationis quis donare possit, de patria potestate, & peculijs filiorum. Caput Primum.

1 POstquam Scotus art. 2. illius quæst. 2. d. 15. explicauit, quomodo dominium transferatur in alium auctoritate publica, docet quomodo idem dominium transferatur auctoritate priuata. Inquit ergò quòd translatio dominij fieri potest per actum personæ priuatæ immediatè habentis dominium rei, & hoc dupliciter. Vno modo per actum merè liberalem. Secundo modo per actum secundùm quid liberalem. Primus est quando transferens nullam expectat redditionem. Secundus quando pro eo, quod transfert, expectat sibi aliquid reddi.

2. Cõclusio Scoti principalis à 2. q. 2. d. 15.

2 De primo modo transferendi dominium Scotus ponit hanc conclusionem, quæ est secunda illius secundi art. Dominus alicuius rei non prohibitus à lege, seu superiore, à cuius voluntate dependeat in dando, vel transferendo, vel donando, potest donare rem suam alij volenti recipere. Hæc conclusio probatur à Scoto. Quicumque est dominus alicuius rei, est dominus illius ex hoc, quòd per actum voluntatis suæ fuit dominus: ergo etiam pro voluntate potest cessare esse dominus. Alius autem vult per actum voluntatis suæ recipere dominium illius rei: ergo per voluntatem suam potest incipere esse dominus illius rei. Ista translatio gratis facta est donatio: ergo per donationem istam fit verè, & iustè translatio dominij, & sic manet probata ista conclusio.

Probatꝰ allata Cõclusio.

Dominiũ trãsferri potest per donationem.

Tres conditiones ad iustam donationem.

3 Ex his apparet quæ, & quot conditiones requirãtur ad iustam donationem, sunt enim tres. Prima quòd sit liberalis translatio ex parte donantis. Secunda quòd ex parte recipientis sit voluntas recipiendi dominium illius rei. Tertia quòd sit libertas ex parte amborum, huius donandi, & illius recipiendi; hoc est quòd nulla lege, nec à superiori prohibeantur, ille donare, & iste recipere. Propter secundam conditionem inquit Scotus nemo potest donare pecuniam Fratri minori. Ratio est, quia ipse non vult esse dominus. Propter tertiam conditionem Monachus non potest donare aliquid sina licentia Abbatis, nec filiusfamilias sine licentia parentis. Nec etiam Clericus in aliquo casu sine voluntate, vel contra voluntatem Papæ. Hoc vltimum probat ex capitulo *Romana*, extra de censibus, ad cuius capituli obseruationem pœnam posuit Gregorius X. cuius capitulum est hodie in 6. lib. decretalium *Exigit*, in quo statuitur quòd visitantes à visitatis nulla recipiant munuscula, & si receperint teneantur duplum restituere, vel non absoluantur à maledictione, quã ipso facto incurrunt, vt dicit Innocentius IV. in nouis constitutionibus in 6.

Cur nemo potest donare Fratri minori.

4 Hæc quæ hic dicta sunt à Scoto nullam patiuntur difficultatem, sed ab omnibus concessa sunt. Et primò definitio de donatione allata à Scoto est conformis definitioni donationis assignatæ à Vulpiano Iurisconsulto l. 1. ff. de donationibus, habet enim hæc verba. *Donationes cum plures sunt. Dat aliquis ea mente, vt statim velit accipientis fieri nec vllo casu ad se reuerti, & propter nullam aliam causam facit, quàm vt libertatem & munificentiam exerceat; hæc propriè donatio appellatur.* Idem innuit Arist. 4. Topicorũ c. 2. his verbis. *Est enim Donum, Largitio, quæ reddi non debet*, & 4. Ethicorum cap. 2. dum inquit, quòd magnificentia versatur in magnis sumptibus, & in susceptione hospitum, in missionibus, & muneribus. His enim ostendit dona esse sine spe retributionis. Idem habet D. Thomas 1. 2. q. 88. art. 2. dum dicit, quòd donum est gratuita datio ex amore. Donatio fit duobus modis. Vno modo per traditionem actualem rei, vt quãdo sine vlla promissione præcedenti quis rem suam alteri tradit, vt sua fiat. Alio modo per pactum, & promissionẽ nudam, & simplicem, vt quando quis promittit alteri se rem tradituram, vt fiat ipsius, vt habetur l. *Si quis argentum*, C. de don. Verùm obseruandum est tunc donationem esse perfectam quando fit primo modo, in hac enim transfertur dominium in donatarium, eo quòd interuenit traditio liberalis à donante, & acceptatio in donatario. In donatione vero secũdo modo, quæ fit per promissionem, non transfertur dominium in donatarium, quia non interuenit traditio rei; sed donatarius comparat solùm sibi ius ad rem promissam, & illa denique se habet sicut aliæ promissiones, & subiacet ijs conditionibus quibus promissio.

Diffinitio donationis assignata à Vulpiano.

5 Donationis autem plures afferuntur diuisiones à Iurisperitis, sed hæc est principalis. Donatio vel est causa mortis, vel est simpliciter inter viuos absque vlla causa

Donatio mortis & inter viuos.

mortis,

Donationis plures species.

mortis, Instit. de donationibus in initio. Donatio inter viuos est etiam præsertim duplex, vel enim fit purè absolutè, & simpliciter, vel fit sub conditione, vel sub modo, vel ob causam interpositam, vel in diem & certum tempus. Donatio primo modo est cum res statim donata fit accipientis. Donatio sub conditione est cum requiritur aliqua conditio; vt tibi dono hoc, aut illud, si Titius ex Asia sanus redierit. Sub modo; vt si quis donaret equum alicui vt sit eius post annum exactum. Donatio ex causa est, vt si quis donet alicui aliquid, vt quid certum faciat, e.g. dono tibi centum aureos, vt spectaculum populo exhibeas.

Quæ donationes sint validæ, & quæ non.

6 Ex tribus conditionibus requisitis ad donationem, & assignatis à Scoto patet, quæ donationes sint validæ, & quæ non. Ex prima enim patet eum solùm posse donare, qui habet dominium rei; qui verò non habet dominium non potest donare. Per secundam conditionem, scilicet quòd adsit consensus donatarij, patet donationes, in quibus donatarij consensus nō interuenit, esse nullas. Per tertiam verò patet omnes donationes, quæ fiunt contra ordinem iuris, siue contra leges, & voluntatem superiorum à quibus voluntas donantis, & donatarij dependet, esse nullas. Nam vt suprà diximus, Princeps & Respub. sicut habuit potestatem determinandi prima dominia rerum, cum semper maneat eadem auctoritas in principibus, & Respub. potest quoque semper statuere leges circa modū translationis dominiorum in personis priuatis, ad vitandū fraudes, & dolos qui vitio humano fieri possent. Hinc est quòd ius positiuum, diuinum, & humanum multa legibus decreuit in multis casibus, neque etiam dominum posse donare. Hinc rectè dicit Scotus, quòd quicumque habet dominium, & non prohibetur aliqua lege diuina, vel humana, potest donare.

Filiusfamilias nec furnec latro nec procurator donare possunt.

7 Ex 1. cap. 5. ex defectu dominij in donante, vt dicit Scotus, & omnes affirmant, filiusfamilias non potest donare; ratio est, quia non habet dominium bonorum, patris, sed est subditus ipsi patri. Similiter nec fur nec latro nec prædo, quia nemo plus iuris potest transferre in alium, quàm ipse habeat l. *nemo* ff. de regulis iuris, & cap. *super* de donatione. Similiter nec Procurator, vel administrator bonorum, eo quòd habeat liberam administrandi bona facultatem, habet facultatem donandi, l. *contra iuris*, §. si filius ff. de pactis. Neque vxor si vltra dotem non habeat alia bona, quia bona dotalia inter res viri numerantur l. *in rebus*, C. de iure dotali, multi alij donare non possunt, licèt habeant dominium rei propter prohibitionem legis, de quibus est tertia conditio assignata à Scoto, & ab omnibus communiter. Neque Monachus & religiosus potest aliquid donare sine licentia Abbatis, vel sui superioris, quia proprium non habet, c. 1 *t. non dicatis*, Caus. 12. q. 1. filiusfamilias autem non potest donare dū est sub potestate patris, nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense. Pro cuius intelligentia notanda est illa vulgata distinctio, quòd peculium filij est quadruplicis generis scilicet castrense; quasi castrense; profectitium; & aduentitium.

Monachus non potest donare.

Peculium filij quadruplex.

Peculium castrēse qd sit.

8 Peculium castrense sunt stipendia militum, & vniuersim omnia bona bello acquisita vel donata occasione belli, vel aliquo alio modo pertinente ad bellum. De quibus, l. *castrense* ff. de castrensi peculio, & toto illo titulo, bona etiam alia, quæ de castrensis bonis emuntur, fiunt castrensia, leg. 1. ff. de peculio castrensi. Peculium quasi castrense sunt omnia illa bona, quæ etsi castrensia non sint, hoc est non acquisita in bello, nec ratione belli, habent tamen priuilegia eadem, quæ castrensia; sunt autem quæ acquiruntur officio publico, vt aduocati, tabelliones, iudicis, medici, professoris alicuius ex septem artibus liberalibus, & lōgè maiori cū ratione alicuius facultatis superioris, vt Theologiæ, iuris pontificij, cæsarei, medicinæ, aut ex quauis alia administratione publica, propter quam publicum stipendium statutum sit, vt si ad vtilitatem publicam statutum esset stipēdium ei, qui doceret iuuentutem equitare, arma exercere, & similia: hæc habentur l. *cum*

Peculium quasi castrense.

multa, C. de bonis quę lib. de quibus Nauar. in Man. c. 17. nu. 142. Syluester verbo, *peculium* q. 1. qui rectè ibidē obseruat, quòd quamuis lapicidis Carpētarijs, & similibus artificibus stipendium publicum esset constitutum, non tamen propter hoc illud, quod sic lucrantur, ad peculium quasi castrēse spectaret, quia necessarium est, vt officium illud sit peculiari modo bonum, atque vtile Reipub. instar officij medici, & aliorum suprà dictorum. Syluester ibidem quæst. 10. obseruat etiam bona, quæ medici, tabelliones, aduocati, & huiusmodi à priuatis personis pro exécutione suorum munerum accipiunt, vt libri qui aduocatis communiter donantur pro exercendo suo officio spectare ad quasi castrense peculium, quem sequitur Molina, & multis iuribus probat, & auctoritate Bartoli, & Baldi tractatu 2. de iustitia disp. 231. & addit quòd bona quæ à Rege vel Regina principe donantur alicui ad peculium quasi castrense spectant. Item bona, quæ filiusfamilias acquirit ex clericali officio, quod est officium dignius medico, aduocato, & reliquis, & alia bona, quæ cōparatione laicorum essent aduentitia, esse quasi castrensia comparatione clerici, dummodo post clericatum sint parata illi, vel in patrimonium ad sacros ordines suscipiēdos ab alio, quàm à parentibus sint ei donata, quod probat authentica *presbiteros*, 1. C. de Episcopo, & clerico.

9 Peculium aduentitium sunt omnia bona, quæ nec sunt castrensia, nec quasi castrensia, neque filius à patre, vel intuitu patris acquirit; sed proprio labore, industria, fortuna, vel aliunde, quàm à patre comparat, vel hæreditario iure aliunde, quàm à patre, vt quæ à matre aut auis maternis sibi aduenīunt, bona aduentitia dicuntur, & pertinent ad peculium aduentitium. Quæ omnia à Doctoribus communiter conceduntur, & habentur l. cum oportet, C. de bonis quæ lib. & ibi glossa & Bartolus. Peculium profectitium sunt bona omnia, quæ ex bonis patris, vel eius causa nomine, vel occasione ad filium proficiscūtur. Probatur ex glossa & Bartolo in l. cum oportet C. de bonis, quæ liberis.

Peculium aduentitiū quid.

Peculium profectitiū quid.

10 Est verò hic grauis dubitatio, an aliquod peculium filij sit mixtum ex profectitio, & adoentitio; idest sit partim profectitium, & partim aduentitium, e.g. filiusfamilias acquirit ex se vel ex pecunia patris suo labore, & industria aliqua bona, vt si agrum patris ipse per se ipsum colat, vel pecuniam patris ipse negotietur, & aliquid acquirat quæritur an hoc, quod acquirit sit peculium aduentitium, vel profectitium. Bartolus in lege *cum oportet* C. de bonis qui liber, & tractatu de duobus fratribus in initio, censet partim esse aduentitium scilicet ratione industriæ, quam adhibet filius; dictum est enim bona, quæ acquirit filius industria sua, pertinere ad peculium aduentitium; ratione verò pecuniæ, & bonorum patris, ex quibus lucratur, esse peculium profectitium: quia iam dictū est, quòd peculium profectitium est, quod aduenit filio ex bonis patris. Et hanc sententiā sequuntur Angelus verbo *peculium* num. 11. Rosella eodem verbo num. 7. & 8. Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 144. 148. & 161. citati ab illo.

An aliquod peculiū filij sit mixtū ex profectitio, & aduētitio.

1. Opinio.

11 Syluester verò ex sententia glossæ Azonis, & Speculatoris verbo *peculium*, 1. quæst. 12. negat visū esse Speculium mixtum, & peculium cuius exemplum nunc adductum est ait esse solùm profectitium. Ratio eius est, quia quidquid acquirit filius familias ex bonis patris, est patris familias, sicut quidquid acquirit seruus ex bonis domini, est ipsius domini. Syluestrum sequuntur Azorius p. 2. lib. 2. cap. 22. Molina tractatu 2. disp. 234. qui dicit casum hunc resolutum esse iuxta hunc secundum modum in regno Lusitaniæ.

2. Opinio.

12 Alij vt Antonius Gomez ad l. 29. citatus à Molina vbi suprà distinguunt sic. Aut lucrum, quod bonis paternis acquirit, emanat solùm à pecunia, & bonis paternis; aut solùm ab industria filij: quia videlicet huiusmodi bona ex se nō erant fructifera, nec pater eis erat negotiaturus, neque iubet filium illis negotiari, sed filius suo periculo clam, aut sciente, & permittente patre eis negotiatur.

3. Opinio.

Vel

Vel emanat peculium à patre, & bonis patris, & partim ab industria filij. In primo casu ait totum lucrum esse patris. In secundo casu ait totum esse filij. In tertio casu partim esse profectitium, & partim aduentitium, & sic tenet cum Nauarro, & prima opinione; & proinde censet lucrum in ea portione pertinere ad patrem, & filium, quæ pensata quantitate, & qualitate bonorũ patris, & quantitate laboris, & industriæ filij ad iudiciũ boni viri debetur patri, & filio, eo mõ quo fit in societatibus, in quibus vnus ponit capitale, alius industriam. In dubio autem an alicui plus lucri sit tribuendum, medietatem esse cẽsendum aduentitium, & medietatem profectitium; & hoc est quod intendunt, & volunt Doctores primæ opinionis.

12 Adiungunt tamen Nauarrus, & Gomez in hoc tertio si lucrum, & damnum totum sit patris (quod regulariter fieri solet) posse huiusmodi filium post mortem patris petere stipendium laboris, & industriæ huiusmodi appositæ, quod alicui alteri extraneo daretur, si huiusmodi industriam adhibuisset, & apposuisset; quod tamen limitant. Primò dummodo filius expressè, vel tacitè protestatus fuerit se animo illo illa bona administrasse; nisi enim faciat protestationem hanc videtur gratis, & amore patris hãc industriam, & laborem adhibuisse, & sic neque in foro cõscientiæ neque in exteriori potest aliquid petere. Secũdò dummodo filius non teneatur sustentare patrem, quia scilicet pater non habet vndè aliter alatur, & sustentetur.

Opinio auctoris.

13 Res hæc certè est difficilis, & tamen vt inquit Nauarrus ibidem, est res quotidiana, & parùm resoluta. Vt dicam quid sentio, opinio prima, & Nauarri mihi placet, tum quia est communior, vt fatetur Molina vbi suprà: tũ, quia mihi videtur iustum esse, vt filius, qui laborauit cum patre in acquirendis bonis, alijs fratribus nihil præstantibus, & præsertim si quantitas notabilis lucri sit, plus alijs in diuidendis bonis paternis habeat: quia re vera, quod suo labore acquisiuit, vt ait Nauarrus, suum est: Ideò nisi ipse tacitè, vel expressè consentiat id facere pro amore patris, & pro bono communi fratrum, quo casu tunc donaret, quod sibi obueniret, puto in conscientia posse petere, & obtinere.

Obiectiones ex Molina.

14 Sed contrà obijcit Molina. Si filius petere vellet huiusmodi lucrum à patre vel hæredibus patris, posset pater petere ab eo integram sustentationem, victus, vestitus, habitationis toto tẽpore negotiationis, quia pater non tenetur alere filium de proprijs bonis, cũ habet vnde alatur.

2. Obiectio. Præterea quando præsens est is cuius negotium geritur, existimari potest gratis id sibi præstari, nisi, qui negotia gerit, protestetur non velle gratis illa gerere. Vndè cum filius non protestetur, præsumendum est filium gratis illam administrationem gerere.

Tertia. Præterea administratio illorum bonorum cedit in vtilitatem ipsius filij, quia agendo illa negotia comparat dexteritatem in rebus agendis, qđ est illi maximè vtile.

Quarta. Præterea filius, qui cõmoratur cũ patre sub eodem tecto, & in eodẽ conuictu tenet͗ obedire patri ideò pro tali labore nihil sibi debetur.

Quinta. Tãdem, hæc lex omnibus filijs posita est, vt quidquid filius cõmorãs cũ patre de bonis patris acquirit, totum patris sit, ad tollendum iurgia, & lites: quia reliqui fratres possent dicere, qđ si pater alijs fratribus eadem bona administranda dedisset, idem lucrum attulissent, ideò hoc alijs filijs non debet derogare.

Solutio.

Ad primũ.

15 Ad ista videtur posse responderi, ad primum, quòd filius ob negotiationem, qua acquirit patri lucrum non est deterioris conditionis, quàm alij filij non laborantes, ideò non debet pręsumi, quòd pater non velit illi victum præbere sicut alijs, qui non laborant.

Ad secundum. Ad secundum, iam dictum est, quòd, cum filius non protestatur expressè, vel tacitè, censetur gratis hoc facere, & donare lucrum, quod sibi obueniret.

Ad tertiũ. Ad tertium, industria, & dexteritas, quam ipse sibi comparat in negotiatione illa, non debet sibi derogare, vt amittat præmium sui laboris; sic enim mercenarij laborando pro alijs continuò magis apti, & dexteri fiunt in suis artibus, nec tamen ob hoc præmium suorum laborum diminuitur illis.

Ad quartũ. Ad quartum respõdetur, filium teneri ad obediendum patri, sed obedientia non tollit præmium, & fructum laboris obedientis: qui enim obedit principi, vel domino in aliquo obsequio, non ob hoc amittit præmium talis obsequij, vel quia obedit principi, non ob hoc non meretur premium sui laboris à principe.

Ad quintũ. Ad vltimum respondetur, rectè statutam esse eam legem ad tollendum iurgia, & lites, sed locum habet cum filius nõ protestatur expressè vel tacitè, at cum protestatur, tolluntur iurgia & lites, quia potest laboris, & premij valor æstimari, & vnicuique suum reddi. Neque graue videri debet alijs filijs, quòd vnus de bonis patris lucrando habeat portionem, quæ sibi debetur ratione suæ industriæ, quia etiam illis accedit ea portio lucri, quæ contingit patri pro portione capitalis, seu pecuniæ expositæ ad negotiationem, quod lucrum non haberent, nisi fuisset labor, & industria fratris.

Pater nihil iuris habet in peculio castrẽsi vel quasi castrẽsi.

16 Ad propositum redeundo, in peculio castrensi, & quasi castrensi nihil iuris habet pater, sed proprietas, & vsusfructus est penes filium. Hoc certum est tum iure veteri Digestorum tum iure Codicis & Authẽticorũ l. 1. §. vltimo, & l. 1. ff. *Ad Senatum Consultum Macedonianum*, & alijs. Vnde filiusfamilias etiam manens sub potestate patris, potest de his ad beneplacitum donare, & disponere; neque post mortem patris cogitur quidquàm ex his peculijs communicare cum fratribus.

Quid de peculio aduentitio.

In peculio aduentitio, iure veteri Digestorum, pater habebat plenum dominium idest proprietatũ, & vsumfructum, vt dicitur Instit. *per quas personas nobis acquiritur* §. 1. *Igitur liberi*. Sed iure Codicis, & Authenticorum proprietas huiusmodi peculij aduentitij est penes filiumfamilias. Vsusfructus verò est penes patremfamilias, cum viuit, ita vt filius non possit testari de illo l. *non sine*, & l. *cum oportet*, C. *de bonis quæ liberis*. Et alijs iuribus. Si pater filium emancipauerit, dimidia pars vsusfructus ad patrẽ pertinet, Instit. *per quas personas nobis acquiratur*, §. 2. *Hoc quoque*. Si filius ante patrem moriatur sine filijs totum peculium spectat ad patrem; si verò Pater priùs obierit, peculium cessat esse peculium aduentitium, & in totum pertinet ad filium, scilicet quò ad proprietatẽ, & vsumfructũ.

Quid de peculio profectitio.

In peculio profectitio filius nullum habet ius nec proprietatis, nec vsusfructus, sed totum pertinet ad patrem, Instit. per quas personas nobis acquiritur, §. *sancitum etenim à nobis*, & lege 6. *Cum oportet*, C. de bonis, quæ liberis.

17 Obseruandũ est non semper patrem obtinere vsũfructum in peculio aduentitio filij, nam Glossa Instit. *per quas personas nobis acquiritur*, §. Sancitum, verbo *Vsumfructum*, excipit septem casus, quorum primus, qui potest esse frequentior, est quoties filius à matre, vel ab alio aliquid acquirit ex lege, vt pater in huiusmodi bonis legatis, vel donatis, vel quouis alio modo acquisitis, nullũ vsumfructum habeat. Aucthentica excipitur, coll. 8. Tit. 18. in principio. Reliquos cũ multis alijs quæstionibus de istis peculijs adducit Azorius p. 2. lib. 2. c. 22. quos omitto breuitatis causa.

De potestate patria.

18 Verùm quia dictum est filium non posse habere aliquod dominium, nisi in peculio castrensi, vel quasi castrensi, donec est sub patria potestate, videndum est ad quid se extendat potestas patria. Primò itaque obseruandum est potestatem, quam habet pater in filium, originẽ ducere à natura, vt diximus suprà disp. 43. & habet Aristotiles lib. 1. Politicorum cap. 10. vbi habet, naturæ lege ac præscripto liberos parentum imperio subesse, *quod enim procreauit, & genuit id, vt præsit, & amicitiæ ratio, & senectutis postulat*. Hæc Aristoteles, ex quo percipitur iuris naturalis esse, vt filius sit subiectus potestati patris. Cæterùm quanta sit ista potestas in patre, & ad quot effectus se extendat, non videtur iure naturali esse definitum; sed hoc iure positiuo est determinatum.

Pater nõ habet ius occidendi filiũ.

Est tamen certum patrem iure naturali non habere in filium ius, & imperiũ mortis, vt vitæ. Nam hoc ius solùm ipse Deus habet in homines, quod ex dictis in disp. sup. c. vlt. colligitur: iure

enim

enim naturali nõ erat dominium Adam in ſtatu innocẽtiæ hominum; quia ſeruitus eſt introducta calamitate humana, vt ibi ex D. Aug. probauimus, adducẽte illud ſacræ ſcripturę. *Dominamini piſcibus maris, volatilibus cæli,&c.* nõ dixit autem Deus, quòd *homo dominaretur homini, ſed homo pecori*: hoc ergo eſt certum.

Pater non poteſt vulnerare, nec mutilare filium.

18 Ex eodem fundamẽto deducitur iure naturali Patrem non habere facultatem vulnerandi, & membrum abſcindendi filio; quia non eſt dominus eius, & vt infrà videbimus,& ſolus Deus reſeruauit ſibi hanc poteſtatem in quinto præcepto, *non occides*, ſub quo continetur mutilatio,& vulneratio grauis. Poteſt tamen pater cauſa correctionis filium caſtigare, verberare, cuſtodia in priuato carcere detinere, vt à vitijs abſtineat; hoc enim eſt ius naturæ, cum de iure naturæ pertineat ad patrem filium cuſtodire à vitijs,& rectè educare; hæc autem ſæpe fieri nõ poſſunt ſine verberibus,& caſtigationibus: & hæc eſt ſententia communis doctorum, qui communiter tenent patrem percutientem filium clericum, etiam in minoribus ordinatum, non incurrere excommunicationem latam in percuſſorem clerici, in cap. *ſi quis ſuadente*, 17. quæſt. 4. vt colligitur ex gloſſa,& ex cap. *cum voluntate*, de ſententia excommunicationis. Immò multi tenent, quòd neque incurrat excommunicationem etiam ſi ſit ordinatus in ſacris, vt eſt videre apud Io. Andreã, Ancharanum in c. citato *cum voluntate*,& apud Sylueſtrum excom. 6. §. *ſecũdum & quarto*, verſiculo 8. *in magiſtro*, vbi citat alios multos,& Azorius par. 2. lib. 2. cap. 21. putat hanc opinionem eſſe veriorem, licèt alij oppoſitum ſentiant. Gloſſa, Abbas in capite illo citato *cum voluntate*, Soto lib. 5. de iuſtitia,& iure q. 2. art. 2. propè finem.

In quibus filius teneatur obedire patri.

19 Habet etiam pater poteſtatem iubendi, & præcipiendi ipſi filio,& filius tenetur obedire; ſed eſt diſtinguẽdum, nam in his, quæ ſunt contra ius naturę, pater non poteſt præcipere filio,& ſi præcipiat, filius non tenetur obedire. Similiter ſi præcipiat aliquid contra ius diuinum, vtraque enim lex eſt diuina,& ſecundùm Apoſtolum Petrũ Actorum quarto *oportet obedire magis Deo, quàm hominibus*. Similiter non poteſt præcipere pater filio in his, quæ ſunt contra leges Eccleſiæ, & Principum, quia parentes ſubiecti ſunt iuri Eccleſiaſtico, & ciuili: ideò niſi contrarium expreſſè, vel tacitè permittant, pater non poteſt præcipere contrarium, nec filius debet obedire. In ijs ergo ſolùm pręcipere poteſt pater filio, quæ per ſe ſe media ſunt,& indifferẽtia; vndè ſi pater in his præciperet, tenetur filius obedire, niſi aliundè aliquid obſiſtat, vt in vxore ducẽda, vel in honoribus capeſſendis; multa enim poſſunt occurrere, ob quæ filius excuſetur, nec teneatur obedire patri. In alijs verò, vt in pertinentibus ad regimen,& gubernationem domus & rei familiaris, quando pater ſeriò, & res ponderis præcipit, peccat mortaliter, vt tradunt doctores in explicatione quarti præcepti decalogi Alenſis 3. par. quæſt. 33. D. Thomas 2. 2. quæſt. 122. art. 5. & Summiſtæ verbo *filij*, Nauarrus in Manuali c. 14. nu. 11.& ſequentibus. Soto *de iuſtitia & iure*, lib. 1. q. 6. ad 2. argumentum principale,& alij.

Effectus patriæ poteſtatis de iure poſitiuo ciuili.

20 Hæc autem patria poteſtas maximè per leges Romanorum imperatorum eſt declarata,& determinata, vnde extat titulus de patria poteſtate, qui eſt nonus in Inſtitutione lib. 1. & in codice lib. 8. titulo 47. Vnde gloſſa in Inſtitutione *de patria poteſtate §. ius autem*, enumerat ſeptem præcipuos effectus. Primus quidquid acquirit filius præter caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe peculium pleno iure patri acquiritur; tamen, vt ſuprà diximus, peculij aduentitij proprietas eſt apud filium, licèt vſusfructus ſit patris. Secundus eſt, quòd licet patri propter egeſtatem vendere, vel pignori dare filium,& hoc probant Sũmiſtæ verbo *emptio*. Syluester num. 6. Roſella num. 26. Tabienſis num. 7. ad finem: Soto lib. 4. *de iuſtitia & iure*, q. 2. art. 2. & recentiores Couaruuias lib. 3. variarum reſolutionum, cap. 14. num. 4.& probant ex illo Exodi 21. *ſi quis vendiderit filiam ſuam in famulam, &c.*& Deuterono. 15. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus hebreus aut hebrea*. Tertius effectus eſt punire filium pro quantitate delicti citra tamen mortem, & mutilationem, ſeu vulnerationem; mors enim,& mutilatio per iudicem debet infligi cũ cauſa adeſt, licèt antiquitus lex Romanorum concederet facultatem patri necandi filium, ſed eſt reuocata. Quartus eſt quòd filius non poteſt contendere cum patre in iudicio, niſi de peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi. Quintus effectus eſt, quòd filius in iudicio non poteſt ſine licentia patris cum aliquo contendere. Sextus eſt, quòd pater etiã inuito filio habet ius in peculio filij aduẽtitio, vt ſuprà dictum eſt. Septimus eſt, vt inter patrem & filium non poſſit eſſe ciuilis aliqua obligatio.

1. Effectus. — Secundus. — Tertius. — Quartus. — Quintus. — Sextus. — Septimus.

Quomodo quis educitur ex patria poteſtate.

21 Hæc omnia vera ſunt de patre habente filium in ſua poteſtate, filius autem à patria poteſtate liberatur ſeptem, vel nouem modis qui habentur Inſtit. *quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluitur*. & paſſim apud Iuriſperitos. Primus modus eſt per mortem patris, & aliorum aſcendentium per lineam maſculinam: nam primus aſcendẽs in linea maſculina ſemper eſt pater familias reſpectu filiorum,& nepotum; ita quòd filius patris viuente auo, nõ eſt ſub poteſtate patris, ſed aui; & ſic de alijs; mortuo deinde auo fit ſub poteſtate patris,& mortuo patre fit ſui iuris, nec ampliùs eſt ſub poteſtate alterius alterius. Secundus modus eſt, per mortem ciuilem patris,& aliorũ aſcendentium eodem modo. Mors ciuilis autem eſt perpetua deportatio, ſeu exilium in aliqua inſula, patris vel filij; filius per hanc liberatur à patria poteſtate: quia qui ſic deportatur, habetur vt mortuus. Tertius modus eſt, cum pater ob aliquod crimen incurrit pœnam perpetuam ſeruitutis: nam ſeruitus eſt etiam quædam mors ciuilis: ſerui enim quo ad actus ciuiles ciuitatis mortui cenſentur, quia in illis nullum ius habent. Quartus cum filius eleuatur ad dignitatem Epiſcopalem liberatur à patria poteſtate, nõ tantùm iure ciuili, ſed canonico, vt patet in cap. *Per venerabilem*, qui filij ſint legitimi. Ex quo Panormitanus contra quaſdam gloſſas colligit in cap. *decorum*, de ætate, qualitate & ordine præfi. num. vltimo & alibi, & Couaruuias c. 9. *quia nos* de teſtamentis,& vltima volunt. num. 2.& alij, inferiores gradus Eccleſiæ à patria poteſtate non eximere, quia in Epiſcopali dignitate hoc priuilegiũ à canone concedatur, eſt manifeſtum non alijs dari. Bartolus in tractatu de præſtantia Cardinalium, 1. p. quæſt. 1. num. 69.& Couaruuias loco cit. excipiunt etiam dignitatem Cardinalatus. Quintus modus eſt, cum pater familias fit captiuus ab hoſtibus,& in ſeruitutem eorum redigitur; tunc enim ſuſpenditur patria poteſtas,& ſi liberatus gaudet beneficio poſtliminij, id eſt redeunt ſibi omnia iura in rebus, quæ priùs amiſerat per captiuitatem, & ſic cenſetur filius numquam fuiſſe liberatus à patria poteſtate; ſi verò pater in captiuitate moritur, filius à die captiuitatis cenſetur liber à patria poteſtate. Sextus modus eſt, ſi pater ſciens, inceſtas nuptias contraxerit; hoc eſt cum conſanguinea, vel affine in gradu iure prohibito abſque vlla Romani Pontificis diſpenſatione. Septimus eſt, per emancipationem; hoc eſt per conſenſum commonem patris,& filij coram iudice factum, quo filius à poteſtate patris eximitur. Octauus eſt cum pater in hæreſim incidit, licèt crimen occultum ſit, ſententiaque nondum ſit lata, filius liberatur à patria poteſtate, vt habetur cap. *ſecundo*, §. vltimo de hæreticis lib. 6. Nonus modus eſt, per ingreſſum religionis,& profeſſionem in illa, ſiue ſit filius, ſiue pater. De his autem modis variæ quæſtiones à Iuriſperitis tractantur, quas omnes referre longum eſſet apud eos,& recentiores videri poſſunt. Hæc pro nunc pro vt ſpectat ad primam conditionem donationis ſufficiant.

1. Modus. — Secundus. — Mors ciuilis quæ. — Tertius. — Quartus. — Quintus. — Sextus. — Septimus. — Octauus. — Nonus.

De

De secunda conditione donationis, nimirum de consensu illius cui fit donatio. Vbi de paupertate Fratrum Minorum agitur. Cap. II.

2. Côditio donationis 22 Secunda conditio, quam Scotus, & omnes asserunt requiri ad donationem iustam, & validã, est, quòd ille cui fit donatio, velit accipere dominium illius rei, quę sibi donatur. Quæ est euidens: quia dominium non acquiritur nisi per actum quo voluntas accipit, & vult rem habere, & suam esse. Quòd enim consensus iste sit necessarius, habetur l. to. *absenti* ff. de donationibus, in qua habetur donationem, quæ fit ignoranti, aut ei, qui cõsensum præstare non potest, vt amenti, furioso, infanti, & huiusmodi, esse nullam.

23 Propter hanc côditionem, inquit Scotus, nemo potest donare Fratri Minori, quia ille non vult esse dominus, & sic donatio facta Fratri Minori est nulla. Vbi Scotus tangit magnam difficultatem, quæ iam diu agitata fuit in Ecclesia Dei. Nimirum in quo differat paupertas, quam profitentur Fratres Minores, à paupertate quam profitentur alij regulares emittentes tria vota essentialia religionis, obedientiæ, paupertatis, & castitatis. Nam certum est, quòd D. Franciscus professus fuit arctissimam, & altissimam paupertatem super alios religiosos regulares; oportet ergo videre in quo paupertas Ordinis Minorum excedat paupertatem quam alij religiosi profitentur. Loquor autem de Fratribus Minoribus Obseruantibus regulam D. Frãcisci secundùm puritatem, quia de Minoribus Conuentualibus, qui profitentur obseruare regulam secundùm declarationes, & priuilegia Summorum Pôtificum, & Concilium Tridentinum, dicam sequenti cap.

De paupertate Fratrũ Minorum.

Differêtia in paupertate inter Fratres Minores, & alios regulares. 24 Et quidem differentia illa est euidens, quòd Fratres Minores profitentur paupertatem in communi, & in particulari, alij verò regulares profitentur paupertatẽ solùm in particulari, non autem in communi, sed in communi habent proprios redditus, prædia, & dominia. Sed difficultas est de paupertate in particulari, An & quomodo differant ab alijs regularibus profitentibus paupertatem in particulari. Et videtur nulla esse differentia: nam cum reliqui regulares emittant votum paupertatis ita, quòd vouent nihil proprium habere velle, appellatione proprij, intelligitur non solùm dominium, & proprietas rei, sed etiã ius, vsus, vsusfructus, possessio, & administratio rei, desit quatenus hæc sũt quædam legitimæ facultates disponendi, vel vtendi rebus, vt dictum est suprà, cum explicauimus, quid sit dominium, vsusfructus, vsus iuris, &c. non tamen intelligitur vsus facti, de quo diximus suprà. At Fratres Minores hoc eodem modo vident vr seruare paupertatem, quia ipsi quoque non habent dominium, nec proprietatem, nec vsumfructum, nec administrationem, nec possessionem, nec vsum, vt sunt iuris; sed tamen habent simplicem vsum facti: ergo non videtur esse aliqua differentia inter eos, & alios.

Contentio inter Nicolaũ IV. & Io. XXI. 25 Equidem res hæc difficilis est, & duo graues Summi Pontif. immò alij plures simul contenderunt, scilicet Nicolaus IV. & Ioannes XXI. (qui tamen ab aliquibus vocantur ille Nicolaus III. sed per errorem, quia illa constitutio *exijt*, est Nicolai IV. vt patet ex constitutione, *Ad conditorem*. Ille vero vocatur Ioan. XXII. cum tñ fuerit Ioan. XXI. vt patet ex serie Pontificum apud Panuinũ in Platinam.) Nam Nicolaus IV. qui fuit ex ordine nostro Fratrum Minorum, & fuit valdè versatus in eo, & cũ primis patribus socijs D. Francisci tractauerat, multa dubia, ex. rientia circa intellectum regulæ D. Franc sci declarauit, vt patet in constitutione illa, *Exijt qui seminat*. de verborum significatione, ad occludendum ora quibusdam oblatrantibus contra regulam D. Francisci, quam dicebãt esse inobseruabilem, infructuosam, & illicitã. Præsertim verò circa paupertatem multa declarauit. Primò quòd Fratres ipsi Minores viuentes in paupertate regulæ, non habẽt dominium cuiuspiam rei, neque in communi, neque in particulari, sed nudum & simplicem vsum facti, absque vllo iure. Et quoniam hoc videtur impossibile, quia, cum res dantur Fratribus in eleemosinam, transfertur dominium ab ipso donatore, nec videtur posse recipi in alium, nisi in ipsos Fratres, quibus dãtur, vndè videtur quòd Fratres ipsi Minores non possint habere solùm nudum vsum rerum ipsarum, sed necessariò sequi, quòd habeant quoque dominium, & ius in easdem res, ipse Pôt. declarauit, quòd cum res sint duplicis generis, aliquæ quę vsu consumuntur, & aliquæ, quæ vsu non consumuntur, quando quę vsu consumũtur, dantur Fratribus, dominiũ & ius illarum remaneat apud donantem: vsus verò simplex facti apud Fratres. Quòd si donans intendat etiam à seipso abdicare dominium, & ius rei, quam dat in eleemosinam, ne illa res antequàm vsu consumetur, videatur esse sine domino, declarauit Pontifex dominium illius rei transferri in sedem Apostolicam, ita quòd vsus nudus transeat ad Fratres, sed dominium illius sit sedis Apostolicæ. Quando etiam donantur res, quæ vsu consumũtur, nec donans vult sibi reseruare ius super illas res, absolutè determinat dominium illarum rerum transferri in sedem Apostolicam, & vsum nudum illarum remanere apud Fratres; ita quòd si alienationes, & consumptiones huiusmodi rerum fieri contingeret, illæ fieri non possent ab ipsis Fratribus absolutè, & suo iure, sed solùm accedente voluntate donantis, vel sedis Apostolicæ, & semper dependenter ab ijs in quibus remanebat, vel transferebatur ius, & dominium; & sic semper declarauit, quòd rerum omnium, quæ darentur in eleemosinam, vel donarentur Fratribus Minoribus, siue in communi, siue in particulari, vsus distingueretur à dominio; ita quòd ius, & dominium vel remaneret apud donantem, vel transferretur in sedem Apostolicam: vsus verò earundem nudus esset apud Fratres.

Punctus cõtrouersiæ.

Obiectiones contra regulã D. Francisci.

Nicolaus IV. fuit ex ord. Mio.

26 Adeò quòd Fratres secundùm hunc Pont. distinguuntur ab vsuario iuris, quia isti fit iniuria si res deputata ad vsum eius illi auferatur, quia illi aufertur suum ius, sed Fratribus Minoribus nulla fit iniuria, si eis auferatur vsus rerum, quæ illis datæ sunt in eleemosinã: quia illi nõ acquisiuerunt aliquod ius, in vsu illarum rerum, sed habẽt tantùm vsum nudum. Hoc totum confirmatum fuit à Clemente V. in Bulla *Exiui de paradiso*, de verborum significatione, & priùs fuerat declaratum à Gregorio IX. vt habet ipse Nicolaus IV. vbi suprà.

27 Quòd autem regula, & vita in huiusmodi paupertate abdicante dominium omne, & retinente solùm vsũ nudũ facti esset, & sit laudabilis, & meritoria, & q dè maximè probauit Nicolaus exemplo Saluatoris, & Apostolorum, quos dixit seruasse paupertatẽ sine dominio, & iure rerum, sed cum simplici & nudo vsu. Vndè triplex fuit assertio Nicolai. Prima quòd paupertas Fratrum Minorum retinebat solùm nudum vsum rerum absque dominio. Secunda, quòd hæc paupertas erat meritoria, & grata Deo. Tertia, quòd Christus dominus ea vsus fuerat cum Apostolis, & ex hac assertione deducebat illam paupertatem esse valdè meritoriam, cum esset ad imitationem Christi, & Apostolorum.

Tres assertiones Nicolai. 1. Qđ paupertas Fratri Minori retinebat solum vsũ. 2. Qđ erat meritoria. 3. Qđ Christus ea vsus fuit.

28 Ioannes XXII. ex altera parte indicauit principalẽ assertionẽ Nicolai, nimirum, quòd paupertas Fratrum Minorum excluderet omninò dominium, esse falsam: quia iudicauit esse impossibile seiungi dominium ab vsu. Secundò dixit paupertatem, quæ seiungat vsum à dominio, non esse vtilem, (hanc tamẽ non asseruit absoluté; sed in Fratribus Minoribus tunc temporis, vt videbimus.) Et Tertiò quia Nicolaus Papa sumebat suam probationem ex operationibus Christi, quem dixit habuisse similem paupertatem, scilicet sine dominio, & cum simplici, & nudo vsu, dixit falsum esse Christum non habuisse dominium in rebus, quas consumebat, & quæ sibi ad vsum offerebantur à fidelibus.

Ioã. XXII. tria opposita docuit contra Nicolaum.

29 Primam assertionem Nicolai falsam esse probare nitebatur Ioannes his rationibus, pręsertum. Si loquamur de re-

de rebus, quæ vsu consumuntur, in his non videtur posse

1. Ratio contra primã assertionẽ Nicolai

separari vsus à dominio. Primò, quia cum vsus huiusmodi rerum sit consumptio earundem, non videtur posse dari facultas ad vtendum illis rebus, nisi simul tradatur facultas super substantiam earundem rerum; traditio autẽ facultatis super substantiam rerum est dominium: ergo Conclus. illa Nicolai videtur inuoluere repugnantiam. Quæ ratio videtur sumpta ex D. Thoma. 2. 2. quæst. 78. a. 1. vbi habet hęc verba. *Quædam res sunt, quarum vsus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo vtendo ad potum, & triticum consumimus eo vtendo ad Cibum; Vnde in talibus non debet seorsim computari vsus rei à re ipsa sed cuicunque conceditur vsus, ex hoc ipso conceditur res, & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium; si quis ergo seorsim vellet vẽdere vinum, et seorsim vsum vini, venderet eandem rem bis.* Videtur ergo velle D. Thomas quòd in rebus vsu consumptibilibus, vsus sit inseparabilis à dominio in substantia rei.

2. Ratio. 30 Secunda ratio est, & ferè coincidit cum præcedenti. Secundùm Iura vsus, qui distinguitur à dominio rei, est qui habetur ex re salua substantia rei, & proindè vsus potest esse apud vnum, & dominium apud alterum, vt vidimus supra agendo de dominio, & vsu. At vsus rei, quæ per vsum consumitur, non potest haberi salua substantia rei, nec potest esse in alio distincto ab eo, qui habet dominium illius rei: ergo non potest concedi Fratribus Minoribus vsus rerum vsu consumptibilium sine dominio earundem rerum. Adducit alias rationes, quas, quia eodem fundamento innituntur, omitto.

3. Ratio. 31 Tertia ratio est, dato quòd vsus posset separari à dominio substantiæ rei in rebus vsu consumptibilibus, talis vsus rei esset iniustus: ergo non est dicendum talem esse vsum rerum, quem habent Fratres Minores, & quem eis Summi Pontifices concedunt. Consequentia probatur, quia vti re in qua quis non habet ius, est contra iustitiam.

4. Ratio. 32 Quarta ratio. Loquendo verò de rebus, quæ vsu non consumuntur, falsum esse asserit posse transferri dominium in Ecclesiam Romanam, & vsum facti earundẽ manere perpetuò apud Fratres, vt intendit Nicolaus. Quia illud dominium, & proprietas est inutilis, à qua perpetuò separatur vsusfructus, & vsus illius rei: dominium enim, & proprietas requirit vsumfructum, vel vsum in re, vel in spe. At rerum stabilium, vel mobilium, quæ vsu non consumuntur, & quorum vsum habent Fratres Minores, sedes Apostolica nullam habet vtilitatem re, nec spe; vt patet experientia, & etiam ex intentione Nicolai: quia vsum facti illarum vult perpetuò esse apud Fratres Minores: ergo hoc dominium, quod vult Nicolaus transferri in Ecclesiam Romanam, nõ est verum dominium, neque est separabile ab vsu, etiam in his, quæ vsu nõ consumuntur apud Fratres.

5. Ratio. 33 Quinta. Adhuc probat esse impossibile in rebus visibilibus, idest quæ vsu non consumuntur, separari vsum à dominio; ita quòd quis possit illis vti absque iure, & dominio. Nam si hic vsus rerum sine dominio haberetur, vel haberetur ante actum vsus, vel in actu, vel post actũ; non primum: quia tunc nullus est vsus rei: ideò non potest dici, quòd ante actum vsus quis habeat vsum illius rei sine dominio; neque post actum completum vsus: quia iam tunc transiuit vsus: ergo quis tunc eum habere non potest, nisi fortè in memoria, at in re certè non potest. Relinquitur ergo vt habeat illũ in actu vsus. At ille actus est momentaneus, & in fieri, non in facto esse, nisi postquàm completus est actus; quòd autem est momentaneum, & in fieri, vel statim, cum est completum, trãsit, verè nõ est: ergo neque verè haberi potest; posset quidem haberi res, si qua per actum illum fieret, quia illa remaneret: at actus ipse nequaquam haberi potest: quia statim transit. Absurdum ergo est dicere aliquem posse habere vsum solùm, & non dominium. Adde, vt ait Glossa, quòd habere huiusmodi vsum in momento, esset habere dominium derisorium. Dicendum est ergo, eum qui habet dominium in rem vsibilem, habere dominium, vel ius in vsum eius; tũc enim dominium, & ius habetur in actum verè, quia potest illa vti, & habere circa illam actum quando vult, vel opus est.

Opinio Ioãnis XXII. de paupertate Fratrũ Minorum.

34 Propter has, & similes rationes iudicauit Ioannes XXII. quòd Fratres Minores haberent tam in rebus vsu consumptibilibus, quàm non vsu consumptibilibus vsum iuris, non autem tantùm vsum facti; putauitque votum paupertatis consistere in abdicatione dominij, & proprietatis tantùm, non autem in abdicatione vsus iuris; & credidit hanc fuisse quoque intentionem Nicolai IV. vt patet ex illa constitutione *Ad conditorem*, in qua semper nititur ad suum intellectum trahere verba Nicolai, & inquit non esse verisimile, quòd Nicolaus voluerit sibi, & sedi Apostolicæ reseruare dominium vnius Oui siue Casei, aut frusti Panis, & similium vsu breui consumptibiliũ. Et quoniam non potest negari paupertatem Fratrum Minorum excedere paupertatem aliarum Religionum, Ioãnes videtur voluisse in hoc paupertatem Fratrum Minorum excedere, quòd illis negatur in Regula vsus multarũ rerum, quarum alijs non negatur. Quod non obscurè colligitur ex verbis illis in prædicta Constitutione. *Ad Conditorem* §. *nec obuiat* propè finem, quæ sunt. *Quare præmissa rerum distinctio ad illum vsum facti potiùs est referenda, pro quo ipsis competit Fratribus ius vtendi. quarundam enim rerum vsus Fratribus ipsis prohibitus noscitur, & quarundam permissus: ex quo sequitur quòd vsus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui iustus sit, idest pro quo competat ius vtendi, & hoc conditor ipse Canonis exprimit euidenter, cum in eadem ordinatione adiecerit, quòd moderatus vsus in expressis priùs rebus, ipsis Fratribus est concessus.* Vnde ipse in eadem bulla decernit dominium rerum tam vsu consumptibilium, quàm non vsu consumptibilium, quæ donãtur, vel dantur Fratribus Minoribus, non esse, nec recipi ab Ecclesia Romana; & districtè prohibet, ne Fratres ampliùs hoc titulo defendant bona, quæ sibi elargiuntur: vult enim, quòd ipsi eas proprio iure teneantur, non iure sedis Apostolicæ; expressè tamen asserit se per eam constitutionem non velle derogare Regulæ ipsorum Fratrum Minorũ, neque eorum Priuilegijs à sede Apostolica eis concessis.

Contra secundã Cõclusionem Nicolai.

35 Secundo loco confutat Ioannes XXII. secundam assertionem Nicolai, quæ erat quòd paupertas ista asserta à Nicolao, in qua dominium quodcumque seiungitur ab vsu, & abrogatur retento solo vsu facti, est meritoria. Vbi obseruãdum est non dicere paupertatem, quam Regulares in voto paupertatis vouent, non esse meritoriam: quia iam de fide est illam esse meritoriam, quia est paupertas Euangelica, de qua Christus Dominus in Euangelio Matthei cap. 19. dixit. *si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me.* Sed loquitur de paupertate illo modo accepta à Nicolao. s. in qua secluderetur dominium ab vsu: quia non est certum de fide paupertatem Christi & Apostolorum fuisse talem, quæ excluderet omne dominium, & seruaret solũ vsum facti, vt infrà videbimus, & iam vidimus esse dubium An possit dari vsus nudus distinctus à dominio, & Ioannem tenere partem negatiuam. Obseruandum est etiam, quòd Ioannes XXII. non dicit absolutè hanc paupertatem non esse meritoriam; sed illam non esse meritoriam, eo modo quo illam seruabant Fratres tunc temporis: potuit enim contingere, quòd ipsa per se esset meritoria, & tamen Fratribus illa non rectè vtentibus non esset meritoria, sed illicita, & scandolosa; vt videbimus ex rationibus adductis ab eo.

1. Ratio. 36 Prima ratio ergo quòd paupertas in qua abrogatur, & renũtiatur dominio, & proprietati rei, & retinetur vsus facti, non sit vtilis, nec meritoria in eadem constitutione §. *quamquam autem* est hæc. Si paupertas hæc esset meritoria, ex eo esset, ꝙ quis per eam esset pauperior alijs habentibus dominium simul cum vsu. At hoc est falsum. Ergo. Maior, quã supponit Ioannes esse verã probatur à

glossa ibidem ex cap. *pauper*, 12. q. 5. quia paupertas ex nõ habere commodum iudicatur; vnde ille pauperior dicitur, qui minus commodum habet. Minor verò probatur, quia qui habet vsum perpetuum facti rei, licèt nõ habeat dominium eiusdem, non habet minus commodum ex illa re, quàm ille qui habet simul dominium, & vsum; & ita ex hoc habetur, quòd talis paupertas non excedit in perfectione eam paupertatem, quæ habet simul dominium, & vsum aliquarum rerum, quia non affert maius incommodum, & proinde non est meritoria.

2. Ratio. 37 Altera ratio est, quòd talis paupertas non est magis meritoria in Fratribus Minoribus, prout illam seruabant tunc temporis. Nam pro tanto paupertas est vtilis, & meritoria, pro quanto est via, & dispositio ad charitatem; at talis paupertas in Fratribus Minoribus, vt experientia patet, (inquit Ioan.) non parat viam, nec disponit magis ad charitatem, quàm si haberet dominium simul cum vsu: ergo hæc paupertas non est meritoria, nec vtilis Fratribus ipsis. Maior probatur, quia perfectio vitæ Christianæ consistit in charitate, quæ ab Apostolo vinculum perfectionis dicitur, & quæ vnit, seu iungit aliqualiter in via, hominem cũ suo fine; paupertas autẽ parat viam ad charitatem per hoc præcipuè, quòd per contemptum temporalium bonorum amputat solicitudinem, quã exigunt ipsa temporalia in ipsis acquirendis, conseruandis, & dispensandis, quæ solicitudo plerumque ab actu charitatis retrahit; in hoc ergo consistit ratio meritoria, & vtilitas paupertatis. Minor verò probatur ab ipso Ioan. quia inquit experientia patet, quòd Fratres Minores per huiusmodi paupertatem, quæ retinet vsum facti sine dominio, non minus sunt sollicitin in acquirendo, conseruando, & disponendo bona temporalia, quàm sunt ij, qui habent simul vsum, & dominium prædictorum bonorum temporalium. Nam Fratres de rebus temporalibus litigabant, & nomine sedis Apostolicæ instituebant Procuratores, qui pro ipsis ad tribunalia bona in vsum sibi data deffenderent. Ex his ergo concludebat Ioan. paupertatem hãc sine dominio, sed cum vsu facti perpetuo esse inutilem, & iudicabat paupertatem fructuosam, & meritoriam consistere solùm in paucitate bonorum temporalium, licèt quis in ijs habeat dominium simul cũ vsu, quia quo quis pauciora bona temporalia habet, minora commoda habet. Et sic est pauperior, & consequenter magis meretur, qui autem habet plura bona temporalia ad vsum facti, licèt non habeat dominium, nullum, patitur incommodũ ex illa paupertate, & sic non prodest, nec est vtilis.

3. Conclusio Nicolai impugnat. 38 Et quia fundamentum principale Nicolai erat tertia assertio, scilicet exemplum Christi, & Apostolorum, subiungit Ioannes in eadem constitutione quòd Christus Dominus habuit dominium rerum in hoc mundo, atque diffinit tanquàm articulum fidei hæreticum esse dicere, Christum Dominum in hoc mundo nunquàm habuisse aliquid proprium: in hoc autem nõ discrepat à Nicolao, vt videbimus.

Resolutio difficultatis. 39 Hæc est disputatio grauissima, quæ inter istos duos Pontifices orta fuit circa intelligentiam paupertatis, quã professus est Diuus Frãciscus & Fratres Minores, quæ certè grauissima est, vt patet. Doctores in hac re communiter sequuntur, & tenent, veram esse sententiam Nicolai, scilicet: posse separari dominium ab vsu rei cuiuscunque, & eam paupertatem, in qua vsus facti tantùm habeatur sine dominio, esse meritoriam, & eam docuisse Christum Dominum, & Apostolos, verbo & exemplo; non tamen conueniunt, quantùm ad intentionem Pontificum. Quidam enim dicunt, hos Pontifices in nulla re discrepare, vt

Sententia Aluari Pelagij de hac quæst. Pelagius de Planctu Ecclesiæ lib. 2. art. 56. & 59. vbi postquam art. 56. probauit dari paupertatem, in qua sit simplex vsus facti sine dominio, in articulo 59. nititur concordare hos duos Pontifices, per distinctionem hanc. Habere, tribus modis dicitur. Primo modo, quantùm ad vsum facti simplicem, tamen iustum: & hoc modo ait, habere accipi in regula Seraphici, cum dicitur: habeant vnam tunicam. Secundo modo, quantùm ad ius administrationis & dispẽsationis; & hoc modo prælati, qui succedunt in locũ Apostolorum, dicũtur habere ius, & administrationem rerum Ecclesiasticarum. Tertio modo accipitur quantùm ad dominium non diuinum, quod est de iure diuino, sed quod est de iure positiuo ciuili, scilicet, de iure Imperatorum, quod per iniquitatem, inquit Pelagius, fuit introductum, scilicet quo homines dicunt, hoc meum, & illud tuum, & in iudicio contendunt, vt dicitur cap. *iure*.

Christo & Apostolis habere. 40 Ad propositum inquit Nicolaum quartum negare in Fratribus Minoribus *habere* tertio modo: quia ipsi nõ habuerunt dominium rerum hoc tertio modo; neque esse hæreticum asserere Christum & Apostolos non habuisse dominium in hoc tertio modo. Ioann. verò XXII. asseruit Fratres Minores habuisse dominium seu *habere*, primo modo, & Christum & Apostolos primo & secundo modo, & sic non sibi contradicunt sed sunt concordes.

41 Sed re vera hanc conciliationem non esse ad mentem illorum Pontificum satis patet ex dictis, & rationibus allatis à Ioanne XXII. Vult enim Ioannes quòd Fratres habeant dominium, quod est ius consumendi & disponendi de ipsis rebus, quod iudicauit non posse seiungi ab vsu facti earundem rerum, quod quidem ius est introductum iure gẽtium, & est iustum, vt vidimus. Omitto quòd Aluarus non videtur velle, quòd dominium iure gẽtium introductum sit verum, & iustum dominium: quod tamen est falsum, vt supra vidimus. Ideò alij communiter

Sentẽtia Soto, Molinæ, Nauarri, Bellarmini & aliorũ. vt Soto lib. 4. de iustitia & iure quæst. 1. art. 1. & multi alij ante ipsum, quos deinde secuti sunt Nauarrus Com. 1. de Regularibus num. 13. & Com. de redditibus quæst. 1. monitione 13. Molina tractatu secundo de iustitia disp. 6. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. Azorius p. 1. Institutionum Moralium lib. 12. c. vltimo, & alij multi, dicunt absolutè, sententiam Nicolai esse veram, & Ioannem XXII. errasse in prima & secunda conclusione. In tertia verò nullam esse differentiam inter illos. Dicunt Nicolaum rectè dixisse quò ad primam conclusionem, & Ioannem errasse: quia ad dominium rei, propriè non sufficit, quòd alicui liceat rem consumere, sed requiritur, quòd ei liceat eam quocunque modo, & quandocunque ei videtur, liberè, & independenter consumere: hoc enim est propriè dominium. Ideò cum aliquis non potest rem ad libitum consumere, sed solùm cum licentia superioris, & semper dependenter à superiore, vel ab alio, tũc propriè, licèt habeat potestatem vsu cõsumẽdi rem illam, non habet propriè dominium: quia non potest consumere ad libitum. In proposito autem, res, quas vsu consumunt ipsi Fratres Minores, non sunt ita in potestate Fratrum, vt illas suo modo, & ad libitum possint dispensare, vel consumere; sed sunt semper in potestate dantis, qui potest eas repetere absque vlla iniuria Fratrum, vel superioris, & Ecclesiæ, quæ potest vsum illarum illis prohibere absque iniuria: vnde in hoc maximè distinguitur vsus facti ab vsu iuris, quòd qui habet dominium, & vsum iuris super aliquã rem, illa re, vel vsu eius, non potest priuari sine eius iniuria. At Fratres Minores possunt priuari re qua vtũtur absque illorum iniuria, quia rem ab illis auferre in eo, qui dedit, non est furari, vel alienum rapere, sed est rẽ suã repetere. Dant exemplũ de Cõuiua, qui vtitur cibis ab eo, qui eum inuitauit, appositis, & comedendo, consumit, absque vllo dominio cibi, quem comedit. Dãt ẽt exemplum

Exemplũ. de procuratore, cui dominus concedit vsum, & consumptionem aliquarum rerum; dum enim ille dominus non reuocat concessionem, habet vsum illarum iustum, sed semper dependenter à domino.

Confirmatio. 42 Confirmãt alio exemplo, & ratione simul. In alijs Religionibus omnes confitentur priuatos, & particulares non habere vllum dominium in rebus, quas vsu consumunt; sed dominium manere penes cõmunitatem, quia vtuntur & consumunt res dependenter, & ex licentia tacita, vel expressa Prælatorum, qui ad nutum possunt illas

auser-

inferre: ergo in his particularibus regularibus manet vsus absque dominio: sicuti autē in his particularibus est vsus absque dominio: ita in toto ordine Minorum potest esse vsus absque dominio: quia totus ordo vtitur rebus sibi datis dependēter à dominis, illas offerentibus, & dantibus; vel à sede Apostolica: & sic Soto dicit Ioannem XXII. iniustè & nō legitimè abdicasse à se dominiū rerum datarum Fratribus Minoribus. Molina dicit, quòd etsi Ioannes XXII. abdicauit à se hoc dominiū lacessitus iniurijs OKami, & aliorum eiusdem ordinis; tamen alij Pontifices, vt Alexander VI. & alij idem receperunt: neque Ioānes XXII. aliquid statuisse in illis decretalibus, sed solùm disputasse.

43 Adiungit Molina Fratres Minores partim habere plus iuris ad vsum rerum illis concessarum, quàm habeāt vsuarius, & vsufructuarius, partim verò habere longè minùs iuris, quàm illi habeant. Nam fratres habent maius ius, quia possunt percipere omnes earum fructus, easque, & earum fructus consumere, & alienare; ad quæ omnia non se extendit vsuarius, neque vsufructuarius, quia isti debent vti, aut frui rebus semper salua ipsarum substātia. Habent verò longè minus ius, quia non habent huiusmodi ius independenter, & liberè; sed habent illud dependenter ab ijs, apud quos dominium rerum manet: qui possunt ad libitum vsum illum reuocare, absque iniuria fratrum: vsuarius verò & vsufructuarius à nullo dependent. Et si quis eos vsu, & fructu earum rerum priuaret, faceret illis iniuriam.

Ad primā rationem pro Ioanne XXII.

44 Hinc ad rationem primam respondent falsum esse, non posse concedi vsum rei sine dominio eiusdem, vt visum est. Ad D. Thomam dicunt eum ibi non aliud intelligere, nisi quòd in mutuo rei vsu consumptibilis transfertur dominium: in mutuo verò rerum vsu non consumptibilium, quod dicitur propriè commodatum, non transfertur dominium: ideò in his aliud posse accipi pro vsu rei; & aliud pro substantia rei; in prioribus verò nequaquàm. Non tamen D. Thomas negat posse concedi vsū rei dependere à domini voluntate, qui ad nutum possit illum reuocare, & sic non negaret posse concedi vsum sine dominio.

Ad secundam.

45 Ad secundam dicunt, rationem illam currere de vsuario, & fructuario, de quibus iura loquuntur: de illis enim tantum est, vt vtantur rebus, seruata earum substātia. At longè diuersum est ius, quod habent Fratres Minores in rebus quibus vtuntur: quia vt visum est, habent ius consumendi substantiam rei; sed semper dependenter ab alio, apud quem est dominium eiusdem rei, vt explicatum est.

Ad tertiā.

Ex his etiam potest dici ad tertium, quòd vsus rerum Fratrum non est iniustus, quia iam dictum est eos habere ius in illarum vsum, sed dependenter à libera voluntate domini, qui potest absque iniuria fratrum eum reuocare.

Ad alias duas cōclusiones.

46 Hinc consequenter quò ad aliarum duarum assertionum difficultatem dicunt, paupertatem hanc retinentem vsum solùm modo prædicto esse meritoriam & vtilem ipsis fratribus, Atque Christum Dominum, & Apostolos illam docuisse verbo, & exemplo quandoque, licèt non semper; sed etiam aliquando ad consolationem infirmorum voluisse habere dominium rerum: vtràque enim paupertatem, arctissimam scilicet, & minùs arctam docuit verbo & exemplo. Ad alias rationes Ioan. XXII. nihil dicunt.

Opinio Authoris.

47 Hæc quia à iuris doctis longa discessione dicta sūt, in re tam difficili non dāno. Mihi tamen, vt dicam quid sentio, in hac re, in qua de fide nihil est definitum, sed adhuc sub iudice lis est, non omninò hæc resolutio satisfacit. Quoniam in primis variatur status quæstionis, neque ad difficultatem ipsam respōdetur, sed ad aliam, de qua nulla est mota difficultas. Etenim difficultas de qua Nicolaus IV. & alij Pontifices ex vna parte, & Ioann. XXII. ex alia contendunt, est de paupertate Fratrum Minorum in particulari, non de paupertate Mendicantium in communi, & aliorum regularium, ad quos hanc quæstionem trahunt Soto & reliqui, Afferentes in cōmuni in omnibus regularibus differre vsum facti à dominio rei, & volentes alios, regulares, & Fratres Minores habere vsum facti eodem modo: cum tamen sit magna differentia, vt videbimus. Nam licèt difficultas extensa sit, An in communi possit separari vsus à dominio rei: tamen principalis difficultas fuit, An vsus particularis cuiusque Fratris Minoris sit separatus à dominio rei, & consequenter, An sit diuersus ab vsu aliorum regularium. Et ratio difficultatis, & diuersitatis est: quia Diuus Franciscus specialem paupertatem, & arctissimam profitetur in regula, quam ita arctam cæteri regulares non profitentur, vt patet. Et differentia est, non solùm, quia alij solùm vouent paupertatem in particulari, non autem in communi, D. autem Frāciscus in particulari, & in communi; sed quia vult, quòd etiam in particulari sint pauperiores omnibus alijs religiosis, & proinde abnegat omninò dominiū, & ius quodcunque, in quacunque re, tam in communi, quàm in particulari: perfectio autem huius paupertatis super paupertatem aliarum Religionum dicunt Nicolaus, & alij Pontifices consistere in hoc, quòd habent simplicem vsum facti, non dominium aliquod. Ex quo inferre videntur habere solùm vsum facti, esse proprium Fratrum Minorū, non aliarum Religionum. Ioannes verò videtur velle perfectionem paupertatis ipsorum Minorum non consistere in abdicatione dominij, & retentione solius vsus facti: quia putat hoc esse impossibile, & consequenter alias Religiones non habere simplicem vsum facti; sed dominium quoque; sed videtur velle quòd perfectio paupertatis Minorum consistat in vsu, & dominio paucorum rerum ijs, quæ habent alij regulares. Pateret etiam Nicolaum omninò nolle Fratres Minores habere ius, & dominium in rem, quam consumunt & vtuntur, neque etiam dependenter à superiore, sed velle semper dominium separari ab vsu etiam in consumptione rei, & Fratres habere omninò nudum vsum sine vllo dominio, & iure. Et Ioann. XXII. maximè in hoc repugnat Nicolao, & in hoc facit vim, quòd in vsu, quo res consumitur, non potest non esse dominium, & proinde non posse separari vsum à dominio, & in hoc intendit contradicere Nicolao, & alijs, & nititur eos exponere, quòd huiusmodi vsum sine dominio & iure non voluerint adstruere, & asserere; sed vsum cum dominio & iure, vt patet ex ijs, quæ ex Ioanne adduximus.

48 Puto itaque, salua veritate, meliùs cum Scoto hoc loco posse solui hanc difficultatem, & manifestari, quæ sit differentia inter paupertatem Fratrum Minorum, & paupertatem aliorum regularium. Nam Scotus qui fuit Frater Minor, & fuit vir eruditissimus & zelantissimus, & floruit parùm ante tempora quibus hæc lis excitata est, potuit optimè cognoscere qualem paupertatem Fratres Minores profiteantur, & in quo differant ab alijs. Assignans ergo Scotus conditiones donationis iustæ, dixit esse tres. Prima quòd sit libera lis translatio dominij ex parte donātis. Secunda qd sit volūtas recipiendi dominiū illius rei, ex parte illius, cui fit donatio. Tertia, quòd sit libertas ex parte amborum, huius donandi, & illius recipiendi: hoc est, quòd nulla lege superiori prohibeantur, iste donare, & ille accipere: nec prohibeantur actu alterius, à quo dependeant, scilicet per actum alicuius superioris à quo dependeant in illa translatione. Subiungit deinde quòd per defectum secundæ conditionis non potest quis donare aliquid Fratri Minori, quia ille non vult fieri dominus: propter defectum tertiæ conditionis non potest Monachus dare sine licentia Abbatis, &c. Ex his vltimis verbis optimè manifestat totum discrimen inter Fratres Minores, & alios regulares, qui nomine Monachi veniunt (sunt enim cæteri omnes similes in tribus votis secundùm omnes) esse, quòd Frater Minor ita abdicat à se dominium, & ius rei cuiuscunque, quòd non vult posse vllo modo illud habere; Monachus verò & alij regulares

Solutio difficultatis ex Scoto.

Discrimen ī voto paupertatis Fratrum Minorū ab alijs regularib.

lares abdicant à se dominium, proprietatem, & ius in rebus temporalibus, vt per se quidem & independenter nolint posse habere illud: tamen non volunt, nec intendunt prohibere sibi ex licentia ab alio, à quo dependent vt à superiore, posse habere dominium, proprietatem, & ius in rebus temporalibus, & sibi concessis, & donatis ab alijs.

49 Hoc declaratur: dominium, quod quis potest habere supra rem aliquam, est duplicis generis: aliquod enim est, quod dependet à voluntate hominis, & ideò potest homo velle illud habere, vel non velle habere, & hoc est dominium, quod communiter homines habent, & transferunt in alios, dum res contractant. Aliud est dominium rerum lege naturæ, & necessitatis debitum vnicuique: & hoc homo non habet in sua potestate, neque potest illud renunciare salua conscientia, vt est dominium, quod quis habet in casu extremæ necessitatis, vel quasi extremæ necessitatis, panis in tanta quantitate panis alterius, vt possit sustentare suam vitam, & à morte se seruare, hoc dominium est adeò debitum homini, vt non possit ei renūciare, quia tunc esset homicida suipsius. Vnde disertè Nicolaus IV. in constitutione *exijt*, §. *nec quidquā*, inquit: quod per votum paupertatis non præcluditur Fratribus Minoribus via communis omnibus ad sustentandum se in extrema necessitate, sed illa, quādo (quod absit propter Dei misericordiam) charitas ita deficeret quòd non haberent vnde ex eleemosina se sustentarent, possent vti. Quod autem dicitur de extrema necessitate victus, est intelligendum de dominio rerum aliarum omninò necessariarum ad alias actiones humanas, & religiosas, vt sūt vestitus, habitatio, domus, libri ad psallendum in choro, & ad prædicandum necessarij. Necesse est enim propter cōditionem humanam quòd homo sit indutus, quòd habitet in aliquo loco, & si vult recitare officium, habeat Psalterium. Dominium ergo in his rebus in extrema necessitate, est de lege naturæ debitum homini, ita quòd in casibus extremæ necessitatis, in his generibus non potest ei renunciare, vt exempli gratia licèt quis posset nolle quamcunque vestem, tamen non potest velle non habere vestem vilissimam, extremè laceram, qua saltem tegat carnes. Nec potest non velle habere domum, vel locum in quo se recipiat, & tueatur ab imbribus, pluuijs, & ventis: quantumcunque possit non velle domum, & supellectilem aliquo modo sumptuosam: quia dominium huiusmodi rerum extremarum à natura est debitum homini; & quādo hæc ab aliquo non haberet, posset quilibet vbicunque, ea sibi comparare absque iniuria illius cuius essent.

Quantū D. Franciscus fuit ita amator paupertatis.

50 Ad propositum D. Franciscus fuit ita amator paupertatis, & voluit adeò rigorosè eam obseruari à suis Fratribus, quòd in voto paupertatis voluit vt abdicarent à se, nedum dominium, & proprietatem, & ius cuiuscunque rei; sed voluit ab se abdicare quodcunque dominium, & ius in vsum rei cuiuscunque, quod posset prouenire à sua voluntate; & solùm retinuit sibi dominium illud rerum, quod est de lege naturæ debitum homini, cui nemo potest renunciare. Propter hoc dicit Scotus, quòd nemo potest donare Fratri Minori, quia ipse non vult esse dominus: Nam ipse Frater Minor abdicat à se quodcunque dominium, & ius in vsum rei, quod à se pēdere pōt. Ideò etiam si superior vellet licentiam concedere Fratri Minori, vt haberet dominium & ius in aliqua re, vel vsū alicuius rei, Frater Minor non potest illud recipere, quia iam in voto suo paupertatis promisit se non velle esse dominum alicuius rei; idest, vouit non velle acceptare ius, & dominium alicuius rei, nec vsū illius. Alij verò regulares in voto paupertatis non abdicant omninò ius & dominium omne, quod pendeat à sua voluntate, sed solùm quantum est ex se, & dependenter ab ea præcisè: non autem in ordine ad superiorem, & dependenter ab eo. Id est abdicant à se dominium, & ius rerum, & vsus earum, quantum est in libera voluntate eorum, & retinent illud dependenter à voluntate superioris, quia nolunt habere dominium, & ius in rebus, nisi quando, & quatenùs concedit illis superior. Et hac de causa dixit Scotus, quod Monachus non potest donare sine licētia Abbatis: ergo cum licentia Abbatis potest; ergo tunc in re, quam donat, accipit dominium, alioqui non posset transferre dominium illius in eum, cui illam donat. Accipit ergo dominium illius rei, sed habet illud dependenter à suo superiore: Frater Minor verò, nec sine licentia superioris, nec cum licentia illius potest donare, quia non vult habere dominium rei, etiam cum licentia sui superioris.

Etiā si superior vellet concedere Fratri Minori, vt haberet dominiū rei, Frater nō pōt illud recipere.

Quare Monachus nō pōt donare sine licētia Abbatis.

51 Hæc est cā, ob q̄ D. Franciscus in cibis, & potibus, vestimētis, domibus, & reliquis rebus temporalibus erat ita rigidus, quòd nolebat de eis sumere, nec à Fratribus suis sumi, nisi illud ad summum, quod ad extremam, vel quasi extremam vitę huius necessitatem erat necessarium iuxta illud Apostoli ad Thimoteum 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Vnde habita mensa paupertima, quod supererat statim volebat dari pauperibus, nec aliquid seruari; si videbat aliquem pauperem habentem vestem magis laceram sua, cupiebat illam in suā permutare: si aliquando cibus videbatur sibi aliquantùm delicatus, miscebat cinerem, ne esset sic delicatus: quia volebat de cibo illud tantùm, quod sufficeret ad seruandum se pro illo tunc in vita. In domibus vltra extremam vilitatem nolebat vllum titulum, qui haberet speciem dominij; sed volebat ipse cum suis Fratribus esse in hoc mundo tanquàm peregrinus, & aduena. Non videmus autem in institutoribus aliarum Religionum, neque in eorum ordinibus adeò rigorosam abdicationem dominij rerū. Ideò altitudo, & perfectio paupertatis Fratrum Minorū consistit in hoc, quòd non solùm ex parte sua abdicant dominium, & quodcunque ius, quod pendeat à voluntate sua; sed ita abdicant à se, quòd neque etiam de licentia superiorum volunt illud posse habere; & retinent solùm dominium, quod de lege naturæ, & de necessitate est sibi datum. Cæteri verò Religiosi abdicant à se dominium, & ius, quod à sua voluntate pendet: non autem in quantùm dependet à voluntate superioris, sed dependenter ab eo illud sibi retinent. Vnde sine licentia superioris non possunt donare, sed cum illius possunt: Fratres autem Minores nequaquam.

Perfectio paupertatis Fratrū Minorum in quo consistat.

52 Ex his habetur quomodo commodè possimus soluere quæstiones tres propositas. Quantùm enim ad primam, patet quodnam dominium separetur ab vsu facti: Nam dominium, quod pendet à voluntate libera habendi rem, potest separari ab vsu facti; & hoc est illud, quod de facto separatur in vsu, quo res consumitur à Fratre Minori: quia Frater Minor in illa re, non habet dominium, quod pendet à voluntatē sua; sed habet solùm dominium, quod de lege naturæ sibi cōpetit: neque ab ipso potest abdicari. Et sic rectè dicit Nicolaus, quòd Fratres Minores habent vsum, non autem dominium, etiam in rebus vsu consumptibilibus: quia dominium liberum earum rerum, quæ conceduntur Fratri Minori, manet vel penes concedentem, vel sedem Apostolicam, qui semper sine iniuria possunt illas res, & vsum illarum auferre Fratribus Minoribus, antequam deueniatur ad actum consumptionis. Dominium verò naturale est inseparabile à re vsu consumptibili, & hoc est dominium, quod Fratres Minores habent in actu cōsumptionis, & vsu rerum: dominium enim illud, quod habent, est non liberum, sed naturale, quod vnusquisque habet in vsu & consumptione cuiusque rei necessariæ sibi in extrema necessitate, vel victus, vel vestitus, vel habitationis, & huius generis; Nicolaus nō loquitur de hoc dominio debito unicuique secundùm legem naturę, sed de primo. E conuerso Ioan. XXII. habet loqui de dominio illo secundo nempe naturali: hoc enim non potest separari ab vsu in rebus huiusmodi, quæ usu consumuntur; sed solùm modo est uerum de dominio libero pendente a uoluntate hominis.

Quō tres q̄stiones propositæ possent dissolui.

Clara conciliatio Nicolai IV. cum Ioan. XXII.

53 Ex his patet solutio ad tres priores rationes Ioannis XXII. Ad primam enim concedimus non posse separari dominium ab usu in rebus, quæ usu consumuntur, quia

Ad tres priores rōnes Ioann. XXII. Ad primā.

quia semper reuera intercedit, vel dominium liberum, quo quis vult illa re vti, vel dominium naturale, vt in extrema necessitate: dicimus autem quòd in vsu rerum, quę consumuntur à Fratribus Minoribus, non concurrit dominium liberum; sed naturale, vt dictũ est. Fratres enim minores solùm vtuntur ijs rebus, quæ sibi pro extrema, vel quasi extrema sustentatione vitæ sunt sibi necessariæ, & sine quibus non possent viuere. Vnde se habent veluti ij, qui sunt in extrema necessitate; In hac enim extrema, & arctissima paupertate voluntariè pro Christo se constituunt. Assertio autem Nicolai loquitur de dominio libero, & voluntario, non de naturali. Ad rationem etiam D. Thomæ concedo, quòd vsum rei consumptibilis sẽper comitatur aliquod dominium liberum, vel naturale: nego tamen, quòd semper concurrat dominium liberũ.

Ad secundam. Ex eodem fundamento respondeo ad secundam, cõcedendo quòd vsus facti, non potest concedi sine dominio altero illorum duorum modorum dicto: in casu nostro conceditur dominium naturale non liberum.

Ad tertiũ. Ad tertiam patet quòd vsus facti in Fratribus Minoribus est iustus, quia habet dominium naturale, & hoc sufficit.

Ad quartũ. 54 Quarta ratio nõ concludit, quia sedes Apostolica, etsi ex rebus immobilibus Fratrũ Minorũ nec re, nec spe proximè habeat vtilitatem; habet tamen potentia: quia si vellet, absque iniuria posset illas à Fratribus auferre, & in propriam vtilitatem sine iniuria Fratrum conferre. Præthereà falsum est quòd non habeat in spe, quia casu quo Religio illa deficeret, quod non est impossibile, bona illa cederent Ecclesiæ Romanæ, etiam quò ad vsum. Deinde concedo dominium non posse separari ab vsu absolutè; at nego dominium liberum nõ posse separari ab vsu extremæ necessitatis, quia tunc sufficit dominium naturale, vt dictum est ad superiora argumenta.

Ad quintã. Ad quintam respondetur sufficere, quòd habeat vsum in actu, quia paupertas contenta est simplici & nudo actu vsus, licèt sit momentaneus, quia non vult illam rem nisi pro sua necessitate; non pro quouis alio commodo, vt habet, qui illius habet dominium liberum.

Ad secũdã quæstionẽ. Paupertas Fratrũ Minorũ quomodo superet paupertate aliorũ regularium.

55 Ex his patet etiam solutio ad secundam quęstionẽ, scilicet quomodo paupertas & abdicatio dominij, quam profitentur Fratres Minores, sit valdè meritoria, & superet paupertatem, quam alij regulares profitentur: quoniã in hac propter Dominum Fratres Minores abdicant à se dominium, & ius quarumcunque rerum liberum omninò, ita quòd nolunt etiam de licentia superioris, illa habere posse. Vnde si paupertas aliorum mendicantium est meritoria, quia abdicat à se dominium liberum omnium rerum, non tamen absolutè, sed dependenter à voluntate superioris, quanto magis est meritoria hæc paupertas, in qua Fratres Minores abdicant absolutè dominium liberum omnium rerum, & retinent sibi solùm dominium naturale, quod omnibus est commune, nec potest renunciari, & habet locum solùm in extrema necessitate?

Ad tertiam quæstionẽ. Christus Dñs duplicẽ paupertatem exercuit, & docuit. Vbi Christus docuit arctissimã paupertatẽ.

56 Patet etiam solutio ad tertiam quæstionem, quia hanc paupertatem arctissimam Christum Dominum docuisse, & exercuisse non est dubium, vt dixit Nicolaus. Nã Mat. 10. Christus Dominus ait: *nolite possidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis vestris non peram, non duas tunicas, neque calceamenta, neque Virgam, &c.* Hic apertè Christus Dominus mandat discipulis, vt habeant solùm ea, quæ necessaria sunt in extrema necessitate, vel quasi extrema, & reliqua omnia abdicent, & Lucę 8. dicitur: *sequebantur eum mulieres, quæ ministrabant ei de suis facultatibus*, & Matth. 18. *filius hominis non habet vbi reclinet caput suum.* Ergo facto ostẽdit se omne dominium liberum abdicasse, & retinuisse solum naturale, quod in extrema necessitate à natura, & ipso Deo, omnibus datur. Hanc arctissimam paupertatem aliquando Christũ Dominum facto docuisse non negat Ioannes XXII. Alibi tamen Christus Dominus paupertatem non ita arctam se exercuisse ostendit, vt Ioan. XIII. vbi legitur eum habuisse loculos, ex quibus saltem in communi cum discipulis viuebat. Nec est dubium habuisse dominium pecuniarum, quandoquidem ex eis eleemosinas faciebat, vt patet eodem loco, vbi dicit Euangelista, quòd Iudas habebat loculos, *vt emeret ea, quæ eis opus essent, & egenis aliquid daret.* facere autem eleemosinam, & emere aliquid, sunt actus in quibus transfertur dominium pecuniæ, & rerum, quæ in eleemosina dantur: ergo Christus Dominus habuit dominium in pecunia, & rebus illis, quas pauperibus erogabat; & similiter discipuli eius, & Apostoli, quia eleemosinam non poterant facere iustè, sine translatione dominij rei erogatæ in eleemosina: non poterant autẽ transferre dominium nisi illud haberent, non habebãt autem auctoritate propria sed ex concessione facta per licẽtiam acceptam a Christo, & sic habebant dominium, sed depẽdenter à superiore Christo, eo modo, quo nunc regulares mendicantium communiter habent in rebus, quas cum licentia Superiorum donant, vel contractant, & procurator in rebus, quas nomine domini sui dispensat, vt Iudas in bonis, & pecunijs Christi, & Apostolorum.

Vbi Christus paupertatem non ita arctam docuit, & exercuit.

57 Sed aliquis objiciet: si D. Franciscus abdicauit omne dominium liberè, ita quòd neque ex licentia superioris volebat esse dominus, nec dependenter ab illo, illud vel donare, vel dispensare, sequitur quòd D. Franciscus non potuerit facere eleemosinam; & tamen legitur quòd aliquando psalterium, quo Fratres vtebantur in choro ad psallendum, dederit pauperi, & aliquando videns pauperem habentem vestem magis laceram suam, spoliabat se veste sua, & dabat pauperi: ergo faciebat eleemosinam. At si non habebat dominium iustè non poterat eam tradere egenti illi. Et confirmatur quia nemo potest dare alteri, quod sibi ipsi est necessarium extrema in necessitate, quia ordinata Charitas incipit à seipso. Obiectio difficilis. Quomodo D. Franciscus poterat facere eleemosinam. Confirmatio.

58 Videtur posse dici, quòd hæc D. Franciscus non faciebat passim, neque enim faciebat eleemosinam, quia poterat dicere petenti eleemosinam illud Petri Actorum 3. *argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do.* In aliquibus autem casibus maximè necessitatis in proximo hoc potuit facere: quia extrema necessitas non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem; datur enim secundùm omnes extrema necessitas, & quasi extrema necessitas. Vndè etsi ad officium recitandum erat maximè necessarius liber psalterij, tamen erat forsan maior necessitas pauperis illius, ideò in casu illo, & debito naturæ pauper ille habebat maius ius in illo libro psalterij, quàm Fratres. Vnde obtemperauit tunc D. Franciscus legi naturæ, quę pręcipit maiorem necessitatem extremam esse præponendam minori. Idem dicendum est de actu spoliandi se, & vestiendi pauperem: Iudicauit enim pauperem magis extremè egere veste sua, quàm egeret ipse D. Franciscus, ac sibi posse sufficere vestem pauperis laceram; proinde maiori extremæ necessitati voluit occurrere: quod est seruare iura naturæ, non sequi voluntatem hominis liberam in dispositione, et cõtractatione rerum, quod pertinet ad dominium liberum. Solutio.

59 Hinc ad primam rationem contra hanc secũdam assertionem respondetur, hanc paupertatem facere hominem valdè pauperem, & superare longè paupertatem illam, quæ potest habere aliquod dominium ex voluntate superioris, quia hæc se priuat omni commodo, & vtilitate rei, quæ posset dependere absolutè à sua voluntate, & ex licentia superioris; & reseruat sibi solùm illud commodum, quod lex naturæ illi concedit, & præcipit, cui renunciare non potest. Altera autem paupertas renũciat solùm commodo, & vtili, quod à sua voluntate libera absolutè pendere potest; at non priuat se commodo, & vtili, quod sibi ex concessione, & licentia superioris obuenire potest. Vnde illa paupertas est arctior hac altera paupertate, nõ solùm ratione rerum, quæ sibi conceduntur ad vsum, quę sunt pauciores, & viliores, quàm ea, quæ concedũtur alijs regularibus, quò ad victum, & vestitum, (licèt nullum genus ciborum sit illis interdictum) vt volebat Ioan. XXII.

Ad primã rõnem cõtra secundã assertionẽ Nicolai. Quõ paupertas Minorũ superet paupertatem aliorũ religiosorum.

sed etiam in modo: quia conceduntur quò ad vsum extremum necessitatis naturæ, nõ pro libito suo, vel superiorũ.

Ad secũdã rationem.

Ad secundam rationem dico illam arguere fratres illos tunc temporis non rectè seruasse paupertatem, quam professi erant, sed illa abusos fuisse, nõ autem arguit paupertatem illam in seipsa non esse meritoriam, & nequaquam vtilem.

Ad tertiã quæstionẽ.

60 Quò ad tertiam quæstionem nulla est dissensio inter Pontifices; quia vterque concedit, qđ aliquando Christus habuit aliquid proprium. Nam Ioann. XXII. definit hæreticum esse asserere Christum hic in terris nunquam habuisse aliquod proprium in speciali, vel in communi; non negat verò aliquando nihil habuisse. Nicolaus etiã concedit Christum aliquando habuisse loculos propter infirmos; sed tamen cum hoc ait aliquando etiam exemplo, & facto docuisse arctissimam paupertatem, vt diximus suprà.

De tertia conditione donationis, nimirum de libertate donantis, & eius cui donatur, & de paupertate Minorum Conuentualium, & aliorum Regularium. Cap. III.

Quid de Fratribus Minorib. Cõuẽtualibus.

61 TErtia conditio requisita ad iustam donationem secundùm Scotum erat libertas ex parte donantis, & illius cui donatur; idest, quòd nulla lege superiori prohibeantur iste, vel ille, nec per actum alterius à quo dependeant in ista translatione: & propter defectum huius conditionis dixit, non posse Monachum donare absque licentia Abbatis, nec filiumfamilias sine voluntate parentis, nec clericum quoque in aliquo casu. De filiosfamilias diximus suprà agendo de prima conditione, vbi ostendimus filiumfamilias non posse donare, quia non habet dominium in bonis patris, ideò nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense, non potest donare, nisi de voluntate patris, cuius sunt bona. De clerico dicam infra.

Monachus non potest donare sine licentia Abbatis.

62 Redeundo ergo ad exemplum primum; de Monacho dicit Scotus, quòd non potest donare sine licentia Abbatis; ex quo sequitur, quòd de licentia Abbatis possit, & habeat ius transferendi dominium in donatarium, sed habet illud dependenter à superiore. Et in hoc diximus Fratres Minores distingui ab alijs Religiosis Regularibus. Et quia capite præcedenti egimus de paupertate Fratrum Minorum, qui profitentur Regulam Diui Francisci obseruare in puritate, & sine priuilegijs, & dispensationibus Summorum Pontificum, cuiusmodi sunt his temporibus qui Capucini, & de Obseruantia nuncupantur. Nunc videndum est, quomodo se habeant Fratres Minores, qui Conuentuales nũcupantur, circa paupertatem, quam profitentur; & simul quomodo alij Regulares generaliter se habeant, circa eandem paupertatem. Nam eadem est ratio de Minoribus Conuentualibus, & alijs Regularibus, quia Conuentuales nõ profitentur obseruare Regulam S. Francisci secundùm puritatem, sed secundùm dispensationes Summorum Pontificum, qui eos redigerunt ad communem modum viuendi aliorum Regularium quò ad essentialia vota, & alia multa, vt videbimus.

Quõ se habeant Conuentuales Frãciscani circa paupertatẽ, & simul alij Regulares.

63 Pro clara autem intelligentia status Minorũ Conuentualium, & dicendorum, obseruandum est, Regulam D. Francisci propter arctam obseruationem paupertatis, & aliarum virtutum, quas Sanctissimus ille Pater eximiè perfectus cupiebat vigere in suis fratribus, sicut in ipso admirabili modo fulgebant, visam esse processu temporis dubiam, obscuram, & valdè arduam, ac difficilem ad obseruandum. Vnde varias obtrectationes passa est, vt necessarium fuerit Summos Pontifices, quorum pedibus ipsemet D. Franciscus eam, quam libentissimè, non nisi diuino spiritu subiecit, varijs declarationibus & concessionibus interpretari, & facilitare: vt patet ex varijs constitutionibus Summorum Pontificum superiori capite addnctis, in corpore iuris relatis. Nicolai IV. in capite *Exijt*. Altera Clementis V. *Exiui de Paradiso*, & duæ Io. XXII. *Quorundam, & Ad conditorem*, de verborum significatione.

Regula D. Francisci processu temporis visa est ardua, & difficilis.

Regula D. Francisci est subiecta Põtif. Romano.

64 Primo autem loco, quia in Regulæ principio, & in vltimo capite eiusdem dicitur: Fratres debere obseruare Sanctum Euangelium domini nostri, dubitatum fuit, an fratres teneantur ad omnia consilia Euangelica sub præcepto. Vnde Gregorius IX. & Nicolaus IV. in Constitutione *exijt*, Respõderunt negatiuè sub his verbis: *declaramus quòd ex professione eiusdem regulæ Fratres ipsi ad ea tantùm Euãgelica obseruanda consilia sunt adstricti, quæ in ipsa Regula præceptoriè vel inhibitoriè, seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur.*

Minores non tenentur ad obseruãtiam Cõsiliorũ Euangelicorum.

65 Et quia etiam nonnulli dubitauerunt, an fratres teneantur ad illa, quæ præcipiuntur, vel inhibentur in testamento Beati Francisci, multi Pontifices, præsertim Gregorius IX. Innocẽtius IV. & Nicolaus IV. declarauerũt; nequaquam, vt habetur in constitutionibus Alexandrinis, capite primo, confirmatis ab Alexandro VI.

Fratres nõ tenẽtur ad testamẽtũ Beati Francisci.

66 Rursus quia fuit valdè dubitatum quænam essent, & quot, quæ in Regula D. Francisci præcipiũtur sub præcepto, & sub pœna peccati mortalis. Inter alios Clemens V. in Constitutione *exiui de paradiso*, hæc dubia declarauit. Inquit ergo quæ imponuntur sub præcepto in Regula in primis esse ea, quæ pertinent ad tria vota principalia, scilicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis. At non solùm ea, quæ ad hæc tria vota nuda, & absolutè accepta, sed etiam omnia quæ pertinent ad hæc tria vota ad implenda: alioquin frustrà, inquit, ponerentur illa verba in Regula, & in professione. *Promitto semper hanc regulam obseruare*. Tenentur ergo fratres ad omnia illa, quæ requiruntur ad hæc tria vota. Verùm quia difficilè etiam erat cognoscere, quæ sint illæ sentẽtiæ in regula, quæ pertinent ad obseruantiam horum trium votorum dictorũ, & nonnulla alia præcipiuntur, quæ non videntur pertinere ad substantiam dictorum trium votorum. Idem Pontifex declarauit quoque non omnia, quæ præcipiuntur, vel suadẽtur, vel proponuntur obseruanda in Regula, habere vim præcepti, & esse obseruanda sub vi præcepti, & pœna peccati mortalis, sed solùm ea, quæ ibi Summus Pontifex declarat, vt talia. Hæ autem sunt sententiæ, duplicis generis; quædam enim sunt de quibus nunquam dubitatum est, an sint præcepta. Et istæ sunt adhuc duplicis generis. Aliæ enim sunt illæ sententiæ, quæ expressè à D. Francisco in Regula proponuntur sub voce, & verbis præceptiuis. Aliæ quæ proponuntur sub verbis æquipollentibus verbis præceptiuis. Primi ordinis sunt illæ sentẽtiæ, quæ ab ipso B. Frãcisco in eadem Regula expressè sub nomine præcepti præcipiuntur, & numerantur communiter nouem. Et sunt nouem præcepta expressa in regula, de quibus nunquam est dubitatum, an sint præcepta, & an sub vi præcepti ligent.

Quæ & quot sint quæ præcipiuntur in Regula B. Frãcisci sub pœna peccati mortalis.

67 Primum habetur in primis verbis Regulæ: *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Iesu Christi Sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Ex hoc enim deducitur, quòd fratres S. Francisci ex voto professionis obseruandi regulam eius, tenentur sub præcepto obseruare illa tria vota principalia, & Sanctum Euangelium eo modo, quo nunc suprà dictum est, scilicet non quò ad omnia cõsilia: sed solùm quò ad ea, quæ in ipsa regula præceptoriè, vel inhibitoriè, seu sub verbis æquipollentibus sunt expressa. Secundum præceptum habetur cap. 2. Regulæ in illis verbis. *Nullo modo licebit eis de ista religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ*, hic enim inhibetur fratribus ne post professionem emissam, de Religione exeant: sed in perpetuò permaneant in ordine. Vndè qui sine licentia Papæ exiret, transgrederetur hoc præceptum, quod etiam sequitur ex vi voti professionis. Tertium præceptum habetur capite 4. in illis verbis. *Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam*

1. Præceptũ Regulæ D. Francisci.

2. Præceptum.

3. Præceptum.

4. Præceptum.

recipiant per se, vel per interpositam personam. Quartum habetur cap. 6. in illis verbis. Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, hic enim præcipit paupertatem in communi.

5. Præceptum.

Quintum habetur c. 10. in illis verbis. Vadè firmiter præcipio eis, vt obediant suis ministris in omnibus, quæ promiserant domino obseruare, & non sint contraria animæ, & Regulæ nostræ.

6. 7. 8. Præceptum.

Sextũ Septimũ & octauum habentur c. 11. in illis verbis. Præcipio firmiter fratribus vniuersis ne habeant suspecta cõsortia, vel consilia mulierum, & ne ingrediantur monasteria Monacharum, præter illos, quibus a sede Apostolica concessa est licentia specialis, nec fiant compatres Virorum, vel mulierum, ne hac occasione, inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.

9. Præceptum.

Nonum habetur c. 12. in illis verbis. Ad hæc iniungo Ministris per obedientiam, vt petant a Domino Papa vnum de Sancta Romana Ecclesia Cardinalibus, qui sit gubernator, protector, & corrector istius Fraternitatis.

Alia præcepta 6. quæ in Regula innuuntur per verbũ, teneãtur.

68 Præcepta verò secundi generis, scilicet quę innuũtur in Regula sub illo vocabulo teneantur, quæ vt habet Clemẽs V. eadem cõstitutione à toto ordine habita sunt pro præceptis, sunt sex.

1. Præceptum.

Primum habetur c. 1. in illis verbis. Alij fratres teneantur Fratri Francisco, & eius successoribus obedire.

Secũdum.

Idem habet cap. 7. in illis verbis. Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quam citius poterũt sine mora.

Tertiũ & quartum.

Tertium & quartum habentur cap. 8. in illis verbis. Vniuersi fratres vnum de fratribus istius Religionis, teneãtur semper habere Generalem ministrum, & seruum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.

Quintum.

Quintum habetur eodem cap. 8. in illis verbis. Quo decedente electio successoris fiat a ministris prouincialibus, & custodibus in Capitulo Penthecostes, in quo Ministri Prouinciales teneantur insimul conuenire, vbicunque à Ministro Generali fuerit constitutum, & hoc semel in tribus annis, &c.

Sextum.

Sextum habetur eodem capite in illis verbis. Et si aliquo tempore appareret Vniuersitati Ministrorum Prouincialium, & Custodum prædictum ministrum non esse sufficientem ad seruitium, & communem vtilitatem fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem.

Præcepta tertij generis de quibus aliquando fuit dubiũ.

69 Præcepta verò tertij generis, scilicet, de quibus fuit dubium aliquando, & quæ ad literam declarata sunt esse pręcepta à Clemente V. in prædicta constitutione, Exiui de paradiso, sunt ista; sub his verbis: Declaramus quòd illud quod ponitur in regula de non habendo plures tunicas, quàm vnam cum caputio, & aliam sine caputio.

Cap. 2.

Item de nõ portandis calceamentis, & de non equitando extra casum necessitatis.

Cap. 3.

Item quòd fratres vilibus induantur. Itẽ quòd ieiunare à festo omnium Sanctorum vsque ad Natale Domini, & in sextis ferijs teneantur. Item quòd Clerici faciant diuinum officium secundùm ordinem Sanctæ Rom. Ecclesiæ.

Cap. 4.

Item quòd Ministri, & Custodes pro necessitatibus Infirmorum, & fratribus induendis solicitam curam gerant.

Cap. 6.

Item quòd si quis Fratrum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debeant ei seruire.

Cap. 9.

Item quòd Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi cum ab eo illis fuerit contradictum. Item quòd nullus audeat penitus populo prædicare, nisi a Generali ministro, vel alijs quibus secundùm declarationem prædictam id competit, fuerit examinatus, approbatus, & ad hoc institutus.

Cap. 10.

Item quòd fratres, qui cognoscerent se non posse præmissam regulam spiritualiter obseruare, debeant & possint ad suos ministros recurrere. Item quòd omnia quæ ponuntur in regula ad formam habitus tam Nouitiorum quàm etiam professorum: nec non ad receptionis modum ac professionem spectantia, nisi recipientibus quò ad habitum Nouitiorum (sicut dicit Regula) secundùm Deum aliter videatur. Hæc inquam omnia sunt à fratribus tanquam obligatoria obseruanda. hæc Clemes.

An in receptione fratrum aliqd recipere possit à superioribus.

70 Prosequitur deinde idem Papa Clemens declarare quædam alia dubia circa regulam, & §. illo Cæterum quia, declarat, An liceat ipsis fratribus de bonis ingredientium quicquam recipere, si donentur, scilicet ab ipsis ingredientibus, & si ad dandum personis, & conuentibus pro suis aliqua bona possint eos inducere sine culpa; si etiam ad disponendum de distributione rerum talium debeant ipsi ministri, seu fratres dare consilium, vbi ad consulendum alij quàm ex ipsis ad quos ingressuri mittantur, possint idonei inueniri ad hoc faciendum; & statuit Pontifex de cętero debere tam Ministros, quàm fratres cæteros à dictis inductionibus ad sibi dandum, & suasionibus, nec non & dandis circa distributionem consilijs abstinere. Si tamen intrans Religionem aliquid de suis bonis per modum eleemosinæ liberè dare velit: sicut alijs pauperibus, non prohibentur accipere; quantitas tamen bonorum non debet esse notabilis.

Vilitas vestiũ, & necessitas portãdi calceamenta, & habere duas tunicas.

71 Circa illa tria præcepta, quòd habeant vnam tunicam cum caputio, & vestimentis vilibus induantur, & possint portare calceamenta si necessitate cogantur. Pontifex §. sequenti præterea decreuit quòd extra tempus necessitatis habere possint tãtùm duas tunicas; In casu verò necessitatis plures. Quantùm ad vtilitatem debere iudicari secundùm consuetudinem Regionum, quò ad colorem & valorem: hoc tamen iudicium vilitatis vestimentorum sicut & necessitatis portandi calceamenta committit Ministris, Custodibus, & Guardianis locorum onerãdo eorum super hoc conscientiam.

Fratres tenentur ad ieiunia indicta ab Ecclesia.

72 Circa ieiunium §. sequenti, Deinde, declarat fratres teneri ad ieiunia indicta ab Ecclesia communiter fidelibus, præter ea quæ in Regula præcipiuntur, contra errorem quorundam, qui dicebant fratres non teneri nisi ad ieiunia in Regula præscripta.

De præcepto non recipiendi pecuniam.

73 Sequenti §. porro, versatur circa declarationem illius præcepti, quòd fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam, quod adeo difficile ad seruandum semper visum est, in gubernanda numerosa multitudine fratrum, vt non paucis declarationibus opus fuerit. Clemens ergo loco citato decernit fratres quò ad hoc præceptum debere seruare declarationem Nicolai IV. in cõstitutione exijt §. cæterum, & duobus sequentibus, in quibus Nicolaus declarat quomodo fratres se gerere debeant in recipienda pecunia, pro suis necessitatibus, & in speciali prohibet ne recipiant pecuniam mutuo; sed si quis vult succurrere eis in indigentijs, possunt se offerre, quòd velint fideliter laborare, vt per eleemosinas, & alios amicos fratrum ei satisfiat. Declarantur ibi alia, sed præcipuum est, quòd hoc casu ipsi fratres non recipiant pecuniam pro eleemosina oblatam, sed procurent, quòd ille qui dabit eleemosinam per se, vel per alium sibi notum huiusmodi satisfactionem faciat vel in totum, vel in partem prout sibi Dominus inspirabit, quam si per se nolit ipse facere, quia e. g. recessus eius immineat, nec per alium, quia non nouit fidelem hominem cui hanc rem committat, vel qualibet alia causa, declarat, quòd possint personam aliquam ei notam assignare, cui ille, qui vult eis subuenire per eleemosinam committere possit executionem subleuationis indigentiæ ipsorum fratrum, ac ipsius habeatur assensus super subrogationibus infrascriptis. Ita tamẽ quòd semper dominium pecuniæ remaneat apud præbentem eleemosinam, & eam possit semper repetere, donec sit eleemosina in indigentijs fratrum, propter quas data est, consumpta. Et alia pleniùs ibi habentur. Clemens aũt decernit ne ea, quę ibi cõcessa sunt, prætereant; alioquin facere nõ possint quin pręcepti Regulæ trãsgressores sint. Vndè prohibet quæstũ, & oblationem pecuniæ omnis, capsas omnes, seu ceppos, & truncos, qui ad modum capsæ se habeant ad recipiendum pecunias. Decernit etiam solùm in duobus casibus expressis in Regula, eos posse recurrere ad amicos spirituales, quicunque illi sint, siue dantes pecuniam in eleemosinam, siue nuncij, siue deputati per ipsos, siue depositarij, seu quouis alio nomine appellentur, omnimum pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis.

Tamen

74 Tamen adiungit etiam casus similes iuxta extensionem prædicti Nicolai in Bulla *exijt* quos Glossa ibibē exponit, esse eos, qui sunt similes illis duobus, licèt proximè non reducantur ad illas duas causas. Dat exemplum: si cui fratrum contingeret transire per aliquē locū, quem nō posset transiri nisi solueretur pedagiū, licèt non debeat ad hoc cogi, si tamen de facto cogeretur, licitum ei esset acquirere per eleemosinam vt solueret pedagium; subiungitque ibidem, fratres debere se gerere ita cum depositarijs siue retinentibus pecuniam, pro eorum indigentijs, vt ostendant se nullum habere in ea dominium. Vnde non possunt præcipere quòd, & qualiter pecunia expendatur, nec computum exigere ad expensam, aut quomodocunque repetere, nec habere capsam in qua pecunia reponatur, nec illius clauem, & similia quæ significant actum dominij.

Aliquādo licèt Fratrib. Minorib. accipere pecuniā ex Regula Diui Francisci.

75 Sequenti §. *Proinde*, declarans præceptum illud, *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem sed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate domino famulantes, vadant pro eleemosina confidenter, &c.* recitans nōnullis abusibus fratrum tunc delatis ad sedem Apostolicam, decreuit quòd rerum omnium, quæ fratribus offeruntur, côceduntur, & donantur, iam in particulari, quàm in communi, dominium transit ad Romanum Pontificem, & Ecclesiam Romanam, vsus verò nudus facti simplex manet apud ipsos fratres, & consequenter decreuit, quòd Fratres Minores non possunt succedere in hæreditatibus pecuniæ, & aliarum rerum mobilium, & immobilium: similiter nec fructuum annuorum sunt capaces. Neque pro his possunt, curijs, & litigiosis actibus pro huiusmodi rebus se immiscere; possunt tamen dare consiliom circa prædicta, quia ex hoc non tribuitur eis aliqua iurisdictio, actio, vel ius in rebus temporalibus.

Fratres Minores non possunt habere redditus, nec cōstitui hæredes, & dominium rerū eis concessarū est apud sedē Apostolicā.

76 Altero paragrapho sequenti *licèt verò*, decernit vineas, & hortos, ex quibus fructus olera, & hortalitia pretio distrahenda accipiantur, non posse habere: posse tamen habere hortos, & areas ad recreationem sui, & ad deducendum seipsos, post labores spirituales, & ad habendum necessaria hortalitia pro seipsis. Quantum ad granaria & cellaria, inquit non esse verisimile quòd D. Franciscus voluerit fratres suos illa habere, cum apertè ordinauerit, quòd in quotidianis mēdicationibus sperare deberent: tamen, si quandoque experientia doceret, non posse ex quotidiana mendicatione habere necessaria ad vitæ sustentationem; reliquit iudicio Ministrorum, & custodum simul, & separatum cum consilio Guardiani Conuentus, & duorum de conuentu loci discretorum, & antiquorum in ordine fratrum consilio, & assensu onerādo eorum conscientiam, an esset licitum illa habere.

De granarijs & cellarijs.

77 Quod autem Azorius p. p. Institutionum Moraliū lib. 12. cap. 24. quæst. 10. ait Ioan. XXII. in constitutione *quia quorundam*, de verborum significatione, hæc granaria, & cellaria concessisse, non reperio, sed forsan voluit hanc Clementis Constitutionem notare. Deinde ordinat, quòd fratres in toto ordine temperatis, & humilibus ædificijs sint contenti: & Paramenta, ac vasa Ecclesiastica ad honorem diuini nominis ordinata, sint decentia, & in numero, & magnitudine competenter sufficiētia; quia nimia pretiositas, vel quæcunque curiositas sapit thesaurizationem, & repugnat paupertati adeò arctæ. Vltimò decernit Fratres Minores ex professione suæ Regulæ, specialiter obligari ad arctos vsus, seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur, & eo obligationis modo sub quo continet, seu ponit Regula dictos vsus.

Azorius dicit minoribus concessa fuisse granaria a Io. XXII. sed hoc nō reperitur.

Clemens V. id côcessit sed cum moderatione.

Fratres Minores non debent habere ædificia sumptuosa nec pretiosa vasa Ecclesiastica &c.

78 Tandem paragrapho *demum*, & duobus sequentibus & vltimis statuit modum eligendi ministrum Prouincialem de quo eligendo in Regula D. Franciscus nihil ordinauit, his verbis. *Ipsius Ministri Prouincialis electis penes capitulum Prouinciale resideat. quam idem capitulū die sequenti, quo fuerit congregatum, teneatur facere, ipsius autem electionis confirmatio, ad ministrum pertineat generalem. Et si quidem ad electionem huiusmodi per formam scrutinij procedatur, & votis in diuersa diuisis electiones plures in discordia celebrari contingat, ille qui a maiori parte capituli numero (nulla zeli, vel meriti collatione, aut consideratione habita) fuerit celebrata, exceptione seu contradictione quacunque alterius partis non obstante, per dictū Generalem ministrum de consilio discretorum, de ordine, priùs tamen ex officio, prout spectat ad ipsum (diligenti examinatione præmissa) confirmetur vel etiam infirmetur, prout eis secundùm Deum visum fuerit expedire: & si fuerit infirmata, ad capitulum prouinciale electio huiusmodi reuertatur. Cæterum si capitulum memoratum die prædicta Ministrum eligere prætermittat, ex tunc Ministri Prouincialis prouisio ad Generalē ministrū liberè deuoluatur.* Demum concedit licentiam Ministro Generali, si ipsi & Capitulo Generali videbitur expedire, faciendi Prouincialē Ministrum in prouincijs Vltramarinis Hyberniç, Greciç, seu Romæ, sine Capitulo per seipsum, tamen cum consilio proborum absque dolo partiali, & fraude (super quo eorum conscientias onerat.)

Modus eligendi Ministrū Prouincialem.

79 In destitutione verò prædictorum Ministrorum Prouincialium seruari vult, quod eo vsque seruatum fuerat in ordine. In destitutione verò Generalis, vult quòd per Vicarium ordinis fiat id, quod faciendum fuerit per eundem Ministrum Generalem, vsquequo prouisum fuerit de Generali ministro. Quid verò sit faciendum in his duobus casibus quò ad Generalē Ministrom, & Prouincialem Ministrum, apud Conuentuales satis cautum est in Constitutionibus Alexandrinis c. 8. sub initio, hæc Clemens V. circa præcepta Regulæ Sancti Francisci.

In destitutione Generalis quid agendum. Quid sit faciendum eo casu inter Minores Conuentuales.

Discrimen inter Fratres Minores Conuentuales & alios Fratres Minores Obseruantes Regulam D. Francisci in puritate. Caput IV.

80 EX dictis elicitur discrimen, quò ad paupertatē inter Fratres Minores Conuentuales, & alios Minores, qui obseruant Regulam D. Francisci in sua puritate. Est enim duplex, primum est penes totum ordinem in communi. Secundum penes particulares personas vtriusque ordinis. Discrimen quò ad ordinem in communi, est hoc, quia qui profitentur obseruare Regulam D. Francisci in puritate, non possunt habere in communi bona immobilia, nec redditus & huiusmodi; sed neque etiam bona mobilia, quò ad dominium & proprietatem; sed solùm simplicem vsum facti, secundùm Nicolaum IV. secūdū verò Ioā. XXII. possunt habere bona mobilia, quò ad dominium, & vsum iuris, maximè in rebus vsu cōsumptibilibus, & non consumptibilibus, vt vidimus capite præcedenti, quæ quæstio est dubia & adhuc sub iudice. Conuentuales verò ex Concilio Tridentino præter priores Concessiones Summorum Pontificum, possunt habere bona immobilia in communi, vt patet ex sessione 25. cap. 3. de Regularibus, ibi enim Sacrum Concilium concedit omnibus Regularibus (exceptis Capucinis, & qui de obseruantia dicuntur) etiam ijs, quibus aut ex constitutionibus erat prohibitum, aut ex priuilegio non erat concessum; vt deinceps bona immobilia possidere possint. Et cum concedatur dominium, & proprietas bonorum immobilium, multò magis bonorum mobilium; hoc enim supponitur. Cum eadem sessione cap. 2. idem Conciliom det Regulam quomodo superiores ordinum bona mobilia debeant fratribus particularibus concedere.

Discrimen quoad totum ordinem.

81 Discrimen verò penes particulares personas Fratrum, primum est; quòd Minores, qui profitentur puritatem Regulæ, tenentur ad omnia præcepta suprà exposita à Clemente V. & secundùm declarationem habitam ibi (nisi per particulares constitutiones ordinis, alia peculiaria priuilegia, & declarationes habeant.) Fratres verò Minores Conuentuales, in particulari à multis illorum eximuntur, nimirum ab ijs, quæ ad arctissimam paupertatem concernunt. Nam ex eo, quod illis concessum est à

Primū discrimē quoad particulares personæ.

sede

ſede Apoſtolica, vt habeant proprium in communi, exẽpti ſunt à paupertate Euangelica arctiſſima, & reducti ſunt ad paupertatem Euangelicam minus arctam, quam ſeruant cæteri regulares poſſidentes bona in communi, ad imitationẽ Saluatoris, quò ad illud, quod legimus habuiſſe loculos, & eleemoſinas feciſſe. Et ita in primis eximuntur à tertio & quarto præcepto primi generis, in quibus expreſsè præcipit D. Franciſcus ne fratres habeant propriam domum, nec locum, nec aliquam rem; neque quòd recipiant pecuniam per ſe, vel per interpoſitã perſonam. Nam cum habeant bona ſtabilia, & redditus annuos, habent res proprias, & conſequenter habere poſſunt pecuniam, qua fructus, & res neceſſariæ emuntur, & contractantur, vt patet de miniſtris procuratoribus, & alijs officialibus Monaſterij. Quomodo hoc autem competat alijs fratribus ſubditis, patebit infrà in ſecundo diſcrimine.

Minores Conuẽtuales eximũtur à 3. & 4. præcepto primi generis.

82 Ex eadem conceſſione ſequitur etiam fratres eximi ab obligatione trium præceptorum ſecundi generis, ſcilicet quòd non poſſint portare calceamenta; non habeant niſi duas tunicas; & vilibus veſtibus induantur, ita vt poſſint ea repetiare de ſaccis. Et eiuſdem rationis eſt tertium præceptum ex tertio ordine, de non equitando ſine neceſſitate. Nam cum ex dictis in cap. præcedenti, & conſtitutionibus Nicolai IV. *exijt*, & Ioann. XXII. *ad conditorem*, & alijs, & ex doctoribus, dicta horum Pontificum conciliantibus, duplex ſit paupertas Euangelica. Alia arctiſſima, quæ abdicat dominium, proprietatem, & ius omne in bona temporalia, tam in communi, quã in particulari. Et alia minus arcta, quę retinet dominium & ius in communi, & Fratres Conuentuales eximantur à paupertate arctiſſima, conſequenter etiam eximuntur à præcepto mendicandi quotidie: repugnat enim quòd habeant proprios redditus ſufficientes, & quòd teneantur mendicare. Similiter non videntur teneri ad habendum ita vilia veſtimenta, quòd poſſint ea repetiare de ſaccis, quia talia veſtimenta habere ſolent ij, qui extremè mendici, & pauperes ſunt. Idẽ dic de habere duas tunicas, hoc enim eiſdem extremè mendicis, quales volebat D. Franciſcus eſſe ſuos fratres, ſolet competere. Similiter equitare huiuſmodi mendicis non ſolet conuenire: tamen non videtur negari, non ita extremè mendicis, & pręſertim cum aliqualis neceſſitas adeſt.

Min. Con. eximuntur ab obligatione triũ pręceptorum 2. generis. Eximũtur à 3. præcepto, ex 3. ordine.

Duplex paupertas Euangelica.

83 Accedit quòd ex Alexandri VI. conceſſione, vt patet in Conſtitutionibus Alexandrinis cap. 1. Fratres Minores Conuentuales ſunt ſimiles fratribus aliorum ordinum in hoc, quòd prælati maiores, vt Miniſtri, poſſunt diſpenſare cum fratribus in omnibus præceptis Regulæ, cum opportunum illis videtur, exceptis tribus votis ſubſtãtialibus. Patet autem, quòd tria vltima præcepta de mendicatione, veſtibus vilibus, & de duabus tunicis non pertinent ad ſubſtantiam trium votorum; ſi enim pertinerẽt, ſequeretur ad illa teneri alias Religiones, quia in omnibus Religionibus approbatis emittuntur hæc tria vota ſubſtantialia. Cum ergo Prælati maiores poſſint in omnibus præceptis Regulæ diſpenſare, quando opportunum videatur, & prædeceſſores noſtri iam diu diſpenſauerint, circa illa præcepta cum fratribus, & non ſolùm diſpenſauerint aliquibus vicibus; ſed varijs decretis mitigauerint, quæ etiam ſunt confirmata à ſede Apoſtolica, non eſt dubium Fratres Minores ad illa obſeruanda non teneri. Quòd autem illa præcepta ſint mitigata, per conſtitutiones, patet ex conſtitutionibus pijs à Pio Quarto confirmatis, poſt Concilium Tridentinum (dimiſſis ijs, quæ iam diu per Conſtitutiones Alexandrinas erant decreta) cap. 2. in quibus quò ad veſtimẽta hæc ſtatuuntur. *Quod in veſtimentis ſit modus, neque eorum luxus, ne ve colorum varietas, infamet apud laicos reddat, omnes fratres pannis communibus ſubnigri coloris induantur, vel ſaltem raſſijs, quæ duplices vocantur, & tales vt panni videantur, quæ etiam ad obſcuritatem tendant. Cæteri omnes panni, & raſſia (niſi pro habitibus qui ſubtus deferuntur) abijciãtur, & illis vti non liceat.* Prohibent etiam deferre, *burzechinos ſeu cothurnos albos, chyrothecas, nec pallias ſeu mantelli cum manicis ſeu ornati orbiculis deferantur, ſed ſint ſimplices, & longiores. veſtimenta etiam quæ ſubtus deferuntur, non niſi honeſta ſint, & coloris ordinis noſtri. In cellis ſeu cameris fratrum non liceat ſuppellectilem aliam, quàm neceſſariam, & profeſſioni paupertatis congruentem habere.*

Fratres Minores Cõuentuales ſunt ſimiles patribus aliorum ordinum.

Miniſtri Conuẽtualiũ poſſunt diſpenſare in omnib. pceptis Regulæ, exceptis tribus votis eſſentialibus.

Diſpenſatione ſuperiorum cõfirmatæ à Summis Põtificibus.

Conſtitutio de veſtimentis.

84 Tandem accedit quòd etſi modò in ordine Minorum Conuentualium præcepta prædicta ſtatuta in Regula D. Franciſci non obſeruentur, non tamen propter hoc poteſt dici in hac Religione Regularem obſeruantiam non obſeruari, neque poteſt dici eos, qui modo ingrediũtur hanc Religionem, ingredi Religionem relaxatam: quia vt optimè obſeruauit Nauarrus in Manuali cap. 12. numero 50. Ex Panormitano in capite *ſuper eo*, de regularibus, & cap. *Deus qui*, de vita & honeſtate clericorum, contra Ioannem Maiorem, & ex alijs multis ab eo citatis ibidem. Illa religio dicitur relaxata, nec in ea dicitur vigere obſeruantia regularis, in qua præcepta pertinentia ad vota eſſentialia, non ſeruantur; non autem ea in qua accidẽtariæ obſeruationes iam ſunt ſublatæ, vel mitigatæ Apoſtolicis Priuilegijs veris; vel ex licentia tacita, vel expreſſa proprij prælati ad hoc facultatem habentis; vel ex conſuetudine, quæ licèt non ſit immemorialis, eſt tamen adeò rationabilis, & tot annorum, adeoque vetus, & antiqua, quæ ad ita emoliendas obſeruationes ſufficeret. At præcepta illa, vt vidimus non pertinent ad eſſentiam trium votorum; ſed ſunt obſeruationes accidẽtariæ, iam mitigatæ, immò ſublatæ Apoſtolicis priuilegijs veris, & ex licentia expreſſa, nedum tacita propriorum prælatorum, confirmata à Pontificibus, & tandem ex conſuetudine (quæ ſola ſufficeret, quando aliud non adeſſet, vt patet cap. 1. de conſtitut. lib. 6. & Gloſſa, & omnes in cap. 1. eodem titulo, immò etiam ſi per illicitos actus fuit à prioribus inchoata, apud poſteros licet ſecundùm Soto libr. 1. de iuſtitia & iure quæſt. 7. ar. 2. ad ſecundum principale,) quæ licèt apud poſteros forſan non poſſet immemorialis dici; eſt tamen rationabilis, cum ſit conformis vſui aliarum Religionum & eſt tot annorum, atque adeò vetus & antiqua, quòd ſufficit ad emolienda prædicta præcepta, & obſeruationes. Proinde qui modò ingreditur hãc Religionem, non debet illa præmeditari, & ſi ea præmeditatur, non tenetur illa obſeruare, quia ſunt abrogata, & debet ſolùm quò ad paupertatem ea meditari, & obſeruare, quę communiter omnes alij regulares tenentur obſeruare, circa votum paupertatis & vſus obſeruationem, de quibus nunc infrà.

Non poſſe dici in Ordi. Minorũ Cõ. Regularẽ Obſeruantiã non ſeruari.

85 Duo circa habitum, & veſtitum fratrum occurrũt dubia. Primum an liceat Fratribus Conuentualibus & alijs Regularibus vti ſubucula ſeu veſte interiori linea, vel canabacea. Alterum, an liceat in lectulo dormire ſine habitu. Quò ad Primum extat capitulum, *Cum ad Monaſterium*, de ſtatu Monachorum, in quo dicitur: *firmiter inhibuimus ne quis de cætero Monachorum lineis camiſijs vteretur.* Reſpondet tamen Syluester verbo *Religio.* 7. quæſt. 15. in fine. Hoc ſtatutum ſecundùm Archidiaconum non eſſe in præcepto. Soto in lib. 1. de iuſt. & iure q. 7. art. 3. dicit, huiuſmodi ordinationem de non vtendis lineis non eſſe præceptum propriè; ſed inter leuia ſtatuta enumerari, ſuper quæ Prælati etiam Priores diſpenſare poſſunt. Quare cum non ſint in præcepto, non obligant, neque ſub pœna peccati mortalis, neque venialis. Quod elicitur ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 186. ar. 9. in reſponſione ad ſecundum, & ex Caietano in Commentario, qui in quarto ordine contentorum in Regula ponit obſeruantias regulares, & exemplificat, vt abſtinere à carnibus, & à lineis ad carnem, & inquit hæc non obligare ad mortale, niſi ex contemptu; ſed nec obligant ad veniale in ordine Prædicatorum, ait ibidem D. Thomas ad ſecundum, niſi adſit contemptus.

An liceat vti lineis veſtib interioribus.

An liceat ĩ lectulo dimittere habitum.

Opinio. 1.

86 Summa tamen Angelica verbo *Religioſus* nu. 28. Opinio. 2.

tenet,

tenet, quòd obliget ad mortale, & Glossa in caput cum ad Monasterium, inquit, Monachus lineis Camisijs vti non debet. Et eadem forma loquendi vtitur, cum agit de non habẽdo proprium: inquit enim: Item Monachus propriũ habere nõ debet. Certum est autem Monachum peccare mortaliter cum habet aliquid vt proprium; videtur ergo præcipi sub pœna peccati mortalis. Etiam nostræ constitutiones Alexandrinæ cap. 2. ordinant quòd fratres non vtantur camisijs lineis, sed laneis ad pellendas sordes.

Resolutio.

87 Quicquid sit de alijs Religionibus, quò ad quas mihi videtur præferenda sententia Sancti Thomæ & sectatorum Summæ Angelicæ; quãtùm ad nostram Religionem mihi videtur certum, vti camisijs lineis non esse peccatum, nec mortale, nec veniale, quia constitutiones Alexandrinæ, quę hoc prohibent, non prohibent sub pœna peccati mortalis nec venialis. Quoniam in fine illarum constitutionum habetur hæc clausula generalis: *Declaramus praeuaricatores harum constitutionum ad peccatum mortale non obligari, nisi ex contemptu & consuetudinariè transgrederentur, vel nisi talis esset casus vel excessus, qui diuina, seu Sacrosancta Ecclesia Romana lege merito ad mortale induceret.* In alijs verò ad taxatam pœnam tantùm obligari intendimus. Vnde sunt similes penitus constitutionibus Dominicanorum, quę nec ad mortale, nec ad veniale secundùm D. Thomam, sed ad solam pęnam taxatam obligant.

Cõstitutiones Alexandrinæ non præcipiunt aliquid sub pœna peccati.

Conuẽtuales sunt similes Dominicanis.

Accedit quòd in eodem capitulo eædem constitutiones dant potestatem Generali Ministro pro tempore dispensandi, declarandi, augendi tollendi, minuendi in omnibus constitutionibus illis. Vnde cum in posterum inualuerit cõsuetudo vtendi camisijs lineis in toto ordine, & constitutiones piæ factæ post Concilium Tridentinum loquutæ sint de vestimentis, & non prohibuerint, videntur expressè concessisse.

Accedit quòd Clemẽs VIII. in suis decretis Reformatorijs loquens de vestibus lineis potiùs approbare quàm reprobare videtur vsum lineorum per regulares admissum sub ijs verbis: *Quæcunque fratrum vestes siue lanea siue linea:* & sic non obstat cap. *cum ad Monasterium.*

De dormitione cum habitu.

88 Quantùm ad secundum de dormitione cum habitu, extat capitulum, *Vt periculosa*, Ne clerici vel Monachi in 6. in quo excommunicatur professus in quacunque Religione, qui habitum suæ Religionis tenere dimiserit. In speciali quòd teneatur Monachus dormire cum suo habitu habetur cap. *Vidua* 20. quæst. 1. & cap. *Sanctimoniales*, 23. distinctione. Cæterùm Doctores exponentes sensum excommunicationis ex cap. *Vt periculosa* in 6. vt Syluester verbo *Excom.* 9. numero 51. Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 231. Azorius p. p. lib. 12. cap. 12. quæst. 16. Grafius in Decisionibus aureis lib. 4. c. 21. num. 64 (licet citetur in oppositum) Suarez tomo de Censuris disp. 22. sect. 4. num. 27. qui alios citant: Asserunt nullum Religiosum affici hac censura, nisi quando dimittit habitum sine causa, quia tunc non est temeraria dimissio, vt si quis transiens per locum infidelium, seu hæreticorum timeret occidi, timor ille esset causa rationabilis, vt habet Glossa ibidem. Neque etiam ea afficitur per quamcunque dimissionem temerariam, scilicet sine rationabili causa, vt si quis exuat se habitu ad ludendum, vel ad lauandum se, vel aliquid simile (hæc enim dicitur temeraria dimissio, quia Monachus debet constanter vti habitu suo) siue hęc dimissio fiat intra, vel extra Monasterium. Neque etiam omnis dimissio etiam ob causam mortiferam: vt si quis dimittat habitum ad commodiùs fornicandum. Solùm ergo quis afficitur excommunicatione, cum dimittit habitum dolosè, ad liberè vagandum, & assumit alium habitum, etiam alterius Religionis, ne agnoscatur pro tali Religioso. Quod probat Syluester, quia ex Ioãne Andrea & Bartolo, & per glossam in verbo *borum*, illius cap. dimittens habitum eo modo quo prohibetur in illa excommunicatione, dicitur Apostata: patet autem quòd dimittentes sic ad paruum tempus non dicuntur Apostatæ, neque contra eos procedunt pœnæ, quæ in Apostatas fulminantur.

Intellectus c. Vt periculosa.

Religiosus dimittens habitũ, quã incurrat excõmunic.

Resolutio.

89 Ex his deducitur non comprehẽdi sub hac excommunicatione Religiosum, qui dimittit habitum dormiendi causa, quia vt singulariter obseruauit Suarez vbi suprà, exuere se habitu ad dormiendum non est dimittere habitum in sensu illo prohibito per illam excommunicationẽ, sed est spoliare se habitu. Dormire ergo sine habitu prohibetur Monacho solùm per caput *Vidua* 20. quæst. 1. & caput *Sanctimonialis*, 23. dist. Minoribus Cõuentualibus etiam prohibetur per constitutiones Alexandrinas cap. 2. vbi ordinatur, quòd fratres dormiant cum interiori tunicula, & cum caputio, & cingulo & femoralibus. Sed breuiter est dicendum hoc nõ præcipi sub pœna peccati mortalis, sed ratione & debito honestatis. Hoc modo intelligunt capita ista, *Vidua*, & *Sãctimonialis* Archidiaconus, Ioannes Andreas citati à Syluestro, vbi suprà num. 51. in fine, & D. Antoninus 3. par. titu. 24. cap. 53. citatus à Nauarro, qui cum Syluestro, & alijs eos sequitur. Addere possumus, quòd illi duo textus loquuntur de Vidua, quæ religionem profiteri vult, & de Sanctimoniali, non de viris: tamen ad viros Religiosos quoque de honestate extẽditur: ideò non sub præcepto eos obligat, sed solùm de honestate. Illud etiam ex constitutionibus Alexandrinis non officit: quia vt diximus, illæ constitutiones non obligant ad peccatum mortale, nisi ex contemptu: & omnia subijciunt potestati Generalis, quò ad diminutionem & augmentationem. Vndè cum deinde inualuerit vsus & consuetudo, vt fratres dormiant sine habitu, neque constitutiones piæ posteriùs factæ, hoc præceptum renouauerint, sequitur esse abrogatum, & nullum esse peccatum.

Obiectiones.

Solutio.

Secundum discrimen inter Conuentuales, & Obseruantes.

90 Secundum discrimen quò ad personas particulares inter Minores Conuentuales, & Minores Obseruantes Regulam D. Francisci in puritate Regulæ, declaratur per hanc assertionem desumptã ex Scoto vbi suprà. Qui profitentur Regulam D. Francisci in puritate, abdicant à se per votum paupertatis ita dominium, & ius in rebus temporalibus, vt neque etiam per licentiam superiorum possint recipere dominium, & ius in res ipsas temporales. At Minores Conuẽtuales, quia sunt facti similes alijs regularibus, de licentia superiorum suorum possunt accipere dominium, & ius in rebus temporalibus: licèt ex propria libertate, & independenter à voluntate superiorum non possint. Sed pro intelligentia notandum est, quòd secundùm modum dicendi Doctorum: religiosus in voto paupertatis, primò se abdicat à dominio, & proprietate rei corporalis, quæ est facultas libera disponendi de re illa ad libitum, & independenter ab alio, siue eam consumendo, siue vendendo, vel donando, vel aliquo alio modo eam contractando. Secundò abdicant à se vsumfructum, administrationem, possessionem & vsum rei, prout ista sunt iuris; ita quòd renunciat iuri, quod habet in vsufructu, administratione, possessione, & vsu cuiuscunque rei, & retinet sibi solùm vsumfructũ, administrationem, possessionem, & vsum facti, & hoc totum desumitur ex decretali *Exijt* de verborum significatione, in qua Nicolaus IV. docet dominium, & proprietatem posse separari ab vsu facti. Vndè communiter dicitur, quòd Religiosi professi per votum paupertatis, nõ habent proprietatem, nec dominium, nec vsumfructum nec administrationem, nec vsum iuris, sed solùm vsum nudum facti, in rebus corporalibus quas possident, habent, consumunt, & contractant. Tamen quia doctrina illa Nicolai non pertinet ad fidem, neque adhuc aliquid est determinatũ, circa illam quæstionẽ, sed adhuc lis est sub Iudice, Si quis teneat cum Ioann. XXII. *in constitutione ad conditorem*, quòd dominium, & proprietas sit inseparabilis ab vsu facti, possemus dicere, quod Religiosi per votum paupertatis, non abdicant à se quamcunque proprietatem, & dominium, retinendo sibi solam administrationem, vsumfructũ, possessionem, & vsum facti, sed possemus dicere, quòd retinent dominium, & proprietatem iuris, nedum

Discrimen inter Fratres Minores Conuẽtuales & Obseruantes Regulã in puritate. Quid abdicet Religiosus à se per votũ paupertatis.

in vsu.

in vsufructu, administratione, possessione & vsu rerum, sed etiam dominiū,& proprietatem in substantia rei; ita quòd Religiosus potest disponere de substātia rei sibi cōcessa,alienando,donādo,& eā contractando,& habet ius in vsufructu,administratione,possessione,& vsu rerum sibi concessarum, sed differenter ab eo, qui non habet votum paupertatis. Quia qui non habet votum paupertatis, habet dominium & proprietatem liberam, ita quòd pro libito,potest disponere de re, quam habet,eam consumendo, vendendo, & suo modo contractando. Sed professus votum paupertatis, non habet dominium liberum,&absolutum super substantiam rei, neque super vsufructum, administrationem,possessionem, & vsum rei; sed dependenter à voluntate alterius, scilicet Superioris qui ad nutum,& sine eius iniuria, potest eum priuare substātia illius rei,vsufructu,administratione,& vsu eiusdem.

Alius modus ponendi differentiā inter paupertatem Minorum Conu. & aliorum Regularium à paupertate Minorum obseruātiū Regulā in puritate.

91 Et tunc differētia inter paupertatem Fratrum Minorum obseruantium Regulam D. Francisci in puritate, & paupertatem Fratrum Minorum Conuentualium simul cum alijs Regularibus,erit hæc: Quòd primi abdicāt omne dominium & proprietatem, nedum liberā, quam haberent, & habere possent; sed etiam abdicant à se proprietatem & dominium, quod à superiore sibi posset concedi, ita quòd nolunt etiam per licentiam Superioris posse habere dominium, proprietatem, & ius aliquod in rebus corporalibus; sed solùm retinent dominium,proprietatem, & ius, quod à natura vnicuique est conueniens, & necessarium: cui nemo potest renunciare, iura conscientia; quod est illud,quod quicunque habet positum in extrema, vel quasi extrema necessitate, vt super ipsi capite diximus. Sed secundi abdicant solam proprietatem & dominium,quod à libera sua voluntate prouenit, vt prouenire potest, sed retinent dominium & proprietatem dependenter a libera alterius,vt Superioris voluntate.

Differētia inter proprietatē laici,& Regularis professi.

92 Differentia etiam inter proprietatem,& dominiū Religiosi professi,& proprietatem, & dominium sæcularis,& non professi,est hęc. Quòd sæcularis habet liberam & independentem facultatem ad libitum quandocunque, & quomodocunque disponendi de re, quam habet. Religiosus verò nō habet liberam facultatem disponendi ad libitum, sed solùm ad nutum, & placitum Superioris;& hoc est,quod habet dicere Nauarrus Commēt.1. de Regularibus, num.15. dum dicit, quòd proprium est duplicis generis. Primū est dominium vel quasi dominium vsufructus,possessio,vsus prout iura sunt: qualis proprietas est,quam habent Deus, & homines liberi. Secundum est dominium, & proprietas quò ad detentionem, & vsum, administrationem, & possessionem facti tantùm, qualis est quam habent serui Monachi,& quicunque alij homines,etiam nomine suo. Nam sustinēdo quòd dominium, & proprietas sit inseparabilis à dispositione substantiæ rei,de facto ab vsufructu,& ab vsu facti,vt vult Io. XXII. remanet differentia solùm penes libertatem vnius,& alligationem alterius,ad volūtatem Superioris. Et hoc idem habent dicere Bellar.lib.4.de Romano Pontifice cap.14. & Molina de Iustitia Tractatu 2. cap.6. dum dicunt dominium rei, non esse posse destruere rem quocūque modo, sed posse liberè, & independenter eam quandocunque,& quomodocunque destruere,& consumere. Quantùm ergo ad rem nulla est differentia,sed quò ad modum declarandi rem. Et certè opinio Ioann. XXII. mihi probabilior videtur, & in eam inclinat Scotus, & re vera Ioann. X X I I. rationes videntur efficaces; certum enim est, quòd nemo dat, quod non habet, & quòd nemo potest transferre dominium, & ius in alium, quod ipse non habet. At Religiosus de licentia Superioris donat,vendit, contractat res corporales, & eas consumit: ergo si in hac administratione, contractatione non habet nisi proprietatem & dominium facti,non potest transferre in alium, nisi dominium & proprietatem facti, non iuris; quod est absurdum. Similiter cum vsu fruitur, vtitur, & consumit res vsu consumptibiles,non esset iustus vsufructus, & vsus,

Opinio Io, X X II. est valde probabilis.

quia esset sine iure, quæ omnia sunt falsa: patet etiā quòd administratio est ius disponendi de re, alieno nomine: ergo administratio,quam habent Religiosi de bonis nutu Superiorum,non est sine iure. Supponēdo ergo veram esse opinionem Ioan. X X I I. quæ etiam per sequentes rationes probabitur.

93 Hęc assertio autem habet duas partes. Prima,quòd ex licentia Superiorum, & dependēter ab eis, possunt habere dominium, & ius. Secunda quòd sine eorum licentia, & ab illis independenter, non possunt habere dominium neque ius aliquod in rebus temporalibus. Secunda pars patet, quia ex voto paupertatis solemni, repugnat habere dominium, proprietatem, & vsumfructum & vsum iuris; & solùm ei conceditur vsus facti nudus. Præterea Monachus,& Regularis dependet in suo velle, & nolle à Superiore, ratione obedientiæ: ita quòd non potest velle, vel nolle aliquid absque Superioris nutu, & arbitrio; ille autem vt dicebat Scotus, qui dependet ab alio in translatione dominij non potest donare,nec dominiū trāsferre.

Secunda pars assertionis probatur. Secunda ratio.

94 Prima pars verò probatur. Primò ratione, quam ex Scoto deduximus vbi suprà: ad iustam donationem requiritur ex parte donantis dominium in re,quam donat: qui enim non habet dominium in re, non potest transferre illud in alium super eandem rem. At Monachus,& Regularis de licentia superioris sui,potest donare aliquid alteri,& illa donatio est iusta: ergo Regularis de licentia Superioris potest recipere dominiū, & ius in re tēporali.

Prima pars probatur.

95 Confirmatur, quia nedum iure antiquo, sed nouo ex constitutione Clementis V I I I. edita anno 1594. quæ incipit. *Religiosæ Congregationes*. Religiosus de licentia Superiorum in aliquo casu donare potest: ergo in illo casu accipit dominium, & ius in illa re,quam donat. Quòd aūt Clemēs hāc facultatē donandi cōcedat particularibus Religiosis, probatur: quia etsi in illa constitutione præcipiat,ne Religiosi quicunque sint illi,siue viri,siue fœminę cuiuslibet Congregationis,Societatis,& Instituti,(non tamen militiæ) directè vel indirectè,palàm,vel occultè,tam communi quàm particulari, & proprio nomine, etiā sub quouis statuti, vel consuetudinis, seu potiùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacunque causa, tamen concedit aliquam largitionem munerum fieri posse ob causam in Generali Capitulo, aut alia Congregatione, re maturè considerata, vnanimi omnium consensu,Superiorumque permissu, causa approbata. Concedit etiam rerum minimarum de licentia Superiorum expressa,& in scriptis obtenta, posse inter Regulares fieri largitiones: rationabile est autem credere eas esse tanti valoris, vt pertingant ad valorem rei, cuius furtum si peccatum mortale: quia res quæ non excedit valorem huiusmodi, non potest esse satis,vt pro munere aliquo largiendo Superiori, vel benefactori idonea reputetur. Concedit etiam pro pauperum indigentijs,seruato Charitatis ordine,de licentia, & consilio Superiorum posse Religiosum aliquid erogare: ergo in omnibus his requiritur dominium & ius,alioquin non esset iusta donatio, translatio dominij.

Cōfirmatur.

Religiosus potest donare de licentia Superioris.

De peccato Regularium contra votum paupertatis, & de eorum peculio. *Caput V.*

96 SEd dimissa hac disputatione An Religiosus in rebus quæ ei concessæ sunt licitè à Superiore, habeat proprietatem, & dominium rei, vsumfructum, possessionem, vsum pro vt sunt iuris; vel prout facti sunt. Certum est secundùm omnes huiusmodi Religiosus posse habere proprietatem, dominiū, vsumfructum, administrationem, & vsum pront facti sunt; vt patet ex Nauarro Com. 1. de Regularibus num. 15. Azorio p.p. lib. 12. c. 12. hoc autem intelligitur cum licentia Superioris, vsus enim facti cum licentia Superioris non pugnat cum voto paupertatis,siue hæc licentia sit expressa,siue tacita,& sit iusta de causa, qui enim emittit votum paupertatis in Religione approbata, abdicat omnem vsum rei,perinde, ac si ta-

citè pro-

etiè promittat, non se rebus vsurum renuente, aut nesciente superiore: vt innuunt Innocentius, Hostiensis, Ioann. Andreas, Abbas, Antonius Anchoranus, & cæteri in caput, *cum ad Monasterium*, de statu Monachorum, Archidiaconus, Turrecremata, Præpositus in caput *Non dicatis*, 12.q.1. Angelus, Syluester, Tabiẽsis in verbo *Religio*, & reliqui Summistæ. Adeò quòd secundùm omnes de licentia superioris potest consumere rem aliquam, vt edere panem, bibere vinum, quę sunt res vsu consumptibiles; & vti substantia aliarum rerum vsu non consumptibiliũ, ad honestos & necessarios vsus. Videndum est modò in speciali quid sit prohibitum Religioso, & in quo peccet contra hoc votum paupertatis.

De peculio Religiosorum

Quid sit peculium.

97 Primo loco difficultas est. An Religiosis prohibitum sit habere peculium. Pro cuius intelligentia notandum est, quòd dimissis multis, ad propositum. Peculium est pusilla aliqua pecunia, vel aliqua pusilla res pecuniæ æstimabilis, distincta à pecunia, & re magna Monasterij, & Conuentus; sicut bona castrensia vel quasi castrensia, & similia, dicũtur peculium filijfamilias: quia sũt certa paruo pecunia distincta à patrimonio patris, qđ præsumitur semper maius. Est ergo difficultas, An Religiosus professus possit habere aliquod peculium huiusmodi. Respondeo, in iure, *cap. Monachi*, de statu Monachorum sic habetur. *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio, nec peculium permittãtur habere* idest proprium, & infrà §. *qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, a communione remoueatur altaris, & qui in extremis, cum peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit: nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam, quod etiam de vniuersis Religiosis præcipimus obseruari*, & c. cum ad Monasteriũ, eodem titulo sic habetur §. 1. *Prohibemus quoque districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere; regulari monitione præuia, de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlteriùs, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur*, & infra §. fin. *Nec existimet Abbas quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Idem habetur in nonnullis alijs canonibus.

Responsio Cap. Monachi.

Cap. cũ ad Monasterium.

Cõcilium Tridẽtinũ.

98 Tandem in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 2. habetur sic. *Nemini igitur Regularium, tam Virorum, quã mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsũ, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum seu Conuẽtuum ad solos officiales eorũdem, ad nutum superiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta suæ Regulæ, & ordinis constitutiones puniatur.*

99 Doctores pro explicatione dictorum capitulorum, & doctrina superiùs adducta, distinguunt de peculio, vario tamen modo, licèt in re idem dicant, exceptis aliquibus de quibus infrà. Alij ergo vt Nauarrus dicto comm. 2. de regularibus, num. 14. distinguunt, duplex genus peculij, Alterum quod est proprium quò ad verum dominium (peculium enim, & proprium pro eodem sæpe à doctoribus accipiuntur) & veram proprietatem, qualem habent sæculares. Alterum quod est proprium quò ad administrationem, qualem habent beneficiarij Ecclesiastici. Et hoc peculium subdiuiditur in tres species. Primũ est, quod conceditur ad administrationem in vtilitatem, & damnum tantùm concedentis, quale est quod conceditur officialibus Monasterij. Secundum, quod conceditur ad administrationem, in vtilitatem, & damnum accipiẽtis, sine vlla pensione, & onere, vel ita vt certam pensionẽ soluat, aut aliquod onus expleat, & reliquum in commodum vel damnum ei cedat, ad disponẽdum de eo, in suos honestos & pios vsus tantùm. Quale peculium & propriũ habẽt beneficiarij, & multi (inquit Nauarrus) iam senes, vel infirmi benemeriti. Tertiæ speciei peculium est, quod conceditur in commodum, vel damnum accipientis, cum facultate disponendi pro libito, in quoscunque vsus etiam profanos, vt pòt sæcularis de sibi verè proprio.

Genus peculij multiplex.

Proprium peculium, quò ad verum dominium.

Peculium ppriũ quò ad administrationem habet tres species.

1. Species.

2. Species.

3. Species.

100 Tunc Nauarrus respondet ad dubium, quòd capitula allegata intelliguntur, Vel de peculio, & proprio primi generis, & pſertim illud *ex cap. cũ ad Monasterium, §. nec existimet Abbas*, quia nedum prælatus, sed nec Papa potest concedere peculium, & proprium primi generis Religioso professo: quia esset facere eum verum dominum alicuius rei pecuniariæ, quod directè repugnat voto paupertatis. Quod fusiùs ipse Nauarrus eodem comm. num. 17. & sequentibus probat cum Sancto Thoma. Sed hæc celebris est quæstio, & habet magnos sectatores pro vtraque parte. Et D. Thomas 2. 2. quæst. 88. ar. 11. est caput tenentium partem negatiuam, de qua fusè agunt multi Doctores, Canonistę communiter in caput, *Cum ad Monasterium*, supra citatum, & multi Theologi, vt est videre apud Soto lib. 5. de iustitia & iure, quæst. 4. art. 2. & Azorium p. p. lib. 12. cap. 7. sed pars affirmatiua est vera, quia de facto videmus, multos Pontifices dispensasse in votis substantialibus Religionis. Et ratio est, quia vt ait Caietanus commentario illo, qui facit legem, potest interpretari legem, ideò Papa qui dixit, Papam non posse dispensare in voto Monachali cum de facto dispensauerit, signum est posse dispensare.

An Papa possit cõcedere proprium Regulari.

Pars affirmatiua est vera.

101 Vel ista capitula intelliguntur de peculio secundi generis, quò ad tertiam speciem, & etiam de peculio secũdi generis, quò ad secundam speciem, quando non adest iusta causa. At nullum eorum caput intelligitur de peculio secundi generis quò ad primam speciem, quod est clarum. Neque de peculio secundi generis, quò ad secũdam speciem, quando adest iusta causa. Et dicit Cõcilium Tridentinum, non inducere nouum ius; sed esse intelligendũ eodem modo, & esse expositionem prædictorum capitulorum, alioquin esset contrarium Concilio Lateranensi, quod non est dicendum, quia præstat iura iuribus concordare c. *cum expediat*, de electione lib. 6. & l. 1. C. de inoff. dotibus, & non est recedẽdum ab antiquo, nisi quatenus corrigit nouũ l. fi. C. de appell. Adeò quòd Nauarrus tandem tenet, quòd Religiosus de licentia superioris potest habere aliquod peculium secundi generis, quò ad secundam speciem; quod est habere aliquam rem immobilẽ fructiferam, vt domum, redditus annuos, & huiusmodi, & pecuniam vel rem æstimabilem pecuniã, per modum administrationis, quæ cedat in commodum, vel vtilitatẽ ipsius Religiosi tantùm, ad honestos, & pios vsus, tamen ad nutum superioris ab eo amouibilem. Cuiusmodi ait esse bona quędam, quæ concedi solent quibusdam senibus, vel infirmis benemeritis de Religione, quibus aliquæ domus salubriores concedi solent, ad nutum superioris reuocabiles.

Cõcilium Tridentinum nõ introducit nouum ius secundũ Nauar.

Religiosus potest habere peculium secundi generis.

102 Hanc eandem sententiam habet Siluester, verbo *Religio* 6. quæst. 7. & verbo eod. *Religio* 8. quæst. 5. & ante eum, eam tenuerunt Hostiensis, Ioann. Andreas & Abbas in caput, *Cum ad Monasterium*, & eam probant ex varijs iuribus. Primò ex cap. *de Viduis*, 27. quæst. 2. quod secundùm Glossam habet Viduas, & Virgines posse velari, & fieri regulares, & manere in domo sua: certũ est autem

Siluester Hostiensis Ioann. Andreas Abbas.

tem

tem tunc non posse viuere sine peculio proprio. Et ex capite *Insinuante*, qui Clerici, vel vouent. Quod habet Virginem fœminam fieri posse verè Religiosam, vouendo obseruare Regulam virorum Religiosorum, non intrando in monasterium, sed manendo in domo quæ erat sua, ante professionem; hoc autem casu certè necessarium est

3. Ratio. eam habere aliquod peculium, quo sustentetur. Et confirmatur, quia caput hoc vltimum probat valere professionem factam cum pacto, vt viuat extra Monasterium, cũ bonis, quæ ante professionem erant sua, sustentando se de illis. Probatur etiam, quia in more iam positum est,

1. Ratio. quia nulla est Religio, quæ adeò arctè seruet votum paupertatis, in qua de licentia Prælati expressa, vel tacita, Religiosi non habeant aliquod proprium peculium suis vsibus peculiaribus deputatum; saltem calceos, vestes, Breuiarium, Rosarium, siue calculos precatorios, lectum, stragula eius, aliquot libellos, imagines vel reliquias, præter eas, quæ etiam habent Cellulas priuatas, & claues earum. Pro eodem facit decisio Ioann. Andreæ in Merc. Regula, *non est obligatorium* de regulis iuris lib. 6. citatus à Nauarro, eodem comm. 2. num. eodem 14. quod valet statutum iusta de causa factum, quo ordinatur, quod Monasterium det tantùm victum Monialibus, pro vestitu verò habeant ea, quæ labore manuum suarum lucrantur. Tandem aiunt: hoc non repugnat voto paupertatis, quia non habent dominium redditum; sed solum vsumfructum ad nutum superiorum ammouibilem.

Opinio alia quò ad bona stabilia reijcitur. 103 Hæc opinio, quò ad bona stabilia, vt sunt census, & redditus annui, reijcitur ab Azorio p. p. lib. 12. c. 9. Institutionum Moralium quest. 2. & ab alijs. Ratio est, quia repugnat Concilio Tridentino loco allegato, cap. 2. sess. 25. quia expresse in eo prohibetur superioribus concedere alicui Religioso particulari bona immobilia, sub his verbis: *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commẽdam.* Et reuera opinio Azorij, mihi videtur verissima, quia verba Cõcilij sunt nimis

Cõcilium Tridẽti nil cõdidit nouum ius. clara. Vndè patet quòd decretum illud Concilij Tridentini, est ius nouum, non confirmatio vel declaratio antiqui, vt vult Nauarrus.

Ad 1. & 2. rationem. 104 Ad primam, & secundam rationem pro eadem opinione respondetur illas concludere de iure antiquo, non autem de iure nouo Concilij Tridentini; specialiter enim Concilium Tridentinum prohibuit, superiores posse concedere regularibus admistrationem bonorum stabilium, propter multa inconuenientia, quæ sequebantur: voluit autem vt talis administratio sit penes officiales publicos Conuentus, ad nutum superiorum amouibiles, & cedat in commodum, vel damnum ipsius concedẽtis, seu Monasterij tantùm. Vnde Concilium recedere à iure antiquo, & per hoc patet ad fundamentum principale Nauarri, qd Concilio Tridentino hoc nõ repugnat.

Ad 3. rationem. 105 Ad illud, quòd in more positum est, in quauis Religione esse aliquod peculium proprium, &c. respõdetur illud esse verum, de rebus mobilibus, non de stabilibus. Concilium autem non prohibet superiori, quin res mobiles concedere possit Regulari vnicuique, pro suis honestis & pijs vsibus necessarijs, non superfluis: immò apertè

Superior põt concedere peculium rerũ mobiliũ regulari priuato. concedit dum inquit: *Mobilium verò vsum ita superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quã professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit, nihilque etiam quòd sit necessarium eis denegetur.* Vndè hoc pertinet ad aliam partem assertionis, huius opinionis, quam ipse Azorius cum omnibus alijs sustinet esse veram.

Ad 4. & 5. rationem. 106 Ad quartam, & quintam rationem respondetur cum eodem Azorio, & doctrina superiùs tradita, hoc nõ repugnare voto paupertatis, neque iuri naturali diuino, & canonico antiquo, sed esse vetitum à Concilio Tridentino, ob iustissimas causas: quia cũ hæc administratio bonorum, priuatis Monachis concedatur, solet esse moltorũ inconuenientium, & malorum causa, vt docet experientia.

Opinio p- 107 Opinio ergo Nauarri & aliorum doctorum supra allegatorum, quantùm ad alteram partem, nimirum dicta quo quantùm ad bona mobilia, ab omnibus communiter recipitur. Azorius autem eam declarat breuiter, & probat sic vbi suprà, inquit peculium esse triplex. Primum nomine peculij censentur ea bona quorum dominium seu proprietatem quis habet. Secundum, bona quorum quis habet vsumfructum, vel vsum, vel administrationem absque vlla alterius voluntate, ita vt suo arbitratu possit eorum fructibus vti, & de eis, nutu suo, quod voluerit, statuere. Tertium demum, sunt illa bona, quorum quis habet vsũ, vel administrationem, quæ ad nutum alterius tenetur possit. Peculium primi & secundi generis, prohibentur iuribus & capitibus suprà adductis. Peculium verò tertij generis, nequaquam, immò apertè conceditur cap. *cum ad Monasterium, §. tales* de statu Monachorum. Clarius autem in Concilio Tridentino sessione 25. cap. 2. allegato, dum dicitur, quòd *Superiores Mobilium vsus ita regularibus permittant, vt nihil superfluum sit, sed nihil necessarium denegetur.*

Marg.: dicta quo ad bona mobilia ab omnib recipitur. Peculiũ triplex. 1. Genus peculij. 2. Genus peculij. 3. Genus peculij. Peculium 3. generis cõceditur regularibus.

108 Ex dictis, Azorius loco citato p. p. lib. 12. cap. 9. q. 3. & 4. plura deducit, quæ verissima sunt: & mihi communiter concessa videntur, quæ libenter adduco, quia cum auctor iste sit institutis societatis Iesu in qua fertur vitam cõmunem exactissimam seruari, & superiores oĩa necessaria, & honesta subuministrare abundanter, non potest esse suspicio, quòd ex affectu hæc corrolatia proferat. Primum ergo corrolarium est, quòd bona stabilia, & redditus non possunt concedi à superioribus in administrationem alicui regulari, hoc pacto, vt data certa pensione Monasterio, reliqua in honestos vsus suos insumat: quia vi dictum est, hoc repugnat Concilio Tridentino & nouo iuri. Similiter, si aliqua fœmina profiteatur Religionem aliquam, ea conditione, vt maneat domi suæ, & retineat sibi aliquam portionem bonorum suorum, hæc professio est nulla: quia vel illa bona vult retinere ea conditione, vt tanquã propria habeat, & hoc repugnat professioni paupertatis; vel vult ea retinere ea conditione, vt sint in potestate Abbatis seu superioris, qui ad nutum ea possit illi auferre, & tunc etiam est nulla: quia hoc quidem licebat iure antiquo, post Concilium Tridentinum verò repugnat: quia domus, fundi, & huiusmodi sunt bona stabilia, quæ neque ad administrandum possunt concedi.

Marg.: 1. Corrolarium. Superior non potest concedere bona stabilia alicui.

109 Secundum est, quòd non repugnat iuri antiquo, neque nouo, nec Concilio Tridentino, consuetudo illa, quæ quarundam Monialium, & etiam virorum, qui dum professionem faciunt, præter dotem Monasterio datam, reseruant aliquam bonorum particulam à parentibus, vel alijs propinquis acceptam, superiorum consensu, & retinent ad suos vsus necessarios, quam in singulos annos possint insumere. Talis enim bonorum portio tradi solet cuidam Moniali, quæ tanquàm administra, & depositaria, solet Monialium similes portiones habere, vt cuique pro earum indigentia distribuat. Ratio huius nulla alia esse potest, nisi quia illa bona conceduntur illi Moniali, tanquàm peculium à superiore ad suos honestos & necessarios vsus, per ministrum publicum numistrandum.

Marg.: 2. Corrolarium. Monialis reseruans certã portionẽ ad suos vsus qualiter si contrafaciat Concilio Tridentino.

110 Deducit etiam Azorius eodem loco q. 7. eam cõsuetudinem, quæ alicubi seruatur. Nimirum Monasteriũ præbet solummodo victum Monialibus, ea lege & conditione, vt pro vestitu sibi sumant, quæ proprio labore, & industria, sibi comparant: aut aliorum donationibus nã ciscuntur, tuta conscientia seruari posse, etiam post Concilium Tridentinũ, & post constitutiones Clementis VIII. (patet enim Azorium loqui secundùm ius nouum Concilij Tridentini, non autem præcisè secundùm ius antiquũ, ante Concilium Tridentinum: licèt hanc assertionem sumpserit ex Ioanne Andrea & Abbate in cap. *Cum ad Monasterium* de statu Monachorũ. Et ex Nauarro in Comm. 2. de regularibus, num. 14. & 27. & multæ rationes pro hoc genere vitæ adducuntur à Nauarro eodem Comm. num. 29. & 36. sequentibus, quæ concludunt etiã pro hoc tempore post Cõcilium Tridentinum) ait enim:

Marg.: Consuetudo qua Monasterium præbet tantum victũ, ea lege, vt suis laboribus Moniales sibi prouideant de vestitu, tuta conscientia seruari potest.

hanc consuetudinem iurè permissam esse, siquidem nihil proprium habẽt, neque bona stabilia, annuosue reddiius accipiunt, sed industriæ, vel laboris sui fructus concessu superioris, cuius nutu ea facultas reuocari potest.

Consuetudo Minorũ Conuẽtualium.

111 Hæc consuetudo maximè viget in ordine nostro Minorum Conuentualium, nam in omnibus ferè Conuentibus, exceptis ijs qui in quibusdam regionibus, maximè vltramontanis, locati sunt, Monasterium præbet tantùm victum, & valdè quidem tenuem; pro vestiatio verò nihil, vel admodum parum, quod certè ad necessarium, & honestum pauperem vsum non sufficit. Superiores autem concedunt, vt vnusquisque proprijs laboribus, vel aliorum donationibus, pro vestitu, & reliquis indigentijs, prouideat sibi. Et hæc licentia non solùm est tacita (cum ipsi Superiores non prouideant de sibi necessarijs, sed sinant eos se exercere, & laborare pro indigentijs comparandis) sed expressa, dum sæpe Fratribus petentibus aliquid sibi necessarium respondent, Conuentum non posse illis suffragari, vel non consueuisse.

Licet habere calceos, libros, etiã quędam ad esum & potum pertinentia, superioris licentiam.

112 Subiungit etiam eodem loco eam cõsuetudinem non esse reprehendendam, qua Superiorum cõsensu expresso vel tacito, Religiosi habent aliquid suis vsibus destinatum, vt calceos, libros, vel imagines insculpias, papiraceos codices, etiam quædam ad esum, & potum pertinentia, dum hæc & similia pro Superioris nutu, & arbitrio reuocari possint; nec in eis aliquid superflui aut vani repertatur, vt Cõcilium Tridentinum monet, nec aliqua pontificia constitutione noua vetetur.

Religiosus emens libros pecunia externa quõ non peccet, Superiore inscio.

113 Idẽ Azorius eod. l. 12. c. 12. agens de peccatis, quibus votũ paupertatis violatur. q. 3. ait: Religiosũ ab externo nummos accipiens, quibus libros emat, & apud sese in cella retineat iscio superiore, si illis pecunijs, & libris vtatur de licẽtia expressa vel tacita Superioris, nõ peccare: & subiungit, tunc censeri habere licentiam tacitam vel expressam, quando hos libros, & res tenet in cubiculo palam, expositos, omnibusque obiectos. Nã quidquid hoc modo Religiosus habet, Superiorũ suorum volũtati, potestatique subijcitur: si aũt eos celaret Superioribus, peccaret.

Si quis sumat sibi aliquid ex cõmuni loco inscio superiore, an peccet?

114 Idem dicendum si ex communi Bibliotheca, aut ex communi locò aliquid inscio Superiore ad suum vsum, & commodum cœperit: nam si præsumitur tacitus consensus Superioris, nullum est peccatum; qui aderit, quoties creditur, quòd etiam si sciret, approbaret; si secus, peccaret. Si etiam inscio Superiore sumeret sibi aliquid ex communi loco, animo infra certos dies referendi ad prædictum locum, inquit Azorius non sibi videri peccare nisi hoc aliũde sit Religioso illi prohibitum: quia non videtur Religiosus hic omnino citra voluntatem Superioris vti illa re.

Qui ex cõmuni loco sibi sumit ad vsũ sine cõsensu superiorum, peccat.

115 Eodem cap. 12. tenet Religiosum, qui aliquid ex communi, aut id quod alteri ad eius vsus est tributum, furtim sibi capit, proprietatis crimen incurrere: quia etsi nolit assumere dominium furtiuæ rei, assumit tamen sibi vsum illius rei, absque nutu Superioris expresso, vel tacito. Quòd si res est parua, est veniale: si grauis & magna, lethale est, si ea tanta est, quanta sufficit ad mortale. Et addit, quòd est Sacrilegium, quod enim est in sæculari mortale, in Religioso est Sacrilegium, & grauius peccatum. Quod est notandũ pro ijs ministris qui bona Cõuentuũ furãtur.

Furãtes bona Monasterij sunt Sacrilegi.

Si quis cõsumit aliquid ex eo, quod in cõmuni datur, peccat.

116 Si autem sumat aliquid ex ijs, quæ in communi collata sunt Monasterio, inscio, vel renuente Superiore, & illud edendo, vel bibendo consumit, Maior in 4. dist. 38. q. 8 videtur sentire, quòd peccet mortaliter, Azorius verò dubitat, & monet Religiosos cautos esse debere, ne sibi plus æquo sumant. Sed opinio Maioris proculdubio est vera, quando res est notabilis, vt contingit in quibusdam ministris Monasteriorum, qui de rebus traditis in communi Monasterijs, latinè continuò, vel vt plurimùm viuũt spernentes communem victum, & necessitates honestas Religiosorũ. Opinio verò Azorij locum habet in re parui momenti, & rarissimè accidenti.

Si accipit ab alio Religioso aliquid ei cõcessum ad vsum, sine licentia superioris, peccat.

Si autem accipiat ab alio Religioso aliquid illi Religioso deputatum ad vsum, absquè licentia superioris tacita, vel expressa, aliqui tenent eum non peccare, si illud accipiat animo non eo vtendi contra voluntatem superioris: quia vsum, quem alius habebat, sibi assumit. Azorius tenet eum peccare, quia frater est simplex vsuarius, ideò non potest concedere vsum rei sibi concessæ per semetipsum alteri: hoc enim pertinet ad vsumfructuariũ; sed hoc fieri debet ex licentia superioris tacita, vel expressa.

Superior superflua concedere, nec Religiosus illis vti potest.

116 Sed quid dicendum de eo Religioso qui sciẽte & consentiente superiore habet plura, quàm sibi suppetant ad vitam sustentandam? Respondent D. Antoninus citatus à Syluestro, verbo *Religio* 6. q. 7. dicto 4. Religiosum malè vti, & superiorẽ malè concedere, & vtrumque peccare. Maior in 4. d. 38. q. 9. videtur dicere Religiosum peccare, contra votum paupertatis. Omnes tamen, & Azorius cum illis, eodẽm cap. q. 9. tenent vtrumque grauiter peccare: quia concedere superflua Religioso, & eis vti, est origo multorum malorum, & superiores eniti debent, vt superflua tollant, quæ sunt occasiones proprietatis.

Consuetudo laudabilis.

117 Vnde infert Azorius laudabilem esse illam consuetudinem vitæ Religiosæ, in qua vestes lineę, pelliceęvè aut cuiusuis generis, in communi loco asseruantur: & indè in singulas hebdomadas, mẽses, vel annos in cuiusque vsum distribuuntur: & ijs præficitur vnus, qui eas custodiat, purget, resarciat, & renouet. Nullus apud se pecuniã tenet, nec vestes, præter ad quotidianum vsum necessarias. Nullus dona ad se missa accipit, nisi conscio, & consentiente Superiore. Vbi denique communis est omnium victus, communis mensa, communis vestitus in communi loco solitus asseruari. Contrà verò, eam improbãdam esse consuetudinem vbi Religiosorum quisque aliquid apud se habet, vnde viuat, quod in communẽ locum non deferat. Vbi singuli plus habent, quàm quod sit sibi necessarium ad vitam tuendam. Iurè quoque improbantur specula, vnguenta suffimenta, & his similia pleraque vana, profanavè, quæ maximè Religiosam dedecent paupertatem. Item preciosa ornamenta vestium, librorum, supellectilium, quæ magis ad mundanos homines, quàm ad Religiosos spectant. Hæc omnia certè sunt valdè rationabilia, & proculdubio firmis fundamentis innixa, & vera: ex quibus alia plura dubia soluere possumus contingentia circa statum Regularium quorumcunque ad consulendum eorum conscientijs.

Consuetudo quæ improbatur.

Non omnes gradus proprietatis Aluari approbantur.

118 Primò ergo deducitur non omnes gradus proprietatis, quos enumerat Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 67. qui multi sunt, esse gradus verè proprietatis, & inducere peccatum mortale in Religiosis particularibus: præsertim in ijs, quibus Monasterium non subministrat, nisi victum nõ autem vestitum, neque alias necessitates (enumerat enim Aluarus omnes actus proprietatis pertinentes tam ad bona immobilia, quàm ad mobilia, tam superiorum, quàm subditorum, in Religiosis Ordinis Minorum, qui tunc non habebat bona in cõmuni) sed eos actus solùm, qui sine licentia superioris fiũt, & qui sunt de rebus superfluis, & sunt specialiter prohibiti. Ideò emere, vendere, permutare, conducere, mutuare, & huiusmodi inter fratres ipsos, & etiam cum sæcularibus, de rebus necessarijs, & honestis, atque de illis contendere, coram superiore, non sunt peccata, nisi quando fiũt sine licentia expressa vel tacita Superiorum, vt visum est in casibus suprà adductis. Ratio est, quia isti sunt actus, sine quibus vita humana transigi non potest ab eo, qui suipsius, & rerum sibi necessariarum curam habere cogitur. Vnde quandoque erit aliquis Religiosus, cui Monasterium non præbet vestimenta necessaria, neque à parentibus pecuniam pro ipsis emendis habere potest; neque ab aliquo benefactore sæculari. Alter autem Religiosus habet aliquam pecuniam reseruatam suis vsibus necessarijs, qua pro illo tunc non eget, eam mutuat Religioso egenti, vt sibi in necessarijs prouideat; hic non est actus proprietatis, sed charitatis, & præsumitur adesse licentia superioris, cum hic modus viuendi, quò superior concedit

Fundamẽtum allatæ assertionis.

Religiosũ mutuare pecuniã alteri Religioso, & de ea conten-

subdito,

dere coram Superiore quo non est peccatum.

subdito, vt eleemosinis, & industria sibi comparet necessaria, & honesta, sit in vsu in illa Religione, & superior iam sciat quòd ipse nulli egenti circa vestitum succurrit.

Ordinatio Constitutionũ Alexãdrinarũ.

119 Hac ratione in const. Alexandrinis c. 6. habetur hæc constitutio ad literam. *Eleemosina autem quæ ratione prædicationis, lectionis, aut confessionis, aut alio quocunque laudabili exercitio fratribus conceduntur, aut etiam causa deuotionis personæ conferuntur pro necessitatibus ipsorum fratrum, quibus concessa sunt, & aliorum, si opus fuerit, Procurator cum licentia Superioris retineat. Quos vniuersum Capitulum Generale, vnà cum ipso Generali Ministro hortatur, & obsecrat in Domino, vt ea, quæ eorum indigentiæ superfuerint, alijs Fratribus distribui patiantur, non obstante Prælatorum benignitate, ad id eos non compellente, ne vnus esuriat, alter verò ebrius sit.* Et infrà. *Ordinat quoque ipsum Capitulum Generale, iuxta pristas Generales Sanctiones, vt quãdo cõtingeret aliquẽ Fratrẽ de prouincia in prouinciam transferri vel de loco ad locum, possint secum libri, & alia eleemosinæ suo vsui deputata trãsferri, vt quò ad vixerit, vtatur eis.* Hic modus tollit proprietatẽ, quia peculium assignatur reipsa superiori, nõ impeditur etiam opus Charitatis, quia qui minùs egent, possunt subuenire magis egentibus.

Nõ peccat qui minutatim computant q̃dquid p̃ ipsos ministros expẽditur.

Neque actu proprietatis peccant, qui minutatim computant, quidquid per ipsos Ministros expẽditur, nec patitur superiorem de pecunijs in ærario ad eius vsum positis, ad libitum disponere: quia hoc non facit eo, quòd teneat illam pecuniam tanquàm propriam; sed quia dubitat, vel de fidelitate superioris, qui eam non dilapidet: vel quia timet, ne in alios vsus eam distrahat, & cum deinde euenerit casus necessitatis proprius, ipse neque ex bonis Conuentus communibus, neque ex acquisitis à se ipso, possit sibi prouidere. Vndè huiusmodi constitutio circa depositum, procul dubio etiam nũc post Concilium Tridẽtinum licèt, vt ex dictis, & ex adhuc infrà dicendis, scilicet ex parua charitate superiorũ, patebit.

An religiosus possit donare vel erogare in eleemosinã propinquis pauperibus.

120 Sed est dubium, An Religiosus possit aliquid propinquis, & consanguineis pauperibus donare, vel erogare in eleemosinam. In hac re est distinguendum. Aliud enim est donare aliquid consanguineis, & aliud aliquid eis erogare, propter eorum pauperiem, & necessitates quasdam subleuandas.

Aliud est donare, aliud ĩ eleemosinã erogare aliq̃d parentibus & propinquis.

De donatione ante constitutionem Clementis Octaui, quæ incipit *Religiosæ congregationes*, æditam anno 1594. erat consuetudo quædam siue iure, siue secus; quæ superior concedebat Religioso, vt Religiosus donaret, quæ ipse superior iure donare poterat; superior autem donare consueuerat aliquid, quod esset in vtilitatem Cœnobij, vel in pauperum, & indigentium vsum, vel ad efficiendum munusculis benemeritos, vel officiales Cœnobij, vel ad conciliandum aliquorum beneuolentiam. Permittebatur etiam Monialibus, vt consanguineis vel alijs de se benemeritis, aliqua bona impertirẽt, quæ industria, arte, vel labore acquisiuissent, & similia.

Nunc non licèt Religiosis donare.

Nunc verò per supradictam constitutionem, hæc munerum & donorum largitio est interdicta, & limitata. Præcepit enim Clemens Octauus in prædicta Bulla, ne Religiosi, quicunque sint illi, siue viri, siue fœminæ cuiuslibet congregationis, societatis, & instituti (non tamen militiæ) directè vel indirectè, palam, vel occultè, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacunque causa, nisi in generali capitulo, aut alia generali congregatione re maturè discussa, vnanimi consensu omnium superiorum permissu, causa approbata fuerit, aliquam largitionem, & missionem munerum facere valeant.

Religiosus potest erogare ĩ eleemosinam parẽtib. & alijs & quomodo.

121 Quantùm verò ad erogandum aliquid pro subleuandis pauperum, & indigentium necessitatibus, idem Clemens non vult prædicta obligare, sed vult, quòd Religiosus hoc possit efficere, seruato Ordine Charitatis, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu superiorum, & dummodo erogatio talis sit, quæ per Capitulum Generale, vel Prouinciale non sit prohibita, neque superet taxam, quæ forsan esset præfixa, per eadem capitula. Hoc etiam intendit fieri posse propter alias res licitas. Vndè verba Bullæ prædictæ §. *insuper.* Sunt ista. *Insuper prohibemus, ne vnquam eisdem Regularibus liceat vllas pecunias, quoquo modo erogare,* & in fine illius paragraphi. *Nisi reipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, seruato in hoc Charitatis Ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio & consensu superiorum subleuandis, aut alias, in rebus licitis, & per Capitulum Generale aut Prouinciale prohibitis, aut taxam ibi forsan præscriptam, non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.* Vbi obserua Clementem non limitare hãc largitionem, pro subleuandis pauperibus, & alijs rebus licitis, ad valorem trium Iuliorum, vt aliqui exponunt: sed dicit, *habita necessitatis ratione.* Poterit ergo multo plus pro indigentium necessitate erogari.

Limitatio elargitionis p̃ pauperibus ad tria Iulia reijcitur.

Ordo autem Charitatis, vt patet ex D. Thoma 2. 2. quæst. 26. & communiter ex omnibus Doctoribus est, vt primò subueniatur parentibus, deinde ijs, qui sunt nobis naturaliter parentes, & magis cõiuncti, & propinqui, quàm non propinquis, & non coniunctis, & priùs benefactoribus, quàm alijs.

Ad subueniẽdũ propiq̃s, sufficit licẽtia & consiliũ superioris absque capitulo.

Subuenire ergo his parentibus, & propinquis cum supradictis conditionibus, potest Religiosus: vndè ad hoc non est necessaria licentia Capituli Generalis, vel Prouincialis; sed solùm licentia, & consilium superioris: quia Papa in illis vltimis verbis nihil aliud requirit.

Possunt donare esculẽta, & poculenta leuiora.

122 Possunt etiam Religiosi donare esculenta, & poculenta leuiora, & aliqua ad deuotionem & Religionem spectantia. Aliqui limitant esculenta & poculenta ad valorem duorum Iuliorum ad summum, & quæ spectant ad deuotionem, ad valorem trium Iuliorum ad summum; sed requiruntur conditiones assignatæ in Bulla, vt dentur de consensu Monasterij, Superioris, & nomine communi, non particulari.

Possunt erogare pauperibus peregrinis & ditiorib. ratione hospitalitatis.

Possunt etiam dare aliq̃d causa hospitalitatis, erga pauperes & peregrinos, vbi præsertim redditus ad hoc sunt applicati, & etiam potentioribus & ditioribus, seruata tamẽ frugalitate Religiosa.

Monachus auctoritate Papæ põt habere pẽsionem.

123 Asserit etiam Azorius eodem libro 12. cap. 9. q. 9. & rectè, Romani Pontificis beneficio Monachum, & Religiosum professum tuta conscientia extra Monasterium viuere, ex certa pensione sibi assignata, posse: & fructus pensionis etiam, qui sibi supersunt ad vsum suum in alios honestos vsus dispensare; sed requiritur iusta causa. Ratio est, quia pensio Ecclesiastica, est ius percipiendi fructus, ex alieno beneficio: ideò requiritur dispensatio voti paupertatis: quia illud, vt diximus abdicat omne ius super rem corporalem, & cum ad dispensationem voti requiratur legitima, & iusta causa, sequitur non posse sine illa fieri dispensationem legitimam; cum autem fit dispensatio de certa pensione, videtur subintelligi Pontificem concedere prædicto Monacho ius dispensandi prædicta bona, ad victum honestum, & commodum, vt maluerit, & præsertim cum pensio maior est, quàm sibi pro ordinario victu sit necessaria. Iusta autem causa censetur si Religiosus vir sit cuius consilio, prudentia, doctrina, opera & industria Põtifex Romanus vti velit, aut de Republica Christiana sit benemeritus; aut sit senio confectus, & incommoda valetudine laboret.

An Monachus testari possit.

124 An verò Monachus testari possit, de licentia Papæ, est grauis quæstio tractata à Nauarro Comm. 2. *de Regularibus*, num. 57. & à pluribus alijs, quos ibi citant Nauarrus, & Azorius loco citato quæst. 10. Ego me subscribo parti affirmatiuæ, cum Nauarro, Azorio & citatis ab illis, cum adest grauis, & legitima causa, quæ requirit dispensationem voti paupertatis, & hoc est verum, secundùm communem viam. Qui tamen sequeretur opinionẽ Ioannis XXII. quòd dominium, & ius sit inseparabile ab vsu, posset dicere in concessione pensionis factæ Religioso professo non dispensari in voto paupertatis: quia secundùm Ioann. XXII. votum paupertatis non abdicat dominium, vel ius super rem; sed dominium, & ius quarũdam rerum, & retentionem paucissimarum, sine quibus ferè,

Fab. de Restitutione.

hæc vita mortalis transigi non potest vt diximus suprà.

Vtrum habens peculium seruet vitam communē

125 Ex oībus hucusque dictis de paupertate Religiosorũ, vt mihi posse solui dubiũ quoddã valdè considerãdũ, & est An habere aliquid in particulari, vt peculiũ prędictũ, repugnet vitæ cõmuni: ita quòd ille Religiosus, qui habet aliquid particulare, deputatum ad vsum particularem, vt calceos, libros, vestes, & pecuniam aliquam, vel apud se, vel in deposito communi, reseruatam tamen ad vsum particularem illius Religiosi, censeatur non seruare vitam communem præceptam à Concilio Tridentino?

Respõsio.

Mihi enim videtur respondendum esse non repugnare. Ratio desumitur ex dictis: quia Concilium Tridentinum decernit, vt omnia bona mobilia, & immobilia quocunque modo acquisita à Religioso, statim superiori resignentur, & Conuentui incorporentur. Hæc est Communitas, quæ est de præcepto, & qui eam non obseruat, non seruat vitam communem, & est proprietarius. At Concilium Tridentinum non prohibet, quòd inter viuentes vita communi non possit à superiore concedi Religioso in particulari aliquod peculium, ad vsum tantùm, vt suprà diximus: immò disertè ordinat, quòd *mobilium vsum ita superiores permittant*, (vtitur verbo *permittant*, quia Regularis non est dominus, nec vllum ius habet, vt suprà dictum est, in his, quæ sibi conceduntur ad vsum,) *vt eorum suppellex, statui paupertatis quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit, nihilque etiam quod sit necessarium eis denegetur*. Dummodo ergo peculium sit de rebus necessarijs, & non superfluis, & iusta de causa concedatur à superiore, non repugnat verè vitæ communi, neque Concilio Tridentino.

126 Sed obseruandum est has tres conditiones necessariò requiri. Prima quòd sit de rebus necessarijs non superfluis. Secunda quòd sit concessum iusta de causa. Tertia quòd sit concessum à superiori. Prima conditio probatur: quia dictum est suprà, superiorem non posse concedere peculium secundi generis, & tertię speciei cum Nauarro; nimirum, vt Religiosus eo vtatur, ad libitum, vt ad ludendum, compotandum, & alios inanes, & similes vsus, & multo minùs ad inhonestos, & turpes. Quo fit, vt ij, qui talia à Religiosis accipiunt, ea Monasterio restituere teneantur. Quod omnes asserunt, & in specie Azorius lib. 12. cap. 11. q. 5. in fine.

1. Cõditio probatur.

127 Intelligitur autem hæc prima conditio de rebus necessarijs nedum quò ad indiuiduum, sed quò ad statũ. Quòd probatur ex secunda conditione, quæ est, quòd cõcessio fiat iusta causa. Doctores enim explicantes, quæ sit iusta causa præsertim Nauarrus eodem Comm. 2. numero 24. ait esse duplicem, scilicet necessitatem, & vtilitatem: & illa vtraque rursus duplex est, scilicet priuata & publica. Priuata est indigẽtia personæ particularis, qualis est victus, & vestitus personalis, qualẽ habet quisque cum communitas ei non prouidet. Vtilitas priuata, qualis est instructio, & recreatio animi, per lectionem librorum quos retinet. Necessitas & vtilitas publica est, quam Reipublicæ Christianæ docendo vel prædicando affert, ex libris quos retinet, & alia aliqua causa, ad iudicium boni viri, iuxta eundem Nauarrum num. 25. Vnde inquit se consuluisse licere, decereque concedere, facultatem dandi aliqua pauperibus cognatis, vel socijs amicis, & famulis de se meritis Religioso, cuius intuitu aliqua bona notabilia ab initio ingressus, vel postea obuenerunt Monasterio, per successionem, artem, industriam eius, vel per aliqua munera, quæ gessit, vt Dominicani Sancti Stephani Salmanticæ solent Magistris eiusdem Ordinis, Cathedras magnorum stipendiorum ibi regentibus permittere, vt ex illis cognatis pauperibus subueniant. Manifestum est autem, quòd istæ causæ pertinent ad statum.

1. Cõditio îtelligitur de reb. necessarijs nedũ quo ad îdiuiduum sed quò ad statum.

2. Cõditio explicatur. Causa iusta duplex.

Licet cõcedere Religioso bene merito vt aliqua elargiatur cognatis pauperibus.

128 Tertia conditio est, quòd adsit licentia superioris, quæ ex dictis est euidens: sine licentia enim superioris nihil possidere potest; debet autem esse expressa vel saltem tacita. Quòd autem licentia tacita sufficiat, (de expressa enim nulla est dubitatio) saltem quò ad Deum, & in foro conscientiæ, patet ex Diuo Thoma 2. 2. quæstione 32. articulo 8. ad primum, qui eam appellat præsumptam, & dicit valere ad faciendam eleemosinam, quam sententiam confirmat ibi Nauarrus alijs auctoritatibus, & rationibus, nec video aliquem oppositũ docere.

Licentia superioris debet esse expressa vel tacita.

129 Obseruandum est autem requiri licẽtiam expressam, vel tacitam, non aũt sufficeret permissiuam, cuiusmodi est taciturnitas sine consensu approbatiuo, vt obseruat Nauarrus eodem comm. 2. num. 21. non tamen omnis taciturnitas non approbatiua nocet, sed solùm iniusta taciturnitas; non autem iniusta. Iniusta autem taciturnitas est, quæ non est sub a honesta causa, in id non consentiendi. Vndè si superior nollet dare licentiam Religioso, nec expressè nec tacitè, sed solùm permitteret sine cõsensu approbatiuo, & hoc faceret sine iusta causa, hæc non concessio non noceret Religioso; sed esset, ac si ei concederetur licentia tacita. Hãc doctrinam habet Nauarrus eo loco & eam desumit ex Glossa in cap. *Denique* dist. 4. supponimus autem nos, causam iustam adesse concedendi licentiam, vt dictum est.

An licẽtia pmissa valeat.

Iniusta taciturnitas nõ nocet.

130 Obseruandum est quoque nomine mobilium venire etiam pecuniam; adeò quòd potest superior, exigente necessitate concedere Religioso pecuniam aliquam ad honestos, & necessarios vsus suos tantùm, iuxta prædictum Concilium Tridentinum, quod ordinat superioribus, vt permittant bona mobilia Religiosis &c. Hoc probatur: nam pecunia commemoratur inter res mobiles, Panormitanus enim c. *Nulli*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, numero 9. & 10. Emanuel à Costa cap. *Si*, parte prima, numero 11. quos citat & sequitur Molina de iustitia tract. 2. disput. 68. & disput. 202. §. *his ita constitutis*, asserunt, pecuniam numerari inter res mobiles, quā Molina loco citato dicit esse rem certam, & indubitatam, neque video aliquem dubitare de hoc: quoniam prædicti doctores explicantes, quid veniat nomine rerum mobilium, dicunt esse omnes illas res, quæ loco moueri, & se mouere possunt, & exemplificant, vt animalia vestes, pecuniæ, explicantes verò, quæ sint res immobiles, dicunt esse ea omnia, quæ loco moueri non possunt; & exemplificant, vt prædia, domus, annui reddiius, & similia. Addunt etiam inter res immobiles numerari res spirituales, vt iura, seruitutis debita, actiones &c. Item beneficium Ecclesiasticum, Cathedram, commendam, ius patronatus, &c. Cum ergo pecuniæ inter res mobiles computentur, has Prælatus iusta de causa poterit concedere Religioso, præsertim in ijs Religionibus, & Monialium Monasterijs, in quibus Monasterium vix præbet victum, & satis tenuem, & nihil amplius: vndè particulares coguntur sibi de reliquis necessarijs ad vitam hanc prouidere, quoniam sine administratione pecuniæ nemo regulariter ista sibi comparare potest. Instituere autem officiales in singulis Monasterijs, qui pro particularibus expendant ad necessarios vsus, qui quotidie in hac misera vita accidunt, cum non adest vna massa communis, ex qua singulis necessaria ministrentur, est valdè difficile, vt experientia patet. Vndè huiusmodi institutiones parùm perseuerant, & Ministris, & superioribus stomachum faciunt.

Pecunia pōt concedi Religioso à superiore quomodo.

Quæ res mobiles & immobiles dicantur.

Prælat' potest concedere pecunias Religioso, & quomodo.

131 Quòd autem superior possit pecunias aliquas secundùm honestas & necessarias indigentias concedere in particulari Religiosis, Confirmatur, quia de facto videmus ratione itinerum, equitationum, & huiusmodi superiores Religionum, quæ reformatissimę habentur, cõcedere ipsis particularibus Religiosis pecunias expendendas pro hospitatione, equitationibus, & similibus. Immò Minores Obseruantes, & Capucini in casu necessitatis possunt quęrere pecunias ab amicis deuotis iuxta Glossã in §. porro, in cõstitutione, *Exiui de paradiso*, de verb. signific. Super verbum illud, *Vel similibus*, vt suprà explicauimus.

Allata assertio probatur.

132 Verùm adhuc occurrit dubium, quia Clemens VIII. in suis decretis reformatorijs ordinat, vt bona Religiosi cuiuscũque incorporentur Monasterio, & confundantur,

1. Dubitatio.

Hic mod' videtur re-

pugnare Clementis VIII.

dantur, & illorum administratio per solos officiales prædictos exerceatur: illud idem intendunt alij Pontifices, dum tanto zelo præcipiunt fratribus & superioribus, vt vi tam communem obseruent. Præceptum autem modificatum hoc verbo, *præcipio, iubeo*, obligat sub pena peccati mortalis, & Concilium Tridentinum cap. 1. sess. 25. idem statuit, dum *præcipit, vt omnes Regulares tam viri, quam mulieres, ad Regulæ quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius regulæ, & ordinis peculiaria vota, et præcepta ad eorum respectiuè essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda, spectantia, fideliter obseruent.* Præterea Religiosus habens facultatem à superiore eleemosinis, & industria parandi sibi necessaria, non videtur excludere proprietatem omninò, quia semper habet spem, & affectum in illo peculio. Præterea ponere etiam illas pecunias in ærario publico, & eas manifestare superiori si tamē præcisè manifestentur, hac cōditione, vt pro necessitatibus illius particularis solius impendantur, non videtur excludere affectum & spē ab illis & sic non videtur excludere omninò proprietatē, neque obseruantia depositi est totaliter conformis perfectæ communitati.

2. Dubitatio. Modus assignat° nō videtur tollere proprietatem. Depositū commune nō videtur tollere proprietatem.

Ad primā.

133 Ad primam respondetur obiectiones istas nō infirmare determinationem superius factam, propter fundamenta ibi addicta. Ideò ad has obiectiones respōdeo, ex eis non sequi Religiosos habentes pecunias, & peculiū modo prædictū ad necessarios & honestos vsus, de licētia superiorum esse in statu peccato mortalis: quia ijdē auctores, qui hæc argumenta faciunt, dissertè tenent fratres, & Regulares in ijs Conuentibus, in quibus vita communis non seruatur, posse retinere prouisiones, & subuentiones pro eis peculiariter factas, & non oīa in communi conferre, sed viuere de peculio particulari, de licentia superioris, iusta de causa. At si præcepta Clementis VIII. & aliorum Summorum Pontificum essent talis cōditionis, quòd intenderent obligare, & illa statuere sub pœna peccati mortalis, proculdubio retinētes illa pecūia essent in statu peccati mortalis. Respondeo ergo quòd incorporatio & resignatio bonorum, & confusio eorundem cadit sub præcepto, quò ad realem resignationem & traditionem eorundem bonorum superiori, & subiectionem eorundem liberæ voluntati superioris. Quantùm verò, ad distributionem eorundem bonorum per publicos officiales tātùm, & exactam, & perfectam communitatem, cadit sub exhortatione, & vehementi animi desiderio, non quod intendant obligare, sub pœna peccati. Quod quantùm ad primam partem, redditur clarum, quia neque Clemens VIII. neque alij, Pontifices, vnquam damnarunt depositum, in quo fratres, & Religiosi, ac moniales, soleot tenere pecunias ab eis acquisitas, pro eorum vsibus solùm, vel saltem primò pro eis seruatas, sub pœna peccati mortalis: immò approbauit, quod patet p constitutiones Sacræ Regularium congregationis pro Monialium Neapoli, & Salerni reformatione æditas; præsertim per constitutionē 45. & 46. Et per declarationem prædictarum duarum constitutionum Clementis VIII. Et communiter ipsi Pōtifices, viuę vocis oraculo, Generalibus nostri Ordinis Ministris declarauerunt, vt Paulus Quintus, vt ipsi sæpiùs testati sunt, eorum mentes esse, vt depositi, & ærarij obseruantia sit dispositio præuia ad perfectę communitatis introductionem.

Minorica Fratrum Min. Conuentualium lib. 1. n. 76.

Respōsio.

1. Pars responsionis probatur.

Ex quarāta Verbo Monasterium Monialiū.

Minorica Conuētualium n. 73.

Ad secūdā rationem.

134 Quòd autem dicitur in secunda obiectione, quòd Religiosus videtur habere spem in illo peculio &c. respōdetur, proculdubio Religiosum habere spem in illo peculio, quia de iure naturę est, habere spem in aliquo, qui nos subleuet in nostris necessitatibus. Vndè obseruantes paupertatem in communi, habent spem in eleemosinis, & charitate benefactorū, vt patet ex cap. *exijt* Religiosi qui habent in commoni, & viuunt perfecta vita commoni, habent spem in superioribus, qui de communi eis prouident. Qui ergo non possunt habere spem in communi prouisione superiorum, quia nulla adest, necessarium est vt habeant spem in illis pecunijs, quæ eleemosinis particularibus, vel industria sibi conceduntur, cum benedictione superioris. Vndè cum intendunt solùm illis vti velle ad honestos, & necessarios vsus, & cum benedictione superioris, illa spes non est mala, neque facit eos proprietarios.

135 Quod dicitur in tertia ratione, de deposito, quod non est totaliter conformis perfectæ Communitati, conceditur, quia vt nunc infrà dicam, Summi Pontifices summam perfectionem, quam Religiosi profitentur, in illis desiderant. Non tamen sequitur, quòd qui illud obseruāt, sint in peccato mortali, quia depositum ad hoc inuentum est, vt auferatur à regularibus vsusfructus, & administratio bonorū, quæ habentur, & incorporentur Monasterio, sed quantùm ad vsum facti simplicē remaneant designata ad subleuandum eorum necessitates, & hac ratione pecuniæ ibi seruata, non confunduntur.

Ad tertiā.

136 Hanc eandem sententiam tenet, & probat Rodriquez tomo primo q. 26. art. 1. vbi facta distinctione omnium regularium obseruationū in Concilio Tridenti no inclusarum, ponit tertio loco obseruantiam vitæ communis, quam dicit ad nullam culpam obligare, intelligit autem modo explicato, & explicando puncto sequenti.

Secunda pars quoque est eadem. Nā mens sacri Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum proculdubio est, vt regulares ad perfectionem exactam, quam profitetur, tendant: ac illam obseruent. Et ideò in hoc semper inuigilāt, & nihil gratiùs ipsi Apostolicę accidere potest, quàm filiorum primogenitorum eius, qui sunt Religiosi, vita perfecta, & immaculata, ab omni non solùm vitio, & peccato aliena, sed etiam omni sanctitate, & virtute fulgens. Et regulares qui eam exactè non seruant, vt viuētes ex proprio peculio, sicut dictum est, tenentur eā affectare, & procurare, quantùm in se est, & qui et repugnant, & eam impediunt, sunt in statu peccati mortalis. Nam secūdùm D. Thomam 2. 2. q. 184. a. 3. ad secundum, & Scotū in 3. d. 38. q. 1. §. *secundo videndum est*, Caietanum vbi suprà, Nauarrum Com. 1. de regularibus nu. 10. & omnes. Religiosus dicitur perfectus, non quia habeat perfectionem Charitatis, sed quia professio eius est, tēdere ad perfectionem, & secundùm Scotum, licèt Religiosus non sit persona perfecta in statu perfectionis exercendæ, vt Prælatus, tamen est persona in statu perfectionis acquirendę. Vndè cum profiteatur acquirere perfectionē, debet semper habere voluntatem vlterius proficiscendi ad perfectionem, si non actualem, saltem habitualem. Quò fit, vt Religiosus qui deponit hanc voluntatem, & non vult tendere ad perfectionem sit in peccato mortali: quia est mēdax facto, vt ibi latè explicatur à Caietano & alijs, & hoc modo, intelligit Nauarrus Com. 3. *de Regularibus* num. 32. & Silvester Verbo *Religio* 6. num. 7.

2. Pars responsionis probatur. Cōcilium & Summi Pontifices hortantē, & optant seruari vitam communē exactam.

Cur Religiosus dicitur esse in statu perfectionis.

137 Neque vlla excusatio valet ad retrahendū aliquē ab hac voluntate, quia est in hic status non est damnatus, vt visū est, in non est ita perfectus, vt esse potest; nemo autē debet determinare non semper proficere in statu perfectionis secus de illis Religiosis, qui volunt peculium habere ad libitum, vt ad quotcunque vsus illud possint adhibere: isti sint in malo statu, et si non mutent propositum, & intendant etiam ipsi vti peculio tantùm ad honestos & necessarios vsus, & de licentia superioris, manent in statu damnationis. Nec valet excusatio, quòd in professione hunc modum viuendi non intendebant, quia vt ait Nauarrus in Manuali c. 12. n. 50. in professione vouemus nō seruare abusus, sed substātialia præcepta Religionis: tenetur ergo ad velle habere peculium, modo licito, vt dictū est: & rursus ad desiderium; seu ad non repugnantiam viuendi in vita communi perfectissima: & hoc est, quod Concilium Tridentinum, & Summi Pontifices præcipiunt, quòd etiam tradit Nauarrus Com. 3. nu. 34. & sequentibus.

Nulla excusatio valet non tendēdi ad perfectionem

138 Sed aliquis dicet vndè prouenit qd in certis Religionibus non seruatur, nec videtur posse introduci exacta vita communis? Respõdebo, & cum lacrymis veritatem, quantum sentio, dicam. Equidem hoc prouenit ex nonnullis Religiosis priuatis, & subditis qui parùm Deum timentes, & suæ professionis immemores volunt pecunijs pro voluntate vti, & modo sęculari potiùs quàm Religioso pauperi conuenienti. Quod incommodum (vt verum fatear) maiori ex parte prouenit in subditos ex imperfectione, & culpa maiorum superiorum Religionum. Si enim vt ait Nauarrus comm. 3. de regularibus num. 10.
Verba Nauarri. *Prælati hac nostra ætate tam parci, tam abstinentes, tam studiosi pietatis, & litterarũ essent, ac Diuus Augustinus, & cæteri fundatores Religionum; si etiam Religiosi essent, vt Possidonius, & alij Canonici D. August. tunc temporis, obedientes tam ieiuniorum, & parsimoniæ amantes, tam pietatis, litterarumque studiosi, tam parùm temporalium cupidi vt illi, nulla certè diuisione, & peculio particulari opus esset; oẽs enim quæreremus magis quæ Dei sunt, quã nostra.* Profectù erogare omnia in communi exactè, & confundere, nec aliquid sibi reseruare, sed totaliter se committere superiorum discretioni, est actus summæ perfectionis; at sicut hic actus est summæ perfectionis in subdito, ita requirit in superiore summam, & exactam charitatem absque vlla partialitate, requirit summã parsimoniam, abstinentiam, studium pietatis, & litteratũ. *Verùm cum multi* (vt ibidem inquit Nauarrus) *ætatis nostræ Prælati suam auctoritatem, suũque decus in magna, & lauta familia, in opipera mensa, in veste multa, in equis, & mulis ponere cœperint;* Vel si ex aduerso hæc despiciãt extrinsecè, & sanctitatem prætendant: tamen cum hanc solùm extrinsecùs affectent, sermonibus publicis, ordinibus, & factis quibusdam externis ad comparandum sibi (arte noua) existimationem, & bonam famam apud Curiam Romanam, & Summos Pontifices, & Principes, quos sciunt hanc reformationem exoptare, vt sic se in officijs supremis conseruent, vel ad maiora extra Religionẽ euehantur, re vera tamen charitate spoliati sint; non nisi pecuniæ inhient, redditus Religionis eorum solis sumptibus, & taxis pro capitulis Generalibus, Prouincialibus, Congregationibus, eorum indigentijs, & expensis exorbitantibus consument, bonorum stabilium nullam curam habeant, præficiant bonis conuentuum homines, vel auarissimos, & immisericordes, qui solùm desiderijs maiorũ superiorum incumbant, administrationis ratio non nisi præpostere omninò reddatur, nullus eorum pro latrocinijs puniatur, quod præbet ansam maiorẽ suspicãdi superiores maiores scire quo impẽdantur bona conuentuũ, & dissimulare: si aliquis Religiosus in monasterijs dessignatis ad vitam communem exactam, eleemosinas cõsignet superiori, & confundat cum bonis publicis monasterij, cũ occurrit necessitas, vel calceorum, vel vestium nunquam inueniatur oportunitas Religioso illi subueniendi, nisi Superiori sit admodum addictus: è conuerso, si alter vel sit discipulus, vel amicus, licèt nullam pecuniam erogauerit in publicum, ad nutum, & vltrò vestes externæ, & internę etiam non necessariæ subministrentur. De victu publico, seu platantia nulla habeatur ratio, sed priuatim certis locis superior, & ministri opiparam habeant mensam, & postea in publico refectionis loco ieiunetur, & aliquando in pane, & aqua, soli lectioni spirituali attendatur. Litteratis vt mulis, & equis vtantur, idest solùm ad labores, ad dignitates autem, & regimina dicant esse ineptos, vel non amantes vitæ communis; At hæc, & similia sunt, quę Religiosos timoratos Dei, & cupientes sinceram vitam cõmunem obseruare, deterrent ab illa, & ob quæ tenuũt eleemosinas, & pecunias proprio labore partas, exponere apud ministros publicos absoluté, & penitus confundere, sed requirunt rationem ærarij, & præcipuè cum hoc tempore illi soli sæpè præfici soleant, qui nullius frugis sunt, atque ea de causa se simulent vitæ communis amatores, vt laboribus aliorum crumenas sibi faciant, & impleant.

Vidimus enim sæpissimè sub prætextu reformationis, & introductionis vitæ communis exactę, quosdam superiores spacio breui, nimirum vnius, vel duorum annorum bona Monasteriorum opulentiorum communia, & particularium in commune resignata adeo distraxisse, rapuisse, & dilapidasse, vt coacti fuerint ijdem particulares Religiosi, qui omne suum peculium omninò confunderant cum bonis publicis Monasterij, pro ipso conuentu in communi, & pro seipsis particularibus nouo labore prouidere, nedum quò ad victum, & vestitum necessarium, sed pro soluendis debitis, quibus insuper oneratum Monasterium reliquerunt illi, qui reformationem introducere se velle dicebant.

139 Denique qui multum vitam communem exactã amant, & totis visceribus prosequuntur optimè cognoscentes quomodo hæc sese habeant, Religiosis, qui nondum hanc vitam communem exactam amplexi sunt, cõsulere apertè non dubitarunt, si superior immediatus fuerit discipator, seu dilapidator rerum Monasterij, vel infidelis administrator, posse eo casu (dum tamen probabiliter dubitent de eius dissipatione, vel infidelitate) ad tempus cęlare Prælato res superfluas, & postea habita oportunitate alterius superioris Prælati in communes vsus, de eius tamen licentia conferre, vel saltem per aliquod tempus expectare quousque præsens, aut imminens transiret periculum. Atque idem etiam posse fieri, quando prælatus superior negare, vel subtrahere vellet ab eo necessaria, quæ sunt præcisè ad indiuiduũ sustentationem, nimirum licere abscondere, quæ habet, vel priuatim posse ea quærere, aut furtim subripere à Monasterio, etiam inconsulto Prælato. Quid ergo mirum si Religiosi passim hanc dilapidationem, & paruam charitatem cernentes, hanc cõmunitatem non amplectantur, & curent per rationem assignationis suarum eleemosinatũ in deposito pro proprijs necessitatibus, & honestis ab hac superiorum fraude se tueri, & sibi consulere?

Ad verè ergo, & realiter introducendam vitam communem exactam in Monasterijs nullum puto efficacius medium, quàm Summos Pontifices inuigilare circa regimen generalium ordinum, eorum administrationem, & simul inferiorum, & particularium Monasteriorum expensas, redditus, & administrationes; nullum enim peius malum est, quàm superiorum auaritia, & ambitus, vt extra Religionem dignitates, vel in Religionis officijs perpetuitatem, vel diuturnitatem, quantum possunt, consequantur. Scio tamen hoc esse difficile, & superioribus nõ deesse modos praua sua facta occultandi. Quare restat solùm rogare Deum, qui dignetur superiores bonos, & verè zelatores boni cõmunis Religionibus præbere, qui curent bona Monasterij communia cum charitate, & fidelitate singulis sine personarum acceptatione communicare. Cum enim Religiosi particulares videbunt bona communia rectè distribui, & licèt pauca, tamen ex illis vnumquemque eam partem accipere, quam paupertas Monasterij erogare potest, certus sum, quòd plurimi, particulares libenter suum peculium omninò confundent cũ bonis publicis Monasterij, immò enixè rogabunt. Verũ cum videant ministros, qui nullius frugis sunt, dilapidare bona Monasterij communia, quòd ipsi etiam bona sua particularia illis erogent, vt hoc pacto commodiùs suis desiderijs, & rapacitati indulgeant, est res nimis dura, nec rectæ rationi consona.

An, & quomodo Clericus donare possit, quod est tertium exemplum Scoti quà ad tertiam conditionem requisitam ad donationem. Cap. VI.

140 EXplicans Scotus tertiam conditionem donationis, quæ est vt donans, & ille cui donatur sint liberi, docet, quòd nulla lege prohibeantur, ille donare, & ille accipere; neque prohibeantur donare, vel accipere per actum alterius à quo dependeant, quod dixit pro-

pter

pter votum obedientiæ, propter quod etiam Monachus, & quicunque subditus alteri non potest in ijs, in quibus est illi subiectus aliquid efficere contra voluntatem illius; addixit exemplum quoque de Clerico, & dixit propter defectum huius tertiæ conditionis non posse Clericum donare in aliquo casu sine voluntate, vel saltem contra voluntatem Papæ, quod probat ex cap. *Romana*. extrau. de censibus. Ad cuius capituli obseruationem Gregorius X. posuit pœnam in cap. *exijt*, quod capitulum est hodie in .6. lib. Decretalium: quæ pœna est quòd si visitantes à visitatis aliqua munuscula acceperint, teneantur restituere duplum, vel non absoluantur à maledictione, quam ipso facto incurrunt, vt dicit Innocentius IV. in nouis constitutionibus in 6. Ratio est quia Episcopi, & Archiepiscopi efficere tenētur gratis, quæ ad eorum munus spectant; ea enim de causa fructus suorum Episcopatuum, & Archiepiscopatuum accipiunt; tamen vt ad Ecclesias consecrandas, & visitandas magis alliciantur, iure statutum est, vt in his duobus euentibus accipiant expensas ab Ecclesijs illis quas cōsecrant, vel visitāt, quę expensæ apellātur procurationes, vt habetur ex c. *cum sic*, de simonia, & ex Pan. ibidem, in cap. ergo *Romana* statuitur, vt has procurationes non recipiant in pecunia, sed in victu moderato, & honesto, neque ipsi, vel aliquis suorum accipiant munera occasione illa; Tamen cap. *Felicis* sequente conceditur, vt huiusmodi visitatores quicunque sint quibus incumbit munus visitandi, possint recipere procurationem in pecunia, dūmodo illis offerantur, & personaliter visitent. Obseruat tamen glossa illius tex. hodie prælatos habere varias dispensationes.

An Clerici sint domini bonorū Ecclesiasticorum.

141 Hic Scotus tangit celebrem, & difficilem quæstionem diu agitatam inter Theologos, & canonistas veteres, & recētiores; & est, An Clerici beneficiarij etiam prælati sint domini bonorum Ecclesiasticorum vel solùm administratores, ita quòd solùm ex illis liceat eis accipere id quod pro victu, & mensa eorum honesta conuenit, reliqua verò bona teneantur distribuere pauperibus, & in opera pia; & si in alios vsus insumant, vt in rebus profanis, vel ad ditandum consanguineos non egentes, non solùm peccent mortaliter, sed etiam teneantur ad restituendum. Pro breui explicatione huius grauissimæ difficultatis, quæ fusè à doctoribus tractatur, vt infrà videbimus, Notādum est nomine Clerici intelligi quemcunque in minoribus constitutum, modò habeat beneficium Ecclesiasticū, aut gaudeat priuilegio fori, post Concilium Tridentinum, sessione 23. c. 6. de reformatione.

Bona Clericorū sunt in quadruplici genere.

Bona primi generis.

142 Hoc constituto obseruandum est bona Clericorū esse in quadruplici genere, vt colligitur ex doctoribus infra citandis. Quædam dicuntur bona patrimonialia, & sunt omnia illa quæ obueniūt Clerico non ratione Ecclesiæ, vel Ministerij Ecclesiastici, sed aliunde, vt puta ex iure hæreditario, ex donatione, opificio, contracto, ac alia simili ratione, non secùs ac si esset laicus.

Bona secūdi generis.

143 Quædam alia dicuntur quasi patrimonialia bona, & sunt quæ quidem obueniunt Clericis ratione ministerij Ecclesiastici, non tamen tamquam fructus Ecclesiastici beneficij, qui ad eum spectant: (per beneficium intelligendo etiam præstimonia, & pensiones) huiusmodi sunt bona quæ acquirunt, pulsando organa, cantando, Iudicem Ecclesiasticum agendo, concionando, Missas celebrando, confessiones audiendo, capellanum agendo, à Sede Apostolica, à Cardinalibus, vel ab alijs Prælatis in subsidium expensarum donata.

Bona tertij generis.

144 Quędam alia sunt bona pertinentia ad Ecclesias, ad Hospitalia, aut alia pia loca; siue mobilia sint, siue immobilia; & siue fructus immobilium sint annexi beneficio, & perinde pertineant ad beneficiarium, vel beneficiatos, siue non, sed vel ad fabricam, vel ad infirmos curandos, vel ad aliquid aliud sint deputata. Horum bonorum administratio licèt pertineat ad Clericos, siue illi prælati sint, siue alij beneficiarij, aut Clerici; tamen ad quem spectet eorum dominiū, est magna quæstio inter doctores.

Bona quarti generis.

145 Denique sunt quædam alia bona Clericorū quæ ratione beneficiorum, quæ collata sunt ipsis Clericis, illis debentur, vt fructus, & redditus annui beneficiorum eorundem. Ad propositum de duobus primis generibus bonorum, nulli dubiū est Clericos esse dominos illorum, sicuti sunt laici suorum, & proinde posse de illis disponere ad libitum, vt post D. Thomam 2. 2. q. 185. art. 7. Nauarrus in Apologia de redditibus Ecclesiasticis Monitione 21. & 22. rectè attēdit, & Com. de redditibus Mon. 19.

De bonis verò tertij generis est magna difficultas, An Clerici habeant illorum dominium verum, & proprium, ita vt possint ad libitum de illis disponere, Nauarrus quidem bona tertij, & quarti generis confundit sed vt distinctiùs res agatur, est distinguendum, vt fecimus cum recentioribus. Nauarrus in Apologia q. 1. Monitione 24. & sequentibus, & Com. de redditus q. 2. Mon. 21. cum Maiore in 4. dist. 24. q. 16. tenet huiusmodi bona quo ad dominium esse solius Christi, non autem Ecclesię, cui sunt applicata; & ex hoc infert in opusculo *de spolijs Clericorum*. §. 3. num. 7. quòd Summus Pontifex huiusmodi bona non potest dare alicui laico, & si det eum peccare; & laicum teneri ad restitutionem eidem Ecclesiæ; & si bona vnius Ecclesiæ conferat alteri Ecclesiæ ait illam quidem Ecclesiam non teneri ad restitutionem priori Ecclesiæ: quia ex hoc bona illa nō auferuntur Christo, sed illi manent, cum adhuc sint concessa Ecclesiæ; tamen vult Papam tunc peccare.

An bona Ecclesiarū sint solius Chri an Ecclesiæ quò ad dominium.

Opinio Nauarri.

146 Ex aduerso Turrecremata libr. 2. de summa Ecclesiæ cap. 113. propositione 6. Caietanus 2. 2. q. 43. art. 8. Adrianus de restitutione q. quæ incipit. *Pro clariori intelligentia*, concl. 4. Molina de Iustitia Tractatu 2. disp. 142. tenent huiusmodi bona etiam quò ad dominium esse Ecclesiarum illarum particularium, quibus cōceduntur, idest communitatis Clericorum & prælatorum illius Ecclesiæ, & deinde totius Ecclesiæ vniuersalis, & maximè Summi Pontificis capitis vniuersalis Ecclesię, quatenus illæ Ecclesiæ particulares sunt partes Ecclesiæ vniuersalis, & omnes prælati illarum sunt subditi Summo Pontifici. Et proinde Prælatos, maximè verò Summum Pontificem posse illa bona dispensare, & alienare iusta tamen, & rationabili de causa. Et sic intelligi debere dicunt caput illud *non liceat Papæ* 12. q. 2. in quo Simachus Papa dicit non licere Papæ alienare prædium Ecclesiæ vt putà non suum, vt habet Nauarrus de spolijs Clericorum §. 2. Et ratio est quia potestas in Ecclesiam, & in omnia quæ ad illam spectant iure diuino resident in prælatis, & maximè in supremo capite totius Ecclesiæ, ideò de bonis Ecclesiæ, quæ pro tanto dicuntur esse bona Christi, quia à fidelibus collata sunt Christo, sed in suis fidelibus, & in Ecclesia Papa rationabili de causa potest disponere, & propter hoc dicitur administrator supremus bonorum Ecclesiasticorum, non dominus secundùm D. Thomam 2. 2. q. 100. art. 1. & Turrecrematam vbi supra. Addunt tamen non posse dispensari à Pontifice summo nisi ad honorem Dei, & vtilitatem animarum, quia ista bona ad hunc finem data sunt à fidelibus ipsis Ecclesijs, nimirum vt diuinus cultus in eis exerceatur, Sacramenta ministrentur, verbum vitæ doceatur, Ministri ad hæc necessarij decenter sustentētur premijsque dignis afficiantur, ac si quid supersit, pauperibus erogetur; differunt enim bona quæ alicui communitati tribuuntur, à quopiam ad determinatum finem, à bonis quæ illa communitas sibi acquirit, vel alio modo adipiscitur, quia de his ad libitum potest disponere etiam ea in mare proiciendo; non ita de primis. Addunt quòd nec Papa potest bona vnius Ecclesiæ in aliam transferre sine rationabili causa, quia faceret iniuriam illi priori Ecclesiæ; & ideò non solùm peccaret Papa, vt vult Nauarrus; sed illa Ecclesia teneretur ad restitutionem.

An Clerici sint domini reddituū

147 Tota difficultas ergo est de bonis 4. generis, & quæstio est, An Clerici sint domini horum fructuum, & redditum ità quod ad libitum possint de eis disponere

donando,

beneficiorum Ecclesiasticorū. donando, vendendo, & contractando alijs modis omnibus, quibus laici res suas contractant. An verò sint puri administratores, & dispensatores cum facultate sumendi de illis competentem sustentationem, & cum onere reliqua in operibus pijs insumendi; adeò quòd si in alios vsus quàm prædictos insumant non solùm peccent mortaliter, sed etiam teneantur ad restitutionem.

Prima sententia tenēs partem negatiuam. 148 In hac difficultate sunt duæ principales sententiæ. Prima asserit partem negatiuam atque adeò aperte, quòd asserit si Prælati, & Clerici de bonis Ecclesiæ vltra victum honestum, in alios vsus quàm in pauperes, & pios insumant, esse latrones, & nedum peccare mortaliter, sed etiam teneri ad restitutionem, tàm eos, quàm illos quibus illa bona dantur: hæc opinio censetur communior quia habet plures, & grauissimos sectatores, tàm Theologos, quàm Canonistas quos referunt Nauarrus in Apologia, & Tractatu de redditibus Ecclesiasticis q. 2. Monitione 7. qui enixè hanc sententiam tuetur contra Sarmentum. Azorius par. 2. lib. 7. cap. 8. Molina Tractatu 2. de Iustitia disp. 144. & sunt ex Theologis Alexander Alensis 3. part. q. 36. m. 5. art. 2. qui asserit huiusmodi teneri ad restitutionem, quia non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Riccardus in 4. dist. 45. art. 3. q. 1. Maior in 4. d. 24. q. 17. Paludanus eadem dist. q. 3. artic. vltimo. D. Antoninus 3. p. tit. 15. c. 1. §. 19. Gabriel in 4. dist. 15. q. 8. conc. 4. & S. Pelagius de Planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 28. Henricus quolib. 8. q. 27. & alij. Ex Canonistis verò Panormitanus in cap. *Cum secundum* de præbendis. Archidiaconus in caput *statutum* §. *assessorem* de rescriptis in 6. quem citat Zabarell. in caput vltimum de peculio Clericorum, qui asserit esse hæreticum in iure canonico oppositum asserere. Item Innocentius. Io. Andreas, Calderinus, Antonius Ancharanus, Dominicus Francus apud Marsilium Antonium, Felinus cap. *postulasti* de rescriptis, & cap. *Quarta* de præscriptione. Couarruuias cap. *cum in officijs* de testament. nu. 5. Summistæ & alij multi citati ab istis. Fundamenta huius opinionis sunt hæc.

Primū fundamentum. 149 Primò sunt auctoritates sacrorum canonum, & Sanctorum patrum præsertim Augustini, & Hieronymi qui asserunt pauperum esse quidquid Clerici vltra suam competentem sustentationem de his bonis accipiunt, & committere sacrilegium, iudicium que sibi per eorum abusionem manducare, & bibere vt habetur, cap. vlt. 16. & 12. q. 1. habetur Episcopos esse procuratores, & quasi patres pauperum dispensatores, & administratores bonorum Ecclesiasticorum.

2. Ratio. 150 Secundò bona Ecclesiarum sunt bona donata à fidelibus cum hoc onere, vt Clerici decenter ex eis alantur; & quod superest pauperibus, & operibus pijs erogetur; at qui dispensat bona donata aliter, quàm sub modo donato peccat contra iustitiam, & tenetur restituere: ergo beneficiarij, qui vltra suam decentem sustentationem bona reliqua insumunt in profanos vsus, tenentur ad restitutionem.

3. Ratio. 151 Tertia, Synodus Tridentina sessione 25. cap. 1. de reformatione *omninò* Episcopis, & Prælatis *interdicit ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresvè suos augere studeant: cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus, distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa:* atque hoc multum sancta Synodus ibi exagerat. Hoc autem non potest aliunde procedere, nisi quia re vera non sunt domini illorum bonorum, quia si essent domini, possent, vt laici, ea pro modo suo libero disponere, & dare consanguineis, sicut faciunt laici amicos, & familiares.

4. Ratio. 152 Quartò D. Bernardus, qui vltimis temporibus floruit Epistola secunda quæ est ad quendam Canonicum Lugdunensem ait. *de altario non licet comparare aurea frena, sellas depictas;* & infrà. *quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitũ de altario retinet, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et Epistola 42. ait. *Clamant nudi, clamant famelici, necessitatibus nostris detrahitur, quidquid vanitatibus vestris accedit.*

Secūda sententia. 153 Secunda sententia distinguit aliud esse loqui de bonis Ecclesiasticis prioribus tēporibus ante diuisionem bonorum Ecclesiæ, & aliud post diuisionem bonorum Ecclesiæ, quæ facta est primo tempore Simplicij Papæ qui sedit anno 471. vt habetur cap. *de redditibus* 12. q. 2. Nam ante diuisionem bonorū Ecclesiæ omnia erant cōmunia, & Clerici omnes viuebant in communi, & Episcopi soli erant administratores, & dispensatores illorum bonorum, & nullus Clericus in particulari habebat aliquod dominium illorum bonorum neque in totum, neque in partem. At post diuisionem secus esse dicendum videtur, quia redditus Ecclesiarum diuisi sunt in quatuor partes. Vna erat Pontificis; altera inter Clericos pro meritorum qualitate diuidebatur; tertia distribuebatur inter pauperes; Quarta Ecclesiarum fabricis applicabatur, vt habetur cap. *Vobis enim.* & septē cap. sequentibus 12. q. 2. procedentibus verò temporibus varijs statutis, & decretis, & consuetudinibus, pro temporum, & locorum varietate, bona Ecclesiæ distributa sunt Clericis eo modo, quo hodie distributa, & applicata conspiciuntur. Stante ergo hac diuisione respondent auctores secundæ sententiæ, in ijs Ecclesijs in quibus facta est hæc diuisio, & quarta pars est applicata beneficiario; beneficiarium esse dominum verè, & propriè illorum fructuum, & redditum sibi assignatorum, ideoque proinde teneri ad restitutionē? licèt peccent mortaliter insumendo in vsus profanos notabilem quantitatem illorum bonorum, quia peccant cōtra charitatem, non contra Iustitiam, sicut etiam laici. Si verò Episcopus vltra suam portionem aliquid sibi insumat, & retineat de ijs bonis, quæ sunt pauperibus, & in fabricis eroganda, peccat letaliter, & tenetur ad restitutionem. Quòd si bona non sint diuisa in illas quatuor partes, sed omnia permixta sint, eorum distributio committitur fidei Episcopi, & Prælati, & si in distributione deficiat ita quòd iustam partem non distribuat pauperibus, & fabricæ Ecclesiæ, & operibus bonis, & hic defectus sit modicus non peccat: quia non potest in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. Si verò multus sit excessus, non potest excusari: vnde peccat lethaliter, & est infidelis dispēsator, & tenetur ad restitutionem. Adeò quòd hæc opinio tenet, quòd facta distributione bonorum Ecclesiæ, & assignata parte sua beneficiario, illius dominium compatat; & si illam in prauos vsus dissipet, eum non teneri ad restitutionem sicut non tenetetur, si sic dilapidaret bona patrimonialia, & sicut non tenentur laici qui hoc modo bona sua malè impēdunt: peccaret tamen contra charitatem, sicut & malè dissipando bona patrimonialia, nec illa pauperibus indigentibus, & operibus pijs insumendo, sicut etiam hoc modo peccant laici.

154 Hæc est sententia D. Thomæ 2. 2. q. 185. art. 7. & quolibet 6. a. 12. quem postea sequuti sunt multi alij vt Soto 10. de Iustitia & iure q. 4. art. 3. & 4. Turrecremata cap. *si priuatum* 12. q. 1. & cap. *nulli* eadem causa q. 5. Alexandrinus Cardinalis d. 44. in Somma, Adrianus in 4. *de restitutione* q. quę incipit *pro clariori.* Syluester verbo *Restitutione* 3. q. 5. Tabiensis eodem verbo §. 19. Couarruuias de testamentis cap. *cum in off.* num. 3. & alij quos citat, & sequitur Sarmentus in libello contra Nauarrum de hac re, & Azorius 2. p. lib. 8. cap. 8. hanc eandem sententiam sequitur Molina Tractatu 2. de Iustitia dispu. 143. & 144. cum aliquali tamen differentia.

Responsio ad primam pro priori opinione, & probatio huius secūdæ opinionis. Respondent autem iura & rationes pro opposita sententia, quibus Episcopi dicuntur Administratores, Procuratores, & dispensatores, & patres pauperum, & bona Ecclesiarum esse patrimonia pauperum, intelligi pro tempore, quo non erat facta distribiutio in illas quatuor partes; & quando Clerici viuebant in communi. Facta aūt diuisione, Quartam, quę beneficiario concessa est, factam esse suam, atque eius dominium accepisse. Quod probant Soto vbi suprà multis rationibus, & Molina ibidē, præcipuè tum quia

tim, quia videntes Summi Pontifices, quòd multa mala ſequebantur ex illa vita communi, ſcilicet quia Epiſcopi plus ſibi ſumebant, quàm ſibi competeret, decreuerunt facere diuiſionem bonorum in illas quatuor partes; atque ſtatuerunt Clericos eſſe dominos illius quartæ partis, & non teneri, ad inſumendum aliquid vel alijs Clericis, vel pauperibus. Vnde Aug. vt habetur, cap. *certè ego ſum*. 12. q. 1. cum priùs ſtatuiſſet neminem ordinare, niſi qui in communi vita viuere vellet, votumque paupertatis emitteret, videns mala, quæ inde ſequebantur mutauit ſententiam, & dixit. *Certè ego ſum, qui ſtatueram, ſicut noſtis, nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere*, &c. *Ecce in conſpectu Dei, & veſtro, muto conſilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus, & Eccleſia ſua, maneant vbi volunt, & vbi poſſunt: non eis aufero clericatum: nolo habere Hippocritas*. & paucis interiectis ait. *Nolo, vt habeat neceſſitatem ſimulandi. Scio quomodo homines ament clericatum. Nemini eum tollo nolenti mecum communiter viuere*. Hęc D. Auguſtinus. Propter ergo hæc mala decreuerunt Summi Pontifices propriam quartam vnicuique aſſignare, aſſignando autem eam diſcretam à bonis diſtribuendis pauperibus, certè videntur liberaſſe Epiſcopos ab obligatione dandi aliquid ex ſua quarta eiſdem pauperibus, vel fabricæ: quia tunc nihil profuiſſet hęc diuiſio, neque vllum effectum habuiſſet.

2. Ratio. 155 Pręterea ſi non eſſent omninò domini illius quartæ etiam portionis, quę ſupereſt ſuo victui honeſto, ſed illam tenerentur pauperibus, vt domini veris dare, ſequeretur nűquam eſſe certum quantum in proprios vſus inſumere liceret Epiſcopis: quia certa regula de hac re non poteſt ſtatui. Nam aliquę ſunt Eccleſię populi numeroſiſſimi, quę tamen pauciſſimos redditus habent. Econtra aliq. ditiſſimę, & pauciſſimi populi. Si dicas ſtandum eſſe iuditio boni viri. Cõtrà inter bonos, & prudentes eſt opinionum varietas: cui ergo ſtandum iuditio erit.

3. Ratio. Tandem ſi Epiſcopus non eſſet dominus, ſi vellet parciùs viuere, & tertiam partem fructuum, verbi gratia ſibi deputatorum vellet ſaluare, illam non poterit donare: quia nõ eſt dominus per aduerſarios: ergo tenebitur quoque illam dare pauperibus, quod eſt abſurdum.

4. Ratio. Confirmatur: operarius eſt dignus mercede ſua; ex eo ergo quòd operarius acquirat dominium ſuper ſtipendium, & mercedem, quę ſibi pro labore datur, & Beneficiarius ſit operarius in Eccleſia Chriſti, ſequitur, quòd acquirat dominium ſuper mercedem, & ſtipendium, quod ſibi datur ab Eccleſia; ſtipendiű aűt eius ſunt redditus beneficiorum: ergo.

156 Ex hoc vlteriùs deducunt, quòd, & ſi quarta pars aſſignata Epiſcopis quandoque incrementum acceperit, non tamen ſequitur eos teneri illud ſuperfluű ad victum Epiſcopi erogare in pauperes ratione iuſtitię: quia totum illud augumentum creſcit in bonum dominorum, nimirum Epiſcoporum: quia res cum augetur, creſcit domino ſuo vnà cum emolumento ipſo.

Ad ſecundam rationem. 157 Ad ſecundam rationem dicunt falſum eſſe bona omnia data à fidelibus Eccleſię, data eſſe ſub illo onere; ſed dicunt data eſſe cum ſpe, vt eo modo diſpenſentur; licèt autem modus inducat obligationem iuſtitię, non tamen ſpes. Deinde primitię decimę, & alia plura dat Clericis pręcisè propter eorum victum, nõ vt paupe erogentur: ergo illud eſt ſuppoſitum falſum. Vel di quòd etſi data ſint cum illo onere, cum etiam ſint in ſuſtentationem Clericorum, potuit Summus Pon iuſtis de cauſis facere hanc diſtinctionem, & integ. portionem diſtinctam aſſignare Epiſcopo, & integr. pauperibus. Hoc enim eſt de iure poſitiuo, non diuino, vnde Papa potuit illud diſpenſare, & diſtinguere.

Ad tertiam rationem. 158 Ad tertiam dicunt Concilium Tridentinum non intendere beneficiarios non eſſe dominos ſuorum fructuum & redditum, ſiquidem varijs in locis dicit apertè ipſos beneficiarios acquirere dominiű fructuum ſuorum beneficiorum, nam ſeſſione 22. cap. 3. de reformatione habet hęc verba. *Illius diei diſtributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, ſed fabricæ Eccleſiæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio ordinarij, applicetur*. & ſeſſione 24. c. 12. de reformatione determinat, quòd prouiſi de beneficijs fidei profeſſionem emittant infrà duos menſes, alioquin *fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur*: ergo ſignificat Concilium beneficiario, comparari dominium. Ideò dicunt illud præceptum Concilij Tridentini obligare non ex iuſtitia, ſed ex charitate.

159 Ad quartam reſpondent dictum illud Bernard. eſſe intelligendum, vt illud D. Ambroſij in Lucam 12. ad illa verba. *Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit*. ait enim D. Bernardus. *Nemo dicat proprium, quod eſt commune, pluſquàm ſufficiat ſumptum violenter obtentum eſt*. D. Thomas ait illud eſſe referendum ad legem charitatis non iuſtitiæ. Lege enim charitatis vnuſquiſque nedum Eccleſiaſtici, ſed laici tenentur, quod ſupereſt, dare in elemoſinam; & hac ratione dicitur illud ſuperfluű nõ eſſe illius, cuius eſt, q. tenetur dare illud in elemoſinã. Ad quartam rationem.

160 Scotus quoque videtur eſſe huius opinionis, & cű D. Thoma ſentire: nam iſta q. 2. in exemplo allato de Clerico dicit, quòd Clericus beneficiatus (loquitur enim de Clerico beneficiato, vt ipſum exemplum præſefert) non poteſt in aliquo caſu donare ſine voluntate, vel ſaltẽ contra voluntatẽ Papæ. Et adducit exemplű ca. *Romana*. vbi Clericus prohibetur donare Viſitatori: ergo ſi in aliquo caſu propter prohibitionem Papę non poteſt Clericus donare, ſequitur quòd, vbi non eſt prohibitio Papæ ex ſententia Scoti, poſſit donare. Si autem Clericus beneficiatus poteſt donare, ſequitur, quòd ſit dominus redditum, & fructuum beneficij; quod non poteſt aliter intelligere, quàm modo explicato, ſcilicet quòd per diuiſionem factam fructuum redditus aſſignati Beneficiario ſint pro quarta ſua. Opinio Scoti eſt eadẽ, quę D. Thomæ.

161 Verùm Nauarrus Tractatu de redditibus replicat multa contra hanc opinionem, præſertim q. 1. Mon. 49. nam concedit quidem diuiſionem, & doctrinam datam à D. Thoma, ſed adhuc inſiſtit, quòd in hoc puncto principali, de quo eſt quæſtio, D. Thomas ſecum ſentiat; nimirum, quòd ex ea parte, quæ eſt aſſignata Epiſcopo pro ſua menſa, ſi ſit ſuperabundans teneatur Epiſcopus ad inſumendum pauperibus, & fabricæ Eccleſiæ; & ſi in alios vſus Epiſcopus inſumat, teneri ad reſtitutionẽ. Vult enim Nauarrus, quòd ſi Epiſcopus ex ea parte deputata ſibi ad menſam, aliquid ſeruet parciùs viuendo, poſſit illud ad libitum diſponere: quia illud propriè eſt ſibi conceſſum, vt ſuum, & de illa comparat dominium. Quod probat q. 1. Mon. 26. & hoc modo vult opinionẽ D. Thomæ intelligi. Et poſſet ſic ſaluari opinio Scoti: quia ſufficit ad hoc, quòd poſſit donare, quòd alicuius portionis ſit verè dominus; hoc modo autem eſt verè dominus partis illius, quæ ad honeſtum victum ſufficit: ideò ſi de iſta aliquid ſeruat, poterit illud donare. Replica Nauarri.

162 Quòd verò de ſuperfluo non poſſit probat prædic. q. 1. Mon. 49. illa ratione cõtra ſuum aduerſarium; bona Eccleſiaſtica differunt à bonis communitatum, & Ciuitatum liberarum, quia iſta ſunt libera neque ... i oneri addicta; at bona Eccleſiaſtica non ſunt libera, ſed dedicata ad honeſtum victum Miniſtrorum, ſuſtentationem pauperum, & fabricæ Eccleſiarum: ideò ab ijs, qui illa diuiſerunt non potuerunt ea ab hoc onere liberare, & ad alios vſus deputare. Et confirmat, quia qui fecerunt hanc diuiſionem, nimirum Prælati, & Summi Pontifices, non ſunt domini liberi iſtorum bonorum, ſed miniſtratores, & procuratores, & diſpenſatores illorum. Et rurſùs, vt ibidem ait ſequeretur D. Thomã ſenſiſſe, quòd nulla eſſet differentia inter iſta bona Eccleſiaſtica deputata menſæ Epiſcopali ſuperflua, & reduntantia, vt putà 50. millia ducatorum, & bona alicuius Principis ſæcularis, ſed ſicut ille Princeps poteſt ad libitum illa expende-

re, ditate suos, & lucrando, & luxuriosè viuendo impendere; sic etiam Episcopus: quia eodem modo est per aduersarios dominus. Præterea sacri canones, & Concilium Tridentinum factum post diuisionem bonorum illa sess. 25. cap. 1. nimis apertè loquitur in illis verbis. *Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiares ve suos augere studeant: cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, &c.* D. Bernardus etiam loquebatur, post factam diuisionem, & tamen in speciali habet illa verba. *Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Cum autem dicat esse sacrilegium, non videtur posse exponi, quòd intelligat de lege charitatis: quia qui ex charitate non dispensat bona superflua, nō est sacrilegus. At D. Bernardus inquit, retinere superfluum de altario, esse rapinam, esse sacrilegium.

Opinio Caietani.

163 Caietanus 2.2. quæst. 185. a. 7. difficultatem hanc cernens apertè asserit, quòd quando redditus Episcoporum sunt adeò pingues, vt iudicari possit superare honestum eius sumptum, iudicandum esse, habere admixtam portionem pauperum, & fabricæ Ecclesiæ: ideò debere illud superfluum ad honestā mensam, expendere in pauperum, & fabricæ Ecclesiæ vsus. Excepto casu, quòd redditus illi pingues essent, quia esset dominus alicuius ciuitatis ratione Episcopatus, vt multis in locis contingit: tunc enim, ait, Episcopus est nō solùm Episcopus, sed Princeps: ideò debet se gerere, vt Episcopus, & vt Princeps, & quæ impendenda sunt pro vsibus pauperum, impendere, & quæ pro decenti statu suo, & gubernatione ciuitatis pro se ipso seruare.

Opinio Azorij.

164 Azorius par. 2. lib. 7. cap. 8. dicit opinionem Nauarri sibi videri rigidiorem, quàm par sit, & cōtra ipsum facere, inquit, quòd etsi communior opinio Theologorum, & Canonistarum cum eo sentire videantur, non tamen expressè dicunt redditus beneficiorum, ad quosuis transire cum onere, vt quòd superest detur pauperibus; neque argumentis Nauarri conuinci, bona Ecclesiæ data esse cum hoc onere. Opinionem verò Soto, quæ est secunda, ait sibi videri laxiorem, & liberiorem, quàm par sit; & contra eam facit, quòd nullam differētiam facit inter beneficiarios, quibus ex redditibus beneficiorum multa supersunt, & inter laicos, qui opibus abundant: nam vtrique iuxta Soti sententiam, sola charitatis lege debent, quod superest, pauperibus erogare. Vndè ipse censet duo esse vera. Vnum contra Nauarrum, Beneficiarios non teneri lege iustitiæ ad dandum, quod superest, pauperibus, & ideò non teneri ad restitutionem. Alterum contra Sotū, Beneficiarios, etsi sola lege charitatis teneantur, quod superabundat, dare pauperibus, tamen in hoc differre à laicis diuitibus, quòd laici diuites in sola extrema, vel quasi extrema, aut graui necessitate teneantur subuenire pauperibus, illa autem dempta, possint retinere sua bona ad augendum suas opes, & statum. Beneficiarij verò teneātur, quod superest, in communes, & solitas necessitates pauperum, tametsi nulla extrema, vel quasi extrema, vel grauis necessitas adsit erogare.

Monitio Molinæ.

165 Molina disp. illa 144. postquàm multa de Ecclesijs Hispaniarū dixit, quomodo cōiectari possit in quibus Ecclesijs ex illis opulentissimis, quarta pars deputata Episcopo sit seiuncta ab alijs portionibus pauperum, & fabricæ Ecclesiarū, & in quibus sit permixta cū illis, & quæ eorū bona subijciantur illi oneri, quòd pauperibus, & fabricæ sint distribuēda, cōcludit se dixisse hæc, vt meliùs conijci possit, quanta sit obligatio cuiusque Prælati, aut alterius beneficiarij de iustitia, & vt nemo præceps sit in iniungēdo onere restitutionis, vel beneficiarijs ipsis, vel ijs, qui ab illis aliqua non piè data acceperunt, nisi sufficienter expēsis priùs circunstantijs, & coniecturis omnibus, quas necessarium est ad id expendere. Non verò, quòd Prælati, & Beneficiarij eligere non debeant partem tutiorem, lōgèque recedere à peccato lethale non solùm contra iustitiam, sed ēt contra charitatem. Additque præsertim cum tot tanquam graues auctores sint, qui arctiùs multò de hac re sentiant, ac loquantur, & cum difficile admodum sit quemquam tuto arbitrari, quousque, vel de iustitia, vel de charitate sub lethali culpa teneantur, vel non teneantur.

Conclusio auctoris.

Quæ certa sint in hac quæstione.

166 In hac difficili disputatione cōcludere possumus, esse aliqua certa, aliqua dubia, & quæ sunt dubia alia minus, alia magis. Certum est bonorum Ecclesiasticorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium ipsos beneficiarios omnes, si quæ habent, esse veros dominos, vt laicos suorum: neque enim deterioris conditionis fiunt ex eo, quòd sunt Religiosi, & Clerici, tamen ratione status, quem profitentur, qui est perfectionis, videntur magis teneri ad insumendum illa quoque in opera pia, & in eleemosinas. Certum est etiam bonorum Ecclesiasticorum, quò ad partem illam, quæ ad mensam eorum honestam deputata est, & distincta est à portione debita fabricæ, & pauperibus, esse veros dominos. Et si illius aliquid seruent parciùs viuendo, possunt illud ad libitum dispensare, neque tenentur ad restitutionem si in alios vsus insumant, quàm pios. Hoc videtur certum, quia auctores vtriusque opinionis hoc admittunt. De secunda opinione non est dubium, cum dicat nedum illius partis adequatæ ad victum honestum, sed totius partis sibi deputatæ, etiā quò ad superfluum esse dominos; Nauarrus verò, qui id negat etiam de superfluo, concedit hoc de parte ista adequata, vt vidimus, & hoc ad minimum in sententia D. Thomæ, & Scoti est verissimum. Certum est etiam secundùm omnes vtriusque sentētiæ auctores, & quoscunque, qui aliquo modo ab his discrepant, Episcopos, & beneficiarios peccare grauiter contra charitatem, & contra sacros canones, qui, quod honestæ suæ mensæ superest, insumunt in vsus profanos, & aliter, quàm in pauperum sustentationem, fabricæ Ecclesiarum, & alia pia opera.

Quæ dubia sint in hac q̄stione.

167 Dubiæ verò quæstionis est, An teneantur ad restitutionem ipsi Prælati redditum insumendo eos in malos vsus, & ij, quibus, vel donantur, vel quoquo modo dātur. Prima opinio videtur probabilior, quia est communior, & ius canonicum, & dicta sanctorum magis illi fauent; tamen non est omninò certa, quia fundamenta illius non omninò cogunt.

Ad primū fundamentum Nauarri.

168 Primum enim fundamentum Nauarri, quòd bona Ecclesiastica collata sint Ecclesijs cum hoc onere, vt precisè ministri ex illis habeant honestum victum, & reliquum in pauperum, & fabricæ vsum distribuatur, nō est certum, quia vt ait Soto, decimæ, primitiæ, & huiusmodi multa bona Ecclesiastica sunt data Ecclesiæ ministris præcisè propter ipsos ministros alendos, & non ad alium vsum; saltem non est certum illa data esse simul cum honere, vt habita à ministris honesta mensa præcisè, de superfluo non sint omninò domini, licèt data sint cum spe, vt ad pia opera sint illa īpensuri. Præterea constat multos Reges donasse multos redditus aliquibus Episcopatibus, & vt vedere est, sine tali onere, sed vt Prelati illi decētiùs, & magnificentiùs viuant, vt Molina asserit de Episcopatibus Hispanis. Vndè cum bona ista Ecclesiastica non sint collata cum hoc onere, non sequitur, quòd in diuisione facta à Pontificibus transiuerint ad beneficiarios cum isto onere. Deinde cum facta sit ista diuisio, & beneficiarijs sua portio, pauperibus, & fabricæ sua portio sit assignata ad tollendum abusus, & ne Episcopi plus æquo sibi sumant, videtur facta esse prudenter, & iustè, ita quòd iudicio sic distribuentium iusta pars collata sit Episcopo, & beneficiario, ita quòd illius omninò adequata pars sit; alioquin fuisset diuisio iniusta. Ideò dato casu, quòd omnia bona Ecclesiastica illi oneri sint subiecta, tamen facta distributione, & diuisione illorum vnaqueque portio liberatur ab onere, vt alij parti sit debita. Vndè sicut portio pauperum non est subiecta oneri alendi Episcopum, ita nec portio Episcopi est subiecta oneri alendi pauperes.

Ad

Ad secundum.

169 Ad aliud posset dici augumentum reddituum Episcoporum in aliquibus locis factum esse propter bona Regum, & Principum ad hoc onus non obligantium; vel quia iam illa portio erat iustè applicata beneficiario, & illius dominium acceperat. Vndè augumentum cessit in eius vtilitatem, licèt vt dictum est, hæc sit differentia inter Principem laicum, & Ecclesiasticum, quòd laicus non profitetur statum perfectionis, quem Prælatus Ecclesiasticus: ideò non ita tenetur laicus, sicut Ecclesiasticus, insumere quod superest mensæ honestæ, in opera pia; hoc tamen non arguit ad hoc teneri sub debito iustitiæ, & sub pœna obligationis ad restitutionem; & hæc differentia sufficere posse videtur.

Ad tertiū.

170 Ad aliud ex Concilio Tridentino, & ex D. Bernardo, quòd certè vrget, videtur posse dici, vt D. Thomas ad auctoritatem D. Ambrosij respondit, vt suprà vidimus. Vel possumus dicere, quòd etsi eo loco Cōcilium dicat, illa bona secundùm canones Apostolorum esse Dei, tamen alijs locis suprà citatis dicit beneficiarios esse dominos illorum bonorum, & proinde videtur Concilium facere illam prohibitionem: quia etsi bona illa deputata ad mensam beneficiariorum sint sua, quia iam ab Ecclesiæ Prælatis sibi sunt assignata; tamen sumpta sunt ex massa bonorum Ecclesiæ communium, quæ sunt Dei, & pauperum, ideò cum eis aliquid superfluum est, non est decens, vt in vsus profanos expendatur, & contra scopum spem & finem ob quem donata sunt à Christi fidelibus ipsi Deo, & Ecclesiæ eius sponsæ; & ab Ecclesia data sunt ipsis beneficiarijs; non tamen propter hoc intelligit eos obligari ad restitutionem. Nam si Concilium hoc intendisset, cum quæstio ista sit adeò exagitata à Canonistis, & Theologis, aliquod verbum adduxisset declarans eos teneri ad restitutionem.

DISPVTATIO XLVI.

De translatione liberali rerum quò ad vsum, siue de commodato.

Quid sit commodatum, & eius conditiones essentiales, & accidentales. Caput Vnicum.

1 Dicebat Scotus suprà in hac q. 2. in principio secundi articuli translationem rerum posse esse, vel quantùm ad dominium, vel quantùm ad vsum. Et quantùm ad dominium fieri posse, vel auctoritate publica, vt per vsucapionem, & præscriptionem, vel per auctoritatem priuatam. Et hanc vel esse per actum merè liberalem, & hanc esse donationem; vel per actum secundùm quid liberalem, quando, scilicet transferens expectat aliquid sibi reddi. Et huiusmodi erunt contractus, in quibus infrà videbimus transferri dominium, sed fit aliqua retributio, vt venditio, &c. Egimus hucusque de translatione rerum, quò ad dominium auctoritate publica, dum egimus de vsucapione, & præscriptione. Egimus etiam de translatione rerum, quò ad dominium auctoritate priuata, sed liberaliter facta absquè expectatione alicuius retributionis, dum egimus de donatione. Antequàm agamus de translatione rerum, quò ad dominium non omninò liberali, sed quæ expectat retributionem aliquam, quæ translatio complectitur omnes alios contractus, in quibus transfertur dominium, Scotus agit de translatione liberali rerum quò ad vsum, quæ est accommodatio: quia correspondet donationi, quæ est translatio rei quò ad dominium, liberalis; & hoc facit Scotus breuiter: quia (inquit) habet similes leges ac donatio, ad hoc quòd sit iusta. Donatio autem, vt vidimus tres conditiones requirit ad hoc vt sit iusta. Prima est, quòd donans sit dominus rei, & habeat liberam voluntatem nulli subiectam. Secunda, quòd donatarius velit accipere dominiū rei donatę. Tertia, quòd nulla lege vterque prohibeatur ille donare, & iste accipere, & nullius voluntati sint subiecti. Ita in accommodatione iusta requiruntur tres conditiones. Prima est, quòd accomodans habeat liberam voluntatem. Secunda, quòd recipiens rem accommodatam velit recipere rem accommodatam ad vsum. Tertia, quòd non sit aliqua voluntas legis, vel principis obsistens illi accommodationi. Hæc sunt, quæ habet Scotus breuiter de accommodatione, ex quibus tota natura accommodationis patet, & casus, & difficultates circa illam incidentes possunt dissolui.

Eædē conditiones requirunt ad accommodatum, quę ad donationem.

Diffinitio commodati.

2 Primò, quę sit definitio cōmodati, habet. Quia enim dictum est, quòd commodatio est liberalis translatio rei quò ad vsum, rectè definitur hoc modo. *Commodatum est concessio gratuita alicuius rei, solùm quò ad vsum.* quæ est definitio assignata in Inst. quibus modis re contrahitur oblig. §. *item habetur*, quam etiam affert Molina de iustitia Tract. 2. disp. 294. Vel cum Azone, Gofredo, & Glossa in titulo de commodato, & alijs doctoribus sic. *Commodatum est id, quod alteri datur gratis ad certum aliquē vsum.* quæ diffinitio conuenit in re cum priori, excepta vltima particula.

3 In diffinitione priori sunt duæ particulæ. Prima est *concessio gratuita*. quę ponitur ad denotandum, quòd commodatio est translatio rei ad alium liberalis, & sine expectatione alicuius retributionis: & per hoc differt à locatione; si enim concederetur alicui ad vsum propter pecuniam, esset locatio; etsi propter aliquam aliam rem esset contractus innominatus, qui sunt contractus nō omninò liberales, vt videbimus. Secunda particula est solùm quò ad vsum, quæ ponitur ad significandum, quòd in cōmodatione non trāsfertur dominium rei, sed solùm vsus rei; dominium verò rei remanet apud commodantem.

Quid sit p̄carium.

4 In secunda diffinitione ponitur ab illis doctoribus illa particula *ad vsum certum*. ad distinguendum commodatum à Precario. Pręcarium enim est illud, quod alteri gratis conceditur ad vsum indeterminatum, scilicet ad vsum, quem voluerit ille, qui rem accipit; commodatum verò est, quod conceditur alicui ad vsum certum, vt equus ad tres dies, & similia, & hoc intelligitur siue expressè explicetur, vt in exemplo dato; siue tacitè intelligatur, vt si accommodo tibi equum ad eundum Patauio Vincentiam, & ad redeundum, censetur enim in hoc casu commodasse equum ad tantum tempus, quantum requiritur ad eundum, & redeundum.

5 Ex prima conditione assignata à Scoto, quæ est, quòd in accommodante requiritur libera voluntas, elicitur quis possit commodare; & esse illum solùm, qui habet ius liberum vtendi illa re, siue sit sua, siue aliena, vt optimè obseruauit Molina disp. illa 294. nu. 2. qui enim non habet ius liberum vtendi aliqua re, non potest transferre ius vtendi illa in alium: quia nemo dat, quod non habet. Vndè non est probandum, quod ait Azorius p. 3. lib. 7. c. 3. de commodato, quòd fur, filius familias, seruus possessor malæ fidei possunt commodare: Nam cum non habeant ius vtendi, re non possunt illam commodare: nisi enim quis ius in vsum rei aliquo modo sibi compararet, vt quia illam conduxit, vel alia ratione, nō potest eam commodare. Accedit quòd vt ait Syluester verbo *commodatum*, num. 2. illi omnes possunt commodare, qui possunt contrahere: at nec filiusfamilias, nec seruus, nec fur possunt contrahere, cum nihil habeant, quod suū sit. Non ergo possunt etiam commodare, cum commodare sit quidam contractus. Denique, vt inquit Scotus, commodatum habet leges similes donationi; at qui est dominus rei, & non est liber, non potest eam donare: ergo qui non habet ius in re, non potest eam iustè commodare. Iura autem, quę adducit pro se Azorius, id non probant, vt innuit Molina loco citato disp. 294. num. 2.

Quæ sint de substantia commodati.

6 Ex dictis, & ex conditionibus assignatis à Scoto, quę ab omnibus sunt concessæ, patet quæ sint de substantia commodati, & quæ sint accidentalia. De substantia sunt.

Primò,

Primò, vt commodans tradat rem vtendam commodatario. Secundò, vt commodatarius consentiat illam rem ad vsum acceptare; sine enim consensu illo, qui est secunda conditio, non erit contractus. Tertiò, vt rei commodatæ dominium maneat pœnes commodantem. Quartò, quòd gratis fiat ista accommodatio, nulla expectata retributione. Quintò, quòd res eadē in specie secundū Canonistas; secundùm Philosophos eadem numero restituatur (quod enim Legistę dicunt idem specie, Philosophi dicunt idem numero) Sextò quòd commodatum ad aliquem specialem vsum determinatum, & ad determinatum tempus detur expresse vel tacitè.

7 Accidentalia verò commodati sunt, vt si verbi gratia res, quæ commodatur æstimetur, vt si perierit tantundem reddatur, quantum valebat. Item cum, qui commodatum accipit, sponte sua se obligat restituere, vel rem, vel pretium illius; etiam si fortuitò perierit. Item cum quis accipit commodatum suo periculo.

Quæ sit materia cõmodati.

8 Materia commodati sunt res, tam mobiles, quàm immobiles, illæ præsertim, quæ vsu non consumuntur; quæ verò vsu consumuntur non possunt commodari, nisi hoc pacto, quòd vsu non consumentur, sed eædem nume ro restituantur. Vndè res vsu consumptibiles, vt pecunia, triticum, vinum, oleum, &c. non possunt commodari, nisi ad pompam, & ostentationem; vel ad aliquem alium vsum, quo illę non consumentur. Vndè cum dubitatur an aliquis contractus sit commodatum, vel mutuum, dignoscitur natura illius ex materia; cum enim est de materia, quæ vsu consumitur, dicitur mutuum; cum est de materia, quę vsu non consumitur, est commodatum; & hoc est quod iura dicunt materiam mutui esse res, quę in pondere, numero, & mensura consistunt, vt pecunia, triticum, &c. & materiam commodati esse res quæ vsu non consumuntur.

9 Circa commodatum occurrunt varia dubia, quæ habent dissolui per regulas generales requisitas ad iustitiam vniuscuiusque contractus, quas infrà agendo de principalibus contractibus cum Scoto, & alijs doctoribus communiter assignabimus: quia tamen hic agimus de commodato, tātùm dissoluemus tria dubia. Primum est, An, & qn commodatum possit repeti. Respondetur breuiter commodatum non posse repeti ante tempus statutum: quia licèt sit liberalis, & gratuita trāslatio vsus rei; tamen quando est facta, non potest repeti ante statutum tempus; sicut donatio quoque est gratuita, & tamen facta donatione, donans non potest eam repetere, & si promisit donū, & actu non dedit, tenetur dare actu. Hoc probatur, quia alioquin fieret iniuria commodatario, & esset ei detrimentum cogi restituere rem ante tempus: quia deciperetur, & si scuisset rem intempestiuè esse reddendam aliūde sibi prouidisset, vel nō fuisset id aggressus, ad quod accepit rem ad vsum.

An, & quando commodatum possit repeti.

10 Et ex eodem fundamento desumitur, eum, qui cōmodauit, si sciens, & prudēs commodauit rem inutilem, aut nociuam ad vsum, ad quem petebatur, teneri ad restitutionem damni illati: vt si vitiosa vasa ad vinum in eis fundendum commodauit. Secus si ignorans cōmodauit.

An possit reuocari cõmodatum.

11 Dubium graue est. An commodans possit reuocare commodatum, si ei sequatur maius detrimentum non reuocando commodatum, quàm accideret commodatario restituendo commodatum. Respondetur si commodans, quando rem commodauit præuidit, aut timebat illud detrimentum futurum esse, vel posse, & tamen commodauit, certum est neque in conscientia, neque in foro exteriori posse reuocare commodatum: quia censetur voluisse ex liberalitate non solùm commodare, sed etiam detrimentum illud, in gratiam commodatarij, ferre. Quādo verò incommodum illud inopinatò euenit commodatario, res est dubia. Aliqui censent posse in conscientia reuocare, vt Angelus, & Syluester verbo *commodatum* num. 4. ratio est quia commodans ex re sua potius sibi debet prouidere, quàm commodatario. Nauarrus in Man. cap. 17. num. 82. tenet in vtroque foro oppositum: quia inquit commodans tenetur seruare fidem commodatario, qui iam acquisiuit ius in illa re, ideò licèt priùs posset potius sibi prouidere, quàm alij de re sua; non tamen postquàm eam alteri cōcessit. Molina disp. illa 294. sentit cum prima opinione in vtroque foro ob multas rationes; præsertim illam: quia non præsumitur, quòd com modans habuerit intentionem commodandi rem cum tanto suo detrimento, nisi illud aliquo modo constet; in contractibus autem gratuitis, qualе est commodatum nō plùs commodans astringitur, quàm intenderit se obligare: ideò poterit reuocare. Atque hæc opinio mihi quoque probatur.

12 Aliud dubiū est quousque commodatarius teneatur, si res pereat, aut deterior euadat. Breuiter Respondetur, vel commodatum fit gratia commodatarij tantùm, vel commodantis tantùm; vel vtriusque simul. Quando est gratia commodantis tantùm, si res pereat, vel deterior fiat, commodatarius non tenetur, nisi de dolo, & lata culpa. Consentiunt Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 184. Molina disp. 295. num. 2. Azorius 3. p. lib. 7. cap. 7. & alij ex iuribus ab illis citatis. Si verò commodatum fit gratia vtriusque; vt si vasa argentea, aut aliquid aliud commodetur ad recipiendum hospitio communem amicum in domo commodatarij; tūc commodatarius si res pereat, vel deterioretur tenetur de culpa leui, & maiori culpa, non tamen de leuissima. Consentiunt auctores ijdem vbi suprà. Si verò commodatum fit gratia commodatarij tantùm; si res pereat, & deterioretur, tenetur commodatarius etiam de culpa leuissima. Hoc asserunt auctores suprà nominatos, qui omnes id tenent, præsertim Nauarrus, & Azorius contra Soto, qui in lib. 4. de iustitia, & iure q. 7. a. 2. cōcl. 4. tenet minimè obligari ex leuissima culpa. Et procul dubio hæc sententia est retinenda: quia est communior, & Soto est singularis; & ratio id conuincit: quia hæc obligatio oritur ex commodatario, non quia commodatarius peccet non adhibendo diligentiam, sed quia natura contractus commodati est, quòd commodatarius suscipiat rem commodatam, ea lege, vt omni diligentia, & cura se obliget ad eam custodiendam: eo quia solùm in suum commodum est. Ideò quacunque culpa, licèt leuissima, pereat, vel deterioretur, licèt non peccet, in damnum ipsius commodatarij cedit propter naturalem hanc insitam legem in contractu commodati. Quod clarius patebit ex dicendis disput. sequenti num. 29. & sequentibus de differentia inter culpam Theologicam, & iuridicam.

Quousque tenetur cõmodatar', si res pereat, vel deterior fiat.

13 Regulariter verò commodatarius non tenetur, si res pereat, vel deterioretur, de casu fortuito l. *in rebus* ff. commodati, & l. 1. C. de commodato. Adsunt tamen exceptiones, vt si hoc in pactum deductum sit. Secundò si commodatarius aliter vsus fuerit re, quàm ad vsum, ad quem data fuit. Tertiò si fuit in mora, ita quòd non restituit rem ad tempus determinatum, & illa mora fuit occasio, vt illa res amitteretur, aut deterioraretur, vt si tibi equum commodaui in vnum locum, tu duxisti in alium. Quæ sunt vera secundùm omnes, & à doctoribus, adductis suis iuribus, probantur. Obseruandum est tamen secundùm prædictos auctores, & communiorem opinionem, quòd commodatarius, si res illa erat peritura eodem modo apud dominum; vel dominus contentus erat commodatarium illam rem vlteriùs tenere, & ad alios vsus vti, non tenetur ad restitutionem. Et si vltra tempus, vel ad alium vsum ab eo, qui concessus est à commodante, res detineatur, commodatarium tunc dici com mittere furtum, atque dari actionem furti commodanti aduersùs commodatarium; atque omnia ista, quæ de casu fortuito dicta sunt in commodato; similiter sunt intelligenda in similibus contractibus, vt præcario, deposito, pignore, locato, & similibus, de quibus infra suis locis.

14 Quod verò aliqui dicunt, si res commodata traditur æstimata commodatario, æstimationem operari, vt commo-

commodatarius teneatur ampliùs de vno gradu, quàm ſi non fuiſſet æſtimata, & quàm alioquin vi contractus teneretur. Mihi videtur non approbandum cum Panormitano cap. de commodato, & Silueſtro verbo *commodatum*, quæſt. 7. Molina, & Azorio vbi ſuprà. Nam illa æſtimatio nihil operatur, niſi, vt ſciatur quantùm ſit reſtituendum ſi res ipſa pereat, vel deterioretur: nam cum res iam perijt non poteſt æſtimari quanti valoris ſit, cum nõ exiſtat. Pactum etiam, vt quis commodatum ſuo periculo accipiat, non mutat ſubſtantiam commodati, nec facit illud tranſire in venditionem, vt vult Soto lib. 6. de iuſtitia quæſt. 6. artic. 2. quem iurè impugnant Nauarrus com. de *vſuris*, num. 35. & ſeq. Azorius vbi ſuprà cap. 7. quia pactum eſt quid accidentale, & omnia, quæ ad ſubſtantiam commodati pertinent, manent. Pactum autem operatur tantùm, quòd ſi res fortuitò pereat, obligatur ad reſtitutionem, non ad quam nõ obligabatur ex vi commodati.

15 Quò ad reſtitutionem illius, quò ad moram in reſtituendo ſi pereat, cui pereat, & ſimilia, ſunt varia dubia: ſed quia ſunt eædem regulæ de ſimilibus contractibus, ſcilicet de locatu, de depoſito, de pignore, de precario, & ſimilibus, in quibus non transfertur dominium rei: ideò infrà viſis conditionibus iuſtitiæ in contractibus principalibus, & obligantibus ad reſtitutionem, de illis erit ſermo. Interim videri poſſunt Nauarrus in Man. c. 17. nu. 182. & Summiſtæ verbo *commodatum*.

De precario.

16 Precarium parum à commodato differt, vt videbimus. Definitur à Iuriſtis l. 1. ff. de precario. *Precarium eſt, quod precibus petenti vtendum conceditur, quandiu is, qui conceſſit, patitur*. Contractus hic ſumit nomen à precibus illius, cui conceditur, quod enim quis precibus rogatus ab aliquo, eidem concedit ad vſum, dicitur precariũ. Per primam conditionem, quæ eſt *petenti vtendum conceditur*, differt à donatione, quia in ea transfertur dominium quò ad ſubſtantiam, non autem ſolùm vſus, & animo non repetendi, vt diximus ſuprà; in precario verò transfertur res ſolùm quò ad vſum, vt in commodato. Per ſecundam particulam, quæ eſt. *Quandiù is qui conceſſit patitur*. differt à commodato. Primò quia vt ſuprà diximus commodatum datur ad certum vſum, & certum tempus, vt equus ad equitandum pro tanto tempore, &c. Precarium verò non conceditur ad certum vſum, nec ad certũ tempus, ſtrictè loquendo, ſed ad libitum petentis; licèt & aliquando tacitè, vel etiam expreſsè inſinuetur vſus, & tempus certum. Ex quo fit, quòd commodatum ante tempus ſtatutum, vel vſum completum non poſſit reuocari. Precarium verò maximè: propter hoc enim dicitur in definitione *donec patitur*, ideſt donec non reuocauerit.

17 Obſeruandum eſt tamen, quòd etſi non ſit ſtatutũ certum tempus in precario; tamen non poteſt ſtatim reuocari, idque quando ſequeretur maximum damnum eius, qui recepit precarium, quia vt inquit Panormitanus in caput *Precarium*, numero 13. Nauarrus in Man. cap. 17. num. 182. Silueſter Verbo *precarium*, quæſt. 1. hac repentina reuocatione, & ſine iuſta cauſa cum damno alterius videretur dolo id facere. Vndè volenti reuocare precarium contra voluntatem eius, qui accepit, ſtatui poſſet certum tempus, quo qui accepit precario, vti poſſit ad arbitrium boni viri. Ex hac conditione ſequitur, quòd in precario non poteſt fieri pactum, quòd precarium ante certum tempus non poſſit repeti, quia hæc conditio repugnat naturæ precarij; & eſſet iniuſta, quia fieret pactum, vt quis re aliena vti poſſit inuito domino, iuxta *l. cum precario* ff. de precario. Quando autem apponeretur tale pactum, mutaretur in alium contractum, nempè in commodatum, quia tunc iſte contractus non haberet cõditiones precarij, ſed commodati.

Quæ ad ſubſtãtiam precarij requirantur,

18 Ad precarij ſubſtantiam requiruntur eæ conditiones, quæ ad commodatum, præter hanc vltimam, qua ab ipſo differt. Ex quo ſequitur, quòd ille poſſit dare precarium, qui poteſt donare, & contractare, vt dictum eſt de commodato. Ille autem, qui accepit tenetur de dolo, &

lata culpa, nõ autem de leui, nec leuiſſima. Vndè ſi culpa leui eius, qui accepit precarium, pereat; imputandum eſt concedenti precarium: quia poterat ad libitum illud reuocare, quod elicitur ex Panormitano prædicto cap. *precarium*. De precarijs num. 13.

19 Finitur autem precarium, ſeu ſoluitur abſque dubio tribus modis. Primò, cum is, qui dedit rem precario eam vendit, & alienat, vel reuocat precarium, vt dictum eſt. Secundò, cum tempus, quo res precario data eſt, finitur; quandoque enim tacitè, vel etiam expreſsè ad certũ tempus, & vſum datur, vt dictum eſt: vt cum quis precario dat libros alicui eunti ad ſtudendum, quò ad doctoratus inſignia ſuſcipiat, tunc enim finito tempore illo precarium ſoluitur. Tertiò cum perſona, cui precarium conceſſum eſt moritur, Precarium enim eſt beneficium perſonale, nõ reale, ꝙ non tranſit ad alios l. 12. §. fi. verſ. *Ad hæredem*, ff. de precarijs. Difficultas eſt an ſoluatur per mortem illius, qui dedit precarium. De qua re Panormitanus in caput *precarium* de precarijs. Couaruuias 3. lib. variarum reſolut. cap. 15. nu. 1. 2. 3. 4. longam habent quæſtionem. Communior ſententia videtur eſſe non finiri, nec ſolui, l. 1. & 2. ff. de precario. Ratio eſt quia precarium datur, vt eo is vtatur, qui accipit, donec concedens reuocauerit voluntatem ſuam, ſed voluntas morte non cenſetur reuocata in hoc contractu, ideò precarium durat donec ab hærede concedentis non reuocatur.

Quo tẽpore finiatur precarium.

DISPVTATIO XLVII.

De translatione rerum non merè liberali; ſiue de contractibus.

Quid, & quot genera contractuum. Cap. I.

1 POſtquam Scotus egit de tranſlatione rerum auctoritate publica, cępit agere de tranſlatione rerum auctoritate priuata, & quia hæc eſt duplex, ſcilicet alia merè liberalis, & alia non merè liberalis; & merè liberalis erat adhuc duplex, ſcilicet alia, quæ eſt liberalis quò ad dominium rei, vt donatio; & alia eſt liberalis quò ad vſum rei, vt eſt commodatio, poſtquam egit de priori, ſcilicet donatione, & commodatione; ſequitur agere de tranſlatione non merè liberali, tàm quò ad dominium rei, quàm quò ad vſum, quæ complectitur omnes alios contractus: ideò de vnoquoque infrà eſt agendum.

2 Inquit ergo Scotus, præter tranſtationes liberales rerũ quò ad dominium rei, & quò ad vſum ſuperiùs explicatas, adhuc eſſe trãſlationes rerum duplicis generis, quæ non ſunt omninò liberales, ſed ſunt liberales ſecundùm quid; nimirum quia transferens expectat aliquid ęquiualens ab eo, in quem trãſfert rem; & hæc tranſlatio eſt duplex. Vel enim trãſfertur res quò ad dominium, vel quò ad vſum tantùm, retento dominio; & ſubiungit, quòd huiuſmodi tranſlatio, in qua expectatur aliquid æquiualẽs, eſt propriè contractus. Adeò quòd ſecundùm Scotum poſſumus definire contractum dicendo. *Contractus eſt translatio rei quò ad dominium, vel quò ad vſum per quã transferens expectat aliquid æquiualens ei quod transfert.* Ratio autem, propter quam huiuſmodi tranſlatio dicitur contractus, eſt (inquit Scotus) quia contractus dicitur, actio, qua ſimul trahuntur voluntates partium. In huiuſmodi autem tranſlationibus rerum transferens trahitur ad transferẽdum rem quò ad dominium, vel quò ad vſũ in alterum propter commodum, quod expectat ab altero: vel propter commodum, quod expectat transferendum in ſe. Et ſic voluntates partium transferentis, & accipientis conueniunt ad transferendum aliquid mutuo in ſe. Et hæc actio propriè eſt contractus.

Quid ſit contractus.

3 Vlteriùs, inquit Scotus, contractus primi generis in quo transfertur res quò ad dominium, eſt triplex. Quidã

Triplex genus contractus, i quo transfertur dominiũ.

dicitur enim permutatio, do vt des, vel do si des. Hi ab alijs enumerantur 4. iuxta l. *Naturalis*, ff. de præscriptione verb. nimirum, do vt des, do vt facias, facio vt facias, facio vt des. Et hic contractus est quo res visibilis pro visibili transfertur immediatè, vt vinum pro blado, & huiusmodi.

Cõtractus pmutationis.

Secundus cõtractus eiusdem generis est, in quo transfertur res visibilis pro nũmismate, vel è conuerso, trãsfertur nummisma, siue pecunia pro re visibili.

Cõtractus venditionis & emptionis.

Et prima translatio, scilicet rei visibilis pro nũmismate dicitur *venditio*, translatio verò secunda, scilicet pecuniæ, & nũmismatis pro re visuali, seu visibili dicitur *emptio*.

Ratio propter quam inuentum est nũmisma.

Ratio istius duplicis contractus est, quia erat valdè difficile commutare res visuales immediatè. ideò inuentum est medium, per quod talis commutatio facilè fieri potest; hoc mediũ vocatur nũmisma, seu pecunia. Vndè cum egemus aliqua re commutamus pecuniam, & nummisma pro illa re, & hæc actio est emptio. Quando etiam commutamus rem visualem pro pecunia, & nũmismate, vt pecunia emamus aliquam rem qua caremus, dicitur venditio.

4 Tertius contractus huius generis est, in quo transfertur nũmisma quò ad dominium, pro nũmismate, seu pecunia quò ad dominium, seu in quo commutatur pecunia, & nummisma pro pecunia, & nummismate.

Cõtractus mutui.

Et hæc translatio, commutatio, dicitur *mutuatio*, seu mutui datio, & mutui acceptio.

In translatione quò ad vnũ sũt duę species cõtractus.

5 In secundo genere translationis rerum, scilicèt quò ad visum sunt duæ species contractus, quæ correspondent duabus primis speciebus contractus superiùs adductis. Nam datur mutua, vel permutata rerum accõmodatio, quæ correspondet primæ speciei contractus primi generis, quæ dicitur rerum permutatio, seu contractus innominatus do vt des:

Cõtractus pmutationis.

hic enim permutamus, seu mutuamus inuicem res ad visum, do tibi hanc rem ad visum, & tu das mihi hanc altam ad visum. Secunda species est conductio, & locatio, quæ correspondet secundæ speciei contractus primi generis, scilicet venditioni, & emptioni.

Cõtractus conductionis, & locationis.

Nam sicut in emptione commutatur pecunia in rem visualem quò ad substantiam; sic in conductione commutamus pecuniam, & nũmisma in visum rei conductæ; & sicut in venditione cõmutamus rem visualem in pecuniam, & nummisma: sic in locatione commutamus rem visualem, quò ad visum in pecuniam, & nummisma. Mutuationi non correspondet aliquid propriè in translatione visus rei.

Definitio contractus assignata à Iuristis.

6 Doctrina hic tradita à Scoto est communis, licèt aliter hic explicata sit, ac ab alijs. Primo loco diffinitio contractus hic assignata à Scoto est eadem, quę à Iurisperitis. Ab illis enim lege 19 *labeo*, §. *cõtractum* ff. de verborum significatione sic diffinitur cõtractus. *contractus est vltrò citròque obligatio*, Soto lib. 6. de iustitia, & iure, quæst. 2. a. 1. hæc diffinitio displicet, & eam sequuntur recentiores.

Obiectio ex Soto, & alijs.

Molina de iustitia tractatu 2. disp. 212. Azorius 3. p. lib. 6. cap. 1. & alij quidam; inquiunt enim illam particulam, *obligatio*, malè poni pro genere: quia obligatio non est genus contractus, sed est effectus; genus autem est *actio*. Vndè ad hoc vt diffinitio sit bona, debet illa particula exponi effectiuè, seu causaliter; adeo vt hæc sit vera, & pfecta diffinitio. Cõtractus est actio inter duos ex qua vtrinque obligatio nascitur.

Solutio.

7 Ego quidem difinitionis declarationem assignatam à Soto, & alijs non inficior, quia in re omnes cum illa Scoti conueniunt; impugnatio tamen Soto omninò nullius momenti est, & rectè pro genere in illa definitione ponitur obligatio. Nam illa est melior diffinitio, quæ assignatur per genus proximius, quàm quę per remotius; at actio est genus nimis remotum: obligatio autem est genus proximum, sub quo cõtractus strictè sumptus, de quo loquimur ponitur: nam contractus non est quæcunque actio, sed actio obligatiua: actio autem obligatiua, seu obligatio est decretum voluntatis aliquid faciendi; latini enim dixerunt *contractum* à contrahendo, quia duo, vel plures simul suum consensum trahunt ad faciendum aliquam rerum translationem, qui consensus est obligatio, vel saltem in ipsu insurgit relatio obligationis. Cum ergo dicitur quòd contractus est obligatio, assignatur genus proximum contractus, quod est actio contracta ad actum voluntatis obligatiuum, qui est genus proximum cõtractus. Differentiæ sunt ille, *vltrò citròque*, contractus enim propriè est obligatio ex vtraque parte. Hæc dicta sunt, vt cõueniamus simul cum Iurisperitis. Sed fortassè melior est definitio assignata à Scoto, quia obligatio respicit futurũ; at contractus, vt plurimum fiunt per actualem translationem, postquam nulla remanet obligatio aliquid faciendi: cum enim quis numerata pecunia emit aliquid, fit translatio pecuniæ, & rei emptæ absque vlla obligatione. Obligatio autem de dolo & lata culpa, quæ est in omnibus contractibus, vt infrà videbimus non inest intrinsecè contractui, qua cõtractus, sed ratione iustitię, scilicet quatenus contractus est iustus. Vndè cum sit accidentalis nõ potest pertinere ad essentiam contractus. Obligatio etiã, quæ euenit in contractibus, qui non fiunt per actualem traditionem rei, non est de essentia contractus, sed accidit illi ratione promissionis de tradenda re in futurum. Propriè ergo translatio rei mutua est genus contractus. Sed sequendo communem modum loquendi Iurisperitorum, & aliorum Theologorũ accipimus diffinitionem assignatam à Vulpiano.

Quot sint genera contractuum.

8 Verùm circa genera contractuum tanta est diuersitas inter doctores, vt nullus videatur haberi posse modus, vt est videre apud Soto lib. 6. de iustitia & iure, quæst. 2. art. 1. Conradum de contractibus quæst. 17. Azorium 3. par. lib. 6. præsertim c. 2. & 3. Molina tracta. 2. de iustitia, & iure disp. 213. & sequentibus: alij. n. enumerant 30. species, alij 12. alij 8. Alij faciunt diuersas diuisiones, ex quib. innumerę species oriũtur. Sed dimissis varijs diuisionib. quas ipsi Iuristæ adinuenerunt. Nos enumerabimus aliquas diuisiones contractuũ, quæ lucẽ afferre possunt huic materiæ, & ex quibus natura ipsorum contractuum patere poterit. Aliqui ergo, vt Siluester Verbo *contractus*, nu. 2. ex Baldo diuidunt contractum omnem in tria genera, dicunt enim, quòd omnis contractus vel est propriè contractus, vel impropriè, vel improprijssimè. Contractus propriè est quando ex vtraque parte oritur obligatio. Impropriè, quando ex altera parte tantùm, vt donatio. Improprissimè, quando nulla pars obligatur, sed potiùs obligatio dissoluitur, vt est acceptilatio.

9 Quò ad contractus propriè dictos, Soto vbi suprà tribuit Scoto, quòd hic enumeret octo species. Azorius ei tribuit, quòd enumeret quinque. Ipse verò Soto dicit cõtractus propriè sumptos esse septem quos in secunda conclusione illius articuli enumerat, & sunt isti. Emptio, Cambium, Mutuatio, Emphiteusis, Commodatio, Permutatio, Commutatio, & Locatio.

1. Diuiso contractuũ in qua est magna dissensio.

Cæterùm nec Soto, nec Azorius rectè sententiam Scoti referunt. Neque Soto sufficientiam, & distinctionem contractuum rectè assignat, licèt quantùm ad rem, siue quantùm ad declarationem ipsorum contractuum omnes postea conueniant.

Opinio Scoti.

Quòd non rectè referant sententiam Scoti patet: quia si loquamur genericè Scotus ponit tantùm quatuor genera contractuum, quorum primum est contractus innominatus, quo res visualis permutatur in rem visualem, vt vinum in bladum. Secundum est contractus in quo res visualis quò ad dominium permutatur in nũmisma, vel è conuerso. Tertium est quo res permutatur quò ad visum solum, non quò ad dominium. Quartum est in quo permutatur nummisma, seu pecunia in pecuniã, vt mutuatio. Si verò specificè considerentur erunt sex. Prima est permutatio rei visibilis in rem visibilem, seu do vt des. Secunda est venditio. Tertia emptio, quæ continetur sub secundo genere. Quarta cõductio. Quinta locatio. Sexta mutuatio.

Donatio & cõmodatum secũdũ Scotum, non sunt ppriè cõtractus.

Donatio autem, & commodatio secundùm Scotum non sũt propriè contractus, quia in illis non fit retributio æquiualens. Quod verò species contractuum non sint rectè enumeratę à Soto patet: quia species contractuum enumeratæ à Soto non sunt principales, ad quas aliæ reducantur.

Enume-

Enumerat enim Soto septem, scilicet emptionem, cambium, mutuationem, emphiteusim, commodationē, permutatam commodationem, & locationem. Aliquæ aũt illarum reducuntur ad aliq̃ speciē ex p̃dictis enumeratis à Soto: nam cambium reducitur, vel ad emptionē, vt vult Soto ipse, vel ad permutationem, vt alij volunt: quia cambium est permutatio pecuniæ in pecuniam: Emphiteusis aũt, seu censualis pensio reducitur ad locationē. Est enim quędam locatio rei in perpetuum, vel in longum tempus. Commodatio cum nõ sit contractus obligans ex vtraq; parte secundũ Soto, non põt esse propriè contractus. Permutata accõmodatio est idem, q̃ cõtractus innominatus *do vt des*: immò cãbiũ quoq; quod ex sententia Soti est p̃mutatio rei vsualis pro vsuali, reducitur ad contractũ innominatũ, qui est permutatio rei vsualis pro re vsuali. Verũ hęc oĩa diligẽtius infrà examinabunt̃ suis locis ꝓpriis.

2. Diuisio. Cõtractus lucratiui, & onerosi.

10 Alia diuisio generalis communiter de cõtractibus assignatur sic. Aliqui cõtractus sunt lucratiui, alij sunt onerosi. Lucratiui dicuntur illi contractus in quibus aliquid conceditur alteri absque vllo onere, & recompensatione, vt sunt donatio, & accommodatio, vt ex dictis suprà à Scoto vidimus: in his n. duob. contractibus transfertur dominiũ, vel vsus rei absq; expectatione retributionis alterius æquiualentis, vel alterius rei, etiamsi non sit æquiualens.

11 Vbi est obseruandum aliquos sub genere contractus lucratiui ponere mutuum, depositum, mandatum, obligationem fidei iussoriam; sed reuera isti contractus non sunt propriè lucratiui: quia ex illis accipienti nihil conceditur absque vllo onere, & recõpensatione vel obligatione. Et licèt Azorius 3. p. lib. 6. c. 1. nitatur ostendere in omni contractu, etiam lucratiuo, vt in commodato intercedere obligationem ex vtraque parte, vt quia commodãs tenetur de dolo, vt si commodauit vasa viniosa, & huiusmodi, tamen non probat, quòd hęc obligatio faciat contractum onerosum, quia hæc obligatio est remota, & oritur ex iustitia generali, quæ in omni cõtractu, & actione humana requiritur; non autem ex natura, & essentia contractus: quoniam isti contractus ex natura sua speciali nullam obligationem retributionis imponunt accipiẽti, sed omninò liberaliter fiunt. Ad hoc genus potest aliquo modo pertinere promissio, scilicet quando non est acceptata, & non transiuit in pactum, vt infrà dicam.

Cõtractus onerosi 3.

12 Contractus onerosi sunt illi in quibus transfertur dominium, vel vsus rei cum obligatione, seu expectatione retributionis æquiualentis: & sunt illa quatuor genera, seu sex species enumeratæ à Scoto, scilicet rerum permutatio, emptio, & venditio, locatio, & conductio; Adhuc etiã rerum mutua accommodatio, (hæc autem est mixta ex conductione, & locatione, & ideò nõ ponit in numerum) & Mutuatio. Et isti sunt propriè contractus.

3. Diuisio. Cõtractus bonæ fidei & stricti iuris.

13 Tertia diuisio, etiam cognitu necessaria est, quòd contractus alij dicuntur bonæ fidei, alij stricti iuris. Contractus bonæ fidei hic dicuntur non qui sine dolo, & fraude fiunt: quia omnes contractus fieri debent sine dolo, & fraude, & mala fide, vt videbimus; sed ij in quibus iudex spectat bonam fidem, & ex æquo, & iusto iudicat aliquid esse restituendum, reficiendum, vel compensandum. Econtrà verò contractus stricti iuris sunt isti in quibus iudex iudicare debet ex rigore legis, vel iuris stricti, vel ex rigore pactionis, & conuentionis factę inter eos, qui contraxerunt. Hæc diuisio habetur in Inst. §. *bonæ fidei*, de actionibus. Contractus bonæ fidei in Instituta de actionibus §. *Actionum*, & in Glossa cap. *cum Venerabilis*, de Exceptionibus enumerantur, Emptum, Venditum, Locatum, Commodatum, Depositum, Mandatum, Societas, Pignoratio, Permutatio. Item negotia gesta, tutela, cura, petitio hæreditatis, actio de præscriptis verbis, actio familiæ erciscundæ idest actio, quæ datur inter cohæredes circa diuisionem familiæ defuncti in commune diuidendæ (connumerant enim Iuristæ hic non solũ contractus propriæ dictos, sed etiam actiones bonæ fidei, quæ, vt infrà dicemus, ipsa quoque contractus sæpe à Iuristis

Fab. de Restitutione.

vocatur.) Contractus verò stricti iuris enumerantur vbi suprà, Mutuum, Stipulatio, Arbitrium, addunt Doctores ibidem, omnes alias actiones, & contractus, aut quasi cõtractus, qui in illis bonæ fidei non enumerantur, pertinere ad contractus stricti iuris.

14 Quarta hæc diuisio est etiam obseruanda, nimirũ, quòd alij contractus perficiuntur solo consensu, alij solo verbo, alij sola scriptura, & alij opere ipso. Illi perficiuntur solo consensu, qui ex solo mutuo consensu expresso obligant, licet nulla scriptura facta sit, neque facta sit traditio aliqua actualis rei, esto etiam contrahentes habuerint intentionem faciendi scripturam ad maiorem firmitatem, & etiam isti contractus possunt perfici inter absentes per Epistolas. Huiusmodi sunt, Emptio, Venditio, Locatio, Cõductio, Societas, & Mandatum, vt habetur Inst. de obligatione ex consensu §. Vnico. 4 Diuisio. Cõtractus qui solo cõsensu perficiuntur.

15 Alij perficiuntur verbis idest certa forma verborum, vt est stipulatio; hæc enim actio, vt obliget, & sit valida, requirit certam formam verborum, scilicet vt stipulans interroget eum, qui promittit, vel astringitur ad aliquid faciendum, an promittat, & se astringat ad talem rem, & ille statim absque eo, quòd aliò diuertat, respondeat promittendo, vel consentiendo disertis verbis, *Promitto, me astringo*, & huiusmodi. Ita habetur Institu. de verborum obligatione, & alibi. Eodem modo perficitur actio, quæ dicitur Acceptilatio. Hæc est actio, qua dissoluitur obligatio facta per stipulationem, & requirit quoque certam formam verborum, vt habetur Institu. quibus modis obligatio tollitur §. *item per acceptilationem*; nimirum hanc. Debitor interrogat creditorem hoc modo. *Quod tibi promisi, habes ne acceptum?* Creditor respondet in continenti, (vt de stipulatione dictum est) *habeo*, aut alijs verbis æquipolentibus: & hæc actio valet, tantum, quantum ipsa solutio. Cõtractus qui verbis perficiuntur.

16 Alij perficiuntur scriptura, seu litteris, & sunt illi contractus, qui & si ex natura sua solo consensu perficiantur; tamen ex conuentione contrahẽtium determinatur, quòd nõ habeant vim, nisi scriptura firmetur, & tunc ante scripturam est liber vnusquisque, licèt iam per consensum conuenerint. Et rursus sunt illi contractus, qui ex legis decreto debent in scripto fieri, isti enim ante scripturam non sunt validi. Cõtractus qui scripto conficiuntur.

17 Alij denique sunt contractus, qui re ipsa, traditione re perficiuntur, neque ante eam censentur consumati. Isti sunt, mutuum, commodatum, pignus, depositum, donatio, quando non simplici promissione, sed traditione rei fit, vt dicemus infrà agendo de Promissione. Qui traditione rei p̃ficiuntur.

18 Quinta diuisio est, quòd alij contractus fiũt gratia accipientis tantùm, siue (vt communiter dicitur) in gratiã accipientis tantùm, vt Mutuum, Commodatum, Præcarium. Alij in gratiam, & vtilitatem dantis tantũ, vt Depositum, & Mandatum. Alij gratia vtriusque, scilicet dãtis, & accipientis, vt Emptio, Locatio, Permutatio, Pignus, Societas. Aliquando tamen Commodatum, Mandatum, & Depositum sunt gratia vtriusque, vt si tibi accomodẽ vasa mea argentea, vt recipias amicum communem, tunc enim commodatum est in gratiã, & vtilitatem amborũ. 5. Diuisio.

19 Diuisiones allatæ, & plures aliæ assignatę à Iurisperitis iuuant ad cognoscendam naturam contractuũ. Verùm vt faciliori modo de his cõtractibus, & de eorum iustitia agere possimus, possumus facere hãc distinctionem, quæ omnes contractus complectetur, siue sint proprij, siue improprij, & impropriissimi: quæ etiam ab alijs, vt ab Azorio 3. p. lib. 6. cap. 2. quæst. 5. & ca. 3. quæst. 5. innuitur sed præsertim est assignata à Scoto; vbi suprà. Omnes contractus, qui quoquomodo vocantur contractus reducuntur ad quatuor genera. Aliqui enim sunt in quibus transfertur dominium rei. Alij in quibus transfertur vsus tantũ. Aliqui in quibus non transfertur, nec dominiũ, nec vsus; sed sunt actiones ex quibus oritur obligatio, vel ex vtraque parte, vel saltem ex vna. Aliqui demum sunt, in quibus nec transfertur dominium, nec vsus, neque sunt Diuisio generalis cõtractuũ clara, & facilis ex Scoto.

actiones ex quibus aliqua obligatio nascatur; sed sunt actiones, quibus contractus ipsi dissoluuntur. Sub duobus prioribus membris continentur omnes contractus propriè dcti, de quibus agunt Theologi. Sub reliquis duobus continentur contractus impropriè, & impropriissimè dicti: qui à Iurisperitis sæpe appellantur nomine contractus: quia sunt conuentiones hominum simul. Ad duo priora membra reducitur translatio liberalis rei quò ad dominium, & vsus, sub qua continentur donatio, accommodatio, & præcarium. Sed quia in his non expectatur aliquid æquiualens, cum Scoto suprà diximus non esse propriè contractus: ideò illos omittimus; iam enim de illis diximus. Ad ea ergo duo membra priora propriè reducuntur contractus in quibus res quò ad dominium, & vsum non liberaliter, sed cum expectatione retributionis æquiualentis traditur: & sic ad primum genus reducitur contractus innominatus, *do vt des*. in quo res vsualis seu vsibilis immediatè transmutatur in rem vsualem. Similiter contractus innominatus in quo res vsualis transmutatur pro pecunia: Et alij contractus, qui ad venditionem, & emptionem reducuntur, vt Census, & Cambium. Possumus etiam dicere ad illud reduci quoque mutationem, quia in ea transmutatur pecunia quò ad dominium pro pecunia. Sub secundo genere continetur Conductio, & locatio, & permutata accommodatio. Et rursus contractus illi, qui ad locationem, & conductionem reducũtur, vt sunt societas, Emphiteusis, feudum. Sub tertio genere continentur omnes alij contractus, seu actiones in quibus oritur aliqua obligatio, vel ex vtraque parte, vel ex altera tantùm. Vt ij, qui adminiculo sunt contractibus principalibus, vt Promissio, Depositum, Hyppoteca, Pignus, Mandatum, Fideiussio. Item ij in quibus periculum, & fortuna miscetur, vt assecuratio, sponsio, contractus sortiũ, ludus. Item illi, qui appellantur quasi cõtractus à Iuristis. Vt sunt Negotiorum gestatio, tutela, communio rerũ seu bonorum hæreditatis aditio, & si quæ aliæ actiones obligatoriæ sunt. Sub quarto genere continentur Nouatio, delegatio, solutio, debitum nõ solutum, cessio bonorum, acceptilatio, restitutio in integrum, & si quæ aliæ similes actiones sunt.

20 Nos ergo agemus primò de duobus generibus cõtractuũ, de quibus Theologi, & maximè Scotus hic agit, & præsertim de cõtractibus propriè dictis, deinde etiam dicemus de contractibus 3. & 4 generis quantùm ad iustitiam, & iniustitiam, in eis cognoscẽdis sufficit, & ad nostrũ institutum spectat, est enim materia legalis, quæ ad iurisperitos propriè spectat.

Cõtractus innominati qui, & quales.

21 Notandum est aũt contractus innominatos lege 5. *naturalis*, in principio. ff. de præscriptis ver. numerari quatuor scilicet *do tibi, vt des: do vt facias, facio vt des, facio vt facias*. Isti tñ reducuntur a tria genera contractuum pdicta, nimirũ ad contractum, qui propriè dr contractus innominatus, vel ad emptionem, & venditionem, vel ad locationem, & conductionem. Nam qñ datur res, q̃ non est pecunia, sed res vsibilis, pro alia re vsibili, est cõtractus innominatus, qui constituit proprium genus distinctum à nominatis, q appellatur propriè, *do vt des*. Qñ verò res, quæ datur est pecunia, & alia est res vsibilis, vel è conuerso, est emptio, & venditio, vt diximus cum Scoto, & prior innominatus reducitur ad hunc nominatum. s. ad venditionem, & emptionem. Qñ verò aliquis dat aliquid alicui, vt faciat aliquid aliud, si id, quod dat est pecunia, & aliud est res, vt cum quis dat alicui pecuniã vt colat agrũ, ex parte dantis est conductio, ex parte alterius est locatio; locat. n. opus suum. Et è conuerso si facio aliquid, vt mihi des pecuniã, est locatio ex parte mea, conductio ex parte tua. Si verò, quod ego do nõ sit pecunia, sed aliqua res, vt si tibi do equum, vt manumittas seruum est cõtractus innominatus, *do vt facias*. Similiter cũ do pecuniam pro facto, quod non est locabile, vt si do tibi centũ aureos, vt seruum manumittas, est contractus ẽt innominatus, *do vt facias*, similiter è conuerso, cũ ego facio aliquid, vt des mihi aliquam aliam rem, quæ non est pretium, est contractus innominatus, *facio vt des*, & reducitur ad locationem, & conductionem. Qñ aũt datur, seu commutatur factum pro facto, vt ego reficio domum tuam, vt tu colas agrum meum, est contractus innominatus, *facio, vt facias*, q reducitur ad permutatam accommodationem, seu ad conductionem, & locationem simul. Et hac de causa asserũt doctores contractus innominatos regulandos esse p cõtractus nominatos, ad quos reducuntur, & quibus similiores sunt. Cæterùm infrà nos assignabimus proprias regulas vniuscuiusque generis ex Scoto, vt facilè iustitia, & iniustitia vniuscuiusque contractus patere possit.

Omnes cõtractus & actiones humanæ debent esse iustæ.

22 Obseruandum est aũt oẽs cõtractus, tàm proprios, quàm improprios, & oẽs actiones humanas, ex quib. oritur, vel soluit obligatio inter homines, debere esse iustas, & de eis præsertim agit Theologus sub hac rõne: quia qñ non sunt iustæ sunt peccata, & sunt contra iustitiã: & tunc vltra peccatum, ille qui iniustitiam facit, obligatur ad restitutionem; iustitia. n. est virtus, qua vnicuique tribuitur, quod suum est. Contractus aũt pertinent ad iustitiã commutatiuam, vt suprà diximus. Propter hoc notandũ est, quòd obligatio, quæ orit ex iustitia est duplex. altera est de iure naturali tñ, altera est de iure naturali, & ciuili simul. Obligatio ex iustitia de iure naturæ est. q̃ ex ipsa rei naturæ oritur; non tñ statuto iuris positiui ciuilis fouetur; nimirùm, quia lex ciuilis non dat actionem pp illã alicui in foro exteriori. Vt si quis vendidit rem aliquam vltra iustum pretium; non tñ vltra dimidiũ iusti, hic ex rei natura, & in conscientia de iustitia tenet ad restitutionẽ illius, quod vltra iustum pretium accepit. Ius tñ ciuile & canonicum noluit concedere actionem contra eum, qui sic iniustitiam alteri fecit, & detinet alienum, ne lites multiplicẽtur. Obligatio verò ex iure naturæ, & iure positiuo simul est, quæ nedum oritur ex natura rei, & proinde est obligatio naturalis, & in conscientia obligat, sed ẽt est firmata iure positiuo. Vt si quis vendit frumentum vltra pretiũ lege iusta taxatum, tenetur ad restitutionem, non solùm in cõscientia, & ex natura rei, sed etiam ex lege positiua, quæ proinde ponit pœnas huiusmodi transgressionibus, & dat actionem contra huiusmodi transgressores. Theologi autem habent iudicare de vtraque obligatione, quia sunt iudices in foro conscientiæ; Iurisperiti autem tantùm iudicant de iustitia, & obligatione ciuili, illa tamẽ etiam pertinet ad Theologos: quia lex ciuilis fundatur super ius naturæ: vndè illi non potest esse contraria. alioquin nõ esset lex iusta, vt suprà vidimus. Licèt, vt dictũ est, non semper ferat opem legi naturæ, ne lites multiplicẽtur in infinitũ; sed hoc relinquit foro conscientiæ, in quo reus ipse culpã suã, & iniustitiã detegere cogitur, & restituere adstringit.

Obligatio ad peccatũ ex iustitia est duplex, naturalis tãtum, & naturalis, & ciuilis simul.

Theologi de vtraque iustitia iudicare habent.

Leges ciuiles, & iudicia ciuilia quando sũt iuste, & sine peccato, & quando cũ peccato.

Ordo seruãdus in tractatione de contractib.

23 De iustitia, & obligatione naturali in sequenti capite, & alijs agemus, & primò quomodo committatur in contractibus proprijs de quibus agunt Theologi eo ordine, quem seruat Scotus, qui certè est clarissimus; deinde agemus etiam breuiter de iustitia aliarum actionum, seu contractuum impropriorum de quibus plura agũt Iurisperiti, prout ad nostrum institutum spectat.

De iustitia contractus permutationis, venditionis, & emptionis. Caput secundum.

24 Dicebamus capite præcedenti esse quatuor genera principalia contractuum in quibus continentur contractus propriè dicti, qui sunt sex hoc ordine à Scoto dispositi, rerum permutatio, venditio, & emptio, conductio, & locatio, & mutatio. De his nunc agendum est in particulari; priori autem loco Scotus verba facit de contractu permutationis, qui dicitur innominatus, & est ille, in quo trãsfertur res vsibilis pro vsibili, quò ad dominiũ, vt frumentum pro vino, atque eius iustitiam explicat: & simul agit de contractu *venditionis, & emptionis*, qa eadẽ vtriusque sunt cõditiones, vt videbimus. Explicat ergo primò iustitiam contractus permutationis per hanc

conclu-

9. Concluſio Scoti principalis q. 1. a. 2. In quo cõſiſtit iuſtitia pmutationis.

concluſionẽ, quæ eſt concl. 3. illius articuli 2. quòniſ 2. *Domini rerum iuſtè eas permutant, ſi ſine fraude ſernẽt æqualitatem valoris in commutatis, ſecundùm rectam rationẽ.* In explicatione huius concluſionis declarat conditiones requiſitas ad omnem contractum, in quo transfertur res vſibilis quò ad dominium (excepta pecunia, quia de illa eſt particularis contractus, qui eſt, Mutuum,) vt ſunt Permutatio de qua loquimur: & venditio, ac emptio, de quibus infrà. Vndè Scotus infrà dicet conditiones requiſitas ad iuſtam Permutationem rerum requiri quoque ad iuſtam Venditionem, & Emptionem. Et D. Thomas agit de illis 2. 2. q. 77. dum agit de iuſtitia in Vẽditione, & Emptione, & alij doctores in hac diſtinctione, & Soto in lib. 6. de iuſtitia, & iure q. 3. vbi agit de Venditione, & alij doctores cõmuniter: tamen Scotus rem diſtinctiùs explicat.

25 Inquit ergo Scotus, quòd permutatio rerum tunc eſt iuſta, quando ſeruatur æqualitas valoris ſecundùm rectam rationem in rebus permutatis. Verùm anteqũ declaret, quænam ſit iſta æqualitas, inquit etiam ad iuſtam Permutationem requiri conditiones, quas ſuprà diximus requiri ad donationem, quæ erant illæ tres, ſcilicet quòd permutans ſit dominus rei, quam permutat. Secunda ꝙ ille, cum quo permutat, velit accipere permutationem, & fieri dñs rei permutatæ. Tertia quòd nulla ſit lex, vel ſuperior prohibens fieri permutationem. Iſtæ ergo tres conditiones requiruntur quoque in Permutatione. Sed præter has requiruntur aliæ duæ explicatæ in concluſione allata Scoti, & ſunt propriè contractus permutationis, & etiam venditionis, & emptionis: quia iſti contractus habent eaſdem leges. Prima conditio eſt, quòd non adſit fraus. Secunda quòd ſit æqualitas ſecundùm rectam rationem.

Tres illæ cõditiones requirũtur ad ſubſtantiam pmutationis, q̃ requirũtur ad donationem.

Duæ aliæ cõditiones requirũtur ad iuſtitiã contractus pmutationis.

26 Primam cõditionem, ſcilicet quòd commutatio ſit ſine fraude, declarat Scotus, & ſimul probat. Declarat: qa cum dr̃, pmutatio debet eſſe ſine fraude, excluditur fraus in ſubſtantia, quantitate, & qualitate. Fraus in ſubſtãtia fit cum commutatur vna ſubſtantia pro alia, vt auricalcum pro auro, vel aqua pro vino, & ſimilia. Fraus in quantitate eſt, qñ iuſta menſura non ſeruatur, ſiue quantitas mẽſuretur per pondus, ſiue per aliam menſuram, vt per virgã, vel huiuſmodi, quantum ad longitudinem, ſiue menſuret per aliam menſuram corporalem, vt per modium, vel p ſextariũ, & huiuſmodi, ſiue ĩ liquidis ſiue in aridis. Adeo quòd fraus in pondere, & menſura quacunque eſt fraus in quãtitate. Fraus in qualitate eſt, cum commutatur res habens vnam qualitatem, pro re habente aliam qualitatem, vt ſi quis commutet vinum corruptum pro vino puro. Ad propoſitum ad hoc, vt permutatio ſit iuſta, nõ debet eſſe fraus in ſubſtantia, ita quòd non debet quis dare, ſeu commutare vnam ſubſtãtiam pro alia, vt auricalcum pro auro: neque debet eſſe fraus in quãtitate, ita qđ res põderis decem librarum commutetur, ſeu detur pro re ponderis 15. librarũ: neque ẽt debet eſſe fraus in qualitate, vt qđ vinũ corruptũ cõmutetur pro vino puro, & ſic de alijs.

1. Cõditio ꝙ fiat ſine fraude qũo intelligit.

27 Hanc primam conditionem, quòd commutatio ad hoc vt iuſta ſit, debeat eſſe ſine dolo, probatur à Scoto ex c. 9. *ſi culpa tua*, extra de iniurijs, & de damno dato, §. fin. ibi enim dicitur, *qui occaſionem damni dat, damnum videtur dediſſe*, at qui fraudem facit in ſubſtantia, quantitate, vel qualitate, modo prædicto, occaſionem damni dat: quia qui patitur fraudem, nõ permutaret rem ſuam, q̃ eſt ſine fraude, cũ vitioſa, & mixta fraude: ideò qui fraudẽ facit, dãnificat, & ſic alienũ rapit, & ꝑinde ſatisfacere tenet.

28 Verùm hic eſt obſeruandum in eodem tex. aſſignato nunc à Scoto verba fieri de culpa qua damnum datur alicui, & ob quam quis tenetur ad ſatisfaciẽdum; propterea hic ad exactam rei huius, & dicendorum in ſequentibus cognitionem, vidẽdum eſt quid ſit dolus, & quid culpa, & quotuplex. De his agit D. Thomas præſertim 2. 2. q. 118. a. 8. ſed fuſiùs Maior in 4. d. 15. q. 45. Couaruuias reg. *poſſeſſor* p. 2. §. 7. Nauarrus in Man. c. 17. nu. 177. Azorius 3. p. lib. 6. c. 4. Molina diſp. 293. ſummiſtæ, & alij ab illis citati. Dolus ergo, vt colligitur ex prædictis auctoribus, & Fab. de Reſtitutione.

Dolus, & culpa quid & quotuplex.

Scotus, ac oẽs ſupponunt, eſt machinatio, ſeu circumuẽtio ad decipiendum aliquem, quod explicitè habetur l. 1. §. 2. ff. de dolo vbi Labeo ſic definit, *dolum malum eſſe omnẽ calliditatem fallaciam, machinationem ad circonueniendũ, fallendum, decipiendum alterum adhibitam*, (hic enim eſt ſermo de dolo propriè, qui accipitur in malam partẽ ad differentiam doli boni, qui eſt ſolertia, & aſtutia, quo aliquis decipiatur ad bonum, & ſecũdùm rectam rationem, de quo D. Paulus 2. ad Corint. 12. dicebat, *cum eſſem aſtutus, vos dolo cępi*.) Dolus aũt præſertim quatuor modis fit, ſcilicet verbis, & tunc dicitur, fallacia, vt inquit D. Tho. & oẽs alij. Adiungit tñ Scotus, quòd videtur non tm̃ fallacia de lib. Elenchorum, ſed præſumptione iuris, & ſecundùm veritatem damnum dediſſe; fallacia autem de lib. Elenchorũ, vt ſic nõ affert damnum, nec facit iniuſtitiam aliq. Si verbis fallacibus adiungatur iuramentum erit periurium. Si autẽ fiat in rebus dicitur fraus: ſi denique in perſona dicitur proditio: & quia deceptio in permutationibus, & venditionibus, de quibus tractamus, fit in re ipſa. ſ. circa ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem: ideò Scotus dicit commutationes in quibus cõmittitur fraus idest dolus in re ipſa, non eſſe iuſtas commutationes.

Quid ſit dolus & fallacia ſecundum Scotum.

29 Culpa autem alio modo accipitur à Theologis, & alio mõ à Iuriſperitis. Theologi accipiunt culpã pro carẽtia rectitudinis debitæ ineſſe actui, ſeu pro deuiatione à regula debita, & eſt duplex. ſ. mortalis, & venialis. At Iuriſtæ accipiunt culpam pro ignorantia, & inaduertẽtia illius rei, quã ſcire, & facere homines tenentur. Quod præſertim elicitur ex capitulo, *ſi culpa*, de iniurijs, & damno dato, nam ibi habentur hæc verba. *ſi culpa tua datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, ſeu alijs irrogantibus opem fortè tuliſti: Aut hæc imperitia tua ſiue negligentia euenerunt, iure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel iacturam.* Nam in primis verbis denotatur dolus, in poſterioribus denotatur culpa, quæ à dolo diſtinguitur in hoc, quòd ille ſcienter, & ſtudioſè committitur: culpa verò ex ignorantia, & imperitia procedit. Vndè culpa, quæ iuridica dicitur idest à Iuriſtis culpa nuncupatur, poteſt eſſe ſine peccato, & culpa Theologica: vt ſi quis rem accommodatam ex obliuione in loco furibus peruio relinquat, & ideò pereat, culpa ipſius periiſſe dicitur, & ſatiſfacere tenetur, & tamẽ nullam culpam Theologicam, nec peccatum committit.

Culpa alio mõ à Theologis, alio modo à Iuriſtis accipitur.

30 Hæc autem culpa iuridica, ſeu de qua Iuriſperiti loquũtur communiter poſt Bartolum à Iuriſtis, Summiſtis, & Theologis recentioribus (etenim antiqui Theologi de ea nihil expreſsè tractant) diuiditur in latam, leuem, & leuiſſimam. Culpa lata eſt, quæ procedit ex ignorantia, & imperitia earum rerum quas omnes communiter ſciunt, & faciunt, vt ſi quis librum ſibi accõmodatum relinquat in ſcamno extra domũ, & ideò pereat; in hac actione eſt culpa lata: quia procedit ex ignorantia, & imperitia eorũ quę omnes communiter ſciunt, & faciunt: nam oẽs ſciunt quòd relinquere librũ extra domũ in ſcamno, eſt cõmittere illũ periculo furti: omnes etiam cõmuniter cauent relinquere librum ſic in ſcamno extra domum. Culpa leuis eſt, quæ procedit ex ignorantia, & imperitia earum rerũ quas homines diligentes cõmuniter ſciunt, & faciũt; non tamẽ oẽs homines communiter: vt ſi quis ſibi librum accõmodatum relinquat in ſuo cubiculo, ſed oſtio aperto; homines enim diligentes noſcunt claudendum eſſe oſtiũ, & rem exiſtentem in cubiculo, ſed oſtio aperto eſſe expoſitã periculo latronũ, & cõmuniter homines diligẽtes hoc non faciunt. Culpa leuiſſima eſt, quæ procedit ex ignorãtia, & imperitia earũ rerũ quas diligentiſſimi ſoli ſciũt, & faciunt. Vt ſi quis librũ accommodatũ reliquit intra cubiculũ, quod claue obſerauit; non tñ mano an bene obſeratũ eſſet, tentauit. Caſus fortuitus diſtinguitur à culpa, quia hic nõ ex ignorantia, neque ex negligentia accidit, ſed ex inopinato euentu, qui præuideri nõ potuit: ideò nemo de caſu fortuito tenetur ad ſatisfaciendũ; tenetur aũt de culpa, licèt

Culpa lata leuis, & leuiſſima q̃.

Caſus fortuitus qui.

pa, licèt differenter pro quantitate culpæ, vt dicemus, ad restitutionem.

1. Regula de culpis explicatis.

31 De istis culpis assignantur communiter tres regulæ. Prima est. Quando contractus est in vtilitatem solius accipientis, vt est commodatum, tunc accipiens tenetur non solùm ex dolo sed ex culpa lata, leui, & leuissima, vt diximus superiori disputatione agendo de commodato, contra Sotum, & est communis sententia.

2. Regula.

Secunda regula. Quando contractus est in vtilitatē solius dantis: tunc accipiens tantummodo tenetur ex dolo, & lata culpa; non leui, nec leuissima, vt in deposito. Nam depositum est in vtilitatē solius dantis: ideò Depositarius non tenetur adhibere tantam diligentiam, quantam commodatarius: vnde deponens debet aduertere apud quem rem deponit: & ideò si sit minùs diligens, sibi imputatur.

3. Regula.

Tertia regula. Quando contractus est in vtilitatem vtriusque, vt est locatum, conductum, emptum, &c. in his enim vterque habet commodum, scilicet locans & conducens, emens & vendens, in his contractibus accipiēs tenetur non solùm ex dolo, sed ex culpa lata, & leui: non tamen leuissima, vt si locò tibi equum, & tua culpa lata, vel leui perit, teneris ad restitutionem: si perit tua culpa leuissima nequaquam. Hæ regulę desumuntur ex varijs iuribus, vt ex dicendis patebit, & ex lege naturæ.

Cur ius humanū obliget ad restitutionē vbi est culpa.

32 Obseruandum est ius humanum, tam ciuile, quàm canonicum iure obligare homines ad restitutionem, vbi adest culpa iuridica sola, etsi non adsit dolus, nec culpa Theologica: quia hoc est conformę æquitati naturali. Nā æquum est, vt homines prompti sint, & diligentes ad celebrandos contractus, qui ad comercium, & societatem humanam pertinent, & vtiles sunt, atque vt lites, difficultatesque circa euentus rerum tollantur: ideò statuit regulas supradictas. Aequum est enim, vt qui accipit commodatum aliquid, in illius cōseruationem diligentiam habeat, quam diligentissimi circa rem propriam habent: ideò qui commodatum habere vult aliquid, debet considerare an talem diligentiam adhibere possit. Hoc habetur l. 1. § 4. *is vero* ff. de actionibus, & obligationibus. In contractibus autem vtrique parti vtilibus nō erat æquum accipientem obligare ad tantam diligentiam, ad quantam obligat præcedens contractus, sed solùm ad eam, quam communiter adhibent diligentes: ideò in his accipiens tenetur solùm de culpa leui. Si verò contractus est in vtilitatem solius dantis, æquum est vt accipiens ad minorem diligentiā obligetur: ideo in huiusmodi accipiens tenetur solùm ad diligentiam, quam communiter homines adhibēt; & ideò tenetur solùm de culpa lata.

33 Obseruandum est etiam, quòd etsi regulæ istæ de culpa iuridica applicentur omnibus contractibus: (Nam in l. 23. *contractus*, ff. de regulis iuris dicitur dolum, & culpam recipere mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, & dotis dationem, tutelæ, negotia gesta; vbi numerat venditionem, seu emptionem.) Tamen dolus, & culpa propriè pertinēt ad illos contractus, in quibus non transfertur dominium rei, sed vsus, vt sunt cōmodatum, depositum, pignus, & eiusmodi. In emptione autem, & permutatione mihi videntur habere locum solùm quando, qui vendidit, vel permutauit aliquam rē, tenetur ad restitutionem ob vitium, & defectum rei, quē vendens tenetur manifestare. Nam vt infrà videbimus, & patet ex dictis, certum est, quòd cum quis vendit, vel permutat rem vitiosam in substantia, quantitate, & qualitate, & vitium est notum vendenti, sed est occultum, ita quòd emptor non potest illud videre, vel cognoscere, nisi ei reueletur, tenetur reuelare, alioquin committit dolum, & fraudem, & tenetur ad restitutionem, & venditio est nulla; quia est iniusta, vt dictum est. Quando autem vitiū est occultum, & latet ipsi vendenti quoque, non tenetur quidem manifestare; tamen si deinde detegitur, tenetur restaurare, & restituere secundùm omnes, licèt vendens illud vitium ignorauerit; quia iniquum est accipere tantum pretium pro re habente vitium occultum, quantum pro re, quæ nullum habet vitium, quia ex natura rei, illa non tantum valet, quantum ista. Quæ doctrina habetur quoque l. 13. *Iulianus* in princ. ff. de actionibus empti, & affirmant D. Thomas 2. 2. quæst. 77. artic. 2. Nauarrus in Man. cap. 23. num. 89. Soto de iustitia, & iure lib. 6. quæst. 3. artic. 2. Siluester verbo *Emptio* quæst. 19. Molina dispu. 353. num. 8. & alij citati ab ipsis. Modò cum accidit huiusmodi casus, quòd res, quæ venditur, vel permutatur, habet aliquod vitium, quod ipsum vendentem, vel permutantem latet, potest contingere, quòd tale vitium insit rei ipsi ex negligentia lata, leui, vel leuissima ipsius vendētis, vel permutantis, vel ex casu fortuito; (quomodo enim alio modo accidere possit vitium sine dolo in re vendita, vel permutata non video) Eadem autem videtur ratio de casu fortuito, & culpa quò ad restitutionem: quia in vtroque casu deest malitia: qui autem vendit rem vitiatam ex casu fortuito ignoranter, tenetur ad restitutionem damni, quia res vitiosa non tantum valet, quantum non vitiosa. Defectus ergo ex culpa in huiusmodi contractibus permutationis, & venditionis facit cōtractum iniustum, & obligat ad restitutionem, non ratione culpæ, sed rationę inæqualitatis pretij, & reducitur ad secundam conditionem requisitam ad iustitiam horum contractuum, scilicet ad æqualitatem, de qua nunc infrà agemus. Ideò culpa seu lata, seu leuis, seu leuissima non habet locum in huiusmodi contractibus, sed solùm dolus, seu fraus. Vndè videmus, quòd exempla adducta à doctoribus de culpa lata, leui, & leuissima sunt circa contractus in quibus non transfertur dominium rei, sed solùm vsus, vt sunt commodatum, præcarium, depositum, pignus; & hæc mihi videtur esse ratio, & causa propter quam antiqui Theologi D. Thomas, Scotus, & alij agentes de dolo, & fraude in cōtractibus venditionis, & permutationis non fecerunt mentionem de culpa; cum tamen asserant vendentem rem defectuosam teneri ad restitutionem, & contractum esse iniustum.

Cur antiq. Theologi de culpa iuridica nō sint loquuti.

34 Secunda conditio principalis requisita ad iustam permutationem, & iustam venditionem est, quòd æqualitas valoris est seruanda secundùm rectam rationem in vtroque contractu. Hæc conditio probatur à Scoto ex auctoritate D. Augustini 13. de Trinitate cap. 3. vbi ait, *vili velle emere, & carò velle vendere, re vera vitium est.* In hac autem conditione apponitur illa particula *secundùm rectam rationem*, ad denotandum, quod ualor rei in his contractibus non debet attendi secūdùm naturam rei absolutè, sed secundùm naturam rei in comparatione ad vsum humanum. Res enim non dicitur vilis, uel cara, vel prætiosa quatenus pertinet ad hos contractus, spectata quò ad esse naturale, sed quatenus est vtilis vsui hominum: quia sæpe res, quæ in se secundùm naturam est nobilior, minùs est vtilis vsui humano, & propter hoc est minùs prætiosa: vndè secundùm D. Augustinum lib. 2. de ciuitate Dei cap. 16. melior est in domo panis, quàm mus; cum tamen omne viuum nobilius simpliciter sit, quàm non viuum in esse naturæ.

Secūda cōditio principalis requisita ad iustā permutationis & aliorū contractuum.

35 Quæ autem sit æqualitas valoris rei, seu iustum pretium, secundùm rectam rationem, est aliqua difficultas. Aliqui enim dicunt, quòd consistit in indiuisibili, vt Ricchardus in 3. d. 33. art. 3. quæst. 4. & Henricus quolib. 6. q. 22. quos citat hic Scotus. Fundamentum eorum est, vt refert Scotus, quia dicunt medium in iustitia, esse medium rei. In alijs verò virtutibus esse medium rationis. At hoc fundamentum est falsum, quia vt suprà disp. 42. cap. 2. diximus, iustitia est duplex, distributiua, & cōmutatiua. In distributiua medium, & æqualitas constituitur secundùm geometricam proportionem, quod est secundùm rationem rectam. In commutatiua æqualitas, & medium est secundùm arithmeticam proportionem, idest secundùm æqualitatem rei ad rem; tamen hæc æqualitas est secundùm rationem. Vnde falsum est quòd medium in virtute iustitiæ sit præcisè secundùm rem exclusa ratione. Ideò Scotus & omnes alij Doctores tenent hanc ęqualitatem, & iustum

An pretiū rei iustum cōsistat in indiuisibili. Opinio Richardi & Henrici reijcitur.

Opinio Scoti & vera.

& iustum pretium non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem. Immò Scotus ait in medio, quod iustitia commutatiua respicit, quod est æqualitas valoris rerum, & iustum pretium, esse magnam latitudinem, & intra illam latitudinem dari iustum pretium, licèt illud non attingat punctum indiuisibile æquiualentiæ rei ad rem. Quod probat: quia esset quasi impossibile commutãtem, & contrahentem attingere illam indiuisibilem æquiualentiam valoris. Vndè concludit esse iustum pretium, & esse æquilentiam rei ad rem, quandocumque commutãs non excedit extrema latitudinis huius æqualitatis, sed in quocumque gradu intra illa extrema manet, commutatio est iusta. Datur enim triplex pretium, scilicet rigorosum, medium, & infimum de quibus infrà, pretium intra infimum, & rigorosum quæ sunt extrema, & iustum.

Vnde iustum pretium cognoscatur.
3. Regulæ iusti pretij.
1. Regula sumitur ex lege principis.

36 Vlteriùs autem declarat Scotus quanta sit ista latitudo, & ad quantum se extendat, & quomodo hæc latitudo innotescere nobis possit, quod est dicere, quæ sit regula cognoscendi quodnam sit iustum pretium, atque assignat tres regulas quarũ duæ priores communiter ab omnibus doctoribus approbãtur. Prima est, lex Principis seu Reip. nam Princeps sæpe solet statuere pretium rebus, vt vino, frumẽto, oleo, & similibus: nimirum, vt modius frumenti tanto pretio vendatur, & pondus carnis tanto pretio vendatur. Et huiusmodi pretium vocatur à doctoribus cum Aristot. 5. Ethicorum cap. 7. pretium legitimum, hoc est lege statutum. Atque hoc pretium consistit in indiuisibili; adeo quòd neque excessum, neque recessum patitur; sed qui vendendo illud excedit, vel emendo deficit ab eo, tenetur ad restitutionem, si lex qua est statutum, est iusta, vt supponitur. Vbi est obseruãdum quòd huiusmodi pretium lege statutum dicitur consistere in indiuisibili, non quia in eo non esset aliqua latitudo, quę haberet extrema interque commutans seu vẽdens iustè non venderet, nec commutaret. Sed quia postquàm Princeps taxauit pretium, existimatur Princeps attigisse indiuisibile punctum æquiualentiæ rei, & rei, seu rei, & numismatis. Etenim, antequàm Princeps statueret legem de tali pretio, pretiũ illius rei erat naturale, quod habet latitudinem, neque consistit in indiuisibile, vt nunc dicam, sed per legem Principis ad tollendum fraudes, & ambiguitates, decernitur punctum valoris, & æquiualentiæ rei cum numismate.

2. Regula iusti pretij sumitur ex consuetudine.

37 Secunda regula iusti pretij dignoscendi ex Scoto est consuetudo populorum, & regionum. Nam vt dictum est, pretium, & valor rei non attenditur penes naturam & substantiam rei, sed penes rationem humanam mensurãtem valorem rerum. Ratio autem humana solet mensurare valorem, & pretium rei præsertim ex vsu ipsius. Vndè res quæ magis est vtilis solet esse pretiosior, & maioris valoris, quàm ea, quæ est minùs vtilis, licèt illa sit secundùm naturam nobilior, vt domus est pretiosior, & maioris valoris, quàm mus; cum tamen mus sit animal viuũ, quod est nobilius, quàm domus, quæ est res inanimata. Aliquando consueuerunt homines mensurare valorẽ, & pretium rei ex affectu hominis ad rem, licèt res non sit ita vtilis, sicut alia; hinc est, quòd gemma æstimatur maioris valoris, & pretij, quàm ingens copia frumenti, & tamen gemma facit solùm ad ornatum, frumentum verò ad vitæ sustentationem. Vndè vsus eius est magis necessarius. Eadem ratione quædam vilia apud nos in paruo pretio sunt, quæ apud Indos, & alias nationes maximè æstimantur. Ideò apud illos pretium illud magnum est iustum, apud nos nequaquam. Etiam consueuerunt homines augere, & minuere pretia ex circunstantijs rerum, vt penuria rerum facit iustum pretium crescere; abundantia earundem facit illud decrescere. Item multitudo emptorũ eodem tempore concurrentium facit pretium iustum crescere: emptorum verò raritas facit eum decrescere. Item indigentia maior alicuius rei vno tempore, quàm alio facit rem crescere eo tempore, vt tempore imminentis belli equus est carior, quàm tempore pacis. Defectus etiam pecuniæ, & eiusdem abundantia consueuit esse causa maioris, vel minoris pretij eiusdem rei. Quando enim pecunia abundat, res plus valent, quando pecunia deficit res vilioris pretij sunt. Obseruandum est autem, quòd hæc indigentia debet esse communis, non alicuius particularis: neque enim ex eo quòd aliquis pauper indiget aliqua re, ideò illa res in valore crescit. Neque ex eo quòd diues non indiget illa re, ideò ea res in valore decrescit: quia tunc sequeretur, quòd fas esset cariùs vendere pauperi, quàm diuiti, quia pauper indiget, non diues: & fas esset vendere viliori pretio diuiti, quia minùs indiget quod est absurdum euidens.

Quæ indigentia augeat pretiũ iustum.

38 Aliquando consueuerunt homines mensurare valorem rerum ex modo vendendi, vel commutandi res. Vndè si sub hasta res vendantur, aut proxenetis, præconibus, vel alijs qui munus habent vendendi res alienas, multo viliùs consueuerũt vendi, quã si à mercatoribus vendãtur, ideò illud est iustum pretium, licèt recedat à communi pretio, quo tunc illæ res solent vendi: quia hoc euenit propter defectum emptorum. Similiter quando vendẽs quærit emptorem, rei pretium decrescit. Vndè dici consueuit vitroneas merces, quales sunt, quibus emptor quæritur, vilescere pro 3. parte pretij: patet ergo, quod consuetudo hominum est regula certa cognoscendi quodnam sit iustum pretium.

Iustum pretiũ triplex infimũ, mediocre & rigorosum.

39 Ex hac consuetudine habet fundamentum illa diuisio iusti pretij communiter acceptata à Scoto, & ab alijs doctoribus, nimirum quòd iustum pretium est triplex, scilicet supremum, infimum, & medium; seu rigorosum, moderatum, & pium. Pretium supremum, & rigorosum est illud maius, quo res vendi solet. Infimum seu pium est minus pretium, quo res vendi solet; medium, & moderatum est pretium, quod mediat inter supremum, & infimum, e.g. si pretium rei medium sit centum, rigorosum, & supremum erit centum, & quinque: infimum erit 95. latitudo pretij iusti in hoc casu est decem. Quicunque ergo vendiderit rem illam intra istam latitudinem, dummodo non exeat extra extrema, iusto pretio rẽ illã vendet; vt si vendat centum, & duo, vel centum, & tria, &c. Item si vẽdat 96. vel 98. &c. erit iustum pretium. Hęc diuisio triplex pretij est valdè obseruanda, quia eius cognitio erit maximè necessaria ad intelligendum ea, quæ de mutuo, & venditione, non soluta pecunia Scotus infrà, & alij doctores docebunt. Aliæ enim regulæ addendæ sunt ad cognoscendum iustum pretium in venditionibus, & commutationibus, in quibus solutio differtur, de quibus infrà.

3. Regula iusti pretij ex Scoto ẽ conuentio inter contrahentes.

40 Tertia regula assignata à Scoto, de qua alios doctores non video facere mentionem, est conuentio inter contrahentes, quæ declaratur sic. Potest cõtingere, quòd inter contrahentes, & permutantes res, pro suo pretio iusto non commutetur, sed commutans, vel vendens lædatur, quia minùs iusto pretio rem vendit, vel commutat. Potest autem contingere, quòd lædatur vltra medietatẽ iusti pretij, vel non vltra medietatẽ iusti pretij, sed tamen vltra latitudinem iusti pretij. Si lęditur vltra medietatem iusti pretij, lex ciuilis rescindit contractum, & obligat ad restitutionem; lex tamen naturæ, vt suprà diximus agendo de iustitia, rescindit contractum etiam quando fit læsio citra dimidiam partem: quia vltra latitudinem iusti pretij, nimirum infimi, & supremi obligat ad restitutionem, & damnat talem contractum, vt iniustum: quia nõ seruatur iustum pretium, & proximus damnificatur, vt dictum est. Verùm hic est obseruandum aliquando contingere, quòd inter contrahentes, & permutantes non potest sic ad vnguem attingi punctus æquiualentiæ in valore rerum, & iusti pretij in illa latitudine iusti pretij; sed contingit aliqualiter extra illam iustitiam vendere, vel commutare, & sic contingit mutantem, & vendentem, vendere, & permutare rem suam cum alia minori pretio, quàm sit pretium iustum secundùm cõsuetudinem illius regionis: tamen propter aliquod suum commodum, vel aliquam suam indigentiam placet, sibi rem suam vendere, vel cõmutare pro minori pretio iusto: quęritur modò;

an ille

an ille contractus sit iniustus, & emptor teneatur ad restitutionem? Respondetur secundùm Scotum, & rectè, quòd si in hoc contractu nulla adsit ratio per quam tollatur iniustitia, proculdubio lædentem teneri ad restitutionem: quia vt nunc suprà dictum est, licèt lex ciuilis non rescindat contractum, nisi quando læsio fit vltra dimidiam partem iusti pretij; tamen lex naturæ rescindit contractum, cum est extra iustum pretium, & obligat ad restitutionē, nisi adsit aliqua causa quæ tollat hanc iniustitiam. Vndè opinio attributa cuidam Durando ordinis nostri Minorum à Conrado de contractibus quæst. 57. D. Antonino 2. par. tit. 1. cap. 16. §. vlt. Soto 6. de iustitia q. 3. a. 1. Molinę disp. 350. art. 6. & alijs qui asserebant ementes infrà dimidiam partem iusti pretij non peccare, neque teneri ad restitutionem, est omnino falsa, & communiter reiecta, intellecta sic absolutè, ita quòd nulla alia causa adsit, quæ hanc iniustitiam tollat. Verùm videtur adesse aliquando causa aliqua, quæ hoc pretium iniustum, secundùm consuetudinem, faciat iustum in aliquo particulari cōtractu; & hæc esse potest conuentio, & consensus contrahēnum, & ad hoc facit tertia regula Scoti. Nam contingere potest, quòd contrahentes pensata mutua necessitate reputent sibi mutuò dare æquiualens hinc inde, & accipere, licèt secundùm pretium consuetum non sit æquiualens. Durum est enim inter homines esse contractus in quibus contrahentes non intendant aliquid de illa indiuisibili iustitia remittere sibi mutuò: & pro tanto omnem contractum videtur concomitari aliqua donatio. Et hic videtur esse communis modus contrahentium, qui quasi fundatur suprà illud principiū legis naturæ *Hoc facias alij, quod tibi vis fieri*. Si autem hic est modus contrahentium, satis probabile est, quòd, quando contrahentes sunt mutuò contenti vt mutuò velint sibi remittere, si secundùm aliquid deficiunt ab illa iustitia requisita iusti pretij secundū consuetudinē non peccent, nec teneantur ad restitutionē.

41 Iustitia istius regulæ non fundatur præcisè in eo, quod vnusquisque est dominus suæ rei, & potest de illa facere quidquid vult: quia rectè confutatur per hoc, quod est verum, dominum rei posse rem suam donare, & commutare quomodocumque vult quando actio donandi, vel commutandi est omninò libera, sed non est verum, quando actio est mixta cum inuoluntario; in casu autem proposito videtur esse mixtio inuoluntarij: quia qui vendit rem suam minos iusto pretio secundùm consuetudinē videtur vendere ob aliquam necessitatem, & sic non est actio omninò voluntaria. Fundatur ergo quidem in eo, quòd quis est dominus rei suæ, & potest illam donare, & in tali contractu præsumitur donare alteri, quod deest ad iustum pretium; sed fundatur etiam in vtilitate, & commodo contrahentium, vel in compensatione alicuius necessitatis: sæpe enim contingit, quòd quis habeat rem tanti pretij, secundùm consuetudinem, tamen ad vitandam aliquam indigentiam, & necessitatem, vel ad consequendam aliam rem sibi magis gratam longè minoris pretij; reputat sibi commodum illam minùs iusto pretio vendere, & aliam, qua magis indiget, emere sibi, vel in illam, etsi sit vilioris pretij, eam commutare. In hoc autē euentu proculdubio nemo dicet, hunc cōtractum esse iniustum, & emptorem teneri ad restitutionem, quando non interuenit vis, metus, fraus, aut aliud simile. Si enim talis venditio esset iniusta multum incommodum vitæ humanæ eueniret, quia vt plurimùm homines non possent suis rebus proprias necessitates subleuare, vel res suas conseruare, vel augere. Dicendum est ergo contractum hunc esse iustum, quia vendens minùs iusto pretio præsumitur donare illud, quod infrà iustum pretium restituere teneretur, & liberè, & omninò voluntariè donare, vt hoc modo suis necessitatibus subueniat, vel rebus suis meliùs prospiciat, vndè ob commodum proprium huiusmodi rem tali pretio vendit, vel commutat.

42 Videtur etiam hæc regula fundari in illo principio legis naturæ, vt ait Scotus, *quod tibi vis alteri facias*. Nam si sic vendens minori pretio iusto in tali contractu ex cōuentione damnificaret secum contrahentem, illud damnum sibi remitti cuperet: ergo debet ipse quoque illud, quod esset restituendum in tali contractu donare, & remittere. Dicit autem Scotus, *quasi*, quia hæc regula clarè, & distinctè non innititur illi principio naturali, sed quodammodo tamen illi approximatur: ideò inquit hāc regulam *quasi* fundari in isto principio.

43 Hanc opinionem Scoti sequuntur in re ipsa Nauarrus in cap. *Nouit* de iudicijs notab. 6. num. 51. & Conradus *de contractibus* q. 57. & 58. & Molina disp. 351. num. 4. & alij dum dicunt, quòd licèt in onerosis contractibus non sit præsumenda donatio, excessus, & defectus à latitudine iusti pretij, tamen quando non adest necessitas, coactio, nec fraus, aut quid simile, potest præsumi donatio.

44 Ex hoc deducitur illud, quod Caietanus ait 2. 2. q. 77. art. 1. in contractibus non esse attendenda ea, quæ sūt per accidens, vt putà donationem, quando quis vendit aliquid minùs iusto pretio, quia in contractibus quæritur iustitia, non amicitia, non esse semper verum. Verum est quidem in contractibus onerosis regulariter non præsumi donationem fieri, tamen cum cessat fraus, dolus, vis, & similia, non est inconueniens donationem permisceri, & ratione illius pretium, quod aliàs iniustum erat, fieri iustum, vt dictum est, ex conuentione.

Donationē aliquā permisceri cōtractib. onerosis.

45 Hac eadem ratione aliquis quandoque charitate ductus minori pretio iusto emere potest aliquid, quo non indiget ad preces venditoris, vt ei subueniat in suis necessitatibus spectatis circumstantijs omnibus. Quod etiam docent ipse Caietanus vbi suprà. Conradus de contractibus q. 57. & 58. Syluester Verbo *Emptio* q. 7. Nauarrus in Man. cap. 23. num. 83. & alij citati à Molina disp. 351. nu. 1. quos etiam ipse sequitur, licèt huius assertionis aliam assignent rationem, quæ etiam est verissima; nimirum illā communem regulam, quòd pretium rei decrescit ex raritate emptorum, & multitudine vendētium rem eiusdem rationis; & proinde cum, qui vendit, rogat emptorem, qui re illa non eget, & molestè emit, videtur habere penuriam emptorum, & abundantiam venditorum illius rei, & proinde pretium illius vilescit.

Emere rē minori pretio ea charitate quandoque licèt.

46 Est ergo certè verissima hæc regula Scoti, quòd ex conuentione inter contrahentes possit quis emere, & vendere suprà, vel infrà iustum pretium naturale, seu iustum ex cōsuetudine, ratione donationis mutuæ, quæ præsumitur inter contrahentes de eo, quod superat, vel deficit à iusto pretio: & ratio Scoti est efficacissima, quia cum sit peccatum mortale cum obligatione ad restitutionem, rem alterius ad valorem vnius Iulij Romani, vel Realis vnius Hispanici detinere, & communiter nedum inter mercatores magnos, sed pro vsu familiæ vniuscuiusque fiant contractus venditionum, & permutationum rerum maximi valoris, impossibile videtur, nedum difficile sem per iustum pretium attingere, ita quòd extra illius latitudinem non exeatur nedum quò ad valorem vnius Iulij, sed multorum Iuliorum, & aureorum: ideò nisi præsumeretur ex mutuo consensu contrahentium sibi remittere quidquid alter plùs minùsve iusto pretio accipit, tenerentur ad restitutionem; hoc autem esset maximum incommodum ad contrahendum, & esset nedum difficile, sed ferè impossibile cognoscere præcisè quod & quantum sit illud, quod extra iustum pretium quis accepisset, & teneretur ad restitutionem.

47 Est ergo regula hęc vera, cū in contractu rationabiliter præsumitur donatio: quando verò in contractu non præsumitur donatio, est vera superior regula assignata à Scoto, & communiter approbata: & tunc currit ratio Caietani superiùs adducta, scilicet contrahentem extra iustum pretium teneri ad restitutionem illius, quod excedit, vel deficit à iusto pretio, & peccare venialiter, vel mortaliter secundùm quantitatem rei. Et hoc contingit, quādo venditor, vel decipitur ab emente, vel vi inducitur ad vendendum minùs iusto pretio: vel vendens ignorat

valorem

valorem rei, & ideò minùs iusto pretio vendit; vt Rusticus vendēs gemmam multo viliori pretio, quàm iustum sit: quia non cognoscit eius valorem; vel denique quando emens aliqua deceptione vtitur, propter quam verisimile est non interuenisse donationem in illo contractu; tunc enim tenetur ad restitutionem, & peccat, quia facit contra iustitiam, & legem naturæ, quæ præcipit, ne quis alteri faciat, quod sibi nollet fieri; nemo autem vellet decipi in contractu rerum. Et hic est sensus Scoti in hoc loco, non ille, quem Soto ei tribuit li. 6. de iustitia, & iure q. 3. art. 1. licèt rectè asserat non rectè trahi Scotum in opinionem illius Durandi reiectam.

Sensus verus assertionis Scoti.

48 Atque obseruandum est, vt communiter doctores locis citatis obseruāt, decipientem aliquem vltra pretium iustum, etiāsi bona fide decipiat, quia scilicet ipse emens, vel vendens credit emere, vel vendere iusto pretio, si postea comperit se non seruasse iustum pretium, tunc non peccasse quidem, teneri tamen ad restitutionem illius excessus, vel defectus à iusto pretio, si illum excessum haberet; at si illud consumpsisset, teneri solum ad id, in quo factus esset locupletior, ad hoc enim solùm tenentur possessores bonæ fidei.

Decipiens, aliquem bona fide vltra pretium iustum tenetur ad restitutionē.

49 Istæ sunt conditiones, quæ requiruntur ad iustam permutationem rerum, qui est primus contractus, in quo transfertur dominium, assignatus à Scoto. Subiungit has easdem conditiones requiri ad iustitiam contractus emptionis, & venditionis. Et ratio est quia in illo contractu non præsumitur factam esse aliquam donationem: quia ita oportet ex vna parte considerare nūmisma sicut rem permutatam, ita quòd nūmisma habeat easdem conditiones, quas res permutanda habere debet ad hoc vt sit iusta. Adeo quòd breuiter ad venditionē, & emptionem, præter tres conditiones suprà assignatas iustæ donationis, scilicet quòd vendens sit dominus rei, & quòd emens velit emere; & tertiò quòd vterque sit liber, & nulli sit subiectus, à quo possit impediri ne contrahat; requiruntur istæ aliæ duæ conditiones. Prima quòd non adsit fraus, sine dolus in substantia, quantitate, & qualitate nūmismatis, & rei, quæ cum nūmismate permutatur. Secūda quòd seruetur iustum pretium, vt dictum est: scilicet quòd tanta pecunia tradatur pro re, quæ pro pecunia commutatur, quanta secundùm consuetudinem, &c. res illa æstimatur: tunc enim erit iusta emptio, & venditio sicut dictum est; quæ omnes conditiones sunt suprà declaratæ, & eodem modo intelliguntur in vtroque contractu. Addit Scotus alias duas regulas seruandas in his duobus contractibus permutationis, vēditionis, & emptionis, de quibus cap. seq. cum alijs quibusdam dubitationibus agendū est.

Easdē conditiones ad vēditionē; & emptionem ius ēt requiri.

Epilogus conditionū vēditionis, & emptionis iustæ.

De alijs duabus regulis seruandis in emptione, venditione, & permutatione rerum ac de permutatione negotiatiua. Caput III.

50 EA quæ hucusque assignata sunt à Scoto de iustitia, & iniustitia in duobus contractibus permutationis, venditionis, ac emptionis, dicta sunt à Scoto de istis cōtractibus, quò ad commutationem Economicam, quæ est quando commutans intendit recipere rem, pro qua commutat, non vt mercetur ea, sed vt ea vtatur, vt apertè ipse protestatur. Remanet agendum de commutatione negotiatiua, quæ est quando commutans intendit mercari de re, quam acquirit: quia emit non vt vtatur, sed vt vēdat, & hoc carius. De hac ergo agit in eodem secundo articulo §. *sequitur de commutatione negotiatiua*, de qua alias regulas præter prædictas assignat. Antequam autem ad hanc partem explicandam accedamus, oportet explicare alias duas regulas pertinentes ad permutationem, & venditionem, ac emptionem economicam, quas in eodem articulo secundo explicat, & præcedenti cap. polliciti sumus.

Conditiones assignatæ intelligūtur de commutatione economica.

De cōmutatione negotiatiua.

Aliæ duæ Regulæ cōmutationis economicę quò ad iustum pretium.

51 Inquit ergo Scotus, & consentit D. Thomas 2. 2. qu. 77. artic. 1. præter regulas superiùs assignatas de iusto pretio addendas esse duas alias regulas, quæ deinde ab omnibus vt veræ recipiuntur ad cognoscendum, & seruandum iustitiam in pretio. Prima est in his contractibus permutationis, venditionis, & emptionis licet permutanti, & vendenti pensare damnum suum. Secunda non licet vendenti, & permutanti pensare commodum emptoris, & illius, cui fit permutatio. Possumus etiam has duas regulas in vnam redigere, quæ habeat duas partes: Prima sit: licere pensare damnum vendentis: Secunda sit: non licere pensare commodum ementis in cariùs vendendo, vel permutando. Res exemplo declaratur. Si quis multùm indiget re sua, alius tamen maximè instat, vt rem illam ei vendat, & ex venditione vel permutatione illa multùm damnificatur, potest cariùs vendere, quàm si aliàs ex illa venditione non damnificaretur ad seruādum se indemnem ex tali venditione. Ratio est quia etsi res hæc mea secundùm pretium cōmune currens minùs valeat, tamen propter illius indigentiam, & damnificationem, quam patior pro alienatione illius, mihi est preciosior: ideò mihi magis valet, & propterea possum iustè illam cariùs pretio ordinario iusto vendere, & sic patet prima pars.

Prima Regula, licet vendēti pensare damnum suum. Secunda regula nō licet vendenti pēsare commodū emptoris.

Prima regula probatur.

52 Ex alia parte. Si aliquis indigens re mea, quæ mihi non affert multū vtilitatis, ei verò multo maius cōmodū, & vtilitatem afferret, rogat me venditorem, vt eam rem illi vendam; non licet mihi venditori cariùs illam rem ei vendere iusto pretio propter huiusmodi commodum suum. Ratio est quia nemo potest vēdere nisi illud, quod suum est; modo maius commodum, quod consequitur emptor ex illa re mea, non est meum: nam propter maius commodum, quod emptor consequitur, nec res mea est in se preciosior, nec mihi vendenti melior: proinde non debet mihi vendēti maius pretium apportare secus cum damnificatur venditor.

Secūda Regula probatur.

53 Sequitur Scotus in eodem art. agere de conducto & locato, ac de mutuo; agit etiam de iusto pretio in venditione in qua statim non soluitur pecunia; & vltimo loco agit de negotiatiua permutatione, & venditione. Nos autem totam hanc materiam de permutatione, & venditione, ac emptione simul tractare melius esse existimamus, propter faciliorem intelligentiam deinde, agemus de conducto locato mutuo & alijs contractibus. In primis ergo notandum est permutationem negotiatiuam, vt suprà dicebamus, esse illam permutationem, vel emptionem, & venditionem, qua quis intendit mercari de re, quam acquirit, non autem ea vti pro se, vel sua familia, sed vendere, & hoc cariùs, vt lucretur. Quoniam autem hęc negotiatio potest esse iniusta, & iusta: Scotus breuiter docet quomodo sit iusta, & iniusta, quod est summa eorum quæ sciri debet de hac materia à Theologo.

54 Inquit ergo ad hoc vt hæc negotiatiua commutatio sit iusta & licita, vltra conditiones assignatas superiùs ad iustam permutationem, venditionem, & emptionem, requiri alias duas conditiones, quas assignat per duas Regulas. Prima est, quòd negotiatio sit vtilis Reipublicæ. Secunda, quòd in ea pretium sit correspondens diligentiæ, sollicitudini, & periculis ipsius mercatoris. Pro intelligentia primæ Regulæ, seu conditionis est notandum, quòd commutatio negotiatiua distinguitur à commutatione economica, quia ista ordinatur ad vsum proprię vitæ, & familiæ, & ideò sine dubio est licita, & honesta, vt Aristoteles 1. Politicorum cap. 1. affirmat. Commutatio verò negotiatiua ordinatur propriè ad lucrum; & quia hic finis, etsi non sit formaliter malus, quia quærere lucrum ad honestè viuendum, & subleuandum proprias necessitates, & suæ familiæ non est malum, sed finis honestus; tamen quia hic finis subiacet multis periculis peccandi; cupiditas enim lucri nescit finem, sed in infinitum tendit. Vndè est illud Apostoli 1. ad Tim. 6. *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*. Cupiditas etiam illa lucrandi auertit animum à rebus spiritualibus, ideò eiecit Iesus emptores, & vendentes de templo. Ne-

Negotiatio ad hoc vt sit iusta reqrit duas Regulas. Prima Regula est qd negotiatio sit vtilis Reipublicæ.

plo. Negotiator etiam auidus acquirendi pro pretijs rerum mentitur, vt inquit D. August. in Psal. 70. pro damno blasphemat. Propter hæc negotiatio vituperatur, vt res mala. Nihilominus quia vt inquit ibidem D. August. hæc vitia sunt hominis, non artis: ideò negotiatio est indiferens, & potest esse bona, & licita. Ad hoc ergo, vt sit licita debet habere hanc conditionem, quòd sit vtilis Reipublicæ. Quòd autem negotiatio sit vtilis Republicæ, probat Scotus sic: quia Reipublicæ est vtile habere conseruatores rerum venalium, vt promptè possint inueniri ab indigentibus volentibus illas emere. In vlterion etiam gradu est vtile Reipublicæ habere afferentes res necessarias, quibus alia patria abundat, ipsa verò eget, & tamen vsus illarum est sibi vtilis, & necessarius. At Mercator affert hanc duplicem vtilitatem Reipublicæ: quia affert rem de Patria vbi abundat, ad patriam in qua deficit; vel illam emptam conseruat, vt promptè inueniatur venalis à volentibus illam emere: ergo negotiatiua commutatio est vtilis Reipublicæ. Illa ergo Negotiatio quæ facit hanc vtilitatem Reipublicæ est iusta.

Negotiatio non est illicita.

Negotiatio est vtilis Reip.

55 Ex hoc patet, quòd non solùm illa negotiatio, & mercatura qua aliquid emitur vt commutetur, & per artem, & industriam melius reddatur, vt deinde vendatur sic elaboratum cariùs, vt ars quæ emitur lana, vt pannus cóficiatur, & deinde védatur, est licita, de qua nullus dubitat; sed etiam negotiatio, qua res emitur, vt immutata cariùs ad lucrum vendatur, est licita. Nam ratio facta à Scoto propriè de ista negotiatione currit: qui enim hanc negotiationem exercent, in hoc solent incumbere, vt solùm res de loco ad locum deferant, vel absque vlla mutatione easdem ad lucrum vendant, vel seruent ad eundem finé.

56 Secunda conditio, & regula probatur à Scoto: quia oportet vnumquenque seruientem Reipublicæ in opere honesto de suo labore viuere; At mercator afferés merces de loco ad locum, vel illas conseruans, vt possint inueniri ab indigentibus, seruit Reipublicæ honestè, & vtiliter: ergo oportet eum de suo labore viuere. Addit Scotus quòd non solùm oportet eum viuere de illo labore, sed potest vlteriùs recipere pro illo labore, & industria illud pretium, quod illi labori, & industriæ sit correspondens. Probatur quia vnicuique licet vendere industriam, & sollicitudinem suam iustè; at ad transferendam rem de patria in patriam requiritur magna sollicitudo, & industria: ergo mercator pro illa potest recipere pretium illi correspondens. Tertiò addit Scotus eum posse recipere adhuc alteriùs aliquid aliud pro periculis suis. Ea quo enim periculo suo transfert, vel custodit, potest recipere aliquid correspondens his periculis: & maximè si quandoque sine sua culpa in tali seruitio communitatis damnificatus est, vt putà si mercator transferens quandoque amisit Nauem onustam maximis bonis; & alius quandoque ex incendio casuali amittit pretiosissima quæ custodit pro Republica.

Secunda conditio, & regula quæ pretium respódeat labori mercatoris probatur.

57 Confirmat Scotus hanc regulam, & assertionem sic. Quantum deberet legislator iustus, & bonus retribuere alicui ministro Reipublicæ, tantum potest ipse Minister, si non adsit legislator, de Republica recipere, nó extorquendo; sed si esset bonus legislator in patria indigente, in qua non essent mercatores, deberet locare seu conducere pro pretio magno huiusmodi ministros, qui res necessarias afferrent, & qui eas allatas seruarent; & non tantùm eis, ac familiæ sustentationem necessariam inuenire, sed etiam industriam, peritiam, & pericula omnia locare: ergo etiam hoc ipsi mercatores possunt sibi vendendo comparare.

Confirmatur à Scoto.

58 Aduersùs hanc secundam regulam, & conditionem assignatam à Scoto insurgunt Scoto lib. 6. de iustitia, & iure q. 2. art. 3. & Molina disp. 348. num. 6. qui citat Couarruuiam 2. lib. variarum resolut. cap. 3. nu. 4. & Corradum de contractibus q. 56. (Couaruuias tamen non citat Scotum) & impugnant hac ratione: quia iustum pretium non est ponendum in manu mercatorum qui sunt auidissimi: ideò non ex lucro, vel damno mercatorum est metiendum, sed ex communi earum æstimatione in loco, quo venduntur, siue mercatores lucrentur, siue damnificentur: quia merces vilescunt, vel accrescunt in pretio ipsis mercatoribus quorum sunt, non Reipublicæ, cui vendendæ asportantur, & seruantur.

Obiectio contra prædictam regulam ex Soto, Molina, & alijs.

59 Adduxit Soto hoc exemplum: si in Hispania sit penuria frumenti, & mercator Siculus adferat frumentum, sed antequàm ipse perueniat in Hispaniam, aliunde iam frumentū sit allatum, per quod penoria sit sublata in Hispania, & pretium frumēti sit diminutum; atque proinde eueniat, vt mercator Siculus non possit vendere frumentum quantùm sibi cōstat, non ob hoc sequitur quòd mercator Siculus possit vendere frumētum cariùs pretio iam currenti, vt se indemnem reddat.

60 Hoc est exemplum Soto, sed non facit ad propositum: quia hoc exemplum est de pretio statuto rerum non de statuendo. Scotus loquitur de pretio statuendo, & assignat regulam ad illud iustè statuendū; quod patebit proponendo casum & exemplum hoc modo. Mercator Siculus audiens in Hispania esse magnam inopiam frumenti illuc deducit aliquot Naues frumenti antequam aliunde asportetur frumentum in illam Prouinciam; in asportando autem patitor naufragium adeò quòd e. g. ex tribus nauibus frumenti quas deferebat, vna perit, & duæ solæ superstites sunt; ad illas autem duas saluandas multas expensas fecit, & ad eas reficiendas procellis fortunæ iam quassatas. Tunc quæro qua regula legislator, vel Princeps prouinciæ Hispaniarum vti debet ad taxandum pretium iustum huius frumenti; vel si legislator non adsit, qua regula debet vti mercator ad iustum pretium statuendum suo frumento, ita vt in conscientia non peccet. Certè pericula, labores, & expensæ sunt vendibiles, vt omnes concedunt: debet etiam damnum eius resarciri; nisi enim damnum passum ob nauem frumento onustam amissam resarciatur, tota vtilitas negotiationis cedet in prouinciam Hispaniæ, quam suo frumento subleuat à penoria, ipse autem mercator solus damnum subibit; quod quàm sit iniustum nemo non videt. Recta ratio ergo iustitiæ dictat, vt vel legislator, vel ipse mercator, habita cōsideratione capitalis, siue sortis principalis ipsius mercatoris, periculi laborum & damni passi, statuat pretium, quo hæc omnia redimantur, & honestum lucrum recipiat. Quod si pretium non sit tantum, vt hęc omnia compensentur, certè iniustitia erit ex parte statuentis pretium: quia non aderit æqualitas nūmismatis ad frumentum, ad pericula, ad labores, ad expensas, & damnum acceptum.

Exéplum Soto reijcitur, & opinio Scoti confirmatur.

61 Obseruandum est tamen non solùm prædicta, ex parte mercatorum esse consideranda in statuédo earum mercium pretio, sed etiam ex parte emptionum consideranda est paucitas, vel multitudo. Item ex parte mercium penuria vel abundantia, vtilitas, quantitas, & qualitas: hæc autem supponit Scotus ea dictis supra: quia iam dixit iustum pretium ex consuetudine esse menendum: cōsuetudo autem habet, inter alia, vt copia emptorum crescat pretium, copia venditorum vilescat: ideò Scotus absolutè non vult pretium debere relinqui in manu mercatorum, vt ei imponant, nec vult ei circunscribi considerationem multitudinis, vel paucitatis emptorum, & venditorum, & qualitatis, &c. mercium, sed vltra hæc vult haberi debere rationem periculorum expensarum, & damni mercatorum, quod certè est iustum.

62 Ratio autem aduersariorum nulla est: quia etsi mercatores sobiecti sint fortuitis euentibus, & hac ratione illis lucrum, vel damnum accrescat; tamen non tenetur mercator voluntariè se damno subijcere, sed solùm cum accidit, tollerare; neque legislator potest iustè eum illi subijcere, nisi cum aliter bono publico consulere non potest; (semper enim bonum publicum præponendum est priuato) ideò iustum est mercatorem, & legislatorem seruare indemnitatem eius. Regula ergo Scoti est verissima in statuendo pretio iusto mercium, quæ per negotiationem

Ad rationé aduersariorum.

tionem in vtilitatem Reipublicæ, vel aſportantur aliunde, vel conſeruantur. Idem enim dicendum eſt de conſeruante, & iuuatis iiſdem regulis.

Aduerſarij conſentiunt Scoto.

63 Hanc eandem ſententiam Scoti ſequitur Azorius (licèt non nominet Scotum) 3. par. lib. 8. cap. 21. q. 9. agens de pretio mercium de nouo aſportatarũ, qui etiam alios doctores in eandem ſententiam, & etiam aduerſarios citat. Et reuera ipſe Molina, qui hanc regulam Scoti damnat eadem diſp. 348. num. 7. inquit apertè, quòd quando de nouo aliquid in prouinciam aliquam aſportatur, pretium iuxta prudentium arbitrium eſt ſtatuendum, ac iudicandum attenta qualitate, vtilitate, multitudine, aut paucitate rei, quæ aſportatur: attentiſque expenſis periculis, atque difficultatibus in ea aſportanda. Si ergo prudentis arbitrio hæc ſunt conſideranda ad ſtatuendum iuſtum pretium, poterit ipſe legiſlator, & ipſe mercator, deficiente legiſlatore, eodem modo ſtatuere, & imponere pretium ſuis mercibus, & ſic regula Scoti, quam ipſe damnat, ſuo iudicio eſt ſeruanda.

Monopolia iniqua.

64 Ex duabus regulis, ſeu conditionibus ad iuſtam negotiationem requiſitis deducit Scotus hanc conſequentiã ſeu corrolarium. Illos negotiatores eſſe vituperabiles, & exterminandos à Republica, qui nec transferunt res de loco ad locum; nec conſeruant eas ad vſum commodum ementium pro ſuis neceſſitatibus; neque commutant in melius res venales; neque denique vendunt res pretio cõſueto, & alijs certo, & noto; ſed emunt, vt ſtatim vendant ſine omnibus iſtis conditionibus. Huiuſmodi ſunt Monopolæ, qui certè magnum damnum afferunt Reipublicæ: prohibent enim immediatam commutationem volentium emere, vel commutare economicè, id eſt pro vſu ſuo, & familiæ ſuæ, & per conſequens faciunt quodlibet venale, vel vſuale carius ementi, quàm deberet eſſe, & vilius vendenti, & ſic damnificant vtranque partem.

Monopolium multiplex.

65 Vbi eſt obſeruandum, quòd Monopola dicitur ille, qui exercet Monopolium. Monopolium autem eſt emptio, & congregatio omnium, vel plurium mercium, vel rerum in eodem loco, ab vno, vel pluribus mercatoribus, vt deinde vendant eas pretio, quo ipſe, vel ipſi voluerint, cum penes ipſum, vel ipſos ſolos merces reperiantur. Et pluribus modis exercetur ſecundùm doctores communiter. Vno modo cum ſicut dictum eſt. Vnus mercator, vel plures pollentes pecunia, cum aduenit aliqua merces in portum alicuius emporij, totam illam mercem emunt, vt deinde cariùs illam vendant alijs in eodem loco. Idem dicendum, cum aliqui emunt fructus, vt frumẽtum, oleũ, & alia ſimilia tempore meſſis, vt cariùs alijs vendant. Secundo modo fit quando merces, de quibus eſt abundantia emunt, & recondunt, vt deinde vendant quando cariùs valebunt; hoc enim eſt valdè iniuſtum: quia ſæpe hinc euenit, vt merces paucæ, & raræ inueniantur. Tertio modo aliquando Mercatores inter ſe conueniunt, ne vendant merces niſi pretio quodam, quod ipſi ſtatuunt, vel non emant niſi pretio, quod ſimul inter ſe ſtatuerant. Quarto Mercatores impediunt aliquando ne aliæ merces aduehantur, vt ſuas cariùs vendant, quod eſt in cauſa, vt cariores merces euadant; ac inde penuria exiſtat. Exercere omnibus iſtis modis Monopolia eſt peccatum lethale, & tenentur ad reſtitutionem. Et tales Monopolæ debent exterminari à Republica, & l. 1. Cod. de Monopolijs, perpetuo exilio puniuntur, & publicatione bonorum.

Monopolæ tenẽtur ad reſtitutionem.

66 Inſuper tenentur ad reſtitutionem priuatis de Republica, quia peccant contra iuſtitiam, quia ſunt cauſa damni perſonarum priuatarum, & Reip. qui ob hæc Monopolia cogũtur cariùs res emere. Quod etiam apertè ſuſtinet Soto 6. de iuſtitia, & iure quæſt. 2. art. 3. Ioan. Medina de reſtitutione quæſt. 36. §. *ſed an tales.* Molina autem

Limitatio Molinæ.

diſp. 345. nu. 4. limitat hoc dicens, quòd ſi ob hæc Monopolia contingat priuatos emere res ſuprà pretium rigoroſum, vel vẽdere infrà pretium infimum, teneri ad reſtitutionem, non autem ſi infrà limites iuſti pretij id eſt infrà rigoroſum, & infimum: quia non videntur peccare contra iuſtitiam: ſicut nec peccat contra iuſtitiam, qui ſuaderet alicui, qui mitiori pretio vellet vendere rem, vt eam rigoroſo pretio venderet; inquit tamen ſi iſti mercatores vi, metu, aut fraudibus inducerent priuatos ad cariùs emẽdum, teneri. Sed hæc limitatio eſt vana: quia iam apparet quòd exercentes Monopolia inducunt priuatos ad ſic cariùs emendum fraudibus; quoniam Monopolium facere eſt vti fraude, vt pretium rei creſcat: nam iam Monopolium eſt prohibitum lege: quia eſt deceptio priuatorum, & inductio damni Reipublicæ. Tenentur ergo reſtituere priuatis, ſi fieri poteſt, damnum datum: ſin minùs aliquid erit faciẽdum, quod plus minus cedat in vtilitatem eorundem, vendendo in ea communitate aliquid viliùs tanto, quantum eſſet ſatis ad reſtaurandum eorum damnum. Quòd ſi neque hoc, reſtituendum eſſet pauperibus, vel in alijs operibus inſumendum pro animabus illorum, qui fuiſſent damnificati.

Monopolia aliquando licere.

67 Verùm eſt obſeruandum aliquando hæc Monopolia licere, ſcilicet quando auctoritate publica fiunt propter bonum commune. Quandoque enim Reſp. eget aliquibus mercibus, quas nullus mercator aſportare vult niſi habeat priuilegium, vt ne alius aſportare, nec vendere poſſit. Vel expedit Reipub. aliquod officium, vel artem exerceri in ciuitate, qui autem illam exercere ſunt apti, & poſſunt non volunt illam exercere niſi habeant ſimile priuilegium, tunc Reſpublica poteſt, dummodo ſemper cedat in bonum publicum, nec Reſpublica damnum patiatur. Eadem ratione qui tempore Meſſis, aut vendemiæ, vel quocunque alio tempore in quo ſit abundãtia rerum vel fructuum, illorum tantam copiam emunt animo vendendi cariùs, ita quòd ſint in cauſa, vt res cariùs vendantur, nec omnes de Republica hac de cauſa poſſint res ſibi neceſſarias tunc temporis emere, ſed poſtea cogantur de manibus illorum, qui eas recondiderant, cariùs emere, peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem propter eandem rationem. Si autem emunt præſertim ad prouidendum ſuæ familiæ paulo plus, quàm egeant, & poſtea quod ſuperfuerit pretio currenti vendant: vel ſi emunt ad prouidendum Reipublicæ, vt Ioſeph Geneſis 41. aut egẽtibus pauperibus, aut ne exportentur, vel diſſipentur, vel ob alios fines honeſtos, non peccant. Quod etiam aſſerit Nauarrus in Man. cap. 23. num. 91. ex Innocentio in cap. 1. *Ne Clerici, vel Monaci*, & alij conſentiunt: quoniam neque contra iuſtitiam, cum inopiam non inducant; nec contra charitatem agant.

Emẽs fructus tempore Meſſis quomodo peccet.

An liceat carius vendere extraneis.

68 Solet autem diſputari, An ſit licitum cariùs vendere extraneis, & peregrinis, quàm ciuibus, & naturalibus; ad quod communiter reſpondetur non licere, dummodo limites iuſti pretij excedantur. Obſeruant tamen Molina diſp. 346. & alij, & rectè. Si quandoque ad aliquem locum accedant aliqui auidi emendi merces, ſi præſertim ſint diuites, nefas non eſſe cariùs eas illis vendere, quàm naturalibus, qui eas non niſi pretio ordinario emere volunt. Ratio eſt quia tunc pretium creſcit aduenientibus illis pluribus emptoribus, non autem naturalibus. Exemplum. Claſſis ad aliquam ciuitatem applicat, ſubito accreſcit pretium rerum omnium, quas emere volunt, illis extraneis, vt habet conſuetudo; naturalibus autem manet idem pretium: quia ipſi cariùs emere nolunt: ratione ergo illorum plurium emptorum videtur licitum eſſe augere pretium; non autem naturalibus, quia ipſi non curant merces illas ita auidè emere, & merces ſufficiunt peregrinis, & naturalibus, & naturales nolunt emere niſi ſolito pretio.

De negotiatione illicita per accidens. f. rõne mendaciorum periuriorum &c.

69 Vltra iniuſtitiam explicatam in negotiatione, poteſt eſſe illicita negotiatio ex periurijs, mendacijs, & alijs ſimilibus, quæ poſſunt dici facere negotiationem illicitã per accidens, vt ſuprà diximus: hæc enim vitia inſunt venditioni, & emptioni ex nequitia vendentium, non ex natura, & eſſentia ipſius venditionis, & emptionis. Obſeruandum eſt autem quòd mendacium, & periurium in eo, qui intendit vendere, vel emere vltra pretium iuſtum

tantùm,

tantùm, quod sit peccatum mortale, est peccatum mortale iniustitiæ: ordinantur enim ad finem, qui est peccatum mortale iniustitiæ. Si verò intendit vendere intra iustum pretium etiam rigorosum non est peccatum mortale iniustitiæ, sed remanet in suo genere, scilicet mendacium, erit peccatum veniale, quia de suo genere tale est; & periurium erit mortale: quia huiusmodi est ex suo genere; tunc enim non additur circunstantia, quæ faciat actū illum peccatum alterius speciei. Similiter emptio, & venditio ex inordinato affectu ad lucrum, tunc est culpa mortalis, quando quis ob lucrum transgreditur præceptum aliquod obligans ad peccatum mortale, aut paratus est illud transgredi, vt patet ex regulis generalibus agnoscendi, quis sit actus mortalis, & qui non: affectus autem, & desiderium transgrediendi sine actu determinato transgrediendi est solùm peccatum veniale. Hinc fit quòd vēditio in die festo sit illicita, & est peccatum mortale, si sit causa, vt transgrediatur præceptum de festo seruando, vt si multum temporis, quis in ea consumat; non autem si parum, vt fieri solet in vendendis candelis, & similibus, de quibus pretio non est conueniendum. Similiter qui in nūdinis negotiatur non audita Missa si potest, nisi negotium magni momenti sit, vel alia iusta causa; siue deinde nondinæ celebrentur die dominico, siue celebriori, nihil refert: quia tunc non transgreditur præceptum de obseruatione festorum cum lege sit permissum in Nundinis diebus festis negotiari secundùm omnes, vt optimè tradit Nau. in Man. c. 13. num. 8.

An vēdens ex imoderato affectu lucrandi peccet.

De venditione in die festo.

70 Item ratione loci, vt si fiat in loco sacro cum scandalo, & impediatur diuinum officium, vel tumultus fiat, vt in Nundinis cap. *decet* de immunitate Eccles. lib. 6. hac enim ratione Christus Dominus eiecit de templo ementes, & vendentes. Secus si aliquid parui valoris, vt dicebamus de candelis illic vendant ad honorem Dei. Item ratione personarum. Nam prohibetur negotiatio Clericis præsertim in ordinibus sacris constitutis, & etiam in minoribus secundùm aliquos, & imponitur pœna excommunicationis cap. 2. *ne Clerici, vel Monachi*, & cap. *Sed nec*, eodem titulo, & alijs iuribus: intelligitur autem de venditione, & emptione purè negotiatiua, non autem de economica.

De venditione in loco sacro.

De venditione & emptione à clericis.

71 Item ratione rei, quæ prohibita est vendi, vt sunt res sacræ quarum venditio est simonia. Item venditio eorum, quæ pertinent ad actum infidelitatis ipsis infidelibus, vt vendere idola. Similiter qui vendit ensem quo aliquis iniustè interficeretur: quia hoc est peccatum homicidij. Idem dicēdum est de veneno, & alijs rebus, quæ per mixtionem alterius materiæ vsibus humanis prodesse nō possunt l. 35. *quod sæpe*. §. 2. *veneni mali* ff. de contrahen. empt. ea vero, quæ mixta alijs materijs nocendi vim amittunt, vt ex his medicamenta, & alia salutaria, & vtilia conficiantur, vendi possunt, vt patet ex eadem lege.

De venditione rerū prohibitarum.

72 Ex dictis varia dubia soluuntur. Nam primò quia quæret, quid iuris de eo, qui necessitate compulsus rem suam venalem facit, & quærit emptores, Caius autem offert quidem pretium, sed vile, atque si non vis, quære tibi qui pluris emat; quærit, & nullum inuenit, qui pluris emat, reuersus ad Caium ei rem suam quanti ille volebat, vendit? Respondetur ex dictis. Caium non esse condemnandum: quia rem illam emit iusto pretio siquidem ex penuria emptorum illud vile pretium fit iustum.

1. Dubitatio quid de eo, qui necessitate ductus rem vilius vendit, quā sit iustum pretium.

73 Ex hac eadem radice sequitur, quòd aliquando diues non facit contra iustitiam vendendo rem carius pretio iusto: nam quandoque diuites rem aliquam vendere nolunt nisi rogati; cum autem emptores rogant vendentem, augent pretium: & sic pluris vendere possunt sine iniustitia: sicut à paupere minùs iusto pretio emi potest, vt dictum est in præcedenti casu. Sed hoc est verum de pretio naturali, non quando pretium iam taxatum est à Principe: quia iam dictum est hoc non pati accrementum, vel decrementum, sed esse positum in indiuisibili.

2. Dubitatio qñ diuiti rem suā pluris ꝑcio iusto vēdere licet.

Pretiū statutū à Principe nō patitur accrementū, nec decrementum.

74 Ex eadem radice videtur haberi intellectus illius propositionis. *Res tantum valet, quantum vendi potest.* Nam licèt quandoque illa intelligatur intra latitudinem iusti pretij, quomodo eam intelligant Molina dispu. 350. num. 6. & Azorius videtur assentire 3. p. lib. 8. cap. 21. q. 5. & alij nonnulli: tamen videtur etiam intelligi posse, vt vltra pretium communem extendatur: nam dictum est, quòd rei pretium augetur ex multitudine emptorum. Si ergo verbi gratia nunc iustum pretium rigorosum alicuius mercis sit 105. infimum 95. & crescant emptores multi, pretium etiam iustū augebitur, ita quòd vbi priùs pretium iustum rigorosum erat 105. augebitur ad 120. tunc illud erit iustum pretium, & tamē erit extra latitudinem iusti pretij communis: in hoc ergo casu verum erit, quòd res tantum valebit, quantum vendi potest; vendet enim maiori pretio ab emptoribus oblato; non ergo semper illa Regula *res tantum valet, quantum vendi potest*, restringitur ad latitudinem iusti pretij currentis; sed quandoque facit iustum pretium crescere: ideò Couarruuias lib. 2. Variarum resolut. cap. 3. num. 4. dicit intellectum verum illius regulę ex Glossa singulari in l. *mortis causa capimus*, ff. de donationibus causa mortis Angelo, Imola, Bartolo ibidem, & alijs doctoribus ab eo citatis esse hunc. Quòd res tantum valet, quantum absque fraude, & iniuria communiter potest homini scienti eius conditionem vendi, Quod etiam videtur asserere Nauarrus in Manu. cap. 23. numero 80.

3. Dubitatio. Res tātū valet quantū vendi pōt, quō intelligatur.

Verus intellectus ꝑdictę regulæ.

75 Aliud dubium magnæ considerationis est, an principum laicorum leges, & statuta de pretio rerum obligēt Clericorum conscientias. Respondetur Syluester, verbo *lex*, quæst. 15. Angelus eodem verbo num. 5. Nauarrus in Man. cap. 23. num. 88. Medina p. 2. quæst. 96. art. 5. prope finem Azorius p. 3. lib. 8. ca. 22. quæst. 2. qui alios citat, tenent partem affirmatiuam hac ratione, quæ mihi semper efficacissima uisa est: quia iure naturali, & diuino quisque cogitur merces iusto pretio vendere; at iustum pretium est, quòd lex Principis præfigit: ergo Clerici eidem legi subijciuntur, & eas transgredientes peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem: subditi autem sunt Clerici his legibus non quatenus leges laicorum sunt, sed quatenus leges illæ ex lege naturæ, & diuinæ proueniunt: ideò obligant in conscientia.

4. Dubitatio. An leges principum obligēt clericos.

76 Quintò dubium etiam illud soluitur an possit quis, emere aliquid pretio minori iusto ob pericula, damnum, & incommodum, quod pati contigerit ex emptione alicuius rei, vt putà quis emit prædium diuersis litibus inuolutum, vel aliquibus periculis subiectum: quæritur an minori pretio currenti tunc emere iustè possit. Respondetur posse iustè minori pretio emere, licèt aliqui sentiunt oppositum. Ratio est quia res periculis exposita, vel oneri, vel litibus subiecta, minoris æstimatur, ac emitur. l. 79. *fundi partem*, ff. de contrahen. empt. Abbas in cap. cum Ioann. de fide instro. & alij citati ab Azorio lib. 8. c. 21. q. 10.

An res periculis subiecta vilio ri emi pretio possit.

77 Sextò obseruandum est iustum pretium variari in venditionibus iuxta pacta, quæ fiunt in venditionibus, vt patet in venditione cum pacto retrouendendi; in venditione cum pacto legis commissoriæ: & in venditione cum pacto ad diem. Venditio cum pacto retrouendendi est v. g. cum ego vendo tibi fundum meum ea conditione, vt quando tibi pretium, quod mihi soluisti, reddidero, tu quoque mihi debeas reddere fundum meum; hoc est debeas denuo mihi vendere fundum tantidem, quāti eū tibi vendidi. Solet modò quæri an venditio cum hoc pacto sit licita. Ad quod Respondetur quòd licèt in c. *Ad nostram*, de emptione, & venditione tanquàm vsuraria dānari videatur, tamen reuera non damnatur: quia casus, qui eo cap. damnatur, habet alias circunstantias, propter quas ille iure damnatur. Neque prohibetur in Leuitico cap. 25. vbi approbatur quædam venditio cum pacto retrouendendi, hac conditione, vt fructus computentur in sortem principalē: cum aūt in proposito res retrouēditur fructus percepti non computantur in sortem. Responde-

De venditione cum pacto retrouendendi.

Venditio cum pacto de retrouēdēdo quid sit.

An sit licita.

turenim

rūe enim ibi computati fructus in illa retrouendirione, quia res non vendebatur in perpetuum, ſed vſque ad annum Iubilei qui erat quinquageſimus in quo poſſeſſiones libera ad ſuos priores dominos reuertebātur. Vndè cum res emebatur, numerabantur anni qui ſupererant vſque ad quinquageſimum, & quò plures, vel pauciores erant, eò pluris vel minoris emebatur res; & ſic cum redimebatur numerabantur anni quibus emptor rem poſſederat, & eo pluris vel minoris redimebatur. At venditio cum pacto retrouendendi, quæ nunc fit, non fit vt ad certum tempus reſtituatur, ſed hac conditione, vt rem, vt ſuam abſolutè teneat, donec reſtituatur pretium, quo illā emit. Vndè doctores communiter eam licitam eſſe aſſerunt, vt eſt videre apud Canoniſtas in eodem cap. *ad noſtram*, de venditione, & emptione nimirum Innoc. Hoſt. Ioā. And. Panormitanum, Ancharanum, & alios, quos Couarruuias lib. 3. variarum reſolut. cap. 8. Azorius 3. p. lib. 8. c. 10. & alij referunt. Et ratio eſt, quia ſicuti ego poſſum tibi vēdere domum meam ea lege, vt tantidem mihi vendas aliam domum tuam, ſic poſſum vendere tibi domum meam eo pacto, vt iterū eam mihi vendere debeas, quando ego tibi pretium reddidero. Præterea ratio, propter quam talis venditio videtur vſuraria, eſt quia is contractus non videtur differre à pignoratione; in pignoratione autem fructus pignoris cedit in ſortem principalem, in hoc autem contractu venditionis cum pacto de retrouendendo fructus manent apud emptorem, nec computantur in ſortem principalem; ſed reſpondetur communiter aſſumptum eſſe falſum: quia hic contractus eſt vera venditio: quia transfertur dominium rei in emptorem, vndè ſi perit, perit emptori; quod non accidit in pignoratione: ideò meritò fructus rei ſunt emptoris, non venditoris.

De iuſto p̄tio in venditione cū pacto, retrouendendi.

78 Difficultas eſt, quodnam ſit iuſtum pretium in hac venditione: quia in capitulo adducto. *Ad noſtram*, videtur damnari hæc venditio ea ratione, quia res vēdita minori pretio vendita fuerit ob tale pactum. Reſpondetur ſententiam communem ex prædictis auctoribus eſſe, rem, quæ cum tali pacto venditur, ob onus eam reſtituendi, cum pecunia reddita fuerit, æſtimari minoris pretij, quàm ſi ſine tali pacto, ſed abſolutè venderetur. Sed quantum eſt iſtud minus pretium? Reſpondetur ſunt variæ ſententiæ; ſed communior opinio eſt pretium poſſe decreſcere vſque ad quartam partem iuſti pretij, non citra; ita vt ſi res valeat duodecim, cum tali pacto valeat nouē, ac propterea ſi minoris vendatur, pretium erit minus æquo, & iuſto; & debet redimi eodem pretio, ſiue res pluris, ſiue minoris æſtimatur, quando æſtimatio eſt maior, vel minor curſu temporis ex communi ſententia. Si tamen res melior euaſit, quàm ſi ſtetiſſet apud venditorem, expenſis, & laboribus emptoris: Vel ſi culpa emptoris deteriorata eſt, & in principio fuit appoſitum pactum, vt maiori, vel minori pretio iuxta prędicta redimeretur, poteſt maiori, vel minori pretio redimi: quia æquum eſt, quòd emolumenta cedant in vtile emptoris, ſicut & damna illata ab eo in eundem cedere debent.

Pactū quot modis fieri ſolet.

79 Pactum verò in huiuſmodi venditione ſolet fieri quatuor modis. Primò quandocunque venditor voluerit reſtituere integrum pretium, & actu reſtituet, emptor cogatur rem emptam reſtituere. Secundò quòd emptor ad certum tempus cogatur rem iterum reuendere, illo verò tranſacto nequaquàm, vt e.g. quòd ſi intra quinquenium venditor reſtituerit pretium, emptor reuendere cogatur; illo verò quinquenio elapſo, nequaquam. Tertiò quòd res vendita nequeat ante certum tempus redimi, vt e.g. ante quinquenium, vel ſeptennium, eo verò elapſo liceat venditori, quandocunque voluerit, rem illam redimere. Quartò quod non poſſit res redimi poſt annum inceptū, ſed ſolùm ad exitum anni; illo verò incoato nequaquā.

80 De his modis ſolent doctores dubitare, tamen primum nullam continere iniuſtitiam omnes conſentiunt; aſſerunt tamen, huiuſmodi contractum eſſe valdè ſuſpectum, & doctores aſſignant varias coniecturas, quibus diſcerni poteſt, an ſit vſurarius contractus, & aliqui dicunt ſufficere quòd res viliori pretio vendatur, & cum pacto de retrouendendo; ſed hos iure confutat vbi ſuprà nu. 4. Couarruuias: quia iſtæ duæ conditiones ſunt de eſſentia venditionis huiuſmodi, vndè cum ipſa ſit licita, ſequitur ex his duabus conditionibus non debere iudicari vſurariam. Couarruuias ipſe dimiſſis multis inquit iudicium hoc, quando hæc venditio cum pacto de retrouendendo ſit vſuraria, eſſe delegandum arbitrio boni viri, ac iudicis diſcreti, qui ex varijs coniecturis poterit arbitrari contractum eſſe vſurarium, vel iuſta ratione tollerandum. Quādoque enim ex ſola pactione, & modico pretio poterit iudicari contractus vſurarius; quādoque præter hæc duo, aliæ præſumptiones erunt inueſtigandę, vt ſi nō adſit bona fides; at ſi adſit bona fides; vt ſi fiat à ruſtico, carebit ſuſpitione vſuræ propter bonam fidem; aliæ ſimiles conditiones ſunt conſiderandæ.

81 Huiuſmodi autem venditio cum pacto retrouendendi multo magis eſt ſuſpecta, cum cedit in vtilitatem emptoris: ſolet enim aliquando pactum fieri non gratia venditoris, ut hucuſque diximus; ſed in gratiam emptoris, ſcilicet hoc modo. Titius uendit domum Caio hoc pacto, quòd quotieſcunque Caius uoluerit repetere pretium domus, & reſtituere domum, poſſit. Patet hoc pactum eſſe in fauorem Caij, quia difficilius eſt reperire pecuniam, quàm domum reſtituere. Aliqui ergo dicunt hunc contractum eſſe omninò uſurarium. Couarruuias lib. 3. variarū reſolut. cap. 9. nu. 3. ſuſtinet non eſſe uſurarium: quia in eo ſaluatur ſubſtantia uēditionis: quoniam ſi res uendita eo tempore pereat, perit emptori: ideò non eſt mutuum, ſed propriè uenditio; Nihilominùs huiuſmodi contractus eſt valdè ſuſpectus, & valdè ab eo abſtinendum, & ideò iure doctores iudicauerunt à Republica exterminandum eſſe. Quādo cedit in vtilitatem emptoris quid dicendum.

82 Pactum legis comiſſoriæ eſt, cum vendo tibi fundum meum tanti hoc pacto, vt ſi tu non ſolueris ad tres, menſes, fundus pro nō vendito, neque pro empto habeatur. Hæc venditio eſt licita, quia nihil contra legem naturæ, & diuinæ continet, iure ciuili etiam eſt permiſſa, l. 2. Cod. de iure emphit. De pacto legis comiſſorię.

83 Pactum addictionis ad diem eſt e.g. vendo tibi fundum meum centum aureis hoc pacto, quòd ſi alius intra Kal. Ianuarias proximas meliorem conditionem obtulerit, cenſeatur non venditus, & non emptus. Venditio cum tali pacto eſt licita: quia in hac venditione nulla committitur iniuſtitia. De pacto vēditionis ad diem.

84 Arrha (quam Itali vocant caparra) in contractibus venditionis, & emptionis, ſimiliter locationis, & conductionis eſt id, quod datur in ſignum, ſeu pignus contractus celebrati, ſed nondum tradita eſt res, uel celebrandi. Quando ergo contractus eſt concordatus, & adeſt promiſſio, de contrahendo, rei tamen traditio non eſt facta, & in ſignum promiſſionis emptor dedit arrham, tenetur ſtare contractui; ſin minus emptor ſtare nolit, amittit arrham: ſi autem uēditor non uult ſtare, ammittit arrham, quam acceperat ab emptore, & rurſus tantundem de ſuo; & hoc eſt licitum, Inſt. de emptione, & uenditione §. 1. uerſu *ita tamen*. De arrha.

85 Septimo eſt dubiū, an lex ſtatuta à Principe quòd modius frumenti tanto pretio vendatur, an ſit iuſta: nam inter frumenta unum eſt melius altero: penuria etiā, & copia mercium, uēditorum, & emptorum eorum pretia augentur, uel decreſcunt: ergo non uidetur eſſe lex iuſta, quæ ſtatuit idem ſemper eſſe pretium frumenti, tam in penuria, quàm in abundantia; tam exiſtentibus pluribus uenditoribus, quàm paucis. Reſpondetur, cum pretium in certa mediocritate, & æquitate ſit conſtitutum à lege, parum referre quòd plures, uel pauciores uēditores ſint; uel quòd alię meliores, uel deteriores, uel quòd maior abundantia uel inopia eorundem adſit: ratio eſt quia iſta ſunt per accidens, quæ à lege non ita caueri poſſunt: ideò iuſta eſt illa lex, præſertim, quia ſic conſulitur bono publico: An lex ſtatuta à Principe de pretio frumenti iuſta ſit.

publicè: ita quoque asserunt Medina de rebus restituendis quæst. 16. & Corduba in summa q. 78. Azorius libro 8. cap. 22. quæst. 6. neque licet priuatis cariùs vendere: quia pretium statutum à lege consistit in indiuisibili, vt dictum est.

86 Sed quid si stante prædicta lege, propter pœnuriã nihilominus de facto passim pluris triticũ vendatur, q̃ lex statuit? Respondent iidẽ doctores, & rectè, quòd vel violano legis fit sciente principe, & neminem puniente, & tunc lex vim non habet, sed censetur abrogata: vel fit eo inscienie, & aliquos puniente, non autem omnes, quia forsan non commodè potest, & tunc lex obligat; nec tuta conscientia plus pretio definito à lege vendi potest. Quid denique si præses, vel gubernator prouinciæ ciuitatis impunè permittat pluris triticum vendi, vel publica preconis voce iubeat, vt singuli vendant triticum tanti, quanti voluerint? Respondeo: Azorius vbi suprà Respondet adhuc violatores legis non esse liberos à culpa, & obligatione restituendi: quia præses, & gubernator non habet auctoritatem abrogandi legẽ principis; solùm. n. permittit preses, vt transgressores legis pœnam non subeant. Cordubẽsis ex opposito tenet esse liberos à culpa, & ab obligatione restitutionis, quando hæc permissio fit à gubernatore prouinciæ. & hęc opinio mihi probatur, quia certè nõ est præsumendum ministrum principis contra voluntatem principis agere, donec constet oppositum. Et confirmatur: quia tunc illa publica proclamatio nihil prodesset, licèt enim quis in foro exteriori liberaretur à pœna temporali, tamen in foro interiori peccaret mortaliter, & teneretur ad restitutionem: ideò nullus deberet legem transgredi: & si gubernator, vel præses prouinciæ (& idem censeo de gubernatore ciuitatis) ea proclamatione, vel tacita permissione non subueniret pœnuriæ pauperum, quã tñ intẽdit per illã proclamationẽ, & permissionẽ subleuare.

De venditione dilata solutione ad tempus. Cap. IV.

87 AGit Scotus in eo articulo 2. de cõtractibus permutationis, venditionis, & emptionis, locationis, & conductionis, & mutui antequàm agat de venditione, & commutatione dilata solutione, vel re permutata nõ statim tradita: quia iniustitia, quæ committitur in venditione dilata solutione, reducitur ad vsuram, vt videbimus; quia talis venditio est vsura palliata sub nomine venditionis: ego autem ne materia venditionis diuidatur decreui, hic agere de venditione dilata solutione, postquàm cap. præcedentibus egi de venditione, & emptione, ac permutatione, in qua statim commutans recipit pecuniam, vel rem pro qua commutat.

88 Inquit ergo Scotus, quòd ad venditionem (& idẽ dicendum est de permutatione rei vsibilis cum vsibili, & de alijs contractibus, vt videbimus) præter regulas superiùs assignatas pertinentes ad iustũ, vel iniustum in singulis contractibus, quæ erant duæ, scilicet quòd non adsit fraus, & pretium sit iustum; duæ aliæ regulæ sunt addendæ. Prima est, quòd commutans non commutet, vel vendat tempus. Secunda, quòd vendens, & commutans non se ponat in tuto de lucrando, & illum cum quo commutat, in certo de damno: & intelligit (vt se explicat) in tuto semper, vel vt in pluribus. Adeò quòd quatuor sunt regulæ iustę venditionis dilata solutione. Prima est quòd fit sine fraude, & dolo. Secunda quòd pretium sit iustum. Tertia, quòd tempus non vendatur. Quarta, quòd vendens non se ponat in tuto quò ad lucrum, & emptorem in dãno certo, sed vterque periculo subster. Has duas vltimas regulas Scotus simul declarat, & probat applicando eas ad casus particulares, ex quibus eliciuntur regulæ claræ cognoscendi quando venditio, vel commutatio non tradita pecunia, vel re in qua fit permutatio, sit iusta, vel iniusta.

Duæ aliæ regulæ obseruandæ in venditione dilata solutione.

89 Inquit ergo Scotus supponatur, e.g. quòd festum Natiuitatis domini dicatur A. & festum Natiuitat. D. Ioan. Baptistæ dicatur B. hunc sic. Titius commutat seu vendit rem suam, vt purà frumentum suum Caio in A. scilicet in festo Natiuitatis Domini, hoc pacto, vt Caius soluat pecuniam, vel tradat rem, pro qua cõmutat, in B. id est in festiuitate Sancti Ioan. Baptistæ. Tunc quæritur, aut Titius erat venditurus hoc suum frumentum in Natiuitate Domini, aut non, sed in Natiuitate Sancti Ioannis. Si primum: aut tũc quando vendit determinat pretium, & vendit pretio currenti eo tempore; scilicet in Natiuitate Domini, & tunc Scotus ponit primam conclusionem, quæ est. Titius sic vendens frumentum suum Caio facit misericordiam Caio. Probatur hæc conclusio: quoniam supplet indigentiam proximi antequàm teneatur illam supplere: quoniã expectat solutionem Caij vsque ad Natiuitatem Sancti Ioannis.

3. & 4. regula explicantur.

1. Conclusio.

90 Aut determinat, & vendit maiori pretio, quàm sit pretium currens pro Natiuitate Domini, & tunc Scotus ponit secundam conclusionem, quæ est. Titius est vsurarius. Hanc conclusionem probat: quia vendit tempus, & sic facit contra primam regulam. Intelligitur autem regula, quòd vendat vltra pretium rigorosum iustum: quia si venderet pretio rigoroso intra latitudinem iusti pretij non esset vsurarius: quia non trãscendit limites iusti pretij. Quòd autem iste sit vsurarius probat Scotus ex capite. *Consuluit*, extra de vsuris. Nam in eo Capitulo casus iste formaliter ponitur. Consuluisti &c. *An negotiator pęna consimili debeat condemnari, qui merces suas longè maiori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quàm si ei in continenti pretiũ persoluatur*, & respondet Põtifex esse vsuram, & obligari ad restitutionem.

2. Conclusio.

91 Caietanus 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad septimum hanc conclusionem non putat esse vndequaque veram, licèt nõ nominet Scotum, sed distinguit, quòd solutionis expectatio potest duobus modis considerari: vno modo quatenus est distincta ab emptione, & venditione: alio modo tanquàm actio completiua contractus venditionis, & emptionis. Primo modo concedit conclusionem hanc habere locum: non autem secundo modo, quia inquit; licèt merx minus valeret, quando incepta est venditio, & emptio: tamen quia in solutione completur contractus, si tũc merx plus valet, potest plus vendi. Et hoc confirmat ex c. *in ciuitate*, de vsuris. In quo Alex. III. nulla facta mentione, an mercator sit seruaturus merces, ait quòd piper, & cinamomum, quod præsente pecunia venditur quinque, põt absque peccato dilata solutione vẽdi sex. Sed Caietanus reijcitur cõmuniter ab oĩbus: quia distinctio illa sua est nulla: omnis enim venditio, & emptio perficitur solutione, siue præsenti, siue dilata. Et caput illud *in ciuitate* explicatur per illud *Nauiganti*, & continet eundem casũ magis explicatum, quod etiam supponit Scotus ex Glossa in caput *nauiganti*, quam Caiet. sine ratione reprehendit, vt patebit infrà ex conclusione 4. Scoti.

Obiectio ex Caietano.

Caietanus reijcitur.

92 Si autem Titius non erat venditurus frumentum suum tempore Natiuitatis Domini, sed erat expectaturus tempus, quo secundùm cursum ordinarium frumentum esset plus valiturum, vt plus lucraretur. Tunc quærit. Vel Titius determinat, & statuit certum pretium, vel non, sed dimittit certificationem pretij pendere ex euentu futuro. Si primum scilicet si determinat pretium; vel determinat secundùm latitudinem pretij communis, quod tunc temporis currit: & tunc est tertia conclusio Scoti, scilicet q̃ non est dubium Titium facere misericordiam, & maiorem, quàm ille, qui non erat seruaturus frumentum. Probatur à Scoto: quia priuat se lucro illo, quod sperare poterat, & actu habere, seruando suum frumentum. Si verò determinat, & statuit pretium maius, quàm sit latitudo pretij ordinarij nunc currentis; hoc duobus modis facere potest. Vno modo determinando pretium, ad pretium medium, quo probabiliter solet valere tempore Natiuitatis Sancti Ioannis, siue tempore solutionis, & tunc est 4. concl. Scoti, scilicet tunc non esse vsuram, sed iustum contractum.

3. Conclusio Scoti.

4. Conclusio Scoti.

tractum. Probatur quia ratione dubij propter quod non se ponit in tuto, excusatur, nec facit contra vllam ex duabus regulis. Et hanc assertionem confirmat ex cap. *Nauiganti §. ratione*.

Pretiũ triplex esse, rigorosũ, medium, & infimum desumitur ex Scoto.

93 Pro intelligentia huius assertionis, quæ est regula generalis quoque. Notandum est, quòd ex hoc loco Scoti desumitur diuisio illa pretij triplicis, scilicet rigorosi, infimi, & medioeris, quam suprà adduximus, & omnes deinde amplexi sunt. Nam regulariter frumentum minus valet in Natiuitate Domini, quàm in Mense Maij, & prope Natiuitatem Sancti Ioann. Baptistæ, v. g. si modius frumenti tempore Natiuitatis valet decem aureis, Mense Maij valebit duodecim, vel tresdecim. Pretium autem illud maius in mense Maij non est determinatum nec semper eodem modo se habet, sed aliqñ est maius, aliquando minus; prout abundantia speratur, vel penuria timetur. Regulariter tamen adest pretium rigorosum, infimũ, & medium, exempli gratia aliquando Mense Maij modius frumenti valet 13. aureis; & hoc est pretium rigorosum. Aliquando valet 12. aureis, & hoc est pretium infimum. Aliquando 12. cum dimidio. Et hoc est pretium medіocre. Hæc sunt pretia ordinaria, quandoque tamen ex euentu augentur, & quandoque diminuuntur. Ad propositum inquit Scotus. Si Titius vendens frumentum Caio cum pacto, vt soluat pecuniam in festo Natiuitatis Sancti Ioa. vel ad finem mensis Maij, statuit pretium maius, quàm valeat tempore Natiuitatis Domini, sed tamen nõ excedit pretium mediocre, quo solet valere tempore solutionis, nimirum Mensis Maij vel Natiuitatis D. Ioa. Bap. hoc pretium est iustum: quia vendens non se ponit in tuto quò ad lucrum, nec emẽtem in certo damno, sed vterque est expositus lucro, vel damno. Nam si accidat penuria frumenti tempore solutionis, pretium augebitur ad rigorosum, & quandoque vltra rigorosum; & sic cedet in damnum vendentis, & in vtilitatem ementis. Si verò accidat abundantia, pretium decrescet, & cedet in vtilitatem vendentis, & damnum ementis.

94 Rectè autem Scotus ait hanc assertionem probari per cap. *Nauiganti §. ratione*, quia in eo §. ponitur hic casus, & hoc modo determinatur à Papa. Verùm Scotus

Obiectio Scoti cõtra allatã conclusionem.

obijcit contra hanc suam determinationem caput *in ciuitate tua*, de vsuris (vbi nota quòd textus Scoti est mendosus nam legit *in tua*, & debet legere, *in ciuitate tua*, quia hoc est caput, quod in illo titulo reperitur, & continet obiectionem hanc, quam contra se adducit Scotus) in eo enim capite postquàm Papa decreuit, quòd contractus ille, in quo piper, seu cinamomũ, & aliæ merces quæ, currenti pretio quinque venduntur, dilata aũt solutione venduntur sex non est vsurarius, (in quo casu tamen Papa supponit quòd mercator esset seruaturus ad aliud tempus in quo cariùs venderetur, vt suprà diximus contra Caietanum, cum communi sententia doctorum) addit ciues illos saluti suæ benè consulturos, si à tali contractu abstinerent: ergo videtur huiusmodi assertionem esse falsam.

Solutio.

Respondet Scotus, quòd illa est monitio vtilis, non præceptum necessarium, & ratio est, quia, vt inquit Glossa in eodem loco verbo, *venditores*, licèt iste contractus ex forma ista non sit vsurarius, potest tamen fieri in fraudem vsurarum, & fraudes vsurarum sub illo tegi possunt.

5. Conclusio.

95 His habitis Scotus ponit quintam assertionem, quæ est, si Titius determinat pretium maius pretio currenti, hoc adhuc potest facere alijs duobus modis. Vno modo statuendo seu paciscendo quòd determinatio pretij pendeat ex valore futuro ipsius frumenti, & mercis tempore determinato solutionis. Vt puta si dicat concedo tibi istud frumentum pro tanto pretio pro quanto valebit in die Natiuitatis Sancti Ioannis, vel pro alio certo die, citra festum Sancti Ioannis, in quo consueuit illud cariùs vendi, quàm tempore Natiuitatis Domini, quo actu venditur; & tunc Scotus statuit conclusionem quintam, quæ est. Sic vendens facit contractum iustum. Hæc conclusio non probatur à Scoto, sed deducitur ex dictis: quia statuendo determinatam diem non se ponit in tuto, & emptorem in certo damno, vt in pluribus, sed exponit se periculo quòd minus valeat eo die quàm alio, quo potuisset statui terminus solutionis. Statuere Titius statuat determinationem pretij pendere à certo tempore, & die in quo communiter frumentum minus valet, quàm tempore quo vendit, est sexta conclusio Scoti. Vendens sic facit misericordiam emptori, quæ patet: quia ipse venditor non se ponit in tuto quò ad lucrum; sed potiùs ponit se in damno, vt in pluribus: & emptorem in tuto, vt in pluribus, quò ad non patiendum damnum.

96 Vltimo denique modo Titius potest statuere pretij determinatione pendere à valore futuro in tẽpore indeterminato, ita vt se ponat in tuto, vt in pluribus, & emptorem in damno certo, vt in pluribus: vt putà, si statuat pretium futurum debere esse rigorosum, seu illud quo cariùs à prima die Maij vsque ad festum Sancti Ioannis frumẽtum vendatur, tunc Scotus statuit septimam conclusionẽ, quæ est hæc. Huiusmodi contractus est vsurarius. Hæc

7. Conclusio.

conclusio probatur primò: quia ipse venditor se ponit in tuto quò ad lucrum, & ponit in certo damno emptorem; & sic venditor habet pro se illud, quod euenit, vt in pluribus, & contra se habet quod euenit rarò, & in paucioribus. Secundò eandem conclusionem probat. Quia in tali contractu alia iniustitia interuenit; quoniam aliquo die determinato oportet venditorem exponere suum frumẽtum, vel merces venditioni, & non tempore particulari vago; in illo autem die determinato posset contingere quòd minùs carè venderetur, quàm in die quo carissimè venderetur inter Natiuitatem Domini, & diem Natiuitatis Sancti Ioan. vel inter primam diem Maij, & diem festum Sancti Ioan. Baptistæ, & per consequens in tali pacto facit se certum de lucro vltra quàm humana industria pertingere possit. Et nota quòd hæc conclusio non est contraria quartæ conclusioni superiùs positæ: quia etsi in quolibet pretio iusto sit latitudo rigorosi, infimi, & medij, vt dictum est suprà, tamen hoc intelligitur de pretio, exempli gratia ea die currente: in vno autem mense, vt putà Augusti, possunt esse pro diuersis diebus diuersa pretia iusta quorum quodlibet habet suam latitudinem; tamen vnum respectu alterius est maius, vel minus, exempli gratia prima die Augusti pretium vnius modij frumẽti in sua latitudine erit decem Iuliorum ad minimum, ad summum 11. mediocre decem Iuliorum, & dimidij: decimo die verò pretium modij currens cum sua latitudine erit 12. Iuliorum, & in decima tertia 12. & dimidij. Die 20. erit 15 Iuliorum vsque ad 16. ista pretia diuersa in mense licèt inter se habeant rationem, rigorosi, medij, & infimi, tamen de his non intelligitur cum dicitur pretium iustum habere infimum, medium, & rigorosum. Sed de pretio eiusdem diei, & de hoc intelligitur quarta conclusio. De priori verò intelligitur hæc septima cõclusio: ideò non est contradictio.

97 Doctrina ista, & septem istæ conclusiones sunt communiter concessę, & receptę ab alijs doctoribus, licèt Scotus non nominetur, & sub alijs verbis, & alio ordine tractentur, sed hic ordo, quem seruauit Scotus, est facilis, clarus, & facilè in praxi memoriæ mandari potest, & multi casus declarari possunt.

98 Ex dictis haberi põt solutio multorum dubiorum, & casuum, qui a doctoribus excitãtur, & continuo in praxi eueniũt. Inter alia aũt illud est satis difficile, An mercator possit suas merces cariùs vendere dilata solutione, ob periculum, & timorem amittẽdi capitale, aut partẽ illius: quia putat probabiliter emptorem non esse solutur ũ, aut magna cum difficultate, expensis, & similibus.

An liceat carius vendere ob timorem & periculum, qđ emptor non sit soluturus.

Hic sunt duæ opiniones. Prima est negatiua, quam secutus est Soto lib. 6. de iustitia, & iure quæst. 4. artic. 1. ad 3. in fine, & ante eum Conradus quæstio. 19. col. 1. & 2. Nauar. in Manua. cap. 23. numero 81. isti enim aiunt

1. Opinio.

ratione periculi non posse crescere pretium vltra iustum, sed solum ratione expensarum: quamuis hoc etiam

fit periculosum, & fieri debeat ea conditione, vt si nullæ deinde fiant expensæ, nihil accipiatur vltra precium iustum, quod Nau. tradit num. 84. cum Syluestro in Aurea Rosa num. 6. Et in eandem sententiam citatur Maior in 4. dist. 15. q. 40. Azorius 3. p. lib. 8. c. 8. q. 7. asserit neque ratione periculi, neque ratione expẽsarum, laboris, nec molestiæ posse precium augeri vltra iustum, & consequenter huiusmodi venditionem nullo modo esse licitam.

Fundamentum horum doctorum est, quia opinio opposita est noua, & contra omnes Theologos, & Canonistas, & condemnata est in cap. *in ciuitate tua*, & aperit viã vsuris; quia etiam mutuans alicui sic se subijcit periculis, & laboribus; & tamen non conceditur, quòd propter hęc possit aliquid vltra sortem principalem accipere.

99 Altera sententia est affirmatiua, quæ asserit in prædicto casu licere ascendere tantum supra precium iustum rigorosum, quantum periculum illud iudicio prudẽtis est ęstimandum. Hanc tenet Medina de rest. q. 38. & de Cõ- Opinio opposita. tractibus q. 59. fundamentum eius principale est: quia periculum, labores, & expẽsæ sunt precio ęstimabiles, neque vllus tenetur illas subire, vel illis se subijcere gratis: ideò si tẽpore venditionis cũ emptore conueniat de excessu iusti pretij, & emptor acceptet, quicquid inde eueniat, inquit, non teneri ad restitutionem. Molina disp. 336. concl. 2. licèt dicat non esse consulendum huiusmodi contractum, quia est periculis plenus, & generat scandalum; tamen cũ fit consentiente emptore putat esse licitum, propter rationem adductam à Medina. Secũdò quia creditum tali die soluendum, e. g. centum aureorum quorum solutio est difficilis, & periculosa, venditur multo minus, vt pro octuaginta, vel etiam minus, ratione periculi, expensarum, labo- 2. Ratio. rum &c. ergo sicut periculum hic facit pretiũ decrescere, vt tenet quoque ipsemet Soto loco citato, ita in casu nostro debet facere pretium augeri.

100 In hac re difficili nõ videtur mihi recedẽdũ esse ab opinione Medinæ, & Molinæ: rationes. n. eorum sunt efficaces, & fundamentum principale illius opinionis, nimirum ꝙ periculum, expensæ, & labores sunt vendibiles, & aliqd valent, est verissimũ, vt cũ Scoto diximus suprà agẽdo de vẽditione negociatiua Mercatoribus. n. licet merces plus vẽdere ob periculũ, & labores, quibus se subijciũtur trãsferẽdo merces de vno loco ad alium; cũ ergo periculum sit pecunia appretiabile, vbicunque est, facit pretiũ crescere. Et certè nulla adest rõ pp quã liceat minus iusto pretio emere creditum periculosũ, & difficilis exactionis, & non liceat vendere aliq̃ mercem dilata solutione plus iusto p̃tio ob periculũ, & difficilẽ exactionẽ: quia ĩ vtroq; casu est eadem conditio periculi, difficultatis, & expẽsarũ.

Quod aũt ait Soto venditorem debere abstinere, non põt semper habere locũ. Sæpe. n. mercatores coguntur vẽdere merces aliquib. magnatis, ne se in angustias aliquas proijciant, & statum suum tranquillum perturbent. Quod autẽ ait Nauarrus opinionem Medinæ esse singularem, patet esse falsum: quia eius fundamentũ est satis commune. Neque caput *nauiganti* obstat, vt infrà agendo de mutuo, in casu illo, an mutuans alicui possit aliquid vltra sortem accipere ob periculũ quòd mutuarius reducatur ad inopiam, dicam est, enim casus similes.

Iudico tñ abstinendum esse vt ait Molina, quia hic cõtractus est periculis plenus, & affert scãdalum, & si passim admitteretur, daretur occasio introducendi vsuras palliatas, sub specie huiusmodi periculi, expensarum &c. sed cũ adest bona fides, nullum puto esse peccatum, nec obligationem ad restituendum.

101 Huic similis est alter casus, an liceat emere merces ab aliquo anticipata solutione pretio minori iusto ob periculum, quòd venditor deinde accepta pecunia, nõ possit vel non velit ex malignitate, & odio merces eidẽ emptori tradere. Soto. n. Nauarrus, Azorius, & alij contrariæ sententiæ multo magis negabunt hunc contractum esse licitum. Nihilominus ego puto dicendũ sicut in superiori, nimirũ licere, si adsit bona fides, quamuis sit abstinendum propter rõnes in superiori casu adductas. Rõ est, qa merces illius de quo dubitatur rõnabiliter, qd non sit traditurus pp paupertatem, vel pp malignitatem, & huiusmodi, se habent velut fructus futuri arborum, & cãporũ, qui sunt incerti; siue vt merces absentes, & in mari existentes, quæ expositæ sunt periculis magnis, ideò sicut illi fructus futuri, & merces absentes minus valent quàm præsentes, ita proportionaliter merces emptæ, anticipata solutione ab eo, de quo dubitatur qd sit casurus in paupertatẽ, & ideo non sit traditurus easdem, vel pp malignitatẽ, vel aliquã aliam similem causam, minus valent, quàm merces securę & sine vllo periculo suo tempore tradendæ. Proinde eas emere pretio minori iusto currenti tempore, quo merces securæ traduntur, non est re vera pretium inæquale, & iniustum, sed iustum. Hic ergo contractus in foro cõsciẽtiæ nõ est illicitus, quamuis vt dixi ab eo sit abstinendum.

102 Sed quia dicet, quòd non est iustum pretiũ in emptione anticipatæ solutionis. Resp. ex regulis traditis suprà ex Scoto, & ab omnibus concessis in venditione dilata solutione, haberi posse, q̃ sint regulæ in hac venditione quoq;. Statuendum ergo in primis est illud qd suprà diximus, pretium iustum rei esse illud, quod nunc currit cõmuniter, cum res traditur præsente pecunia. Ex quo sequitur iustũ pretium rei, q̃ emitur anticipata solutione, esse illud, quod communiter currit, non cũ emitur, sed cũ traditur. Tũc dantur istæ regulę proportionales ad regulas venditionis dilata solutione. Regulę obseruandæ. Vel emens rẽ anticipata solutione nullum statuit nec determinat p̃cium; sed relinquit determinationem pretij pendentem à valore pretij cõmunis, quod curret tempore venditionis; & tunc ponit hęc regula siue conclusio. Hic contractus nedum est licitus, sed sic emens facit misericordiã venditori, quia tradit pecuniam antequam teneatur. Vel determinat p̃tium; & tunc quia non debet se ponere in tuto, & vẽditorẽ in periculo certo, sed æqualis debet esse conditio emptoris, & vẽditoris, est secunda cõclusio. Pretiũ iustum erit pretiũ mediocre inter 2. Regula, seu conclusio. rigorosum, & infimum, quod tẽpore vẽditionis certò, vel probabiliter creditur res valitura. Conclusio est euidens: quia nemo est in tuto; & cõditio est æqualis. Si aũt statuat esse pretium infimũ erit tertia cõclusio. Hic cõtractus est vsurarius, quia non est æqualis conditio vtriusque. Si aũt statuit pretium determinatũ esse illud, quod tali certo die communiter curret, tũc erit quarta conclusio. Contractus hic est iustus. Patet quia vterq; se exponit periculo. Si aũt determinat, & paciscitur pretiũ esse illud, quo aliquo die infrà tempus venditionis res vilius emetur, tunc est quinta conclusio. 5. Regula. Iste contractus est vsurarius, quia ponit se in tuto, & non sunt æqualis conditionis, sed emptor maioris, & venditor minoris.

103 Hæc communiter ab omnibus conceduntur. & sic qui in Natiuitate Dñi anticipata solutione emit frumẽtum tradendum mense Augusti, vel Iulij, in quo minus valet, & determinat pretium, secundùm pretium mediocre, quod solet mense Augusti valere, est contractus iustus, & facit misericordiam. Si determinet esse pretium infimũ, quod tunc temporis esse solet, est vsura, quia se ponit in tuto. Si non determinat pretium, sed paciscitur illud futurũ esse pretium, quod communiter curret tunc temporis, est iustus contractus, & facit misericordiam. Si determinet esse illud, quod certo die mensis Augusti pretiũ commune erit, est contractus iustus; quia vterque se exponit periculo lucri & damni. Si statuat esse pretium id, quod vilius erit toto mense Augusti, est contractus vsurarius, quia se ponit in tuto, & venditorem in certo dãno. Vndè non est æqualis conditio vtrinque; neque hic est contradictio, vt notauimus suprà ad conclusionem septimam.

104 Est aũt dubitatio grauis de emptione lanarũ anticipata solutione eo mõ, quo consueuit fieri in Hispania An emptio lanarũ anticipata pecunia sit licita. in certis Castellæ oppidis, & alijs locis ĩ quib. minori p̃tio emunt anticipata solutione q̃ sit pretiũ regulariter currẽs tẽpore traditionis lanarũ. In hac re sunt duæ opiniones extremæ. Aliq dicũt huiusmodi emptionem esse omninò 1. Opinio.

vsura-

vsurariam atque eam exectantur præsertim Nauarrus in Man.cap.23.num.81.& alij quos citat, & sequitur Azorius 3.par.libro 8.cap.10.quæst.2.fundamentum est,quia emptio anticipata solutione pretio inferiori iusto infimo est vsura: quia est ac si quis mutuet pecuniam,& pro lucro recipiat illud, quod deficit ad ascendendum ad iustū pretium infimum.

2. Opinio. 105 Alij vt Soto libro 6.de iustitia,& iure quæst.4.ar.1.ad 4.tenet oppositum hac ratione. Quia domini lanarum cum sint pastores,& egentes, nō possunt tot sumptus ouium ferre nisi lanas anticipata pecunia vendant, & hoc confirmat, quia hic modus ex consuetudine videtur factus licitus.

Opinio 3. quę est Molinæ. 106 Molina disp.359.& 360.de hac re fusè disputat, atque concedit emptionem lanarum aliarum, & etiam prædictarum,sed à mercatoribus naturalibus, & non exteris, & qui in parua quantitate emunt, esse vsurariam, propter rationem adductam à Nauarro,& alijs; at emptionem lanarum prædictarum Hispanicarum à mercatoribus exteris, vt sunt Genuenses,& Flandrenses,Florentini, & alij qui quotannis in huiusmodi lanis emendis insumunt circiter ducenta millia aureorum non audet damnare. Ratio eius est, quia etsi emptio anticipata pecunia minori pretio infimo iusto,sit regulariter vsuraria,tamen ex circunstantia aliqua potest fieri iusta:in hac autem emptione lanarū dimissa illa conditione adducta à Soto,scilicet de indigentia vendentium,quam solam non sufficere certum est,& multo minùs iuuat consuetudo,vt postea videbimus,asserit inueniri has circunstantias. Prima est quia hæc emptio anticipata pecunia cedit in vtilitatem vendentium, & ementium exterorum, quia venditores, & emptores sic anticipata pecunia meliùs suis rebus, illi pasturæ ouium,& lanarum sumptibus,& isti suis negotijs consulunt. Deinde quia venditio hæc anticipata pecunia est causa, vt pretiū lanarum tempore traditionis crescat; nisi enim lanæ venditæ essent anticipata pecunia,tot emptores lanæ reperirentur tēpore traditionis, quòd minori pretio valerent,quàm eo quo anticipata pecunia emūtur. Tertiò quia mercatores mittunt suas commissiones eorum agentibus limitatas, vt pluris non emant pōdus lanarum,quàm certo pretio;vnde etiam si non emerēt anticipata pecunia,sed tempore traditionis lanæ,cum tot lanæ essent vendendæ,& esset penuria emptorum, quia illi soli exteri emunt in magna quantitate, facerent vilescere pretium lanarum,ita vt minùs valerent,quàm faciūt anticipata solutione. Tandem accedit,quòd modus hic vēdēdi lanas anticipata solutione minuit semper pretium ipsarum,cui si accedat lucrum cessans mercatoris, quod patitur per anticipatam solutionem,non videtur in contractu esse aliquid, quod reddat illam emptionem iniustam, & vsurariam.

Reijcitur. 107 Istæ rationes Molinæ non cogunt, quia istæ circunstantiæ non sunt tales,vt faciant hunc contractum legitimum:non prima: quia sola indigentia venditoris non facit iustum pretium, vt dictum est suprà, & ipse concedit. Commodum ementis multo minùs. Secunda,& tertia circunstantia nihil iuuant, quia si mercatores non emissent anticipata pecunia, & si maior copia lanarum adesset tēpore vēditionis,maior etiam copia emptorum esset, ideò posset æquè immò magis crescere pretium, & emptores si vellent negotiare, cogerentur commissiones extendere ad pretium tunc currens. Quarta circunstantia etiam nulla est,quia si mercator pateretur damnum lucri cessantis, non emeret anticipata pecunia,quia nō cogitur, sed quia scit ex tali emptione anticipata solutione non amittere aliquid sed lucrari multo magis,quàm in alia negotiatione, huic incumbit.

Opinio auctoris. 108 Mihi itaque videtur dicendū,quòd si illa emptio anticipata solutione lanarum,quæ ex sui natura est cōtractus vsurarius,vt ait prima opinio,& Molina fatetur, aliqua circunstantia pōt saluari; illa sola videtur esse. Quòd cum pretium iustum crescat,& decrescat iuxta multitudinem,& penuriam emptorum, & mercatores exteri, & præcipui,qui sunt Genuenses,& reliqui,consueuerint cōcurrere ad emendum has lanas non tempore traditionis vt contingit in alijs nundinis in quibus actu merces traduntur, cum venduntur, atque ante tempus traditionis consueuerint statuere pretium,mihi videtur iudicandum, illud esse absolutè iustum pretium etiam tempore traditionis, qđ sic anticipata solutione statuitur. Puto enim q eo tempore plures, & eos ferè in quibus pondus negotij cōsistit,conueniāt; atque pro temporū conditione emptores ipsi venditores quærunt,& se ipsos in emptione præuenire studeāt,vt citiùs sua negotia peragant: atque meliorē lanam emant. Vndè licèt tempore traditionis aliquid (qđ exiguum esse dicit Molina) pretium crescat, est accidentarium,quod non venit in considerationem;sicut egentia pauperis, propter quā aliquid vēdit minoris pretio iusto, non præiudicat ijs,qui iusto pretio maiori vendunt, cum non premantur indigentia tali.

109 Præterea natura huiusmodi contractus videtur requirere hanc anticipatam solutionem: quia nō videtur pura emptio,sed mixta quædam conductio operum, & laborum huiusmodi pastorum; in conductione autem operum quandoque solet pactum statui ante solutionem, & pecunia tradi, vt operari possint: emunt enim lanam anticipato tempore, & antequàm sit in esse, dant pecuniam vēditoribus,vt possint impendere opera,& labores necessarias ad conficiendum lanas. Cui hæc non placet, doctiorem quærat, cuius iudicio me subijcio.

110 Nota autem quòd cum dixi consueuisse mercatores statuere huiusmodi pretium anticipata solutione,nolo intelligere quòd huiusmodi contractus sit licitus ea cōsuetudine; quia quod est ex se malum, nulla consuetudine potest fieri bonum. Vndè ratio illa Soto ex consuetudine nihil iuuat; sed intelligo consuetudinem concurrendi ad emptionem lanarum. Concursus enim ille non consueuit fieri tempore traditionis, & collectæ lanarum,sed tribus mensibus plus,vel minus ante tempus tradendi lanas:ideò hoc tempus videtur illud in quo pretium iustum harum lanarum statuitur: in hoc enim differt ab alijs cōtractibus ordinarijs mercium.

111 Solet etiam disputari, an liceat debita ad certum tempus soluenda, minoris emere anticipata solutione ab ipso debitore,vel alio,exempli gratia Titius debet centum aureos soluere Caio hinc ad annum;quæritur an Titius ab eodem Caio possit emere,vel redimere,hoc debitum centum aureorum,tradendo 90. anticipata solutione Caio, & an hoc modo etiam alius tertius emere possit. Respondetur quòd si debitum non est certum,aut periculis est sobiectum,nulla est dubitatio tuta conscientia minori pretio posse emi à tertio emptore. Si autem debitum sit certum, & nullum adsit periculum,negant aliqui tertium emptorem posse emere, atque in hanc sententiam præter citatos à Nauar.in Manua.capit.17.numero 230. Azorius 3.pàr.libro 8.cap.10.quæst.5.multos alios citat. Fundamentum est, quia centum aurei ad sex menses soluendi tantum valent, quantum centum aurei ipsi numerata pecunia,remoto omni dubio,periculo,damno emergente, vel cessante &c.vendere ergo centum aureos pro nonaginta,esset æstimare plus 90.aureos præsentes, quā centum futuros, & sic venderetur tempus. Hæc eadem ratio multo magis currit de debitore ipso: ideò asserunt non licere illi sic anticipata pecunia redimere tale debitum. Et hæc est communior opinio Theologorum, & Caietanus, qui in Summa, verbo *Vsura* sub fine tenet tertium emptorem hoc modo posse emere,negat de ipso debitore.

112 Ex altera parte Nauarrus loco citato cum Caietano, & innumeris alijs in capit *in ciuitate tua*, de vsuris, quos adducit Azorius vbi suprà quòd ad tertium emptorē indubitatè tenet debitū minori pretio emi posse. Et fundamentum meo iudicio validum adductum ab his auctoribus est, quia minus est habere actionem ad rem,

An liceat debitū soluendū emere minori pretio anticipata pecunia.

1. Opinio.

2. Opinio

quàm rem ipſam, vt in l. Minus ff. de regulis iuris, habetur, & certè hoc nemo negare poterit; nec rationes Molinæ vbi ſuprà oppoſitum probant. Vndę fundamentum aduerſæ partis, quò ad tertium emptorē eſt falſum. Quò ad debitorem etiam Nauarrus loco citato tenet licere, & fundamentum eius eſt, quòd eſt eadem ratio tertij emptoris, & ipſius debitori, ideò ſi illi licet, debet etiam eſſe licitum debitorem in quo Nauarrus eſt ſingularis, & Molina diſputa. 361. eum refutat, quò ad vtrunque caſum. Azorius verò vbi ſuprà quò ad primum caſum de tertio emptore non audet ſententiam Nauarri, & Caietani damnare, immò ſoluit rationes contra eam, quia certum eſt minoris æſtimari ius ad centum, quàm ipſos centum aureos; atque cum Nauarro communem ſentētiam contrariam ſolùm intendere debitum non poſſe minoris emi ea præcisè ratione, quia ſoluitur ante tempus præfixum: dicit tamen ab illa communi opin. non eſſe recedendum, quia eſt communis, & tutior. Quò ad ſecundum caſum verò de ipſo debitore confutat ipſos quoque, quia inquit non eſſe parem rationem de tertio emptore, & debitore, & nititur hoc probare, quia reſpectu debitoris eſt mutuum implicitum, nō autem reſpectu tertij emptoris, ac reſpectu illius eſt aliquod periculum.

Opinio Auctoris.

113 Mihi placet opinio Nauarri, tum quia fundamentum eius eſt ſolidum, tum quoniam debitor non eſt minoris conditionis, quàm tertius emptor. Si ergo licet alieni emptori minori pretio emere illud debitum, cur nō poterit ipſe debitor? ſuppono autem, quòd abſit omnis fraus vſuræ, & Caius creditor ob aliquod ſuum maius cōmodum, vel aliqua alia cauſa ſibi vtili, velit vendere illud debitum. Opinio autem communis videtur damnare vtrunque hunc contractum ratione anticipatæ ſolutionis præcisè, vt loco citato tradit Nauarrus: quia tempus non poteſt vēdi, non autem ob alias cauſas. Et certè magnum præiudicium fieret creditori ſi non poſſet minori pretio vendere ſuum creditum ipſi debitori: nam ſi occaſio ferret, quòd multum poſſet lucrari illis 90. aureis, & non haberet alium emptorem promptum, quàm debitorem, cogeretur amittere illud lucrum: quia non poſſet debitor tuta conſcientia emere. Quò ad primum caſum autem, ſcilicet de tertio emptore, nullum mihi videtur dubium, immò affirmatiua ſententia mihi videtur communior: quia multò plures citantur doctores, & maioris auctoritatis pro illa, quàm pro aduerſarijs.

114 Neque rationes, quas adducit Molina vbi ſuprà ad probandum quòd tantùm valet actio ad habendum centum hinc ad annum, quantū ipſa centum, cōcludunt, quas non adduco, quia non mihi videtur neceſſarium, vt enim inquit Azorius omnes minoris æſtimant ius, & actionem ad certam pecuniam, quàm ipſam pecuniam: quia actio natura ſua videtur ſemper periculis obiecta ob caſus fortuitos, qui in rebus humanis contingunt.

De vēditione qua mercatores vendūt merces carius, vt eas viliori pretio emat ab eiſdē quibus vendidit.

115 Quæritur quid iuris de eo genere vēditionis, quo mercatores carius vendunt merces credito, vt iterum eas emant viliori pretio numerata pecunia ab eiſdem quibus eas vendiderunt, verbi gratia Titius eget pecunijs, rogat Caium mercatorem, vt ſibi vendat merces dilata ſolutione ad certum tempus; Caius vendit ei merces ſummo pretio, ſed iuſto ad certum tempus; poſtea Titius vult vendere dictas merces, vt ex eis pecunias actu accipiat ad ſuas indigentias ſubleuandas; eas enim merces emit, vt venderet, non vt retineret. Caius mercator id ſciens dicit Titio, ego emam merces à te minori iuſto pretio, ſiquidem eas es venditurus alteri etiam minori pretio iuſto, ac ita emit minori pretio, ſcilicet infimo iuſto: quia emit pecunia numerata, & ſic mercator lucratur duo, vel quatuor abſque vlla mercis traditione. Eodem modo artifex argentarius vendit Caio vas argenteum computando argentum, labores, expenſas in eo vaſe faciendo dilata ſolutione: Caius autem ſtatim eidem argentario, quia eget pecunia, retendit idem vas numerata pecunia computando in pretium ſolùm argentum, non autem labores &c. & ſic argentarius lucratur quatuor, vel quinque, prout labores illi & expenſæ &c. æſtimantur. Vndè Caius ſe obligat argentario ſoluere centum ad annum, & accipit tantùm 94. vtrunque autem pretium eſt intra latitudinem iuſti pretij.

116 Reſpondetur aliquos damnare huiuſmodi contractus tanquam vſurarios; dicuntur enim *Stocbolt* ſeu *Barocholi*, vt aiunt Syluester verbo *Vſura* 2. quæſt. 4. Angelus eodem verbo *Vſura* 1. numero 60. & aliqui alij. Nauarrus verò in Manuali cap. 23. numero 91. & alij quos ſequitur Azorius 3. par. lib. 8. ca. 11. negant eſſe vſurarios (ſi tamen bona fide fiant) mercatores tamen cauere debere, ne pro iniquis mercatoribus, & vſurarijs habeantur: quia contractus in ſe habet ſpeciem vſuræ. Et hoc eſt verum, ſi huiuſmodi contractus aliqua lege in aliquo loco particulari ſint prohibiti: de iure enim communi nulla eſt prohibitio, vt dicit Nauarrus ibidem. Si autem mercator vendat ſuas merces prædicto modo, vt illas viliori pretio iterum emat, & ſic lucretur, eſt vſurarius, & hoc modo loquuntur Angelus, Syluester, & alij. Ceſſat enim tunc bona fides, & eſt mutuum cum lucro ſub ſpecie venditionis, & emptionis.

Opinio Auctoris.

117 Quæritur adhuc quid iuris cum aliquis emit aliquid hoc pacto, vt reijciat periculum, & cuſtodiam illius rei in venditorem vſque ad certum tempus, & interim ipſe recipit fructus illius rei, exempli gratia, quis emit mille oues pretio communi menſe ſeptembris pecunia numerata, ſed hoc pacto, vt venditor has oues ſeruet, & cuſtodiat, & ſi pereant, venditori pereant; lac autem, lana, & fructus ad emptorem pertineant. Reſpondetur eſſe vſurarium contractum: ratio eſt quia fructus illi vi anticipatæ pecuniæ percipiuntur, & ſic eſt vſura palliata. Ideò reſtituere tenetur omnes fructus, & quantum valet cuſtodia ouium.

Quid de eo qui emit oues, & reijcit periculum illarū in venditorem, & fructum perſe retinet.

118 Eadem ratione, qui emit oues, vel prædia ab aliquo, quæ ſcit eum non habere, & ſtatim ea eiſdem locat certa penſione; eſt contractus vſurarius cum obligatione reſtituendi: quia eſt mutuum ſub ſpecie venditionis: ſecus ſi adſit bona fides. Nauarrus in Man. c. 17. num. 329. & alij. Reliqua agendo de mutuo explicabimus.

De conducto, & locato. Cap. V.

119 REdeundo ad ordinem ſeruatum à Scoto, contractus tertio loco aſſignatus eſt contractus conductionis, & locationis; circa quem breuiter ſe expedit Scotus, dicens, quòd iſtè contractus locationis, & conductionis (adiungit etiam mutuam accommodationem, de qua ſuprà loquuti ſumus) conueniunt cum duobus contractibus hucuſque explicatis, ſcilicet permutatione, & venditione, ac emptione, atque eaſdem conditiones ſeruandas eſſe quoque in iſtis quò ad vſum, quæ in illis duobus prioribus, quò ad dominium. Illis enim ſeruatis locatio, conductio, & accommodatio erunt contractus iuſti: ſi verò aliqua illarum deficiat erunt iniuſti. Hæc breuiter Scotus tranſiens deinde ad contractum de mutuo.

Eædē conditiones ſeruandæ in conductione & locatione, quæ in venditione, & quomodo.

120 Pro clariori ergo notitia reuocandæ ſunt in memoriam conditiones requiſitæ ad prædictos duos cōtractus, & illas oportet huic applicare, & quoſdam caſus, & dubia incidentia breuiter declarare, deinde accedere ad mutuum in quo vſura propriè committitur. Priori ergo loco patet ex dictis ſuprà quid ſit locatio, & conductio. *Locatio* enim *eſt contractus in quo transfertur vſus rei retento dominio ſuper ſubſtantiam eius.* Vndè transferens rem quò ad vſum dicitur locare; recipiens rem ad vſum, dicitur conducere rem: ita vt ſicut venditio, & emptio quò ad tranſlationem dominij ſibi reſpondēt, ſic locatio, & conductio ſibi reſpondēt quò ad vſū rei. Hæc eſt definitio locationis, & cōductionis, quæ eſt eadem cum illa, quæ à iuris peritis aſſignatur, ab Azo in Summa titu. de locato, Hoſtienſi in Summa titulo eodem §. *quid ſit locatio*, Bartolo, & alijs in rubrica eiuſdem tituli, & eſt hæc.

Definitio locationis, & conductionis.

Locatio

Locatio eſt perſona, vel rei conceſſio ad vſum mercede in pecunia numeranda conuenta. dicitur, *Perſona, vel rei conceſſio*: quia ſolent homines aliquando locare perſonas, aliquando res. dicitur, *ad vſum*, ad diſtinctionem aliorum contractuum, in quibus transfertur dominium, vt eſt venditio, & permutatio; donatio, mutuatio. Per hoc enim differt etiam à depoſito: quia res non deponitur, vt depoſitarius ea vtatur. dicitur, ***mercede in pecunia numeranda conuenta.*** ad differentiam accomodati, & precarij, & ab omnibus alijs in quibus vſus transfertur gratis. Per hanc etiam differt à contractibus innominatis, in quibus non pecunia, ſed aliquid aliud commutatur. Vndè locatio propriè eſt in qua pro vſu redditur pecunia numerata.

Colonus, & inquilinus qui.

121 Res autem quæ locantur ſunt, vel immobiles, vt prędia ruſtica, vel vrbana, vel ſunt mobiles, vt torques aureus, & ſimilia vel ſemouentes, vt ſeruus, equus, &c. Conductor prædij ruſtici proprio nomine dicitur colonus. Conductor prædij vrbani, vt domus, & huiuſmodi ædificiorum proprio nomine dicitur Inquilinus. Rerum mobilium, vel ſemouentium communiter dicitur conductor. Variæ diuiſiones locationis aſſignantur, ſed ſunt parui momenti.

Conditiones locationis iuſtæ.

122 Conditiones autem locationis, ad hoc vt ſit iuſta, erunt iſtæ. Prima quòd locans habeat ius locandi. Secunda quòd conductor habeat poteſtatem recipiendi ius in vſum rei. Tertia quòd nullus ſuperior ſit, qui eos impedire poſſit illum à locando, iſtum a conducendo. Iſtæ ſunt tres conditiones quas diximus requiri ad iuſtam donationem, permutationem, & venditionem, ac emptionem, quia ſicut iſtæ conditiones in illis requiruntur quò ad tráslationem dominij iuſtã, ita hic requiruntur quò ad tranſlationem vſus iuſtam. Quarta conditio eſt quòd non adſit fraus, vel dolus. Quinta quòd ſit pretium, & merces iuſta. Tres priores conditiones requiruntur ad ſubſtantiam locationis, quia aliqua illarum deficiente locatio, & conductio eſt nulla. Reliquæ duæ requirũtur ad iuſtitiam locationis: ideò iſtæ duæ conditiones non requiruntur in donatione, nec in accõmodatione: quia illę fiũt gratis: requiruntur autem in locatione, & conductione, quia in his fit recompenſatio ſecundùm iuſtitiam ſicut in venditione, & permutatione, qui non ſunt contractus omninò liberales, ſed requirunt recompenſationem iuſtam.

Quinque cõditiones requiſitę ad locationẽ.

Qui poſſunt locare, & conducere.

123 Ratione primæ conditionis non poſſunt locare, nec cõducere per ſe, qui carent vſu rationis: filius familias, qui non habet bona caſtrenſia vel quaſi caſtrẽſia. Ratione ſecundę conditionis ijdem excluduntur, & fratres Minores obſeruantes Regulam in puritate. Ratio eſt quia ad contractum locationis requiritur poteſtas, & voluntas transferendi dominium rei quò ad vſum, & acceptatio ſeu conſenſus recipiendi vſum rei, quæ non poſſunt eſſe in ijs qui carent illis duabus conditionibus. Ratione tertiæ cæteri Regulares qui habent ſuperiores, etiam Clerici in ijs quibus eſt prohibitum, locare non poſſunt. Vndè grauiſſimæ pœnę conſtituuntur ijs qui Eccleſiarum ſuarum, ſiue Regularium, ſiuè Secularium res locant ad longum tempus; & in extrauaganti, de rebus eccleſiæ non alienandis, quæ incipit *Ambitioſæ*, grauiſſimæ pœnæ imponuntur ijs, qui res ſuarum Eccleſiarum alienauerunt, vel vltra trienium locauerunt: & locatio aliter facta quàm pro triennio eſt nulla. An verò huiuſmodi locatores ſint excommunicati per extrauagantẽ illam Pauli Secũdi *ambitioſæ*, eſt contentio inter doctores in explicatione illius excommunicationis, de qua Nauarrus cap. 27. nu. 150. Couaruuias lib. 2. variarum reſolut. cap. 16. num. 4. & ſequentibus, & recentiores; & plurimi tenent hoc non eſſe in vſu pluribus in locis. Sacerdos autem, quamuis opera Sacerdotis ſimpliciter ad ſacrificandum neceſſaria non poſſit locare: quia eſſet ſimonia; tamẽ quatenus eſt obligatio ad immolandum certo loco, certo tempore, cum ſit res pecunia æſtimabilis, poteſt locare. Quidam alij legibus ciuilibus locare, & conducere prohibentur, vt Milites conducere prædia ad colendum. l. 31. *Milites* & l. 35. *licet retro Principes* C. de locato & cõducto. Similiter Curialis l. 30. *Curiales* C. de locato & conducto; Vnico verbo ij poſſunt locare, & conducere, qui poſſunt vendere, & emere. Et rurſus qui rem conduxit poteſt eam alteri ſublocare, niſi aliter cum locatore pactus fuerit.

Regulares nõ poſſunt locare.

Regulares locantes an ſint excommunicati.

Sacerdos opa ad ſacrificandũ neceſſaria an locare poſſit.

Quarta cõditio de dolo, & culpa.

124 Quarta conditio eſt prima quæ requiritur ad hoc vt locatio, & cõductio ſit iuſta & eſt, quòd locatio ſit ſine dolo, & culpa. Vnde locator tenetur de dolo, & culpa. Fraus & dolus adeſt in locatione, quando locator locat rem vitiatam non aptam præſtare vſum ad quem quis eam conducit, vt ſi quis locet dolia vitioſa ſcienter vt vinum, vel oleum vel quid ſimile conductori pereat, vel deterius fiat, & ſimilia, locator tenetur rem locatam, & damnum inde ſequutum reſtituere. Item ſi locauit equum infirmum, vel ineptum ad iter agendum; ex quo conductor non poteſt conficere ſuum iter, & damnum aliquod incurrit, tenetur ad reſtitutionem pretij locationis, & damni cauſati. Vndè locator ſciens huiuſmodi vitia rei, quam locat, debet ea notificare conductori, vt quòd equus eſt calcitroſus, domus ruinoſa, ſeruus fur, &c. & hoc eſt verum quando vitium eſt conductori pernitioſum, vel inutile; ſi tamen conductor ſciat vitium, & nihilominus velit conducere, licet, dumodo minuat pretium prout vitium expoſcit. Eadem cauſa qui locat operam ſuam alicui, nec fideliter operatur, tenetur ad reſtitutionem de eo, in quo notabiliter damnificat conductorem.

Locator ſciens vitiũ rei locatæ tenetur manifeſtare conductori, & quomodo.

Locator tenetur de culpa lata, & leui.

125 Tenetur etiã locator de culpa lata, & leui. Quid ſit culpa lata, & leuis, & leuiſſima, ſuprà agendo de fraude in venditione explicatum dedimus. Vnde ſi quis locauit vaſa vinoſa culpa lata, vel leui locatoris, itaquòd vinũ, oleum, vel aliquid aliud pereat, vel deterius euadat, tenetur reſtituere vinum, & oleum perditum, & damnũ idem ſequutum, quod probatur eadem ratione, quà ſuprà agendo de venditione quò ad hanc primam conditionẽ probauimus venditorem teneri ad reſtitutionem. Vndè ſi quis locauit domum alicui quæ euicta ſit, locator tenetur alteram non minùs commodam ei præſtare, vel curare vt qui euicit, ſinat conductorem in ea permanere. Similiter ſi quis locauit fundum, & culpa locatoris fundus eſt publicatus, ſi fiſcus locationi ſtare non cogitur, locator debet remittere penſionem magis aut minus prout mora temporis longior aut breuior fuerit.

De culpa leuiſſima.

126 De culpa leuiſſima verò non tenetur, ſicut diximus ſuprà agendo de fraude, & culpa in venditione. Verum eſt quidem legem 19. *ſed addes* §. pri. *ſi quis dolia* ff. locati & conducti ponere diſcrimen inter locantem dolia vitioſa, ob quæ vinum effluxit, & locantem ſaltum paſcuum in quo herba mala naſcerentur, ob quam pecora vel mortua ſint, vel deteriorata: & aſſerere ignorantiam in primo non excuſare, ſed teneri in id quod intereſt: excuſare autem in ſecundo ſed penſionem non poſſe petere: quia in primo, qui locat vaſa, non debet ignorare vitium, at qui locat ſaltũ poteſt ignorare. Sed tamen in conſcientia videtur excuſari etiam qui locauit dolia vitioſa, ſi adſint ſolùm culpa leuiſſima, vt excuſatur qui locauit ſaltum ob culpam leuiſſimam.

De dolo, & culpa ex parte conductoris.

127 Conductor etiam tenetur locatori de dolo culpa lata, & leui, non autem de culpa leuiſſima, neque de caſu fortuito, vt ſuprà in venditione agendo de prima conditione diximus. Vndè ſi res locata pereat dolo conductoris, vel eius culpa lata, vel leui, tenetur ad reſtitutionem illius, niſi inter ipſos pactum initum fuerit, quòd totum periculum rei conductæ ſit penes conductorẽ; ſed tunc debet minui penſio, ſeu merces: quia ſuſcipere in ſe hoc periculum eſt onus graue, & pecunia appreciabile. Nonnulli tenent conductorem teneri etiam de leuiſſima culpa propter nonnullas leges, quæ in conductoribus requirere videntur curam diligentiſſimam, de quibus Azorius 3. parte lib. 8. cap. 7. q. 3. oppoſita tamen ſententia eſt vera, ſcilicet non obligare: eſt enim nimis rigoroſa: tenetur etiam conductor de culpa lata, & leui ſuorum.

An conductor teneatur

128 Dubium autem eſt an conductor teneatur ad cuſtodiam

tur ad custodiam rei conductæ.

stodiam rei conductæ. Respondetur quòd aliquando in ipsa conductione includitur ipsa custodia, vt cũ quis conducitur ad pascendum gregem, in ea includitur custodia gregis: ideò tunc conductor tenetur cauere ne res locata pereat dolo, culpave ipsius lata, vel leui. Aliquando custodia non includitur in locatione, vt cum quis conducit nauem ad vehendas merces, horreum ad frumentum asseruandum, dolium ad seruandum vinum, non tenetur ad custodiam harum rerum, ideò si pereant, conductor ad nihil tenetur.

Cõductor non põt vti re cõducta ad aliũ vsũ ab eo ad quem fuit conducta.

129 Obseruandum est tamen quòd conductor non potest vti re conducta ad alium vsum, nec alio modo quã inter locatorem, & ipsum conductorem fuit conuentum. Vndè si aliter conductor vtatur re conducta, & pereat, tenetur ad restitutionem, immò vt fur à legibus condemnatur: quod intelligitur si id fiat inuito domino, qui si id sciuisset, non permisisset: at si crederet dominum, etiam si sciret conductorem rem aliter vti atque conuentum est, permissurum, non incurrit crimen furti.

De expensis.

130 Quantum ad expensas tam locator, quàm conductor teneatur ad eas expensas, ad quas secundùm consuetudinem loci vnusquisque eorum tenetur: vt locator ad eas expensas, ad quas ex consuetudine tenetur, & conductor ad eas expensas, ad quas ex cõsuetudine tenetur. Cõtractus enim, quando in eis aliud non exprimitur, censentur facti iuxta consuetudinem loci in quo celebrantur l. 34. *semper in stipulationibus*, ff. de regulis iuris.

5. Conditio.

131 Quinta conditio, & secunda quò ad iustitiam requisita ad locationem, & conductionem, est iustum pretium, seu merces iusta: sicut enim venditio, & emptio iustum pretium requirit, sic locatio iustam mercedẽ. Quanta verò, & quæ sit iusta merces, & pretium, licèt nonnulli Iurisperiti aliter sentiant, dicendum est sicut diximus de iusto pretio rei in venditione, & emptione. Nimirum id quòd secundùm consuetudinem gentis, & populi illius ciuitatis, vel regionis pro iusta mercede habetur. Vndè videtur dicendum quòd, si inter locatorem, & conductorẽ conuentũ sit de certa pecunia, standum est pacto. Si nullum fuerit pactum, illud erit iustum pretium quo res illa locari consueuerat. Si verò locari solita non erat, stãdum erit consuetudini prouinciæ, vel populi. Quòd si nulla adsit consuetudo, boni viri arbitrio merces, & iustum pretium statuendum erit.

Iusta locatio iustam mercedem requirit, & quæ ea sit.

Tenetur cõductor soluere mercedem tẽpore præfinito.

132 Tenetur autem conductor tempore præfinito soluere mercedem locatori; & si non soluat, locator potest conductorem à re locata amouere, & finito tempore locationis debet restituere rem locatam locatori integram non deterioratam dolo, vel culpa lata, vel leui ipsius conductoris, vt dictum est.

Quib. causis locator teneatur remittere mercedem cõductori.

123 Difficultas verò prolixa est quibus de causis locator remittere cogatur conductori mercedem, seu pensionem aut solutam restituere, de qua fusè Couaruuias in practicis quæstionibus cap. 30. & alij ab eo citati. Azorius lib. 9. c. 10. Molina disp. 495. breuiter omnes conueniunt cum adest sterilitas casualis putà propter inundationem maris, vel fluminis, grandinem, niues, frigora, locustas, vermes, hostium incursum deuastantium segetes, vel fructus, ob terræmotum, quo domus locata rueret, & similia locatorem teneri ad remittendam pensionem, vel restituendam si eam iam accepit. Quanta verò debeat esse hæc remissio sunt variæ sententiæ, duę mihi videntur pręcipuæ. Prima est quam tenent multi, vt est videre apud auctores suprà citatos etiam Nauarrum in Man. cap. 17. nu. 188. omnium stãdum esse consuetudini, & communi vulgi opinioni illius regionis, quæ desumitur ex Glossa l. *licèt* verbo *sterilitas*, Cod. de locat. hac verò cessante videtur probabilior ea quam tenet Couaruuias, & alij recentiores citatis locis, & est cũ sterilitas est tanta, vt adeò pauci fructus ex fundo colligantur, quòd si ex illis semen, & expensæ detrahantur, & ex reliquo pensio soluatur, conductor læsus maneat vltra dimidium iusti pretij, seu iustæ pensionis vt e.g. si conductor debeat decem modios frumenti, ita quòd iusta pensio sint decem modij frumenti & fructus percepti sint adeò pauci, vt si semen, & expensæ detrahãtur, maneant minus, quàm quinque tritici modij, tunc reliqui vsque ad decem sunt dimittendi de pensione soluenda; si verò maneant quinque modij, aut plures nihil remittitur, quia non censetur tanta sterilitas, vt digna sit remissione pensionis; sed debet soluere integrã pensionem decem modiorum frumenti.

Casus in quibus remissio fieri nõ debet.

134 Cæterùm vt dictum est, hæc remissio fieri debet exceptis his casibus secundùm omnes. Primò quando sterilitas euenit culpa conductoris, putà quia non coluit, vel malè coluit fundum, seu prædium, vel non purgauit segetes suis temporibus, tunc enim locator non debet remittere pensionem. Secundò quando fructus corrumpuntur, vel pereunt postquam in domum, vel horreum sunt illati. Si tamen pereant in area aliqui tenent tunc teneri, & citant Bartolum, Baldum, Ang. Syluestrum in l. 12. *Damnũ* Cod. de locato, & conducto. Ratio est quia frumentum tunc non dicitur collectum quamuis sit separatum à terra. Tertiò quando cum aliquo ex præcedentibus (aliqui addunt, vel sequentibus, quod habet locum cum res est locata ad longum tempus) tanta vbertas fructuum extitit, vt sterilitatem meritò compenset l. 15. ex *conducto*. §. 4. *si vno*, ff. locati, & l. 35 *licet retro principes* l. eodem titu. & c. propter sterilitatem de locato. Quartò si inter locatorem, & conductorem conuentum sit, vt propter sterilitatem merces non remittatur l. 9. *si quis domum* §. 2. *si quis fundum*, ff. locati. Quintò quando sterilitas non ex casu fortuito, sed ex vitio rei locatæ prouenit. Sextò quando sterilitas sæpe contingere solet. Et hinc est quòd merces remittenda non est ei, qui conduxit prædium in locis, in quibus solent fieri incursiones hostium, & qui conducit agrum prope flumen, quod sæpe inundat: nam in his casibus præsumitur conductorem præuidisse id, quod sæpe accidere solet, ac proinde tacitè consensisse, ne locator ei pensionem remittat ob eam causam, quæ sæpiùs accidit.

Locator quã teneatur augere mercedem.

135 Sicut autem locator ad sterilitatem casualem prędictam tenetur remittere mercedem in totum, vel in partem, vt dictum est; ita secundùm omnes conductor tenetur augere mercedem, & pretium ex vbertate casuali, quę præuideri non solet, e.g. Titius locauit Molendinum Caio, ex quo quolibet anno Caius recipere solebat quinquaginta. Sed quia alia Molendina casu sunt euersa percipit præsenti anno centum. Aequum est vt pro rata portione fructum seu pensionem augeat. Bart. in leg. 35. *licet retrò principes*, Cod. de locato. Quod intelligitur quando copia fructuum est multo maior consueta, non autem quando exilis est; neque quando fructus pluris æstimantur, & venduntur, quàm priùs, sicut nec minuitur merces si fructus minoris vendantur. Neque si vbertas fructuum proueniat ex industria, & opera conductoris; nec enim sua industria nocere debet conductori, neque si vbertas fructuum augeatur ex bonitate fundi: quia videtur locator eam locasse maiori pretio quo potuit.

Ex duabus regulis soluntur multi casus.

136 Ex hac quinta conditione patet solutio multorũ casuum in particulari. Semper enim debet seruari iustum pretium rei locatæ; iustitia autem pretij taxatur, vel à principe, vel ex consuetudine, vel ex pacto contrahentium, vt diximus suprà in venditione, quotiescunque autem, quis non soluit iustam mercedem, sed minorem, peccat; quotiescunque etiam quis locat rem, vel opus suum vltra iustam mercedem, vel aliquid recipit à conductore vltra iustam mercedem taxatam illis tribus modis, semper peccat, & tenetur ad restitutionem; si est res, quæ sufficiat ad quantitatem requisitam ad peccatum mortale. Ex hoc sequitur, quòd domini conducentes famulos nulla facta mentione de mercede, debent eam soluere, quæ pro tali seruitio secundùm consuetudinem iusta est, & si serui non petant eam, quia timent potentiam aut seueritatem domini, possunt illam clam tuta conscientia sibi capere. Ne autem sint in propria causa iudices id faciant consilio Con-

Dñi conducẽtes famulis quã mercedem soluere debeãt

fessatij

feſſarij aut boni viri. E conuerſo ſi ſeruus conueniat cum domino de certa mercede, vel merces ordinaria non ſufficiat pro victu, & veſtitu ſerui, non poteſt ſeruus aliud vltra mercedem, de qua conuenit, ex bonis domini ſurripere, nec dominus tenetur illi aliquid amplius de iuſtitia dare: quia cum datur iuſtum pretium, vel exigitur iuſtum pretium, numquam eſt peccatum iniuſtitiæ. Et denique ſecundùm has duas regulas iuſtitiæ locationis, & conductionis omnes ferè caſus incidentes ſolui poſſunt.

Locator poteſt peccare per accidés tranſgrediē do alia præcepta.

137 Præter dicta locator poteſt peccare tranſgrediendo alia præcepta non pertinentia ad iuſtitiam, vt e. g. ſi locet aliquam rem ad malum finem, quod ſit peccatum mortale, vt ſi quis locet gladium, vel alia arma ad bellum iniuſtum, vel ad occidendum aliquem: ſimiliter locare domum ad fænerandum, vel ad fornicandum, ita quòd finis locationis ſit peccatum. Nam ex Regulis generalibus diximus ſuprà actum de ſua natura venialem, vel indifferentem, & etiam bonum ex obiecto, fieri peccatum mortale ex circumſtantia finis.

138 Præterea cum quis locatione alicuius rei præbet occaſionem faciendi aliquid præcepto prohibitum, vt ſi quis locaret arma vel equum alicui, quo intelligit vti velle ad ocidendum, vel iniuria afficiendum aliquem: quia etſi finis eius non ſit occiſio; tamen cooperatur ad illam: quia dat ei occaſionem & auxilium ad occidendū, & ſic actus ille eſt peccatum mortale, quia eſt tranſgreſſio præcepti de non dando ſcandalum. Scandalum enim actiuum eſt actio, quæ eſt occaſio proxima faciendi aliquod peccatum.

Quomodo licet locare domū meretrici.

Ex Regula ſcandali nō licet aliquē inuitare ad peccandū, & quomodo.

139 Verùm eſt obſeruandum, quòd ex Regulis circa ſcandalum obſeruandis non licet quidem inuitare, nec inducere aliquem non paratum ad peccandum, quia eſſemus cooperatores illius peccati, & ſic nō poſſumus præbere occaſionem illi peccandi. Tamen quando aliquis eſt paratus ad peccādum ex aliqua actione noſtra, ad quam faciendam nos habemus ius, tunc licet nobis rem illam facere propter ius noſtrum, non intendendo ob aliā cauſam facere niſi propter ius noſtrum, licèt alius deinde ex ea ſumat occaſionem peccandi, & nos ſciamus illum ex huiuſmodi actione peccaturum e. g. Parrochianus licitè exigit Sacramentum à ſuo Parocho parato ad conferendum illud ei ſine confeſſione, vel contritione peccati mortalis. Item indigens pecunia poteſt petere mutuo ab eo, quem ſcit non mutuaturum ſine vſura; eſt enim ſcandalum acceptum non datum D. Thomas 2.2.q.78.art.4.ad ſecundum, & omnes conſentiunt. Hac ratione poteſt quis licitè locare domum ſuam vſurario quem ſcit exercitaturum vſuras in ea: quia ipſe habet ius locandi ſuam domū: ideò locat eam illi ad habitandum, qui eſt eius vſus proprius; quòd ſi ille ibi exerceat vſuras, eſt præter intentum ſuum; neque ipſe debet priuari iure ſuo ob peccatum alterius, cuius non eſt cauſa proximè, & imediatè, ſed ex accidenti. Sic licitè etiam quis locat domum meretrici, in qua ſcit eam fornicationem exercitaturam eſſe ob eādem rationem. Eodem modo dicendum eſt de locatione domus, vel alterius rei ijs qui artem aliquam peccandi exercent, & de ſimilibus actionibus pertinentibus ad ſcandalum. Quod dictum eſt de locatione domus facta meretrici intelligitur quando meretrices permittuntur ad maius malum fugiēdum. Verùm an permiſſio meretricium ſit cauſa vitandi maius malum eſt valdè dubium. Nauar. in Man. cap. 17. num. 195. in hanc permiſſioem valdè excandeſſit.

De mutuo, & vſura. *Cap. VI.*

Tres conditiones requiruntur ad mutuum.

140 Denique agit Scotus de mutuo, qui eſt vltimus contractus principalis, vt ſuprà diximus, ſupponit autem ad ſubſtantiam contractus mutui requiri tres illas conditiones, quas ſuprà diximus requiri ad quemlibet cōtractum ad hoc vt ſit validus, nimirum dominium rei mutuatæ in mutuante, qui enim mutuat pecuniā transfert dominium illius in mutuatarium; nemo autem dat, quod non habet: ideò ſi mutuans non habet dominium pecuniæ, & eam mutuet, contractus eſt nullus. Similiter ex parte mutuatarij requiritur voluntas recipiendi pecuniam mutuo. Tertiò requiritur, vt neuter ſit impeditus, ille à mutuando, & iſte à recipiendo mutuo, à lege, vel à ſuperiore propter eandem rationem: nimirum quia iſte contractus eſſet nullus; requiruntur ergo iſtæ tres conditiones ad ſubſtantiam mutui.

Conditiones requiſitæ ad iuſtitiā mutui.

141 Vlteriùs nunc Scotus progrediens aſſignat conditiones requiſitas ad iuſtitiam contractus mutui, quibus ſeruatis, contractus eſt iuſtus, & quibus, vel altera illarum ablata continet iniuſtitiam, ſcilicet vſuram.

Quarta cōcluſio principalis a. 2. q. 2. Scoti.

Vſura iure naturali eſt prohibita.

Has autem conditiones aſſignat ponendo hanc concluſionem, quæ eſt quarta concluſio illius ſecundi articuli ſecundæ quæſtionis diſt. 15. *Ad iuſtè contrahendum mutuum, oportet ſeruare æqualitatem ſimpliciter in numero, & pondere, exceptis quibuſdam caſibus, de quibus dicetur in fine*. Hanc concluſionem probat Scotus ſed primò adducit rationem, qua vtitur D. Thomas 2.2.q.78.art.1. quæ eſt, quòd qui ex mutuo aliquod lucrum accipit, committit iniuſtitiam. Quòd autem committat iniuſtitiam probat D. Thomas: quia res ſunt in duplici diſcrimine; quædam enim ſunt, quarum vſus eſt earundem conſumptio, vt vſus vini, tritici, & ſimilium; quædam verò ſunt in quibus vſus diſtinguitur à re ipſa, ſiue à ſubſtantia rei, ut domus, equus & ſimilia. In prioribus non poteſt ſeorſum computari vſus à re ipſa, ſed cuicunque conceditur vſus rei, ex hoc ipſo conceditur res ipſa; & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium rei. Et ex hoc ſequitur, quòd ſi quis vellet ſeorſum vendere vſum vini, & vinum ipſum, bis venderet rem eandem: vel venderet id, quod non eſt; & ſic manifeſtè peccaret per iniuſtitiam. In alijs verò, in quibus vſus rei non eſt conſūptio rei, ſicut eſt domus: nam vſus domus eſt habitatio illius, & ſimilia inquit D. Thomas poteſt ſeorſum vtrunque tradi, vt tradere vſum domus alicui ad habitandum, & reſeruare ſibi dominium ſuper ipſam domum. Ad propoſitum pecunia eſt res primi generis: quia eius vſus eſt conſumptio, & diſtractio eius, ex Ariſtotele 5. Ethicorum & primo Politicorum, quia principaliter eſt inuenta propter commutationes, in quibus ipſa pecunia diſtrahitur, & conſumitur: ideò eſt contra iuſtitiam pro vſu pecuniæ accipere aliquod lucrum, & ſimul eandem pecuniam: quia ſic bis idē redderetur, vel ſolueretur aliquid pro vſu illius rei, quę nō extaret, & ſic eſſet iniuſtitia. Hac ergo ratione in mutuo oportet ſeruare æqualitatem ſimpliciter in numero, & pondere.

Reijcitur à Scoto.

Vſus ſeparatur à dominio rerū.

142 Scotus hanc rationem confutat, quia fundamentum illud D. Thomæ eſt falſum, quòd vſus non ſit ſeparabilis à dominio rerum vſu conſumptibilium, quia in cōſtitutione Nicolai IV. *Exijt.* determinatur Fratres Minores D. Franciſci habere vſum rerū conſumptibiliū ſine dominio: ergo licèt pecunia ſit de numero eorū quæ vſu conſumuntur; tamen vſus eius poteſt ſeparari à dominio, & conſequenter vſus eius eſſe poteſt apud vnum, & proprietas eius apud alterum; & hoc pacto poſſet vendi, vel pecunia appreciari.

Opinio auctoris.

143 De hac ratione D. Thomæ diximus ſuprà agendo de diſputatione inter Nicolaum IV. & Ioann. XXII. Scotus ſequitur opinionem Nicolai, quæ etiam eſt communior. Ioann. autem XXII. ſequutus eſt opinionem D. Thomæ, quæ poſſet ſuſtineri, vt eo loco diximus. Vndè Scotus contra hanc rationem D. Thomæ nihil aliud adducit niſi auctoritatem illius extrauagantis, quæ in hac re probabiliter procedit nihil determinando de fide, vt ibi diximus.

1. Ratio Scoti.

144 Adducit ergo Scotus duas rationes, quarum prima eſt. Nemo poteſt recipere aliquid pecunia æſtimabile, vel pecuniam pro re non ſua; ſed ſic eſt, quòd qui mutuat pecuniam alicui, & pro illa recipit pecuniam, vel aliquid pecunia æſtimabile, recipit pecuniam, & rem æſtimabilem

mabilem pecunia, pro re non sua: ergo recipere aliquid pro mutuo est iniustitia. Maior supponitur vera: quia cõtractus non liberalis omnino requirit commutationem aliquam, ad hoc vt sit iustus. Minor probatur, quia qui mutuat pecuniam alteri, transfert dominium illius secundùm substantiam in alterum; vndè si pecunia mutuata perit, non perit mutuanti, sed mutuatario: ex hoc autem sequitur, quòd pecunia illa non ampliùs sit sua, & consequenter per illam non potest iustè aliquod lucrum, siue pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile accipere, vltra sortem principalem.

2. Ratio Scoti.

145 Secũda ratio principalis Scoti est. Nemo potest pcipere fructũ ex re de sua natura sterili, & non fructifera; sed pecunia de sua natura est sterilis, & non fructifera: ergo: & esto, quòd pecunia maneret ĩ dominio mutuãtis, non posset percipere aliquem fructum à mutuatario propter illam, iustè: quia exigeret fructum de re non fructifera, quod est iniustum.

146 Confirmatur: quia dato quòd pecunia in mutuatario afferat aliquam vtilitatem, hoc non proueniret ex natura pecuniæ, quæ sit de sua natura frutifera, sicut sunt arbores, & aliæ res germinantes, & afferentes fructum; sed hic fructus proueniret ex industria mutuatarij vtentis ipsa pecunia, quæ industria non confertur à mutuante ipsi mutuatario, sed est ipsius mutuatarij: ergo mutuans ex illa industria non potest secundùm iustitiam habere fructum: quia non est sua; neque enim mutuatarius accipiẽdo pecuniam mutuo dedit suam industriam mutuanti: & sic concluditur, quòd pro mutuata pecunia non licet recipere aliquid vltra sortem principalem; & totum illud, quod recipitur vltra sortem, si est pecunia, vel appreciabile pecunia, est lucrum, quod dicitur vsura.

147 Has duas rationes esse efficaciores ad probandũ vsuram, seu accipere aliquid vltra sortem principalem esse contra iustitiam, quàm illæ quæ afferuntur à Couarruuia lib. 3. variarum resolutionum cap. 1. num. 5. Molina disp. 304. & Soto lib. 6. de iustitia, & iure q. 1. art. 1. qui totam vim faciũt in ratione D. Thomæ adducta, nõ aduertens illam reijci à constitutione, *Exijt qui seminat*. in 6. de verborum significatione, vt notauit Scotus, et qui istos, & illam cõsiderat, facile cernere poterit. Sed quia omnes in conclusione cõueniunt, cum sit de fide asserendũ, vsuram esse peccatum lethale, & oppositum asserere sit hæresis, vt habetur in Clementina vnica *de Vsuris* §. vltimo non est vt circa rationes, an hoc concludant, laboremus.

3. Ratio.

148 Portò tertia ratio potest desumi ex auctoritate Sacræ Scripturæ: nam in veteri testamento vsura damnatur vt peccatum lethale. Ezechielis enim cap. 18. inter peccata mortalia numeratur his verbis. *Ad vsuram non accommodauerit, & ampliùs non acceperit: ab iniquitate auertevit manum* &c. Psalmo 14. Inter eos, qui vitam æternam possidere habent, numeratur qui non dat ad vsuram. *qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*: ergo qui dat ad vsuram peccat mortaliter, quia excluditur à beatitudine & Psalmo 71. Propheta loquens de Messia inquit. *ex vsura & iniquitate redimet animas eorum* Psalm. 54. vsura inter alia vitia connumeratur. *non defecit de plateis eius vsura, & dolus* & similia.

Vsuram esse peccatũ probatur ex testamento nouo. Opinio Soto.

149 Ex testamento nouo adducitur illud celebre Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Sed Soto vbi suprà dicit hunc locum non cogere, quia Christus Dominus hoc loco non dat præceptum de non dando ad vsuram propriè, vt nunc loquimur, sed commendat ibi charitatem, & dat consilium, vt demus absque expectatione retributionis beneficentiæ alicuius, quod probat, quia si Christus loquutus esset de vsura, non dixisset, *nam & peccatores peccatoribus fænerantur, vt recipiant æqualia*. quia in contractu vsurario non consueuit retribui æquale pro mutuo, sed certa quædam portio pro lucro; nititurque ostendere, quòd D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad 4. non existimauerit in illis verbis tradi præceptum de vitanda vsura, & quidam alij cum Soto sentiunt.

Reijcitur opinio Soto

150 Cæterùm voluntaria mihi videtur hæc doctrina Soti & sequacium. Scotus prædicta q. art. 4. adducit hanc auctoritatem tanquam fundamentum detestationis vsuræ in nouo testamento, & D. Thomas inquit apertè in illis verbis esse aliquid, quod pertinet ad consilium, & aliqoid, quod est præceptum: mutuum dare est consilium; pro mutuo nihil accipere est præceptum. Verba D. Thomæ sunt ista. *Ad quartum dicendum, quòd dare mutuum non semper tenetur homo; & ideò quantùm ad hoc ponitur inter consilia, sed quòd homo de mutuo lucrum non quærat hoc cadit sub ratione præcepti*. Vndè licèt deinde alias expositiones afferat, tamen nunquàm hanc damnat, vel infirmat, sed solùm explicat quomodo in illis verbis sit cõsilium, quod pertinet ad primam partem responsionis, non ad secũdam quæ semper immobilis manet. Et quod dicit Soto, D. Thomam pro tanto asserere, non recipere lucrum de mutuo, cadere sub præcepto, qoia est lex iustitiæ, est dictum voluntarium: quia D. Thomas satisfacit ibi argumento, quod erat; quòd accipere vsuram non est præceptum, sed consilium; quod probat ex eo Lucæ sexto; argumentum ergo concludit, dare ad vsuram esse legis Euangelicæ consilium, Lucæ 6. Respondit D. Thomas esse consilium Euangelicum quò ad primam partem, scilicet quò ad dare ad vsuram, sed quò ad secundam partem esse præceptum vtrique legis Euangelicæ: nõ ergo intendit D. Thomas ibi esse præceptum legis naturæ, non Euangelicæ.

151 Accedit Summos Pontifices Vrbanum III. c. 10. *consuluit*, extra de vsuris apertè asserere ex eo loco Euangelij Lucæ deduci, quid sit dicendum de contractu illo, in quo pro mutuo aliquid vltra sortem principalem recipitur, nimirum esse peccatum lethale, & vsuram damnari. Idem habet Alexander III. cap. 3. *quia in omnibus*. eodem titulo. Et certè si Christus hic non prohibet sub præcepto vsuram, sed solùm sub consilio, in lege noua corrigeretur lex vetus; nec posset dici vsuram esse prohibitam de iure naturæ, quia quod est lege naturæ prohibitum, in Euangelio non proponitur sub consilio: quia esset derogare, & corrigere legẽ naturæ. Denique ratio Soti, quòd Christus ibi loquatur de consilijs, est nullius momẽti: quia etsi ad aliqua ibi, vt ad consilia, hortetur, tamen etiam ibidem vt aliqua peccata lethalia fugiamus pcipit. Habet enim sic Sacer. tex. *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est*, hoc est consilium, *nolite iudicare, & non iudicabimini nolite condemnare, & non condemnabimini, dimittite, & dimittemini*, &c. Hæc autem duo vltima certum est esse præcepta, scilicet non iudicare proximum; & dimittere offensam: ergo licèt aliqua sint consilia, tamen illud *mutuum date, nihil inde sperantes*, est præceptum. Et licèt in illis prioribus verbis adductis a Soto. *Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fænerantur, vt recipiant æqualia*, non loquatur de vsura propriè dicta, sed inferat, quòd etiam peccatores mutuant, & benè faciunt alijs peccatoribus, vt recipiant æquiualens, scilicet beneficium ab eis, ex quo sequitur (vt ibi infert Christus) discipulos Christi non debere diligere homines, quia diligantur ab eis, & ab eis beneficium accipiant, sed ipsos inimicos, à quibus non aliquod beneficium accipiunt, sed damnum, & sic commendet charitatem; tamen in verbis illis proximè sequentibus. *Verùm tamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes*, non solùm est consilium, sed præceptum. Nam diligere inimicos est præceptum, non autem solùm consilium. Similiter ergo mutuum dare est præceptum, & simul consilio. Est consilium quò ad benefacere, & mutuum dare, vt ait D. Thomas, at quò ad dare gratis, & nihil sperare est præceptum. Simile est illud *vouete, & reddite*. Primum est consilium. Secundum est præceptum. Scotus eadem q. 2. art. 3. adducit duas rationes pro vsura, sed easdem reijcit, quas videbimus exponendo illum 3. art. Scoto.

152 Quod verò disputatur, an vsura in veteri lege esset prohibita

Vſura an permiſſa fuerit in lege veteri.

prohibita ſub peccato mortali, quia legimus Deuteronomio 23. *Non feneraberis fratri tuo ad vſurā pecuniā, nec fruges, nec qualibet aliā rē: ſed alieno.* Ex quo videtur fuiſſe tūc licitum ad vſurā dare alienis à ſuis fratribus Iudęis; rectè diſſoluitur ab Alexandro de Ales 3. par. q. 36. m. 4. à D. Thoma 2. 2. q. 78. art. 1. ad ſecundū & ab alijs Theologis, quòd illa fuit permiſſio, non quò ad culpam, ita vt ſine culpa mortali vſuram exercere permiſſum fuerit à Deo, ſed quò ad forum humanum; ne, ſcilicet pęna in foro exteriori punirentur, ad vitanda maiora mala; quia erant auaritiæ deditiſſimi; ſicut modò meretrices permituntur à Chriſtianis, non quia fornicatio non ſit peccatū, ſed ne puniatur in foro exteriori. Vndè ſicut meretrices permittuntur ne homines perciti libidine inſidiētur matrimonio, & mulieribus vxoratis; ita ibi permiſſa fuit vſura Iudæis, ne ad vſuram darent fratribus Iudæis Deum colentibus. Poſſumus etiam dicere Deum diſpenſaſſe cum illo populo ſuper hoc præcepto, ſicut aliàs cum eo diſpenſauit in furto contra Egiptios, iuxta dicta ſuperiùs de diſpenſatione. Quòd autem in præmium vſura permittitur Deutoronomio cap. 28. *Feneraberit gentibus multis, & ipſe a nullo fęnus accipiet.* non facit difficultatem, quia ibi fœnus non accipitur propriè pro vſura, ſed fœnus accipitur ibi pro mutuo, & indigentia: quia Dominus ibi promittit in pręmium abundantiam diuitiarum ex qua contingit, quòd alijs mutuare poſſint, ipſi verò à nullo egeant mutuare.

153 Ex dictis poteſt colligi definitio mutui ſeù contractus mutuationis, nam eſſentia, & iuſtitia contractus mutui conſiſtit in conditionibus aſſignatis in hac quarta concluſione adiunctis alijs ſuperiùs requiſitis ad contractum in communi. Vndè licèt variæ definitiones quò ad quid nominis, & quò ad quid rei aſſignentur, quæ tamen quò ad rem in idem coincidunt, poſſumus cum Scoto, & conſonanter ad communiorem opinionem, dicere, quòd quantum ad quid nominis mutuum venit à mutuo; mutuo autem idem eſt, quod meum tibi dò; & ſic mutuum eſt datio rei meæ tibi, ita vt meum fiat tuum. Hoc videtur accepiſſe Scotus ex l. 2. *mutuum* ff. de rebus creditis §. 2. *appellata.* & Inſtit. quibus modis re contrahitur obligatio in principio, verſi. *inde etiam* vbi dicitur mutuum dici quaſi fiat de meo tuum; per quod ſignificatur mutuum eſſe contractum, in quo transfertur res quò ad dominium in alterum.

Definitio mutui quid nominis.

154 Definitio verò quid rei poterit ex dictis à Scoto eſſe hæc. *Mutuum ſeù mutuatio eſt contractus in quo commutatur nummiſma pro nummiſmate ſeruata æqualitate in numero, & pondere.* Scio alios alias definitiones aſſignare, ſed parum ab hac differunt; hæc autem habet maximam affinitatem cum definitione aſſignata à Bartolo in l. 2. *mutuum* ff. de rebus creditis, & à communiori parte doctorum recepta, quæ eſt, quòd *mutuum ſit contractus celebratus ab aliquo vera, vel ficta datione rei conſiſtentis in numero, pondere, & menſura.* Quòd autem valdè conueniat cum definitione aſſignata ex dictis à Scoto patebit declarando particulas illius definitionis.

Definitio q d rei mutui.

155 Prima particula eſt *contractus* quæ ponitur pro genere. Mutuum enim eſt ſub genere contractuum; licèt aliqui dicant hoc genus eſſe nimis remotum; ſed hoc non obſtat: quia eſt genus valdè proprium, & notum, ideò ponere illud in definitione vnius ſpeciei contractus particularis non eſt abſurdum.

Prima particula diffinitionis.

156 Secūda particula eſt *in quo traſmutatur.* hæc particula ponitur ad denotandum, quòd mutuatio eſt actio in qua traditur aliqua res pro alia, & ideò non eſt datio vel traditio ſimplex ſine retributione; ſed eſt cum retributione, & per hanc differt à donatione, commodato, & precario, quæ ſunt ſimplices dationes. Bartolus, & alij loco huius particulæ, ponunt illam, *traditio*, ſeu *datio*; & aliqui volunt, quòd datio ſit genus proximum mutui. Sed patet hanc particulam eſſe quoque nimis communem: quia eſt communis omni contractui, etiam gratuito, vt eſt donatio commodatum &c. Addit verò Bartolus illas duas particulas *vera, vel ficta datione*, ad ſignificandum mutuationem fieri per actualem traditionem rei, vt cum quis mutuat alicui pecuniam numeratam per ſe, quæ dicitur vera datio: vel cum mutuat pecuniam numeratam per alium, vt puta per ſeruum, vel Procuratorem, vel aliū: talis datio dicitur datio, fictione iuris. Et hoc eodem modo intelligenda eſt illa particula in definitione noſtra, *tranſmutatur*, nimirum tā de commutatione vera, quàm de ficta fictione iuris.

Secūda particula diffinitionis.

157 Tertia particula eſt *nummiſma pro nummiſmate*, in hac particula differt Scotus ab alijs: quia hæc particula ponitur ad denotandum materiam in qua verſatur mutuum. Scotus autem videtur velle, quòd materia mutui ſit ſolùm nummiſma ſiue pecunia: inquit enim quòd mutuum eſt contractus in quo fit commutatio nummiſmatis cum nummiſmate, vt ſuprà vidimus. At communiter doctores tenent, quòd materia mutui non ſolùm ſit pecunia, ſed omnis res, quæ conſiſtit in numero, pondere, & menſura; vt ſunt frumentum, oleum, vinum, & huiuſmodi, quæ vſu etiam conſumuntur, vt habetur l. 1. *obligationes* §. 2. *re contrahitur* verſu *mutui autem datio* ff. de actionibus, & obligationibus, & l. 2. *mutuum* §. primo *mutui datio* ff. *de rebus creditis.* At poteſt Reſponderi, quòd Scotus voluit apponere particulam tangentem propriam materiam mutui: nam propriè mutuatio eſt reſpectu pecuniæ, non reſpectu aliarum rerum, quia mutuatio olei, vini, & huiuſmodi eſt potiùs permutatio rerum eiuſdem ſpeciei, quæ reducitur ad contractum innominatum *dò vt des*, quàm mutuatio: qui enim mutuat modium frumenti, vt ei reddatur alius modius frumenti, dat, vt det rem eiuſdem generis, vt dicunt Iuriſtæ, vel eiuſdem ſpeciei, vt dicunt Philoſophi. Per illam particulam ergo, *nummiſma pro nummiſmate*, differt mutuatio à permutatione, qui eſt contractus innominatus, vt ſuprà diximus: & à venditione, & emptione, in quo commutatur res vſibilis pro pecunia, vel econuerſo: & à locato, & conducto. Quia hi regulariter fiunt in rebus vſibilibus ſine conſumptione ſui, ſiue in quibus vſus ſeparatur à ſubſtantia rei: mutuum autem fit circa pecuniam, cuius vſus non eſt ſeparabilis à ſubſtantia niſi per accidens, vt dicemus infrà, nimirum in caſu quo pecuniam quis locare velit.

Tertia particula diffinitionis.

Materia mutui quę.

158 Vltima particula eſt *ſeruata æqualitate in numero, & pondere.* Hæc enim pertinet ad iuſtitiam mutuationis. Mutuatio enim eſt datio pecuniæ tot, & tantæ, vt tot, & tanta reddatur in numero, & pondere; ſi enim dò tibi 100. aureos, debes mihi reſtituere 100. aureos; intelligitur autem *in numero, & pondere eodem, vel æquiualenti.* Nam ſi quis det mutuo 100. aureos in auro Titio, & Titius reſtituat 100. aureos, at non in auro, ſed in argento, ita tamen quòd ſint valoris eiuſdem, cuius ſunt centum aurei in auro, ſatisfacit, & dicitur ſeruaſſe æqualitatem in numero, & pondere; & tamen 100. aurei in argento in valore æquales 100. aureis in auro, non erunt illis æquales in numero, & pondere, ſed argentei ſuperabunt, & ſic de alijs.

Vltima particula.

159 Poſſumus addere alteram particulam ad maiorem declarationem, nimirum, *in nummiſmate poſtea reſtituendo*, per hanc enim particulam ſignificatur, quòd de ratione mutui eſt, vt reſtitutio non ſtatim fiat; ſi enim ſtatim reſtitutio fieret, eſſet permutatio potiùs, quàm mutuatio.

Alia particula addita.

160 Si quis autem velit faciliorem definitionem aſſignare poſſet ſic definire. *Mutuum eſt translatio pecuniæ, vel alterius rei vſu conſumptibilis in alterum quò ad dominium, & vſum ad certum tempus, vt eadem pecunia, & res in numero, & pondere ſibi reſtituatur.* In hac definitione genus eſt *translatio*, quod idem ſignificat, quod traditio ſeu datio vera, vel ficta fictione iuris, vt declarauimus ex Bartolo. Prima differentia eſt, *pecunia vel rei vſu conſumptibilis*, quæ ponitur ad ſignificandum materiam

Alia definitio mutui facilior.

propriam

propriam contractus mutuationis. Secunda differentia est, *quod ad dominium, & vsum*: quia in mutuo vtrunque transfertur ad differentiam aliorum contractuum, in quibus substantia absolutè transfertur, vt in venditione, vel vsus tantùm, vt in locatione. Tertia est *ad certum tempus*, per quam differt à permutatione. Quarta est, *vt eadem pecunia & res restituatur in numero & pondere, & mensura*, ad differentiam omnium aliorum contractuum; in solo enim mutuo requiritur hæc restitutio cum hac æqualitate, vt dictum est.

Quæ & qualia vitia cómitti possint in mutuo.
Vitium in substantia.

161 Ex dictis elicitur, quæ vitia committi possint in mutuo, & qualia sint. Potest autem esse vitium ex parte mutuantis, & mutuatarij: vt si dolo, & mala fide vtantur, vt mutuando pecuniam adulterinam, vel frumentum, & aliam aliquam rem vitiosam in substantia, qualitate, & quantitate; & similiter mutuatarius restituens; & tunc mutuans, & mutuatarios tenetur resarcire omne damnũ illatum, vt dictum est suprà agendo de venditione, propter rationem illam, *qui causam damni dat, damnum dedisse videtur*; & hoc lex naturæ exposcit. Secus si bona fide, & sine dolo; hæc enim communia sunt omni contractui, vt diximus suprà. Tenetur etiam mutuans expectare tempus statutum ad restituendum, argumento ex l.17.§ *sicut* ff. commodati: Nisi pari necessitate vrgeretur, aut in æquale damnũ incurreret secundùm Bart. & Bald. in l.68. *si pœnam*, num. 1. & 2. ff. de verb. obligat. & mutuatarius tenetur ad tempus statutum restituere, alioquin tenetur de mora, & damno inde sequuto.

Vitium in quantitate.

162 Deinde potest esse vitium in mutuo ratione æqualitatis prædictæ, scilicet quia non seruatur æqualitas in restitutione, & hæc inæqualitas potest fieri duplici modo. Vno modo quia mutuatarius non soluit, nec restituit integram sortem principalem, seu tantam pecuniam, & eiusdem valoris, quanta fuit pecunia, quam mutuo recepit; & hæc inæqualitas, si fit contra voluntatem mutuantis, reducitur ad furtum: quia est retentio rei alienæ contra voluntatem domini: vel ista inæqualitas est ex parte mutuantis: quia scilicet plus recipit quàm sit pecunia, quam mutuauit. Et hoc vitium est propriè vitium vsuræ, de qua præsertim agendũ est: quia est vitium, & peccatum, quod propriè committitur circa mutuum.

Diffinitio quid nominis vsura.

163 Ex dictis itaque habetur quid sit vsura; tamen ad vberiorem eius cognitionem notandum est. Quòd nomẽ hoc vsura aliquando significat aliquid bonum, aliquando vitium. Significat aliquid bonum cũ accipitur pro vsu rei; secundùm quem modum solemus dicere nos frui vsura huius vitæ; quo in significato vsus est Cicero 1. Tuscul. quæst. dum dixit. *Natura dedit vsuram vitæ, tanquam pecuniæ nulla præstituta die.* Aliquando etiam significat incrementum, & fructum, quo in significato vsus est Cicero lib. de senectute dũ dixit. *Terra nunquàm sine vsura reddit, quod accepit, sed alias minore plerumque maiore cum fænore.* Significat verò vitium cum sumitur ex accommodatione vsus ad significandum lucrum, & fructum ex mutuo acceptum: vel contractum mutui, ex quo lucrum, vltra sortem principalem seu capitale, accipitur. Nos hìc habemus sermonẽ de vsura in hac vltima significatione, qua ea nus significat huiusmodi vitium.

Quæ sit diffinitio quidditatiua vsuræ.

164 Quæ autem sit definitio quidditatiua vsuræ sunt variæ opiniones, & re vera est difficile inuestigare definitionem claram explicantem omnia, quæ pertinent ad vsuram, & fortasse nulla est, quæ hoc præstet: quia vt optimè obseruauit Couaruuias lib. 3. variarum resolut. cap. 1. nu. 1. definitio vsuræ deberet notificare crimen, & peccatum vsuræ, quod distinguitur à lucro, quod per iniquam illam actionem acquiritur: & tamen omnes ferè definitiones pertinent ad lucrum, quod per mutuationem acquiritur, non ad ipsam actionem peccati, nisi ex accidenti, & quodammodo indirectè. Ne tamen ab alijs dissentiamus, qui nihilominus his definitionibus naturam contractus vsurarij explicauerunt, sequemur alios. Vt tamen res distinctiùs innotescat, & cognoscatur differentia, quæ est inter vsurariam actionem, & vsuram, quæ est lucrum ex ipsa acquisitum, distinguendum est, vt etiam obseruauit Soto lib. 6. de iustitia & iure quæst. 1. art. 1. vsura duobus modis accipitur: aliquando enim hoc nomen *vsura*, accipitur pro contractu, & actione in qua vsura committitur; aliquando pro lucro illo, quod vltra capitale accipitur, quod vt dictum est, vocatur vsura ex accommodatione vocabuli. Si ergo vsura accipiatur pro contractu, & actione, qua vsura contrahitur, hæc erit definitio vsuræ. *Vsura est contractus in quo ratione mutui aliquid vltra sortem principalem accipitur.* Hęc definitio ex dictis deducitur: dictum est enim, quòd quando in mutuo non seruatur æqualitas in numero, & pondere in restitutione rei mutuatæ, sed aliquid vltra sortem principalem datur, ille contractus est vsurarius seu actio vsuraria, quæ est peccatum.

Variæ diffinitiones de vsura.

165 Si verò accipiatur vsura pro lucro, quod accipit mutuans vltra sortem principalem, variæ afferuntur definitiones, omnes enim definitiones de vsura pro lucro accepta, assignãtur. Azorius 3. part. lib. 5. ex Iuristis dicit hãc esse communem. *Vsura est lucrum pecunia æstimabile quæsitum ex mutuo, vi mutui.* Alij, vt Caietanus in Summa, quem sequitur Molina disp. 303. & alij definiunt sic. *Vsura est lucrum ex mutuo acceptum.* Soto lib. 6. de iustitia quæst. 1. art. 1. inquit. *Vsura est pretium vsus mutuatæ rei.* Nauarrus in Man. cap. 17. num. 206. facta distinctione inter actionem vsuræ, quæ est peccatum, & vsuram pro ipso lucro, vsuram acceptam pro lucro sic definit. *Vsura est lucrum pecunia æstimabile suapte natura, quod principaliter vi mutui veri, vel palliati quæritur*, & alij aliàs. Istæ tamen omnes ferè coincidunt in idem, vna tamen est magis explicata, quàm altera. Ideò sequemur hãc Nauarri tanquam explicatiorem. Ex hac enim insinuantur omnes species vsuræ. Est enim vsura realis, quæ est quando in mutuo expressè, vel implicitè fit pactũ de lucro; quæ vsuræ species in oĩbus definitionibus insinuatur. Est autẽ alia vsura, quæ dicitur palliata: q̃a est mutuatio propter lucrum, tamen velata sub forma alterius contractus, vt venditionis, locationis, & similium: vt suprà tetigimus. Est denique vsura mentalis, in qua pactum nec explicitè, nec implicitè statuitur, sed solùm ponit in mentem mutuantis spem lucri, sine qua spe occulta tamen non mutuaret. Omnes istæ species insinuantur per definitionem assignatam à Nauarro.

Diffinitio vsuræ explicatur.

166 In hac ergo definitione ponitur loco generis. *Lucrum*, quia vt dictum est, definimus vsuram prout est illud quod faciens contractum vsurarium, seu mutuans iniustè, ex illo mutuo accipit; illud autem est lucrum, & totum illud, quod supra sortem, & capitale accipit. Per lucrum autem intelligitur secũdùm omnes pecunia, vel aliquid æstimabile pecunia: quod apertè docet D. Thomas 2.2. q. 78. Scotus vbi suprà, & doctores communiter vel apertè docent, vel supponũt: & ratio est, quia iam dictum est, quòd iustitia in mutuo consistit in æqualitate, in numero, & pondere; tunc ergo est contractus iniustus, cum vltra istam æqualitatem aliquid sumitur, quod consistat in numero & pondere, re vel virtute. & consequẽter omne illud est vsura, quod vltra sortem principalem accipitur, dum sit pecunia actu, vel virtute, id est æstimatione. Atque hæc est regula principalis ad cognoscendum quando accipere aliquid pro mutuo est vsura.

Quid per lucrum intelligatur.

Regula principalis ad cognoscẽdum quando in mutuo sit vsura.

167 Sed difficultas est in cognoscendo, quænam sint res, & conditiones pretio æstimabiles: nam licèt de aliquibus hoc sit clarum, tamen de aliquibus est valdè dubium, & doctores inter se contendunt, an faciant contractum vsurarium necne e.g. clarum est bona spiritualia nõ esse pretio æstimabilia, nec vendibilia: ideò mutuare ad illa obtinenda non esset vsura; esset tamen simonia, quæ est maius peccatum. Similiter amicitia, beneuolentia, vel aliquid huiusmodi, certum est non esse pretio vendibilia, vel permutabilia. Ideo si quis mutuet ad hæc comperanda, & illa acquirat non est vsurarius; licèt illa plus æstimet, quàm magnam pecuniam: quia ex suo genere ista

non

non sunt pecunia appreciabilia, & pp hoc Nauarrus addidit illam secundã particulam, *suapte natura*. Ex aduerso quasdam alias conditiones esse pretio æstimabiles, est clarũ, vt si quis mutuet Titio 100. vt sinat eum habitare in domo Titij donec reddat 100. vel ad certum tẽpus: vel mutuet hoc pacto, vt ei vestem suam accommodet Titius, & similia: certum est enim habitationem domus, vsum vestis esse res pretio æstimabiles: quia de facto talia locantur, vel venduntur, & contractantur. Quædam alia verò sunt difficilia cognitu an sint pretio æstimabilia, & hinc oriuntur dubia inter doctores, an sint vsuræ, & faciant contractum vsurarium, quæ conditiones, & pacta quando vsu veniunt, oportet considerare consuetudinem locorum, videre doctores, & ea considerare ex quibus innotescere possit, an sint pretio estimabilia. Vt si quis mutuet Titio hoc solo pacto, vt veniat ad molendum in suo Molendino: nam hic sunt opiniones variæ, licèt communior sit, quòd sit vsura: quia illa obligatio, vt vadat ad molendum in suo Molendino, est pecunia estimabilis, vt experientia patet. Similiter si quis mutuet alicui Medico hoc solo pacto, vt curet suos domesticos, iusto tamen, & consueto pretio: vel rustico, vt tẽpore debito colat suos agros iusto tamen pretio: est enim grauis contentio inter doctores an istæ obligationes sint pretio æstimabiles, & consequenter faciant contractum vsurarium; tamen verior, & communior est, quòd sint pretio æstimabiles: quia re vera sunt vtiles mutuanti: posset enim contingere, quòd nec iusto pretio posset habere Medicum, vel rusticum tempore oportuno propter multitudinem infirmorum, & penuriam medicorum, & rusticorum, vel aliquod aliud impedimentum, & sic magnam iacturam pateretur, vel in vita, vel in rebus suis. Tota difficultas ergo est in cognoscendo quando pacta, & conditiones sint pretio æstimabiles, quod poterit sciri ex doctoribus verbo *vsura*, & verbo *Mutuo*, vbi multos casus dubios de his pactis decidũt; & ego infra aliqua tangam difficiliora.

Obligatio vt veniat ad molẽdũ in meo Molendino, an sit vsura.

3. Cõditio.

168 Tertia conditio est *vi mutui veri, vel paliati*, ad denotandum, quòd si omnia prædicta pretio æstimabilia dentur mutuanti non ratione, nec vi mutui, sed animi gratitudine, vel beneuolentia, vel aliqua alia ratione, non est vsura. Ratio est, quia mutuans ex mutuatione non fit deterioris conditionis, quàm si non mutuaret; at si non mutuaret, posset hæc ratione beneuolentiæ, & alio titulo recipere: ergo & nunc postquàm mutuauit. Verùm hic potest esse deceptio, ideò debet quis optimè considerare, an si mutuum non adesset huiusmodi res donarentur mutuanti à mutuatario, an non, neque aliquis hoc meliùs scire potest, quàm pœnitens, ideò diligenter est interrogandus. Dicitur autem mutui veri, vel palliati, quia est eadẽ ratio de mutuo vero, & palliato. Vbi Nauarrus tangit vsuram palliatam; sæpe enim in alijs contractibus sub specie venditionis, locationis, & similium ponitur mutuum, & ratione illius aliquid exigitur, & tunc dicitur vsura palliata, de qua infrà.

4. Cõditio.

169 Quarta conditio est *principaliter quæritur*; hic Nauarrus tangit vsuram Mentalem: nam etsi in vsura, reali vera, vel palliata requiratur intentio, & spes lucri, alio tamen modo in ea habetur; habetur enim expressè seu per pactum expressum, vel implicitum: in vsura verò mentali spes, & intentio lucri habetur solùm in mente, nullo modo autem extra. Vndè qui mutuat, in mente sua potest mutuare cum spe lucri, & sic peccare; & quia non omnis spes lucri sic mentalis est peccatum, nec facit vsurariam actionem ipsam mutuandi, Nauarrus apposuit hanc particulam, *principaliter*, ad denotandum, quòd spes, & intentio principalis lucri in mutuante facit actionem illam vsurariam, & est peccatum; non autem spes minus principalis.

Quænã sit intẽtio principalis mutuandi.

170 Verùm quænam sit intentio principalis, & quomodo intelligatur, inuenio contẽtionem inter doctores. Nam aliqui, & est communior opinio Canonistarum in caput 10. *Consuluit* de vsuris, quos sequitur Nauarrus in

Fab. de Restitutione.

Coment. de vsura 14. q. 3. cap. 1. num. 20. & in Manuali c. 17. numero 209. dicunt intentionem principalem esse, quando quis propter solum lucrum mouetur ad mutuandum, vel si mouetur propter aliud ad mutuãdum, vt propter beneuolentiam mutuatarij, vel aliquid aliud; illud tamen non est causa præcipua mutuationis, sed lucrum, quod intendit, & quærit. Vndè nisi speraret lucrum, quãuis alia causa adesset, non tamen mutuaret. Intentio verò non principalis, sed secundaria, & minùs principalis est, quando aliquis, licèt speret, & quærat lucrum ex mutuo, tamen non mutuat principaliter propter lucrum, sed propter aliam causam, vt puta propter beneuolentiam mutuatarij, vel propter charitatem; & etiamsi nullum acquireret lucrum, nec speraret; attamen mutuaret. Hæc est intentio minùs principalis. Ad propositum dicunt intentionem principalem facere vsuram, seu contractum vsurarium; non autem intentionem minùs principalem. Et hæc est sententia Nauarri, & prædictorum auctorum in caput 10. *Consuluit*, de vsuris, & Glossæ in idem caput in verbo *sperantes*, & Syluestri verb. *vsura*, 1. in principio, & aliorum multorum.

Intẽtio minus principalis in mutuo quę sit.

171 Nauarrus pro hac sententia adducit, præter auctoritatem citatorum doctorum, has rationes: quia in alijs similibus materijs intentio principalis aliquid faciendi est peccatum; intentio verò minùs principalis faciendi non est peccatum: ergo hoc est licitum quoque in proposito. Antecedens probatur. Nam licitum est seruire Ecclesiæ, & Prælato cum intentione, & spe secundaria habendi beneficium. cap. 2. *si officia* d. 59. & cap. 7. *quid proderit* d. 61. cum suis Glossis. Præterea non licet celebrare Missas, & diuina officia principaliter propter distributiones quotidianas; & tamen licet celebrare &c. propter illas minùs principaliter iuxta Glossam singu. & recep. in cap. primum de Cleric. non resident lib. 6. Item non licet seruire Deo principaliter intuitu remunerationis terrenę, sed minùs principaliter. Psalmo 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Adeò quòd Concilium Tridẽtinum sess. 6. can. 31. ait contrarium esse hæreticum.

1. Ratio Nauarri p prima parte suæ opinionis.

2. Ratio.

172 Subiungit deinde Nauarrus vbi suprà, quòd potest quis mutuare pecuniam intendens principaliter, vel minùs principaliter amicitiam alicuius; & ex illa amicitia deinde principaliter, vel secundario sperare, & intendere lucrum pecuniarum. Adeò quòd vult, quòd cum primum obiectum mutui est amicitia, vel aliquid non æstimabile pecunia, licèt ratione illius deinde intendat lucrum pecuniæ, siue principaliter, siue secundariò, non sit vsura, & hæc est secunda pars opinionis Nauarri. At cum primum obiectum mutui est lucrum pecuniæ; si illud intendit principaliter, sit vsura; si verò minus principaliter, non sit vsura, & hæc est prima pars opinionis Nauarri.

2. Pars opinionis Nauarri.

173 Soto libro 6. de iustitia, & iure quęst. 1. articulo 2. & Molina dispu. 305. discrepant à Nauarro in prima parte huius suę opinionis, conueniunt verò in secunda parte, quam Soto, & Molina, & alij desumpserunt ex Caietano 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 4. qui videtur esse auctorem huius secundæ partis, licèt non sit admodum clarum an re vera hanc secundam partem ibi tradat, vel primam partem opinionis Nauarri.

Opinio Soto & Molinæ.

174 Primam partem opinionis Nauarri, & communiorem impugnant: quia dicunt Intentionem vsurariam non esse perpendendam ex intentione principali, vel minùs principali, sed ex obiecto: ideò cum quis intendit lucrum pecunia æstimabile semper est vsura, siue illud intendatur principaliter, siue minùs principaliter: quia illud est obiectum proprium vsuræ, & sic discrepant à prima parte opinionis Nauarri. Hæc est secunda conclusio Molinæ, quæ probatur, quia vsuræ ratio in eo est posita, quod est pretium, & lucrum ex mutuo, siue ergo intendatur primariò, vel secundariò semper est vsura: quia actus specificatur ab obiecto, & ita ex obiecto est peccatum vsuræ; peccatum autem ex obiecto malum, semper est ma-

Ratio Soto contra primam partẽ opinionis Nauarri.

Ratio Molinæ contra eandẽ primam partẽ op. Nauarri.

lum, & nunquàm actus ille potest esse bonus, vt patet de furto.

3. Pars opinionis Molinæ & Soto.

175 Si verò obiectum mutuantis non sit lucrum pecunia æstimabile, vt amicitia, adeò quòd intendat amicitiam, & beneuolentiam, & deinde ratione beneuolentiæ intendat lucrum pecuniæ, tunc inquiunt non esse vsuram, siue deinde principaliter, siue secundariò ex amicitia intendatur lucrum pecuniæ. Hæc est prima conclusio Molinæ; & videtur esse doctrina Caietani loco citato: quia facit hanc distintionem. Desiderare aliquid vltra sortem contingit dupliciter, vel propter mutuum, vel non ex mutuo, sed ex beneuolentia. Si hoc secundo modo sperat lucrum, non est vsura. Si primo modo, hoc contingit dupliciter, vel principaliter, & hoc modo est vsura. Si secundo modo non est vsuræ peccatum: quia D. Thomas q. de malo 13. a. vltimo ait licitum esse ex beneficio, quod quis confert proximo habere oculum sinistrum ad vtile. Huc vsque Caietanus videtur sentire cum prima parte opinionis Nauarri, & communis. Sed deinde vlteriùs explicans quomodo hæc intentio minùs principalis lucri pecuniæ non sit vsuraria, videtur descendere in opinionem secundàm Nauarri, & Soto, ac Molinæ, quia videtur exponere, quòd tunc secundariò quis intendat lucrum pecuniæ, quando expectat hoc lucrum pecuniæ non ex mutuo, sed ex amicitia, & beneuolentia. Vnde videtur velle, quòd non sit vsura, quia obiectum mutui non sit pecuniæ lucrum primariò, sed primariò amicitia, secundariò lucrum pecuniæ.

Opinio Caietani.

Fundamentum Molinæ pro secunda parte suæ opinionis.

176 Hæc secunda pars probatur à Molina, quia vt dictum est, vsuræ ratio est posita in hoc, quòd aliquid accipiatur, ex mutuo, & ratione mutui, non ratione amicitiæ, & gratitudinis. At qui mutuat, vt acquirat amicitiam, ex qua postea acquirit lucrum, non intendit accipere lucrũ ex mutuo, sed ex amicitia, & beneuolentia: ergo mutuatio cum intentione lucri ex amicitia, & beneuolentia acquisita per mutuationem, non est vsura.

1. Pars opinionis Nauarri approbatur secũda pars reijcitur.

177 Ego quidem opinionẽ Nauarri quò ad primam partem in qua dissentit à Soto & Molina, & sentit cum communi puto verissimam. Quod patet per rationes adductas ab ipso Nauarro, quibus nihil Molina respondet, sed dicit Nauarrum non satis se explicare. Neque rationes Soto & Molinæ contra ipsam quidquàm valent, vt infrà videbimus.

2. Pars opinionis Nauarri quam sit & Molina sequitur reijcitur.

178 Secundam partem verò in qua conuenit cum Soto, & Molina, & fortasse est Caietani, puto falsã, & meo iuditio est inductiua peccati vsurarum. Ratio, quæ certè efficacissima est, & me cõuincit est hęc. In proposito obiectum, & finis mutui vsurarij idem sunt: nam obiectum contractus mutui vsurarij est lucrum pecunia æstimabile; finis etiam eiusdem mutui vsurarij est lucrum idem pecunia æstimabile: mutuans enim ad hoc lucrum intendit; neque vt puto, hoc aliquis negabit. Tũc sic. Illa mutuatio, seu illud mutuum est vsura, quod habet pro obiecto, & fine proprio lucrum pecunię; at cum quis mutuat, vt lucretur amicitiam, beneuolentiam, ac gratitudinem alicuius, vt per illam inde recipiat lucrum pecuniæ: habet pro obiecto, & fine proprio, & per se lucrum pecuniæ: ergo huiusmodi mutuum, seu mutuatio est vsuraria. Maior est concessa, & euidens. Minor probatur. Illud est obiectum seu finis proprius alicuius actionis in quod, vel in quem actio aliqua tendit vltimatè: sed sic est, quod obiectum, & finis vltimus, in quem tendit vltimatè prædicta mutuatio, est lucrum pecuniæ, non amicitia, nec gratitudo mutuatarij: ergo lucrum est obiectum, & finis proprius, & per se prædictæ mutuationis. Minor adhuc probatur experientia; nam obiectum, & finis medicinę proprius, & per se est sanitas infirmi, licèt primò intendat purgationem corporis, & per purgationem corporis intendat ipsam sanitatem: vnde licèt purgatio sit finis medicinæ, nõ tamen est finis vltimus, sed finis sub fine, & habet potiùs rationem medij quàm finis. Ita in proposito cum quis mutuat pecuniam, vt lucretur amicitiam, & beneuolentiã alicuius, vt ex ipsa acquirat lucrum pecuniæ, reuera finis vltimus, & obiectum proprium eius est lucrum pecuniæ, non ipsa amicitia, & beneuolentia: quia ipsa nõ est finis vltimus, & obiectum primarium, sed est finis sub fine, & habet rationem medij ad tendendum in obiectum, & finem primarium, qui est lucrum pecuniæ.

179 Et confirmatur: quia si iste mutuans non intenderet, nec speraret lucrum pecuniæ ex amicitia, non mutuaret, ad acquirendam amicitiam: ergo lucrum pecuniæ est obiectum & finis principalis mutui non amicitia.

Confirmatur.

At respondet Caietanus vbi suprà, hoc signum, quòd ille non mutuaret, si crederet illum futurum esse ingratum, esse signum fallax vsurariæ mutuationis in foro conscientiæ: quia secundùm D. Thomam in quolibetis qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, aliàs non iturus, non peccat peccato simoniæ; esse autem simile in proposito.

Responsio Caietani.

180 Verùm hæc responsio non soluit, & procedit ex alio falso intellectu assertionis illius D. Thomæ. Vbi pro intelligentia est obseruandum, quòd cum quis e. g. dolet de peccato propter pœnas inferni, ita quòd si illæ non essent, non doleret, hic dolor duobus modis potest intelligi (& idem iuditium erit de similibus) nam vel ita dolet de peccato propter geenam, quòd si non esset geena, non doleret: qa geena est causa p̃cisè illius doloris, & nihil aliud. Vel ita dolet de peccatis propter geenam, quòd non doleret de peccatis si non esset geena: quia non haberet motiuum doloris, nec se accingeret ad dolendum, quia non timeret pœnam illam; tamen deinde non dolet præcisè propter geenam, sed etiam propter amorem Dei, ad cuius amorem disponitur per timorem geenæ. Dolor primo modo non est meritorius, quia est præcisè timor seruilis sine charitate; sed dolor secundo modo est meritorius, quia etsi initiatiuè, sit seruilis tamen completiuè charitate consumatur. Ad propositum vadens ad Ecclesiam propter distributiones præcisè, ita quòd aliter non iret, & in illis distributionibus sistit finem suum, ita quòd illæ sint vltimus finis eius, non autem seruire Deo: certè est peccatum simoniæ. Sed ire ad Ecclesiam propter distributiones, quia ex illis se sustentat, & sunt occasio illi eundi ad Ecclesiam; non tamen præcisè in illis sistit, sed vlteriùs vadit ad Ecclesiam quia hoc est seruitium Dei; iste non peccat. Sic intelligit D. Thomas.

Reijcitur.

Vadens ad Ecclesiã p̃pter distributiones, quomõ peccat, & quomodo non.

181 At, qui mutuat alicui, vt lucretur amicitiam alicuius, vt inde habeat lucrum pecuniæ, habet pro scopo principali lucrum pecuniæ, non amicitiam mutuatarij: neque mutuatio ordinatur ad amicitiam, sed potiùs amicitia est occasio vt mutuet ad lucrum pecuniæ acquirendum. Vnde nõ est simile, immò opposito modo. Est enim idem ac si quis iret ad Ecclesiam ad seruiendum Deo, at non propter ipsum seruitium, seù dilectionem Dei, sed vt fugeret geenam: ordinaret .n. seruitium Dei ad commodum proprium, quod est contra rationem charitatis, qua Deũ diligimus: quia debemus seruire, & diligere Deum propter se, non propter nostrum cõmodum: itaquod nostrum commodum sit vltimus & principalis finis: licèt possit esse secũdarius, & minus principalis. Itaque opinio ista quò ad hanc partem mihi non probatur.

182 Ad rationem Soto, & Molinæ pro hac opinione, quæ est sua prima conclusio, Respondetur, minorem esse falsam: nam in casu proposito obiectũ mutui non est amicitia, & gratitudo, sed lucrum pecunię: quia hoc principaliter, & propriè quæritur, & intenditur.

Ad rationẽ Molinæ, & Soto.

183 Ad rationem contra primam partem opinionis Nauarri, quæ est cõmunis, Respondetur, quòd actus, qui habet pro obiecto proprio, & fine vltimo, & principali obiectum malum, est peccatum ex genere suo malũ, qui non põt vllo mõ fieri bonus ob vllam circunstantiã; & sic cõceditur maior. Sed negatur minor. Nam mutuare minùs principaliter propter lucrum pecuniæ, & principaliter propter amicitiam, & gratitudinem, itaquod etiam si non speraret lucrum pecuniæ fieret illa mutuatio, nõ habet pro

Ad rationẽ contra opinionẽ Nauarri, quo ad primam partem.

bet pro

bet pro obiecto proprio, & fine principali, & vltimo lucrum pecuniæ, sed ipsam amicitiam, & gratitudinem mutuatarij; lucrum verò pecuniæ est accidentale. Quod patet: quia etiam si non speraret lucrum pecuniæ adhuc mutuaret: ergo lucrum illud non est obiectum mutuationis proprium: quia illo circumscripto mutuatio non fieret; nec quæ enim actio, fine obiecto, & fine suo proprio potest habere esse. Et sic patet falsum esse, mutuationem propter amicitiam ordinatam ad lucrum, nō esse vsurariam actionem: De vsura mentali infrà habebimus aliam quæstionem difficilem inter Scotum, & alios doctores.

Regulæ ad cognoscendum quando mutuatio sit vsuraria.

184 Ex dictis hucusque habemus duas regulas ad cognoscendum quando mutuatio sit vsuraria. Prima est qñ ex mutuo acquiritur aliquod lucrum. Secunda quando hoc lucrū acquiritur vi mutui; quando enim aliunde acquiritur, mutuatio non est vsuraria. Adest alia conditio seu regula, quæ est quando lucrum prouenit propter interesse mutuantis. De hac capite sequenti.

Quibus casibus liceat ex mutuo aliquid recipere vltra sortem. *Caput Septimum.*

185 Ostensum est ex mutuo aliquid recipere vltra sortem principalem esse illicitum. Verùm quia hoc patitur aliquam exceptionem Scotus in eodem articulo, & alij doctores explicant, in quibus casibus ex mutuo licet aliquid pecunia appretiabile recipere vltra sortē principalem. Scotus excipit duos casus generales, qui sub se alios particulares deinde continent. Primus est ex pacto inito cum mutuatario. Secundus est cum mutuans nullū pactum externum, nec explicitè, nec implicitè facit, tunc enim est vsura mentalis simplex, quæ nō facit, quòd si mutuatarius vltra sortem aliquid aliud pecunia appretiabile det mutuanti, illud sit restituendum, ac sit vsura, de qua re infrà.

Duob. casibus pōt aliquis accipere aliquid ex mutuo.

Tribus modis ex pacto licet recipere aliquid ex mutuo.

186 Quantum ad primum casum, scilicet ex pacto inquit Scotus tribus modis contingere posse, vt mutuans possit recipere aliquid vltra sortem. Primus est ratione pœnæ conuentionalis; verbi gratia ego indigeo pecunia mea ad mercandum, concedo, & mutuo tibi eam ad certum diem, adijciens pœnam conditionalem, ob q̄ nisi tali die restituas, quia multum damnificor, soluere tenearis postea tantùm vltra sortem principalem. Si ille mutuatarius nō soluat pecuniam ad determinatum diem, licitum est mihi illam pœnam exigere. Ratio est, quia licet me seruare indemnem sic præmonendo mutuatarium, cum quo contraho.

An ratione pœnæ liceat recipere aliquid ex mutuo.

187 Verùm est obseruandum hoc verum esse quando huc pactum de pœna soluenda nō fiat in fraudem vsurarum: quando enim fieret in fraudem vsurarum, non liceret. Assignat autem Scotus regulam ad cognoscendum quando huiusmodi pactum de pena soluenda fiat in fraudem vsurarum; idest sit vsura palliata. Et est quando mutuans, seu mercator magis vellet pecuniam suam reddi ad determinatum diem, quàm in crastino cum pœna adiecta: tunc enim signum est, quòd apposuit illam pœnam, vt esset stimulus mutuatario ad restituēdum die præfixo, ne cogeretur soluere illum pœnam. At si mercator ex opposito vellet potiùs mutuatarium transire præfixum diē, quàm pecuniam solui die præfixo, tunc signum esset pœnam illam esse appositam in fraudem vsurarum, & esse vsuram palliatam.

188 Circa hanc doctrinam non est controuersia, sed communiter ab omnibus recipitur: obseruat tamen Molina, & rectè disp. 217. Nauarrum in Manuali c. 17. n. 215. Contradum, & quosdam alios malè deducere cum peccasse, & ad restitutionem teneri, qui mutuaret cum pacto, vt pœnam talem soluat alicui, quia à principio credebat ad statutum diem soluere non posse; quia re vera hac credulitate nō facit aliquam iniustitiam. Neque Scotus loco citato dicit, quòd credens mutuatarium non soluturum ad statutum diem, teneatur ad restitutionem pœnæ, vt ei im-

Nauarrus ponit falsum Scoto.

ponit Nauarrus; sed dicit solùm, tunc esse signum hāc mutuationem factam esse in fraudem vsurarum, quia mercator, & mutuans optaret, vt mutuatarius non solueret mutuum die taxato, sed vellet diem transire; tunc. o. certè esset signum, quòd mutuaui, vt illam pœnam lucraretur; non autem dicit, quòd si crederat non soluturum, committat vsuram, & teneatur ad restitutionem. Immò est verisimile, quòd, quicunque mutuat cum pacto huius pœnæ cōuentionalis, timeat, & credat, quòd ille non sit soluturus: nam pp hoc dubium, & hanc credulitatem vī apponere pœnam, vt hoc mō stimulet mutuatarium ad restitutionē tali die. Vndè in foro conscientiæ interogādus est mutuās hoc modo, an re vera apposuerit pœnam illam, quia pecunia illa eo die erat sibi necessaria, vel quia absolutè voluit habere suam pecuniam illo die; & denique an re vera apposuerit illam pœnam, vt lucrifaceret illam, an non.

189 Obseruat etiam Molina hanc pœnam debere esse rationabilem, & moderatam, si. n. esset pœna iniusta, & irrationabilis, non obligaretur ad eam soluendam, quod est clarum. Sicut autem licet mutuatario soluere pœnam conuentionalem prædictam mutuanti, multò magis tenetur soluere pœnam legalem, & iudicialem. Legalis est, quæ est posita à lege aduersus morosum solutorem; & iudicialis est, quæ imponitur à iudice, quando conuenio mutuatario coram iudice, & conuicto de debito iudex statuit, vt certo die soluat debitum mutuanti, alioquin soluat tantam pœnam: mutuans potest tuta conscientia recipere vltra sortem huiusmodi pœnam.

Pœnas debet esse rationabiles.

Pœna duplex legalis, & iudicialis.

190 Adiungunt loco citato Nauarrus, & alij, quòd dictum est de pœna conuentionali habere locum, quando mutuatarius fuit in culpa, vt non solueret die determinato, quando verò sine culpa sua per impotentiam non potuit soluere, excusari à solutione: quia regulariter vbi non est culpa, ibi non est pœna, quia rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit c. 2. *cognoscentes*, in princ. de constit. Adiungit tamen Molina, & rectè, quòd si mutuatarius sua culpa se impotentē reddiderit ad soluēdum determinato die, vel dilapidando bona, vel aliquid aliud faciendo, quod vitare poterat, attendereque debebat, verè est in culpa, atque tenetur pœnam soluere.

Mutuatarius tenetur solùm qñ est in culpa ad pœnā soluēdam.

191 Vlteriùs adiungunt, si partem debiti soluerit, & debitum sit diuisibile, non teneri ad soluendam totam pœnam, sed partem iuxta proportionem partis debiti, quæ soluenda remanet. Adducit Molina aliam conditionem dummodo non sit scandalum. Sed hæc cōditio est extrinseca, & in hoc casu dicendum est iuxta doctrinam de non dando scādalū, de qua suis locis, & suprà aliqua diximus.

192 Secundo modo ex pacto aliquis potest recipere aliquid vltra sortem, vt si quis mutuet hoc pacto, vt mutuatarius ei reficiat lucrum cessans, & damnum emergens; hoc pactum non facit contractum hunc vsurarium, & tuta conscientia potest recipere totum interesse, quod importat lucrum cessans, & damnum emergens. Immò adiungit Scotus, quòd si creditor, seu mutuans non posset in foro exteriori habere actionem contra mutuatarium: vt putà, quia non sunt facta pacta, vel instrumenta in foro conscientiæ mutuatarius, seu debitor tenetur vltra sortem principalem ad soluendum interesse, & damnum. Rōnē adducit Scotus, quia ille debitor, ex cuius non solutione creditor notabiliter damnificatur, de iustitia tenetur sanè facere creditori de interesse. Cum. o. interesse illud sit pecunia æstimabile, non est æquum, vt quis illud patiatur mutuando alteri, sed iustitia vult, qd mutuatarius habens beneficium mutui, dispendium, quod patitur mutuans in bonis suis pp mutuationē, reficiat; & proinde iustè vltra sortem mutuans potest pacisci de illo interesse, & recipere iustum pretium illius interesse. In hac assertione oēs communiter conueniunt D. Th. 2. 2. q. 78. ar. a. ad primum, & communiter cæteri doctores, licèt quò ad aliqua, nimirū quò ad lucrum cessans sit non leuis contentio.

An rōne interesse liceat aliqd vltra sortē recipere.

Rō Scoti pp mutuatoribus tenetur ad interesse mutuantis.

193 Pro clariori intelligentia huius rei obseruādū est, qd interesse, quod quis pati potest ex mutuo, duob. modis contin-

Damnū emergēs, & lucrum cessans quid.

contingere potest. Vno modo quia ex mutuatione infequitur damnum,& iactura in bonis,quæ iam habet,& hoc dicitur damnum emergens. Alio modo,quia patitur iacturam eo quia propter mutuationem pecuniæ non acquirit lucrum,quod acquisiuisset,nisi mutuasset,& hoc dicitur lucrum cessans.

Exemplũ dãni emergentis.

Exemplum primi. Si quis paratã pecuniam habet ad reficiendum domum,quæ ruinam minatur; vel velit emere frumentum pro sua familia tempore,quo vili venditur,vel emere fœnum pro alendis animalibus,& similia,& alter petat mutuo pecuniam illam, pôt mutuans facere pactum,ꝙ si domus ruat,frumentum cariùs vendatur,animalia pereant &c. teneatur ad damnum,quod patitur.

Exemplũ lucri cessantis.

Exemplum secundi si mercator habet paratam pecuniam ad negotiandum,& regulariter lucrãdum iusta negotiatione,& alter mutuo petat,illam pecuniam pôt mutuare cum pacto,vt recompenset lucrum,ꝙ ex illius negotiatione acquisiuisset. Ad hoc tñ requirũtur quædam conditiones,de quibus infrà. Et obserua,quòd hæc mutuatio,ex qua damnum emergit pôt duobus modis fieri. Vno modo quòd eo tempore quo sum paratus reficere domum, vel emere frumentum, vel fœnum &c. mutuo alteri,& sic actu non reficio domum,nec emo frumentum,nec fœnum, & sic cogor emere frumentũ deinde cariùs; ruit domus,& animalia pereunt. Alio mô,quia a ṫn nunc non sum empturus frumentum,nec fœnũ, nec fabricaturus domum,sed hinc ad 6.menses; nunc quis petit à me mutuo, & ego concedo cum pacto,quòd tali die restituat,quo volo hæc facere; alioquin teneatur ad damnum. Vtrumque modo intelligitur,& fieri licitè pactum potest de soluendo interesse.

Quid si mutuans non deduxit in pactum dãnum emergens.

194 Verùm circa ista occurrunt dubia,& primò circa damnum emergens. Nam etsi omnes cõsentiant mutuantem posse in pactum deducere,vt mutuatarius recompenset damnum, ꝙ patietur vsque ad diem statutum solutionis mutui, atque posse licitè exigere illud supra sortẽ principalem,tamen est contentio circa illud aliud,quod adiũxit Scotus,nimirum,quòd etiam si nõ sint pacta, & iuramenta,mutuans pôt in foro conscientiæ illud exigere,& quòd mutuatarius tenetur illud soluere.

Opinio Soto Molina, & aliorum.

Nam Soto lib.6. de iustitia,& iure q.1.a.3.concl.3.quem sequutus est Molina apertè disp.314. Nauarrus etiam consentire videtur in Com.de vsuris 14.q.4.n.46.& in Man.c.17.nu.211.& aliqui alij tenent,quòd si mutuans non deduxit in pactũ cum mutuatario, vt soluat damnum ẽmergẽs, antequam mutuatarius sit in mora soluendi,mutuatarius non tenet ad recompensandũ damnum emergens.

1. Rõ pro allata opinione.

Rõ,quam adducit Soto,& sequutus est Molina,est quia si admonitus fuisset mutuatarius de periculo illo fortè non voluisset accipere mutuo cũ illo onere; proinde si mutuans nõ deduxit in pactũ,vel nõ admonuit mutuatariũ sibi imputare debet.

2. Ratio.

195 Secũdò, quia inquit Molina, quòd licèt mutuatarius tacitè ex mutui consensu teneatur ad damnum,quod ex mora patitur mutuans,non tñ tenetur ad damnum,qđ intra terminum præfixum,& nulla interueniente mora, eidem mutuanti obuenit; sibique debet imputare, quòd non deduxerit in pactum, quia(vt inquit disp.31.n.3.)tenetur de mora rõne contractus in quo statuitur certũ tẽpus ad restituendum:ex vi.n.statuti temporis tacitè paciscitur,qđ mutuatarius teneat ad interesse transacta mora.

Opinio opposita maioris.

Ecõtra Maior in 4.d.15.q.30 vr̃ asserere teneri ad dãnum emergens in conscientia,ẽt si à principio non sit deductum in pactum; eo quia ratione illius mutui incurrerit illud damnũ,& Maior vr̃ hanc suam sententiam desũpsisse ex Scoto hoc loco, qui videtur in eadẽ sentẽtia esse.

Opinio Scoti obscura.

196 Quæ sit sententia Scoti non est ita clarum. Videtur.n.pendere in primam sententiam ex rõne q̃ adducit: quia inquit debitorem, ex cuius nõ solutione creditor notabiliter damnificatur,teneri de iustitia ad compensationem: ergo vr̃ requirere moram solutionis in debitore,& consequenter non intendere, quòd de damno occurrẽte ante moram teneatur, vndè videtur velle, quòd mutuãs, vel faciat pactum,& iuramenta,quæ in foro exteriori habeant vim; vel saltem,quòd admoneat mutuatarium, & verbis intra se absque scriptura, & iuramento aduertat mutuatarium eius voluntatem esse,vt damnum emergẽs ante tempus solutionis ipse mutuatarius restituat. Tamen quia ex altera parte dicit, quòd licèt creditor non posset habere actionem in foro exteriori,quia non sunt facta pacta,& iuramenta,videtur velle,quòd,licèt nullum adsit pactum,nec admonitio,teneatur mutuatarius ad refaciendum damnum emergens.

Opinio authoris.

197 Mihi videtur dicendũ,quòd mutuatarius teneatur ad damnum emergens,etiam si mutuans à principio non deduxerit hoc in pactum,neque admonuerit mutuatarium de illo: quia non tenebatur, vel quia nõ aduertit, aut quid simile; si tamen,quando incepit apparere periculum damni emergentis,& poterat per pecuniam mutuatam illud euadere, repetijt pecuniam mutuatam, & mutuatarius non statim soluit,quia nondum tempus solutionis statutũ aduenerit.

Fundamentum opinionis authoris.

Ratio est quia vt diximus suprà. Mutuans etsi non possit repetere mutuũ ante tẽpus statutũ,si tẽpus certũ est statutũ,l.17.§.sicut ff.cõmodati: neq.statim si nullũ tẽpus restituendi est præfixum; tñ secundùm Bartolum,& Baldum in legem 68.*si pœnam* nu.3.ff.de verbo. obligat. adductos ad Azorio 3.p.lib.7.de mutuo ca.6.& Panormitanum in cap.3.*precarium* num.2. de precarijs. Potest repetere mutuum ante tempus statutum si pari necessitate vrgeatur,ac mutuatarius, aut in æquale damnũ incurrat. Neque enim tenetur mutuare cum damno suo notabili: ideò si ante diem determinatum animaduertat periculum damni emergentis, & existimet posse illud euitare si habeat pecuniam mutuatam, potest illam repetere,& si mutuatarius non soluat (dummodo possit eo modo quo quis ad restituendum statim tenetur) tenetur ad damnum emergens,& hæc forsan fuit intentio Scoti.

Ad primã rõnẽ Soto.

198 Et tunc ad primam rõnem Soti,& Molinæ respõdetur hanc esse legem mutui; ignorantia autem iuris non excusat: ideò licèt mutuatarius ignorauerit mutuum esse subiectum tali oneri, & si sciuisset non mutuo accepisset, non excusatur,quia sciri tenebatur.

Ad secundam.

199 Ad secundam respondetur quòd mutuatarius nõ tenetur ad damnum emergens præcisè ex vi pacti de die statuto ad restituendum; sed ex vi naturæ contractus mutui: quæ est,quòd non est æquum mutuatarium ex mutuo pati damnum; & proinde superueniente æquali necessitate,vel maiori ipsi mutuanti, cui potest per pecuniam mutuatam occurrere,etsi nun est completum tempus restitutionis, neque à principio hoc deduxit in pactum cũ mutuatario expressè,hoc nihil impedit quin possit repetere, & ille teneatur restituere; & non restituendo, teneatur ad restitutionem.

An accipiẽs sub vsuris possit mutuare sub vsuris.

200 Est aliud dubiũ ab Angelo verbo *vsura* 1.nu.22. Syluestro ibidem q.20. Molina disp.314. Azorio 3.p.lib.5.c.4.& alijs tractatum, An si quis accipiat pecuniam ab eo,qui accepit sub vsuris, possit illam concedere alteri in totum,vel in partem,vt soluat vsuras,quas ipse soluebat ꝓ rata portione. Respondetur cum Angelo,Syluestro,Azorio, & alijs, quid quid alij dicant, licitè posse illam alteri cum eodem onere transferre, quoniam licet sibi seruare se indẽnem,nec facit iniuriã alteri,cũ ei dicit,si velit pecuniã mutuo,eã accipiat sub eo onere,quo ipse eã acceperat.

De lucro cessante q̃d Opinio prima quæ est negatiua.

201 Circa lucrũ cessans est maior contentio inter Theologos,& Canonistas,sunt.n.duæ opiniones. Aliqui negãt posse deduci in pactum, ꝙ mutuatarius recompenset lucrum cessans; siue quòd ratione lucri cessantis aliquid vltra sortem principalem soluat mutuanti. Et hanc sententiam tenet D.Thomas 2.2.q.78.artic.2.ad prim[illegible], licèt Caietanus, & alij ea recentioribus nitantur eum [illegible]ahere in secundam sententiam,seu cum illa eum consiliare. Eandem tenet apertè Innocentius ca.19.*Nauiganti* [illegible] de vsuris. In eandem sententiam citantur Ioannes Calderinus, Petrus de Ancharano, Antonius de Butrio ibid[illegible], præsertim verò Soto lib.6.de iustitia,& iure q.1.a.3.conclu.4.qui tamen non dicit absolutè oppositam sententiam

esse

esse falsam, sed tamen ait esse minùs probabilem, & minùs tutam. Intelligit tamen Soto hoc quando mutuãs nõ cogitur mutuare: quando enim cogitur mutuare, asserit posse pacisci non solùm de damno emergente, sed de lucro cessante, vt patet ex secunda eius conclusione eodem articulo: intelligit etiam hoc, quando mutuatarius non est in mora solutionis. Nam ratione moræ, quia scilicet non soluit determinato die, tenet posse pacisci de lucro cessante: intelligit ergo præcisè, quando mutuans habet pecuniam expositam negotiationi, & alter rogat eum, vt eã sibi mutuet, & ipse absque vlla vi eam illi mutuat, nõ posse pacisci de lucro cessante; atque in hoc sensu dicit oppositam sentẽtiam, quæ asserit licere, esse minùs probabilem, & parum tutam.

1. Ratio p̃ allata opere. 202 Quod probat primò, quia nec ius Canonicum, nec Ciuile vllum repetitur, quod hoc permittat, cum tñ multi Canones, & iura sint, quæ ratione moræ permittãt aliquid vltra capitale. Vndè mirum est, quòd sit licitum ratione lucri cessantis aliquid recipere vltra sortem, & tamen aliquis canon, vel lex non reperiatur quæ hoc declararet.

2. Ratio. 203 Secundò inquit. Doctores & antiqui Theologi hoc illicitum esse asserunt, vt D. Thomas locò cit. citat & Scotum in hoc 4. d. 15. q. 2. sed vt vidimus, neque Scotus hoc apertè dicit, neque ex illo elici potest, sed potiùs oppositum, vt diximus. Citat etiam Durandum in 3. dist. 37. q. 2. ad 1. qui autem oppositam sententiam affirmant, inqt, sunt recentiores, quorum caput fortasse fuit Conradus, quem secuti sunt deinde alij.

3. Ratio. 204 Tertiò adducit rationem fundamẽtalem suæ opinionis, quę est. Ratio, propter quam mutuans potest pacisci licitè de lucro cessante, est quia inuitus, & inuoluntariè mutuat; at qui simpliciter rogatus vno verbo ab amico, mutuat, non mutuat inuitus, & inuoluntariè, sed voluntariè: ergo nõ licet deducere in pactum lucrum cessans. Maior propositio videtur esse fundamentum huius sentẽtiæ nã ipse Soto tenet solum hoc casu, scum cogitur quis mutuare, esse licitum accipere aliquid pro lucro cessante. Etiã Caietanus, qui præsertim oppositam vbi suprà latè defendit, & quẽ plurimi sequuti sunt, deinde loco citato §. *Quod vt radicaliter penetres*, in fine respondendo ad tertium casum, inquit, quòd impeditus impedimento inuoluntario secundùm quid, hoc est ex subuentione occurrente proximo potest exigere aliquid vltra sortem. Minor est euidẽs, quia inuoluntarium fit secundùm Aristotelem 3. Ethicorum sola vi metuve, atque ignorantia. At nullum horum hic interuenit: ergo hic non est inuoluntarium, & consequenter non potest pacisci de lucro cessante.

4. Ratio. 205 Quartò est ratio Innocentij, quoniam ex opposita sententia, ostium aperitur vsuris: quia vnusquisque facilè poterit palliare suam vsuram dicendo, quòd mutuando ammittit lucrum, quod acquirere poterat.

5. Ratio. 206 Quintò est ratio quam adducit D. Thomas loco citato. Nemo potest vendere id, quod nondum habet, & põt multipliciter impediri; sed lucrum istud cessans nõdũ est in actu, & potest multipliciter impediri: ergo à principio mutuans non potest illud deducere in pactum: quia sic est vendere id quod non habet, & quod potest non esse: ergo est iniustitia.

Opposita sentẽtia, q̃ est Scoti. 207 Altera sententia oppositum sentit, nimirum posse deduci in pactum à mutuante lucrum cessans seruatis cõditionibus, quibusdam, de quibus infrà. Hanc sententiam Couaruuias lib. 3. variarum resolu. c. 4. nu. 5. tribuit Scoto in hoc loco, & plerique recentiores, & reuera hæc est opinio Scoti; licèt enim apertè non distinguat de dãno emergente, & lucro cessante, vt alij; tamen dum absolutè asserit licere deducere in pactum interesse, manifestè sentit posse deduci in pactum etiam lucrum cessans, quia re vera hoc quoque est interesse non minùs quàm damnum emergens, vt infrà patebit. Hanc sententiam esse multorum Canonistarum asserit ibidem Couaruuias; nimirum Hostiensis in c. 16. *salubriter*, de vsuris, & Abbatis ibidem n. 3. & col. pe. Archidiaconi in c. *vsura est*, 14. q. 3. Anan. Alex. Decij. Lup. & multorũ aliorum; eam apertè sequũtur, & tuentur. Conradus de contractibus q. 30. Maior in 4. d. 15. q. 3. Gabriel ibidem q. 11. a. 1. not. 2. Caietanus 2. 2. q. 78. a. a. ad primum, Angelus verbo *vsura* 1. nu. 15. Syluester ibidem q. 19. Nauarrus in Manuali c. 17. nu. 211. Couaruuias vbi suprà, Molina disp. 315. Azorius 3. p. lib. 5. c. 5. & alij multi citati ab ipsis.

208 Probatur hæc sententia principaliter hac ratione fundamentali. Eadem est ratio de lucro cessante, ac damno emergente; sed licet ratione damni emergẽtis aliquid vltra sortem recipere, & illud à principio in pactum deducere: ergo licet etiam ratione lucri cessantis. Minor est cõcessa. Maior probatur: quia ita est æstimabile pecunia lucrum cessans, sicut damnum emergẽs: nam mercator exponens suam pecuniam negotiationi, qua solebat lucrari 20. pro centum non minùs æstimabit ammittere illa 20. ex lucro, quàm pati iacturam damni emergentis 20. pro centum; dummodo æqualis sit probabiliter vtrinque. 1. Ratio.

209 At respondet Soto, & responsio eius est obscura: videtur tamen velle dicere non esse parem rationem de damno emergente, & lucro cessante: quia inquit damnũ emergens est passio, à qua quis potuisset se seruare indemnem, si nõ mutuasset pecuniam, quia autẽ mutuauit impeditur ne se possit tueri à damno: at lucrum cessans non est passio, sed pendet ex industria hominis, quæ est in potestate sua, nec impeditur aliunde, vt non possit pecuniam suã illi applicare, & illa via lucrari absque eo, quòd mutuet pecuniam ad habẽdum illud lucrũ sine industria ex mutuo. Responsio Soto.

210 Verùm hæc responsio nulla est, primò quia impedimentum quod est in damno emergente, idem est in lucro cessante: nam vel Soto loquitur de impedimento ante mutuationem, vel facta mutuatione: si de impedimẽto ante mutuationem, nullum adest, nisi charitas, & amicitia, & desiderium subueniendi necessitati proximi; supponimus. n. bonam fidem, & non fieri hanc mutuationẽ in fraudem vsurarum, vt infrà dicam. Modò hæc eadem est in vtroque casu: supponimus. n. abesse vim, timorẽ, & alia quæ causant cautionẽ. Põt ergo ita abstinere à mutuo qui deducit in pactũ damnum emergens, sicut qui deducit in pactũ lucrũ cessans. Si verò intelligit de impedimẽto post mutuationem, patet esse æquale vtrinque: nã sicut patiens damnum emergens non potest illud vitare, quia non habet pecuniam, qua se indemnem seruare poterat: ita qui cessat à lucro propter pecuniam mutuatam, non potest liberare se ab illo damno, quod patitur, non adiungendo illud lucrum cæteris suis bonis: quia non habet pecuniam, qua poterat illud lucrum acquirere: tam enim damnũ est quod patimur in bonis acquisitis, quàm quod patimur in bonis spe, vt in pluribus, & potentia proxima habitis. Reijcitur.

211 Secundò certum est apud oẽs, quòd si Titius, e. g. petat ab operario, qui in singulos dies suas operas locare solet, vt hodiernã operam non locet, sed in gratiã ipsius Titij aliquid aliud faciat, operarius ille põt iustè à Titio exigere mercedem diurnam, q̃ accepisset, si operam suã locasset: atque poterit à principio illã mercedẽ deducere in pactum. At hoc est deducere in pactum lucrum cessans, seu pro lucro cessante aliquid soluere. Similiter si in gratiam meam faber aliquis sua instrumenta fabrilia alicui commodasset, certum est iure à me exigere posse totum lucrũ qđ illi cessasset, & similia: ergo si quis ex mutuo ammittat lucrũ, qđ sua industria ex mutuata pecunia acquisiuisset, põt illud deducere in pactũ, atque pro illo aliq d accipere. 2. Ratio.

212 Pro solutione rationum aduersariorum, & cognitione qñ ex lucro cessante possit aliquid vltra sortem accipi; obseruandæ sunt aliquæ conditiones, quę sunt omninò necessariæ. Prima cõditio est, quòd re uera lucrum cesset ipsi mutuanti propter mutuationem. Tũc autem lucrum cessabit, quando lucrum est in spe, & potentia propinqua: vt e. g. si pecunia, quam mutuas iam erat exposita, seu destinata negotiationi; si autem sit in spe, & potentia remota: vt putà, si habes pecuniam, sed nondum eam ne- Conditiones quædã obseruãdæ pro solutione rationũ in oppositum. 1. Cõditio quod lucrũ re vera cesset.

gotiationi destinaueras; tunc enim lucrum non erat in potentia proxima, & consequenter non cessat tibi lucrum propter mutuationem.

Quid si ꝑter pecuniã mutuatam mercatorariam non mutuatam.

213 Sed quid, si ego præter pecuniam destinatam negotiationi, habeã alias pecunias otiosas, quas possim vice pecuniæ mutuatæ exponere negotiationi, & tunc non cesset lucrum, potero ne exigere lucrum cessans? Respondetur cum Nauarro in Man. cap. 17. num. 212. & alijs licere, & ratio est, quia mercator prudenter potest velle reseruare illam pecuniam sic otiosam propter infortunia passim occurrentia. Et denique siue prudenter, siue propter timiditatem, vel auaritiam, non velit deputare illam pecuniam negotiationi, sed eam sic seruare, quia sic sibi placet, non facit, quin re vera ei cesset lucrum: ideò potest hoc non obstante petere lucrum cessans.

Quod aliũde non recompensetur.

214 Addunt Molina, & nonnulli alij necessarium esse quòd re uera lucrum cesset, ita quòd aliunde non recõpensetur: nam si mutuas centum aureos, quos iam destinaueras negotiationi, tamen non ob hoc cessas negotiare, sed aliunde accipis aliam pecuniam, nimirum mutuo, vel aliũde, ita quòd tibi nullũ hinc proueniat incõmodũ, tunc dicunt non licere exigere pretium lucri cessantis: quia re uera tibi lucrum nõ cessat, quia etsi mutuatis illi aureos cẽtum, tamen aliunde habes recompensationem. Et hoc intelligitur quando illa recompensatio non affert damnum, nec maius incommodum: quia quando hæc adessent, pro rata cessaret lucrum, & tunc pro rata posset exigi lucrum cessans.

2. Cõditio, quod deducantur pericula, labores, & expẽsę.

215 Secunda conditio est, quòd deducantur expensæ, labores, & aliquid propter pericula secundùm quod maiora, vel minora sunt ad iudicium boni, & prudentis viri. Ratio est quia res in spe non valet tantum quantum in re, seu in actu; lucrum autem cessans nondum est in re, sed in spe, licèt sit firma, & in potentia propinqua. Quò ad labores autem obseruandum est doctores discrepare asserentibus alijs debere deduci, alijs negãtibus. Azorius vbi suprà conciliat eos asserens labores extrinsecùs comitantes negotiationem, vel actionem illam, quæ affert lucrum, vt est transportatio mercium de loco ad locum esse deducendos, quia dum non negotior, non subeo hos labores: ideò non debeo pro illis aliquid accipere. Labores verò internos rei, per quos acquiro lucrũ, vt labores operarij, qui tota die laborat, non esse deducendos, quia illi compensantur in opere à quo cessat, & pro quo soluit pretium lucri cessantis. Aliæ conditiones assignantur ab aliquibus, sed istæ duæ sufficientes esse cẽsentur cõmuniter.

Regulæ iusti pretij lucri cessantis.

216 Obseruant adhuc doctores rectè quasdam regulas circa taxationem iusti pretij soluendi pro lucro cessante, quæ ex regulis suprà assignatis quò ad pretium iustum in venditionibus dilata pecunia seruari debent. Prima est, quòd, si certum sit, quantum sit lucrum cessans, vt contingit in operario solito locare suas operas diurnas, posset à principio deduci in pactum pretium illud certum, quod importat illud certum lucrum, & de hoc nõ est dubium. Si verò non sit certum, quòd possit deduci in pactum, vt tantum soluat, quantum apparebit alios, qui in simili negotiatione incubuerunt, lucratos fuisse tempore illo mutuationis; & hoc est licitum deductis expensis, periculis, & laboribus, vt suprà dictum est. Et si alij tali negotiatione nihil lucrati fuerint, quòd pro lucro cessante nihil soluatur. Tertio modo si velit à principio statuere pactum de pretio lucri, debet æstimari quantum speratur secundùm iudicium viri prudentis tunc lucraturum esse, & prout communiter tali negotiatione solitum est lucrari, non determinando pretium infimum, nec rigorosum, sed medium, vt diximus de venditione dilata solutione; in qua tamen pactum statuitur de re, quæ venditur.

An liceat soluere pretium lucri cessantis à principio.

217 Sed dubium est, an à principio anticipata solutione possit solui lucrũ cessans, v.g. mutuo tibi 100. aureos ꝑ lucro cessante; deduco in pactum, vt mihi soluas 20. quæritur an à principio cum mutuo tibi cẽtum possim statim recipere illos aureos 20. pro lucro cessãte, ita quòd mutuatarius tunc recipiat solùm 80. respondetur communiter non licere, quia uidetur esse usura manifesta: est enim perinde ac si mutuet 80. & recipiat centum. Fit etiam iniuria mutuatario: quia petit mutuo 100. & traduntur solùm 80. Ex quo sequitur mutuatarium priuari eo commodo, & vtili, quod sibi proueniret ex illis 20.

218 Vndè Molina disp. 316. in fine, & Azorius eodẽ lib. 5. c. 5. quæst. 5. asserunt non esse licitum anticipata solutione recipere pretium lucri cessantis, nisi detrahatur illa portio lucri, quæ contingebat pro illa portione pecuniæ, vel rei mutuatæ, quæ anticipata solutione soluitur, detracta autem illa portione lucri, licere, neque esse vsurã, nec vllam fieri iniuriam ipsi mutuatario, quia nullum detrimentum patitur ex hac anticipata solutione, e.g. centum aurei, quos tibi mutuo, expositi negotiationi lucrarentur mihi 20. detractis expensis, &c. ergo 80. non lucrabuntur nisi 18. cum ergo tibi mutuo 100. & tu mihi soluis anticipata solutione 20. pretium lucri cessantis debet esse 18. & non 20. quia reuera non tibi mutuo 100. cum mihi restituas 20. sed solùm 80. & hoc ego quoque puto verum. Et hoc est dicendum, siue pretium lucri cessantis soluatur in pecunia, siue in alia re æstimabili pecunia, iuxta dicta suprà, quid intelligatur pro lucro in hac materia de vsura.

219 Ad rationes pro opposita sententia ex dictis patet. Ad primam respondetur non omnia dubia in iuribus explicitè esse determinata; sufficit quòd iura declarauerint ratione interesse esse licitum aliquid vltra sortem recipere: ex hoc enim sequitur, quòd cum lucrum cessãs, sit interesse mutuantis possit aliquid pro illo recipere. Ad primã rationẽ in oppositum

220 Ad secundam videmus multos antiquos doctores canonistas in hac sententia fuisse, vt Abbas, Archidiaconus, & alij citati à Couaruuia, & alijs, & D. Thomas q pro illa sententia citatur explicatur commodè, quòd intellexerit de lucro cessante in potentia remota, non in potentia proxima, vt nos tenemus. Videmus etiam Maiorem, Gabrielem, & alios antiquiores Scotum interpretatos fuisse in hunc modum: nam illam suam opinionem desumpsisse ex Scoto credibile est, cum illum, vt plurimũ, sequãtur; certum est autem Scotum apertè non esse sentẽtiæ oppositæ, vndè malè Soto eum pro se hac vice adducit. Ad secundam. Scotus malè à Soto ꝓ se adducet.

221 Ad tertiam respondetur fundamentum illud Soti non esse verum fundamentum, sed verum fundamentum esse, quia lucrum cessans est res æstimabilis pretio, sicut damnum emergens, & ideò potest deduci in pactum & exigi à mutuatario secundùm iustitiam, vt ostensũ est. Ad tertiã.

222 Ad quartam respondetur propter malitiam hominum non esse occultandam veritatem; malitiæ autem hominum potest occurri si confessarius diligenter inuestiget an mutuet in fraudem vsurarum palliando vsuram sub specie lucri cessantis, & ipsi mutuantes possunt etiam suæ conscientiæ consulere intellecta veritate. Ad quartã.

223 Ad quintam respondetur etiam illud, quod non est in re, sed in spe firma, vt in pluribus, & potentia proxima posse vendi, vt ipse D. Thomas alibi dicit, licèt nõ tantum, quantum id quod est in re, quod etiam dicimus nos. Vndè asserimus detrahendum esse aliquid ratione periculi maioris, vel minoris. Quod autem non est in spe, & vt in pluribus, & in potentia proxima, sed remota, vt si pecunia nondum est applicata negotiationi, neque mutuãs intendebat de proximo illam applicare, & similia, fatemur non esse vendibile, quia nihil est, neque in re, neque in spe re vera. Ad quintã.

224 Tertius modus quo ex parte licet recipere aliquid aliud vltra sortem ex mutuo, inquit Scotus, est quã capitale, & illud superfluum, quod suprà sortem principalem accipitur, ponitur sub incerto, siue exponitur periculo. Hanc assertionem probat Scotus ex capitulo 19. *Nauiganti*, extrà de vsuris §. *ratione*, arguendo à simili. Nam eo capitulo casu, tertio habetur, quòd qui vendit pãnos, vinũ, granum, vel alias merces, vt amplius recipiat termino cõstituto, q̃ valeant tempore venditionis, rõne dubij excusatur ab vsura. Ex hoc à simili deducit Scotus: ergo sicut in illo Tertius modus quo ex pacto põt aliquid vltra sortem accipi ex mutuo ẽ ratione periculi.

casu

casu ratione incertitudinis,& dubij, recipiés aliquid vltra pretium iustum tunc currens excusatur ab vsura; sic in casu nostro, quando quis mutuat pecuniam alicui, & eam exponit periculo seu incertitudini, & dubio quò ad capitale, & illud amplius, quod ex illo mutuo recipit, excusatur ab vsura. Sentit ergo Scotus, quòd quando res ipsa mutuata subiacet periculis, vt contingit quando quis mutuat pecunias alteri, qui per maria est eas transuecturus; vel per itinera periculosa, vt per loca latronum, vel hostium, mutuans potest pacisci cum mutuatario, vt aliquid vltra sortem ei tradat propter periculum, cui suam pecuniam exponit; atque dicit Scotus hoc elici ex Capitulo illo 19. *Naviganti* §. *ratione*.

Opinio hæc est commu nis.

In hac assertione non inuenio aliquem dissentientem nisi Soto, vt sequenti casu videbimus, & Siluester, Azorius 3. par. lib. 5. cap. 6. qu. 1. & alij dicunt esse communem omnium doctorum, & reuera sic est, quia periculum, cui res subijcitur, est pretio æstimabile, ideò potest deduci in pactum, vt diximus suprà agendo de negotiatione, & elicitur ex allegato cap. 19. *Naviganti* §. *ratione* seu casu tertio et idem elicitur ibidem ex casu secundo: nisi enim periculum seu dubium, & incertitudo rei esset pretio æstimabilis, ratione illius vendens aliquid carius pretio iusto, esset vsurarius; qđ tamen Papa ibi negat.

Obiectio grauis contra determinationé factam.

225 Verùm contra præfatam determinationem est casus primus in eodem cap. 19. *Naviganti*. quia ibi proponitur casus hic in forma. Aliquis mutuauit certam pecuniæ quantitatem alicui nauiganti, vel eunti ad nundinas; & pro eo quòd creditor recipit in se periculum pecuniæ, recipit aliquid vltra sortem. Quæritur vtrum vsurarius sit. Respondet Papa Gregorius, quòd sic: ergo videtur licitè non posse exigi aliquid pro periculo, neque periculum esse appretiabile pecuniæ. Hoc dubium valdè torquet doctores, quia videtur Papa hìc negare esse licitum accipere aliquid pro assecuratione à periculo, & tamen secũdùm omnes assecuratio vera, & sine fraude est licita.

Solutio primi.

226 Ideò sunt variæ doctorum expositiones, vt est videre apud Nauarrum in Man. cap. 17. nu. 285. & in Com. cap. finali de vsuris, & recentiores locis citatis. Couarruuiã, Molinam, Azorium, & alios. Communior doctorum sententia est sensum glossæ in illud caput qui est, vsuram esse accipere aliquid ratione periculi, esse falsum, & verũ sensum illius textus esse, quòd si quis mutuet nauiganti pecuniam hoc pacto, vt mutuatarius ineat secum pactum assecurationis, est vsura; nam inquiunt, conditio illa ineundi pactum assecurationis cum mutuante est pretio æstimabilis, sicut mutuare alicui cũ conditione, vt veniat ad molendum in meo molendino. Et hæc est expositio Caietani 2. 2. q. 78. art. 2. in principio, & aliorum quos Couarruuias lib. 3. variarum resolut. cap. 2. nu. 5. Molina, & Azorius vbi suprà, & alij sequuti sunt. Hic sensus est verus, sed an sit ad mentem Pontificis eo loco, nescio.

Aliorũ solutio. Reijcitur.

227 Alij dicunt Pontificem loqui in foro exteriori nõ interiori: quia hoc factum habet speciem vsuræ, licèt reuera non sit vsurarium, vt Nauarrus cum Adriano. Sed hęc expositio videtur esse volũtaria, & coacta; dicit enim Papa vsurarius est censendus, *absolutè*: ideò non potest restringi ad forum exterius tantum.

Aliorũ solutio.

228 Alij dicunt Pontificem loqui de accipiẽte aliquid ex assecuratione mutui quando nullum est periculum sed reijcitur hic modus: quia Põtifex loquitur de mutuo nautico in quo constat esse periculum. Relinquitur ergo, vt primus intellectus, qui est cõior sit verus, & retinendus.

Solutio authoris.

229 Citra tamen præiudicium veritatis, mihi videtur dicendum sensum Pontificis in illo cap. esse hunc. Illum esse vsurarium, qui mutuat pecuniam nauiganti, atque ex illo mutuo recipit aliquid non obstante, quòd assecuret nauigantem à periculo mutui. Sunt enim aliqui ita dediti vsuræ, quòd alliciunt mutuatarium hac conditione, quòd ipsi mutuantes in se periculum mutui suscipiẽt, si quis velit ab eis mutuo recipere pecuniam ad vsuram. Proinde mihi placet opinio illorum qui aiunt Pontificem eo cap. declarare esse vsuram recipere aliquid pro assecuratione à periculo in mutuo; non quia non liceat ratione assecurationis à periculo mutui aliquid accipere; sed quia in eo casu accipitur lucrum non ratione periculi, sed ratione mutui, quæ est expositio Angeli verbo *vsura* 1. num. 38. Nec valet obiectio Azorij vbi suprà, quòd tex. dicit etiam si ratione periculi lucrum sit receptum: quia licèt assecuratio à periculo sit causa receptionis lucri, non tamen est causa principalis, & propria receptionis lucri, sed accidentalis; quatenus est causa, vt mutuatarius accipiat mutuum ad vsuram; nisi enim esset assecuratio, mutuatarius non acciperet mutuum ad vsuram, sed inductus hac assecuratione accipit mutuo, & deinde ratione mutui soluit vsuram & lucrum. Vndè assecuratio illa est pallium vsuræ. Et sic exponendo, ex eo tex. non habetur, quòd ratione periculi, & assecurationis non possit aliquid accipi vltra sortem, quando propriè periculum, & assecuratio est causa principalis, & per se, receptionis alicuius rei supra sortem: quia tunc non ex mutuo, sed aliunde, & ex causa iusta lucrum accipitur.

Confirmatur allata solutio.

Et re vera non est verisimile, quòd Papa in eodẽ cap. in illis tribus casibus sibi contradicat, præstat autem iura iuribus concordare. Cum ergo in secundo, & tertio casu ibi propositis respondeat ratione dubij, & incertitudinis posse aliquid vltra pretium iustum accipi in venditione dilata solutione absque vsura, non est dicendum hoc negare in hoc alio casu, quando quis bona fide mutuans nauiganti, pecuniam suam, & lucrum exponit dubio, & incertitudini. Ideò ex hac expositione Scoti mihi videtur absque coactione tex. illum exponi, & saluari omnia.

An liceat recipere aliquid vltra sortem ob periculum, quod mutuatarius ad inopiam redigatur.

230 An verò liceat etiam recipere aliquid vltra sortẽ quando periculum imminet ratione mutuatarij, vt puta, quia facilè potest redigi ad inopiam; vel solet esse fraudolentus, & malæ fidei debitor, sunt diuersæ opiniones. Aliqui negant, vt Soto lib. 6. de iustitia, & iure q. 4. art. 1. ad 2. Ratio eius est, quia qui mutuat tali mutuatori, sciens, & volens mutuat, ideò sibi imputari debet, quòd mutuatori infideli mutuauit.

2. Opinio, & probabilior.

231 Alij dicũt licere, vt Molina, Cordubensis in Summa q. 34. in probatione secundæ opinionis citati ab Azorio vbi suprà, qui hanc opinionem dicit esse probabiliorem, & ratio eorum est: quia doctores communiter asserunt, esse licitum aliquid ratione periculi posse exigi vltra sortem, nihil distinguẽtes, an periculum sit in ipsa re mutuata, an sit ex parte mutuatarij. Præterea nulla est vsura si ego tibi mutuo hac conditione, si mutuum peribit qualicunque casu fortuito, nihil tenearis mihi reddere; si verò saluum fuerit, tenearis mihi sortem reddere cum tãta lucri portione, quia hic nulla fit iniuria, nec recipitur lucrũ ratione mutui, sed ratione periculi: ergo possum mutuare absolutè tibi cum pacto, vt aliquid mihi saluas ratione periculi probabilis, quòd vel ad inopiam redigaris, vel mihi deneges pecuniam.

Solutio.

232 Verùm istæ rationes, & similes innitentes periculo nihil valent apud Sotum: quia iam ille negat rationem periculi esse pecunia æstimabilem in hoc casu, vt patet apertè in ipso citato loco: habet enim hanc propositionem ibi. *Solus quippe metus, & periculum absque vllo labore, & dispendio nullum ius tribuit aliquid gratia eius recipiendi.* Hoc tamen fundamentum Soto est falsum, vt patet ex dictis nunc suprà ex cap. 19. illo *Naviganti*, casu secundo, & tertio immò ipse Soto eodem lib. 6. qu. 7. art. vnico loquẽs de assecuratione, prima ratione probat esse licitum accipere aliquid pro periculo, quia assecuratio à periculo est res pretio æstimabilis, & consequenter quis potest redimere periculum suum pretio. Hac ergo ratione generali mihi probatur secunda opinio dummodo re vera sit periculum verum, & non in fraudem vsurarum, vt dixi etiam suprà de emptione anticipata solutione.

Fundamentum Soto reijcitur.

An liceat mutuare super vitæ periculum.

233 Ex eodem fundamento respondetur casum illum esse licitum quo Titius mutuat Caio 200. aureos hoc pacto, quòd si Titius infra duos annos moriatur, Caius nihil restituere suis hæredibus teneatur, si verò Titius superuixerit,

uixerit,

uixerit, Caius teneatur restituere 200. & quinquaginta, quia Titius non vi mutui, sed periculi recipit illos quinquaginta aureos. Poterat enim mori Titius, & Caius illos 200. aureos lucratus fuisset; quod etiam sentit Nauarrus Consilio 25. lib. 5. & Azorius vbi suprà.

De vsura mentali, & locatione pecuniæ. *Cap. VIII.*

Vsura mētali sola non obligat ad restitutionē secundum Scotum.

234 DIcebat Scotus duobus modis licere accipere aliquid vltra sortem principalem ex mutuo. Primò ex pacto, & hunc superiori cap. declarauimus. Secundò ex non pacto. Hunc secundum modum denique eodem articulo declarat breuiter sic. Quando mutuans mutuando pecuniam alicui nullum facit pactum, neque explicitum, neque implicitum, nec verbis, nec nutibus, vel aliquo alio signo æquiualenti ostēdente debitori, quòd mutuans non mutuaret sine spe lucri, licèt animo solo habeat spem lucri; inquit Scotus, si mutuatarius ei aliquid vltra sortem principalem tradat, licitè posse retinere, neque teneri ad restitutionē. Ratio eius est, quia animus, seu spes mentalis habendi rem alienam, non facit aliquem habere rem alienam; at in proposito casu recipiens aliquid ex mutuo habet solùm in animo spem accipiendi aliquid ex mutuo sine pacto vllo explicito, vel implicito, vel aliquo alio signo: ergo hæc spes, quæ est vsura mentalis, non facit ipsum habere rem alienam: ergo non tenetur ad restitutionem, si illi à mutuatario aliquid ratione mutui vltrà sortem tradatur.

Obiectiones aduersariorum contra opinionē Scoti.

235 Verùm circa hanc assertionem Scoti est magna contentio. Nam præter multos antiquos canonistas, qui oppositum tenuerunt. Soto lib. 6. de iustitia, & iure qu. 1. art. 4. Molina d. sp. 306. & alij quidam hac in re inuehuntur in Scotum, sed immeritò; proinde res est explicanda.

Quatuor modis contingit aliquem dare aliquid vltra sortem.

236 Obseruandum est ergo doctores ad declarādum distinctè naturā vsuræ communiter distinguere, aliquem dare aliquid alteri vltra sortem principalē in mutuo posse contingere quatuor modis. Primus modus est, quando mutuans mutuat gratis absque vlla spe lucri, & mutuatarius dat aliquid vltra sortem non ratione mutui, sed omninò liberaliter; adeò quòd ex neutra parte est affectus vsurarius: & in hoc casu nulli dubium est nullum esse peccatum, nec obligationem restitutionis: quia nulla est vsura. Secūdus modus est, quando vterque mutuans mutuat

2. Modus.

spe lucri, & mutuatarius dat vsuram, seu lucrum ratione mutui, & hoc expresso pacto, vel signis, & nutibus innito. Et hoc modo non est dubium adesse peccatum vsuræ, & mutuantem teneri ad restitutionem: quia est vsura realis expressa. Tertius modus est quando mutuans mutuat bona fide sine vlla spe & intentione lucri, tamen mutuatarius dat lucrum ex mutuo putans mutuantem habuisse intentionem, quòd mutuatarius daret lucrum; mutuans autem accipit lucrum bona fide putans mutuatarium dare liberaliter. Secundùm omnes in hoc casu donec manet bona fides in mutuante, quia credit sibi liberaliter esse datum, non tenetur ad restitutionem; sed cessante bona fide, & intelligens mutuatarium dedisse ratione mutui, tenetur ad restitutionem: quia illa datio non fuit liberalis, sed illiberalis, scilicet ratione mutui, & prorsus fuit iniusta datio: quia est lege prohibita: ideò non potuit per illam transferri dominium. Si autem res nō extet, vt quia eam consumpsit, tenetur ad id in quo factus est locupletior. Quartus modus est, quando vsura est ex parte mutuātis tantùm, scilicet quia habet spem, & intentionem recipiendi lucrum, ita quòd nisi speraret lucrum non mutuaret; tamen hanc suam intentionem non manifestat exterius, neque facit aliquid propter quod mutuatarius possit cognoscere intentionem mutuantis esse velle recipere lucrum ex illa mutuatione; & ideò mutuatarius dat aliquid supra sortem, sed liberaliter, non ratione mutui: & in hoc quarto modo est contentio inter Scotum ex vna parte cū multis alijs, & Sotum, Molinam, & alios ex alia parte.

3. Modus.

4. Modus.

Pactus difficultatis inter Scotum & alios.

237 Quantum ergo ad hunc quartum modum duæ sunt opiniones omninò oppositæ. Aliqui enim dicunt vsurarium mentalem, idest mutuantem hoc quarto modo, & aliquid recipientem vltra sortem eodem modo, semper teneri ad restitutionem; etiam si postea sciat mutuatarium liberaliter dedisse, & non ex mutuo (ille autem propriè dicitur vsurarius mentalis, qui nullo modo manifestat se habere spem, & intentionē recipiendi lucrum supra sortem; nam qui nutibus, vel aliquo signo, non tamen expresso manifestat hanc intentionem, licèt quandoque dicatur vsurarius mentalis, tamen propriè est vsurarius realis, & vsuram realem committere dicitur: quia adest pactum externum, licèt implicitum.) Aliqui tamē moderant hunc modum dicendi, & asserunt non semper vsurarium mentalem, seu mutuantem hac intentione teneri ad restitutionem, sed solùm quando ignorat mutuatarium liberaliter dedisse, & putat ratione mutui dedisse; at quando nescit mutuatarium liberaliter dedisse, nō teneri ad restitutionem, licèt quando illud lucrum accepit, acceperit ea mala imaginatione, quòd mutuatarius dederit ratione mutui. Priorem sententiam tenent Innocentius, Hostiensis, Panormitanus, & alij in cap. 10. *Consuluit* de vsuris glossa in cap. 46. fin. de simonia. Ioannes Andreas in Mercurialibus reg. pactum, & multi alij, etiam à Couarruuia regula 4. *peccatum* par. 2. num. 4. & ab Azorio 3. par. lib. 5. cap. 16. secundam tenent Soto lib. 6. de iustitia q. 1. art. 4. Molina disp. 306.

Vsurarius mentalis propriè quis dicatur.

Aliqui moderant prædictā opinionem.

1. Ratio primæ opinionis.

238 Fundamenta huius opinionis sunt, primo caput illud 10. *cōsuluit* ibi enim præcipitur absolutè accepta vsuraria intentione esse restitutioni obnoxia; at in casu nostro mutuās accipit vsuraria intentione, licèt mutuatarius det bona, & non vsuraria intentione: ergo.

2. Ratio.

239 Secundò, quia sola iniusta acceptio est causa sufficiens obligans ad restitutionem; at qui accipit vsuraria intentione, iniusta acceptione accipit; nimirum acceptione prohibita à lege, & iniuriosa ipsi danti, talis enim est acceptio vsuraria: ergo.

3. Ratio.

240 Tertiò si liceret non restituere in hoc casu, esset, quia hic esset donatio; at hoc non potest dici: ergo. Minor probatur, quia ad donationem requiritur acceptatio ex parte accipientis; at in proposito mutuans non accipit lucrum à mutuatario, vt rem donatam, sed vt datam pro mutuo: ergo hic non est donatio.

4. Ratio.

241 Quartò Soto, & Molina vbi suprà pro sua opinione, & contra Scotum sic arguunt. Data opinione Scoti sequeretur nunquam vsurarium mentalem teneri ad restitutionem. Consequens est tamen falsum: quia in illo capite 10. *consuluit* expressè definitur mentalem vsurarium teneri ad restitutionem. Consequentia verò probatur, quia in eo capite secernitur mentalis vsurarius ab eo, qui mentem suam aliquo modo significat; vndè iste est vsurarius realis, qui mentem suam manifestat: qui verò non manifestat est mentalis vsurarius, non realis. Si ergo eo capite hic vsurarius mentalis non tenetur ad restitutionem, nullus est vsurarius mentalis, qui teneatur ad restitutionem.

5. Ratio.

242 Quintò quamuis mutuans celet suam intentionem, tamen dum scit mutuatarium sibi dare ratione mutui, tunc planè intelligit dationem illam esse illiberalem, & ratione mutui fieri, & sic scit esse illicitam: ideò durante hac credulitate tenetur ad restitutionem; licèt cessante illa, & intelligens, quòd fuerit liberalis datio, non ampliùs teneatur.

6. Ratio.

243 Sextò irrationabile est tradere tanquàm regulam generalem, quòd quoties vsurarius non exprimit intentionem suam mutuatario præsumatur mutuatarium liberaliter tradere id, quod dat mutuanti: quia eo animo regulariter dat mutuatarius, quo vsurarius intendit: ideò hæc regula Scoti non videtur approbanda; Soto tamen dicit intentionem Scoti posse redigi ad bonum sensum, qui est re vera ille, quem nunc infra explicabimus.

2. Opinio Scoti, & aliorum.

244 Altera opinio contraria est vsurarium mentalem non teneri ad restitutionem illius, quod mutuatarius illi dat

dat vltra sortem principalem. Id est quando mutuans mutuat animo vsurario, scilicet vt lucretur aliquid vltra sortem ex mutuo, atque ita, quòd si non speraret lucrum ex mutuo, non mutuaret; tamen hunc suum animum vsurarium nullo modo manifestat, nec facit aliquid ex quo mutuatarius possit venire in cognitionem animi vsurarij mutuantis, & mutuatarius recipit mutuum bona fide, absque vlla cogitatione, quòd mutuans habeat hanc intentionē; ipse tamen mutuatarius deinde aliquid suprà sortem dat ipsi mutuanti omninò liberaliter, & nullo pacto ratione mutui: tunc vsurarius mentalis, id est sic mutuans, licèt accipiat animo vsurario, tamen non tenetur ad restitutionem, sed solùm peccat mortaliter. Hæc est opinio Scoti hac d. 15. quæst. 2. a. 2. §. *sine pacto etiam*: quam etiam amplectuntur magna Iuristarum pars, quos adducunt, & sequuntur Couarruuias regula 4. *peccatum*, p. 2. nume. 4. & Azorius 3. p. lib. 5. c. 16. nimirum Paulus Eleazar in Clem. 1. de vsuris. Lupus Gemin. de vsuris consi. 4. §. 2. nume. 51. Baldus in l. pen. ff. de concd. ob turpem causam. Lugdunensis de contractibus numero 6. Alex. in l. 26. *si non sortem*, §. 1. ff. cond. indebiti. Cardinalis in Clem. vnica de vsuris quæst. 24. Ex Theologis Richardus in 4. dist. 15. a. 5. quæst. 5. Caietanus in opusculo de vsura cap. 3. Syluester verbo *vsura* 6. q. 3. Gabriel eodem lib. 4. dist. 15. quæst. 11. ar. 3. dub. 17. Angelus verbo *restitutio* 7. versu *vsurarius*. Medina de vsura q. 4. ad secundum principale.

1. Ratio ex Scoto. 245 Pro hac opinione variæ rationes adducũtur, quæ sicut hanc opinionem probant sic oppositam reijciunt. Prima est ea, quam affert Scotus, & est fundamentalis. Solus animus habendi rem alienam, non facit aliquem habere rem alienam; sed requiritur, vt actu habeat rem alienam. At vsurarius mentalis recipiens aliquid supra sortem animo vsurario solùm, habet rem alienam solo animo non re ipsa: ergo non habet rem alienam: ergo non tenetur ad restitutionem. Maior probatur: quia ille habet rem alienam, qui inuito domino habet aliquid; at nemo habet rem alterius inuito domino, eo quia solo animo illam habet; requiritur enim actualis detentio inuito domino. Minor probatur: quia mutuatarius omninò liberaliter illud suprà sortem dat ipsi vsurario, quia ignorat, quòd vsurarius intendat illud habere ratione mutui, neque de hoc habet vllam suspicionem: hoc enim supponimus in hoc casu, vt patet ex forma dubitationis. Hæc ratio est adeò euidens, vt mihi demonstratiua videatur.

Confirmatur. 246 Et confirmatur, quia aduersarij dicunt in tertio modo accipiendi aliquid ex mutuo suprà explicato, nimirum cum vitium est ex parte mutuatarij, scilicet quando mutuatarius dat ratione mutui, mutuantem teneri ad restitutionem: quia illa datio non est liberalis, sed coacta, ratione mutui, & ideò non transferre dominium: ergo quando est verè datio liberalis, nulla est ratio propter quã res illa non transferatur in dominium mutuantis, qui non habet illam inuito domino vllo modo; supponimus enim, quòd nulla sit suspicio apud mutuatarium, propter quam arbitretur mutuantem mutuare spe lucri. Vndè excluditur imaginatio Molinæ, quòd Scotus supponat mutuantem in casu nostro esse vsurarium ordinarium, qui non nisi ad vsuram soleat mutuare: hoc enim suppositum est falsum: quia cum quis est vsurarius publicus, & ordinarius absque eo, quòd manifestet mentem suam verbo, facto ostendit se non mutuare nisi ob vsuram: ideò hoc suppositum nõ includitur in casu nostro. Sermo est de eo absolutè, qui solo animo mutuat cum spe vsuræ, & non aliter; sed tamen extrinsecè nulla est circunstantia, propter quam possit mutuatarius venire in cognitionem mentis mutuantis.

Imaginatio Molinæ excluditur

2. Ratio Caiet. 247 Hanc rationem confirmat Caietanus citato opusculo argumento ad oppositum sic. Nullus tenetur ad restitutionem eius, quod nullo modo occultè, vel manifestè extorsit per se, vel per alium, quamuis intendat extorquere; sed vsurarius purè mentalis nihil directè, vel indirectè extorquet, quamuis hoc intendat: ergo non tenetur ad restitutionem eius, quod sibi vltra sortem secundùm spem suam datum est; omnes propositiones assumptæ sunt manifestæ.

248 Tertiò Caietanus in corpore illius capitis, seu q. facit tres rationes, quarum prima probat huiusmodi vsurarium mentalem non teneri restituere mutuatario. Secunda probat non teneri restituere pauperibus, quas ommitto. Tertia probat non teneri absolutè ad restituendum, & est hæc. Vsurarius non tenetur restituere nisi lucrum vsurarium per se, non autem lucrum vsurarium per accidēs; sed sic est, quòd lucrum, quod recipit vsurarius mentalis est lucrum per accidens: ergo: maior supponitur vera, quia quæ sunt per accidens non veniunt in considerationem scientiarum. Minor probatur ab eo: quia lucrum per se vsurarium, est quòd venit, vel ratione mutui, vel ratione inuoluntarij. At in proposito casu lucrum, quòd accipit vsurarius non est propter mutuum, neque quia sit inuoluntarium, vt supponimus; sed est vsurarium tantùm ratione mentis vsurarij malo animo illud recipientis, quæ facit illud lucrum vsurarium per accidens: ergo non est obnoxius restitutioni. Istæ rationes concludunt contra vtrunque modum dicendi opinionis allatæ. **3. Ratio.**

249 Quartò arguent alij. Non tenetur debitor restituere id, quod debet, etiam si non sit paratus restituere, quando et à creditore fit liberalis remissio debiti: ergo in proposito etiam si mutuans malè, & iniustè acciperet illud supra sortem, dum mutuatarius ei debitum liberaliter remittit, non tenetur ad restitutionem. **4. Ratio.**

250 Quintò si quis accipit rem alienam putans illam accipere inuito domino, non tenetur illam restituere, si re vera dominus erat volens: ergo in proposito multo minùs tenetur: quia scit non recipere inuito domino. Similiter si accipio rem tuam animo furandi; & tamen postea nouit te mihi eam donare, quando eam accipiebam, non teneor restituere: ergo neque in proposito, licèt animo vsurario recipiam rem, cum cognoscam te mihi illam donare. Istæ rationes procedunt contra primum modum dicendi in opinione allata. **5. Ratio.**

251 Sextò. Couarruuias adducit caput vltimum de simonia ex quo arguit à simili. Nam illo cap. dicitur, quòd quidam Monachi per simoniam aliquo dato, adepti sunt locum in Monasterijs, præcedente non pacto aliquo, sed solo affectu. Papa autem dicit eos non obligare ad resignationes spiritualium, & temporalium, quæ receperunt. Sed eo casu huiusmodi delinquentibus sufficere per solã pœnitentiam satisfacere suo Creatori: ergo si illi simoniaci mentales, qui spiritualia simoniacè receperunt nullo facto pacto, sed solo affecto, non tenẽtur ad restitutionem, sed solùm ad pœnitendum pro peccato mentali; multò magis in proposito vsura mentalis non obligat ad restitutionem, sed solùm ad agendum pœnitentiam de peccato mente perpetrato. **6. Ratio.**

252 Soto lib. 9. de iustitia, & iure quæst. 8. art. 2. versus finem multa dicit, vt suadeat ex illo cap. non haberi simoniacum mentalem ad restitutionem non teneri; sed nullius momenti sunt, & hæc, quam adducit Couarruuia, est opinio communis illius cap. vt etiam ibidem fatetur Soto: ideò ab illa non est recedendum. **Labor Soto vt euadat argumẽtũ.**

253 Ad rationes pro opposita sententia. Ad primam respondet Couarruuias loco citato cum Syluestro vbi suprà, decretalem illam intelligi vbi sumus in dubio an debitor vltra sortem dederit aliquid creditori liberè, an coactus quadam occasione mutui accepti: in eo enim casu est præsumendum eam dationem omninò liberam nõ esse, sed procedere à causa, & radice mutui. In nostro autem casu supponimus mutuatarium dare liberaliter, quia nulla est occasio, vt credatur soluere ratione mutui, cum non cognoscat in mutuante esse huiusmodi intentionem, vt soluat vi mutui. Caietanus vbi suprà dicit illam decretalem intelligi de lucro vsurario per se, non per accidens: quæ responsio in eundem coincidit, vt diximus. **Ad primã rationẽ pro opinione pcedenti.**

254 Ad secundam respondetur iniustam acceptionem **Ad secũda rationem.**

illam

illam esse, quia quis inuito domino, vel vi mutui accipit: his enim duobus modis tãtùm, quis rem alienam habet: non autem quia qui accipit, mala intẽtione accipit. Quia, vt dictum est, solus animus malus non facit aliquem habere rem alienam: in proposito autem acceptio alicuius rei vltra sortem non est acceptio iniusta, quæ sit contra iustitiam, & obliget ad restitutionem, sed est solùm malatitiæ culpæ mortalis mentalis: quia prohibitum est habere intentionem mutuandi ad vsuram.

Ad tertiũ.

255 Ad tertiam negatur minor. Ad probationem respondetur immò præsumendum esse, vsurarium rem à mutuatario vt donatam acceptare: quia scit ipse vsurarius illud sibi non deberi, quia non fecit pactum cum mutuatario, nec vllo modo significauit suam intentionem esse: ideò debet præsumere ratione donationis sibi tradi, vt inquit Couaruuias loco citato ad hoc argumẽtum, quòd ex quadam Bartoli adnotatione desumebatur.

Ad quartũ.

256 Ad quartam patet respõsio ex dictis ad primum: respondetur ergo negando consequentiam. Ad probationem respondetur vsurarium mentalem duobus modis se habere posse: vel enim certus est mutuatarium dare liberaliter, vt in casu nostro; & tunc dicendũ est, quòd nunquam tenetur ad restitutionem, neque de hoc loquitur illa decretalis. Vel est dubium An mutuatarius liberaliter dederit propter aliquam circunstantiam, quæ poterit accidere, licèt ipse suam mentem non patefecerit, vt putà quia dando illud supra sortem mutuatarius aliquod verbum, vel signum fecit, propter quod mutuans potuit cogitare, vel dubitare mutuatarium dare vi mutui, & de hoc loquitur decretalis, & tunc tenetur ad restitutionem.

Ad quintũ.

257 Ad quintam respondetur falsum supponere nimirum, quòd Scotus, & nos supponamus mutuantem scire mutuatarium sibi dare ratione mutui: hoc enim est falsum: quia iam diximus cum Scoto nos supponere, quod vsurarius nullum habeat signum, quo intelligere, vel suspicari possit mutuatarium dare ratione mutui, eo quòd ipse mutuans nullo modo ei suam intentionem manifestauit. Supponitur ergo quòd præcisè, & solo animo habeat spẽ lucri vsurariam.

Ad sextam

258 Ad sextam respondetur, quòd irrationabile esset tradere hanc regulam de vsurario noto, & solito dare ad vsuram: hunc enim ex facto patet habere intentionem lucrandi ex mutuo absque eo, quòd verbis, vel nutibus suã intentionem explicet. At tradere hanc regulam de vsurario occulto mentali, cuius intentio nullo modo cognoscitur, non est absurdum, immò necessarium est tradere hãc regulam, quòd præsumatur mutuatarius dare liberaliter: quia est præsumptio rationabilis, vt patet ex rationibus adductis.

An vsurarius accipiat dominium pecuniæ per vsuram acceptæ.

259 Est altera quæstio de vsura, An scilicet vsurarius acquirat dominium super pecuniam, & lucrum, quod supra sortem accipit vsurarius à mutuatario, de qua Soto in eodẽ articulo cum multis alijs doctoribus dissentit à Scoto, qui è conuerso secum multos alios doctores habet, de qua cum Scoto in 3. ar. huius quæstionis agemus.

De locatione pecuniæ

260 Vltimo loco explicat Scotus alium vsum pecuniæ per quem ex pecunia potest aliquid vltra sortem recipi absque vsura, & peccato; & est, quod pecunia potest locari, sicut locantur res vsibiles; licèt hic non sit vsus principalis, ad quem est inuenta. Nam pecunia de sua natura est apta nata ad ostendendum aliquem esse diuitem, ad ornandum aliquem, & similia: ideò ad hunc finem potest locari, exempli gratia aliquis mercator, vt ostendat se diuitem, potest rogare amicum, vt locet sibi quantitatem aliquam pecuniæ ad ostentationem, sicut rogat alium, vt sibi locet equum suum, vel aliquid simile. Hic ergo contractus non est mutuatio, sed locatio, & deberet restitui eadem numero in pondere, nisi fortè locanti sufficiat restitui æqualis in pondere, & valore; neque enim in hoc casu transfertur dominium pecuniæ in conducente, sicut neque transfertur dominium equi à locatore in conductorem, sed dominium remanet apud locatorem, & ideò cum sit locatio non mutuum, sicut ex locatione aliquid recipitur; ita ex pecunia locata potest aliquid recipi sine vsura: quia vt dictum est; vsura non habetur nisi in mutuo: hic autem nullum est mutuum, sed locatio, & conductio, ideò nulla potest esse vsura. Et de hoc nulla est dissensio inter doctores.

Ex regulis assignatis dubia oĩa icidẽtia in contractibus soluũtur.

261 Ex regulis generalibus hucusque assignatis à Scoto in venditione, & emptione; in permutatione, locatione, & mutuo habent solui omnia dubia incidẽtia in quouis contractu propriè, vel impropriè, vel quasi contractu: quia vt dicet Scotus infrà a. 3. rectum est iudex obliqui; cum enim scitur, quæ sint requisita ad iustitiam contractus facilè cognoscitur iniustitia cõtractus. Quando enim aliqua conditio requisita deficit, certum est esse iniustum: vt infrà dicemus art. 3. quod patet in contractu de mutuo quò ad multos casus, quos Summistę, & Doctores adducunt, in quibus communiter dicitur ex mutuo aliquid vltra sortem recipi posse absque vsura; de quibus Hostiensis in Summa titulo de vsuris §. *an aliquo casu*, apud Tabiensem verbo *vsura*, 1. quæst. 10. & alios. Hoc enim euenit: vel quia ille contractus non erit mutuatio, sed restitutio rei suo domino: vel si est mutuatio illud supra sortem soluitur ratione pœnæ: vel moræ in solutione: vel ratione lucri cessantis: vel damni emergentis: vel ratione periculi: vel quia in illo contractu donatio miscebitur: vel quia erit locatio non mutuatio. Ideò his regulis diligẽter perpensis patebit solutio omnium dubiorum in casibus particularibus occurrentibus.

Exemplo res declaratur.

Fideiussor solutas vsuras pro debitore, põt recipere à debitore pecuniã mutuatam & vsuras.

262 Quod potest explicari in vno casu, e.g. fideiussor compellitur soluere vsuras pro debitore, & quia non habet pecunias, cogitur accipere pecunias mutuo, & vsuram soluere; tunc fideiussor potest à debitore recipere non solùm pecuniam, quam mutuo accepit ad soluendum vsuras pro debitore, sed etiam vsuras, quas ipse fideiussor soluit pro illo mutuo; & sic potest recipere aliquid vltra sortem. Ratio autem est damnum emergens, quod patitur; licet enim fideiussori se seruare indemnem, & proinde illud, quod recipit supra sortem, non recipit ratione mutui absolutè, sed ratione damni emergentis, & sic de alijs.

Regula cognoscendi qñ in contractib. vsura cõmittat. Exẽplo declaratur.

263 E conuerso quando in permutatione, venditione, emptione, & alijs contractibus est vsura, hoc euenit, quia mutuum verum explicitum, vel implicitum palliatum in illis miscetur, & ratione mutui propriè aliquid vltra sortem accipitur à mutuante. Exemplo res declaratur in vno casu. Cum quis debet alicui centum hinc ad annum, & nunc anticipata solutione soluit tantùm 90. non alia ratione, nisi quia ante tempus statutum soluit, videtur esse quædam mutuatio implicita: nam perinde esse videtur, ac si dares modo mutuo 90. aureos, vt hinc ad annum reciperes 100. & sic de alijs. De hoc modo tamen vendendi suprà diximus quomodo aliquando sit licitus, & fusiùs de his agemus infrà explicando tertium articulũ huius quæstionis Scoti.

De Cambio. Caput Nonum.

Regulæ in principalibus contractibus seruandæ sunt in posterioribus.

264 DE contractibus principalibus hucusque Theologi veteres disseruerunt; de reliquis verò quos diximus ad illos reduci parùm, vel nihil saltem, ex professo dixerunt. Regulæ tamẽ superiùs assignatæ ad hoc, vt prędicti contractus sint iusti, requiruntur ad hos posteriores contractus ad hoc, vt ipsi quoque sint iusti. Illę enim sunt regulæ generales iustitiæ, quæ est virtus particularis, & in hoc versatur, vt in datis, & acceptis seruetur æqualitas: ideò contractus sequentes Cambij, census, societatis &c. tunc iniusti erunt, cum carebunt aliqua ex prædictis regulis; & erunt iusti, quando nulla earum deficiet. Posteriores ergo Theolog. cum Canonistis, & Iurisperitis multa tradiderunt ex quibus conscientijs cuiuscunque potest satisfieri. De his ego quoque verba faciam, breuiter tamen, quoniam breuitas, & facilitas multum iuuãt atque priori

loco

loco de Cambio agam, quia magnam habet cum cõtractibus suprà adductis conuenientiam.

Difficilis tractatus de cambijs.

265 Verùm in hoc contractu Cambiorum est valdè difficile inuenire iustitiam, & iniustitiam secundùm omnes. Quod ex eo iudicare possumus, quòd non parua lis est, quænam sit eius diffinitio, & sub quo genere contractuum reponatur, afferentibus alijs contineri sub mutuo, alijs sub venditione, & emptione, alijs sub permutatione. Nihilominus enitendum est pro viribus laborare, vt hanc materiam studiosis nostrorum operum ob oculos clarè ponamus.

Quid sit cãbium.

266 Incipiendo itaque à diffinitione obseruãdum est primò quòd cambium est nomen commune omnibus contractibus principalibus secundùm quid liberalibus, vt sunt permutatio, siue contractus do, vt des, emptio, & venditio, locatio, & mutuatio: nam in omnibus his pmutatur vna res in aliam; cambiũ aũt est permutatio quædã, vt ethimologia vocabuli significat: propriùs tamẽ permutatio significat, permutationẽ rei vsualis in rem vsualem, quod est primum genus contractuum. Accommodatur ẽt venditioni, & emptioni: quia in hoc contractu commutatur res in pecuniam, & pecunia in rem vsualem: & eodem modo proportionaliter accommodatur locationi, in qua commutatur vsus rei in pecuniam; & mutuo in quo commutatur pecunia in pecuniam, sed diuerso modo, ac fiat in cambio, de quo modo loquimur: quia in mutuo commutatur gratis sine lucro; in cambio autem cum lucro: finis enim cambij est lucrum. Cambium autem de quo loqui intendimus, & loquuntur doctores, & quod exercent mercatores, propriè nullo horum modorum est commutatio: habet tamen aliquam similitudinem cum illis, præsertim cum permutatione propriè dicta, & cum venditione, & emptione.

Communior diffinitio Cambij.
Conditiones pecuniæ tres.
Pecunia vsus duplex.

267 Communior autem diffinitio est hæc. *Cambium est permutatio pecuniæ in pecuniam*. Ad quod declarandum obseruant primò, quòd pecunia habet in se tres conditiones. Prima est quòd pecunia est pretium omnium mercium. Secũda est qd constat ex hac, vel illa materia, q̃a alia est moneta aurea, alia argentea, alia ærea. Tertia est qd est insignita figura reipublicæ, siue principis. Secundò obseruant pecuniã habere duplicẽ vsum. Primus & principalis est, quia est pretium rerum venalium. Secundus vsus, & minùs principalis est, quia pecunia etiam in se est res quædam, quæ habet suum valorem naturalem, & secũdum hunc potest vendi, locari, commodari, & permutari. Cambium ergo de quo loquimur, est permutatio pecuniæ in pecuniam. Secundùm quod pecunia, secundùm aliquem horum modorum potest permutari in aliam; & commutantes hoc modo pecuniam in pecuniam dicuntur campsores; & hæc ars dicitur ars campsoria.

Ars Cãpsoria est licita.

268 Nunquid autem hæc ars sit licita non est dubium. Nam sicut diximus suprà, quòd venditio, & emptio negotiatiua est honesta, quia est vtilis reipublicæ, sic propter eandem rationem ars campsoria est honesta, quia vtilis est reipublicæ, vt patet, & videbimus, licèt per circunstantias malas possit esse illicita.

Cambium aliud reale aliud siccũ

269 Et quoniam diuersæ species cambiorum enomerantur, & aliquæ sunt licitæ, & aliquæ illicitę, nos duas tãtùm diuisiones accipiemus, ad quas aliæ reducuntur. Prima diuisio est in *Cambium reale, & siccum*. Cambium *reale* dicitur, quod est verè, & propriè cambium: quia scilicet verè, & realiter in eo pecunia commutatur. Cambiũ *siccum* verò est, quod nõ est verè, nec realiter cambium: quia re vera in ipso non commutatur pecunia in pecuniam, sed fingitur mutari; & proinde est vera vsura, seu mutuum cum lucro, quod est vsura.

Hoc cambium esse illicitum nulla est dubitatio; sed difficultas est cognoscere, quando hoc cãbium sit palliatum cambio reali. Vt ergo hæc fallacia, & alię iniustitiæ, quæ solent committi in cambijs, cognoscãtur, alia diuisio generalis communiter affertur, quæ est. Omne cambium redducitur ad tres species. Prima est ratione nũmismatis, quando scilicet cõmutatur pecunia in pecuniam in eodẽ loco, vt cum commutatur pecunia maior in minorem, vt aurea in argenteam, vel in æream, vel è conuerso, in eadem ciuitate; & hoc appellari solet cambium minutũ. Secunda species est ratione loci; quando scilicet datur pecunia in vno loco, vt reddatur ĩ alio loco, vt cũ datur Romæ, vt reddatur Parisijs. Et quia hoc cambium fieri solet sæpe per litteras solet vocari cambium per litteras. Tertia est ratione temporis, vt cum quis dat pecuniam alteri vno tempore, vt illi ad tres menses reddatur. Hoc cambiũ est cambium siccum: vt videbimus.

Alia diuisio generalis cãbij in tres species

Cambium minutũ qd nam sit.

Cambium per litteras quodnã sit.

Regula generalis ad cognoscendum Cambium vsurarium.

270 Hic autem regula generalis superiùs assignata est attendenda, quòd omne illud cambium est vsurarium, & illicitum in quo ratione temporis quis aliquid lucratur: quia vt diximus suprà cum Scoto, & alijs Theologis, tempus non potest vendi: ideò qui ratione temporis in aliquo contractu accipit aliquid vltra sortem, is re uera ex mutuo vt mutui accipit aliquid vltra sortem, & sic committit vsuram: ergo omnia illa Cambia in quibus ratione temporis præcisè aliquod lucrum accidit, sunt vsuraria; nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel aliqua alia ex causis suprà assignatis, in quibus vltra sortem aliquid recipere est licitum, interueniat.

In Cambio minuto licet recipere aliquid.

271 Cambium minutum esse licitum, atque in eo posse aliquid vltra sortem accipi est communis sententia. Quòd sit vtile, patet, quia quis sæpe eget nummis minutis ad emendum res quotidianas vilioris pretij. Alius transportaturus pecuniam ex vno loco in alium locum ad vitandum pondus, & commodiùs eas ferendas eget pecunia maioris valoris, & sic commutat monetas æreas, vel argenteas in aureas, & sic de alijs. Quòd etiam liceat huiusmodi campsoribus aliquid vltra sortem accipere patet: quia adhibent obsequia populo congregando, & paratas habendo pecunias diuersorum generum cuicunque cambire volenti; habent domos publicas ad hoc munus obeundum, habent famulos, vel si per se hoc munus exerceant, expectant, qui cambire velint, numerãt pecuniam, & similia efficiũt, quæ sunt pecunia æstimabilia, & sic eas possunt vendere, & pro eis vltra sortem recipere aliquid. Huiusmodi ergo cambium est licitum, cum in eo seruatur æqualitas pecuniæ, quæ commutatur cum alia pecunia in quam commutatur, & aliquod iustum pretium accipit pro suo labore, vt dictum est. Ratio est quia æqualitas est fundamentum, & essentia iustitiæ: ideò vbicunque hæc non seruatur semper ibi est iniustitia, & cõtractus est malus, & obligans ad restitutionem. Quale autem sit pretium iustum in tali cambio, debet iudicari ex regulis traditis suprà agendo de iusto pretio in venditione, & emptione: eædem enim vbique in iustis pretijs dignoscendis valent.

Quale sit p̃tium iustũ in cambio minuto.

An alius q̃ cãpsor publicus possit ea cambio lucrari

272 An verò alius, quàm campsor publicus, & ex officio constitutus ex cambio minuto possit pretium, & lucrũ illud accipere est disputatio inter recentiores: nam Caietanus in opusculo de cambijs 2. tomo tractatu 7. cap. 6. & quidam alij tenent partem negatiuam. Alij verò affirmatiuam. Et hæc secunda est communior, & vera mihi videtur: quia ille etsi priuatus sit, nihilominus præstat idem officium, quod Campsor: ideò cum sit licitũ campsori propter illud obsequium aliquid accipere, cur nõ licebit huic priuato?

Quid si lege principis prohibeatur.

273 Hoc autem intelligendum est, quando hoc lege principis non est prohibitum. Sed quando est lege prohibitum à principe, dubium est an teneatur ad restitutionẽ. Aliqui dicunt peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, etiam si accipiat pretium iustum. Sic Soto lib. 6. de iustitia quæst. 9. art. vnico. Couaruuias, & alij, quos citat, & sequitur Azorius 3. par. lib. 10. ca. 4. q. 7. Ratio est quia, cũ Republicę lege priuatis prohibeatur, ne exerceãt tale munus, lucri incapaces sunt, & peccant mortaliter. Molina ex aduerso disp. 399. nu. 7. censet neque peccare mortaliter, neque teneri ad restitutionem: quia tales leges non solent facere incapaces iusti pretij eos, qui illas transgrediuntur.

Opinio affirmatiua.

Opinio negatiua.

diuntur, neque communiter obligare ad lethale, sed solùm ad pęnam post latam sententiam. Prima opinio est tutior.

3. Opinio est tutior.

274 Dubitatur à doctoribus circa æqualitatem pretij seruandã, An scilicet quando pecunia anctoritate publica est taxata campsores possint ampliùs quid exigere, v.g. publica auctoritate numus aureus valet 12. Iulij Italicis, quæritur an negotiator possit eum commutare cum 14. Iulijs, vel 13. Respondetur, aliqui negant, vt Medin. q. 7. de rebus restituendis per vsuram, & Ioan. And. in cap. 19. *naniganti* de vsuris, sed volunt campsorem solùm ratione sui laboris, & officij aliquid recipere posse; non aũt ratione nũmismatis. Alij affirmant, Sotus lib. 6. de iustitia q. 9. ar. 1. Nauarrus in Man. cap. 17. num. 283. & hanc sequuntur Azorius lib. 10. cap. 4. quæst. 4. & alij. Ratio est quia pecunia habet duplicem vsum, vt dictum est. Primus est quòd est pretium rerum, & quò ad hoc in emendis, & vendendis rebus non potest plus valere, quàm princeps statuerit. Secundus vsus eius est, vt est naturalis res; & hic non taxatur à Principe, ideò pretium eius quò ad partem est consuetudo, vel voluntas populi, & hæc mihi placet.

Opinio negatiua.

Opinio affirmatio: quę approbatur.

275 Aliud dubium est, An e.g. cum Caius dat suo seruo, vel æconomo pecunias aureas, vt soluat stipẽdia operarijs, vel ad emendum res necessarias familiæ, & vsibus domorum, liceat seruo, vel æconomo commutare illas in æreas, & lucrare aliquid. Respondetur hoc esse licitum si hoc nõ redundet in damnum operariorum, vel ipsius domini. Sic respondet Azorius vbi suprà, nec video esse contradictionem. Sed obseruandum est ne hoc fiat in damnum tertij. Sæpe enim contingit, quòd princeps det pecuniam auream suis ministris pro soluendis stipendijs militum, & operariorum, quæ, quia est iusti ponderis pluris, pluris æstimatur, & emitur, quàm sit valor taxatus à principe; & deinde ministri eam commutant in monetam, quæ non est iusti ponderis, tamen currenti pretio tantum valet quantum moneta iusti ponderis; & sic lucrantur illud plus, quo emitur à mercatoribus, & cedere debebat in vtilitatem operariorum militum, & aliorum.

An Aeconomus mutans pecunias domini vt lucretur peccet.

276 Secunda species cambij principalis est cambium de loco ad locum, seu per litteras. Huiusmodi cambium per litteras esse licitum, & vtile non est dubium: quia sæpe contingit, quòd quis egeat pecunia in vno loco, quam habet in alio, asportare autem illam ex eo loco ad alium est valdè periculosum propter latrones, vel propter molestiam, vel propter sumptus, vel quia non valet tantum in eo loco, aut quid simile; vnde multum commodum, & vtile est per litteras commutare pecuniam, quam habet vno loco in pecuniam alterius, quam ille habet alio loco, in quo hic ea eget.

De Cãbio p litteras.

277 Hoc autem cambium tribus modis fieri solet. Primo modo quando Campsor recipit pecunias, vt eas soluat, vel soluere faciat in alio loco, vt accipit Romæ, vt faciat soluere Parisijs. Secundo modo quãdo ipse campsor dat pecunias alicui indigenti in vno loco, & eas recipit ab eo in alio loco: puta dat pecunias Caio Romæ, & est recepturus eas à Caio Parisijs. Tertio modo, quando Cãpsor recipit, vel dat pecunias soluturus, vel recepturus eas ad Nundinas inter mercatores fieri solitas singulis tribus mensibus.

Cambium per litteras tribus modis fit.

278 In prima specie Cambij secundùm doctores cõmuniter licet accipere aliquid vltra sortem principalem ratione expensarum, & periculi. Pretium autem, seu illud supra sortem quantum esse debeat, debet iudicari secundùm regulas assignatas suprà iusti pretij. Consentiunt doctores communiter. Conradus de contractibus quæst. 99. Ioan Medina de vsura q. 4. Nauarrus in Man. cap. 17. numero 289. Molina disp. 403. & Azorius libr. 10. cap. 5. qui alios citant.

In prima specie cambij licet accipere lucrum.
Pretium quantũ esse debeat.

279 In secunda specie Cambij est maior difficultas. Nonnulli enim dicunt hoc cambium esse siccum, siue iniustum: quia videtur esse quoddam mutuũ cum lucro ex mutuo: quia Campsor dat e.g. pecunias Caio Romæ, & eas recipit Parisijs cũ lucro, absque eo, quòd transportet pecunias de loco ad locũ. Nihilominus communior sententia est hoc cambium esse licitum, & in eo vltra sortem 280 posse recipi aliquid. Ratio est, quia dum Campsor dat pecuniam Caio Romę indigenti, & eam recipit Parisijs: Primò accipit pecuniam distantem pro præsenti; pecunia autem distans non valet tantum, quantum præsens ipsi cãpsori, vndè si velit eam transferre Romam adsunt labores, pericula, & expensę: Deinde adsunt labores, & expensæ artis ipsius campsoriæ ob quæ omnia diximus etiam in Cambio de loco ad locum licere recipere aliquid supra sortem. Quando ergo re vera pecunia soluitur, & Caius, qui recipit pecuniam Romæ habet pecuniam Parisijs, & facit realiter eam ibi solui suo creditori, est cambium reale, & licitum: vt est etiam videre apud citatos auctores.

In secunda specie cambij est difficultas an liceat accipere lucrum.

Communior sententia.

281 In hoc secundo modo dubium occurrit, An quando moneta, quę in vno loco plus minusve valet, quàm in alio loco, campsor possit plus minusve recipere in alio loco. Pro cuius intelligentia obseruandum est, quòd vna moneta potest habere plus valoris in vno loco, quàm in alio duobus modis. Vno modo in comparatione ad alias monetas minores; at ducatus aureus respectu argẽtearum, vel ærearum, exempli gratia ducatus aureus tanti ponderis Romæ valet 11. Iulios, Toleti in Hispania valeat 12. Iulios; & hic valor est ex statuto, & lege principis. Aliud exemplum. Iulius argenteus Romanus valeat quadraginta denariolos, quos nos Itali quattrinos vocamus, Hispani Dupondios, Galli Turones. Iulius verò, seu realis (supposito, quòd Iulius Romanos, & realis Hispanus sint eiusdem ponderis, & speciei argenti, & omninò eiusdem quantitatis, & æqualitatis) Hispanus Toleti valeat 50. denariolos seu dupondios.

In secunda specie cambij difficultas.

Valor pecuniæ duplici mõ crescit & decrescit.

282 Alio modo vna moneta plus alia valet in alio loco ratione copiæ, vel inopiæ pecuniæ in illis locis: quanto enim maior copia pecuniæ est in vno loco, tanto minus valet ad emendum, & comparandum res necessarias victui humano; & quanto maior inopia est pecuniæ tanto maius valet ad easdem res emendas; sicut abundantia mercium facit eas in pretio decrescere, & inopia illarum facit eas crescere in valore, & pretio. Vnde videmus nunc id, quod aliàs in Italia emebatur duobus ducatis, nũc quatuor, & quinque emi; quod nõ alia causa euenit, nisi quia maior copia pecuniæ nunc est, quàm tunc esset. Abundantia autem, & inopia ex diuersis euentibus accidere potest, vt propter bella, vel ꝓpter mercaturas, vel aliquid aliud. Vndè pecunia hoc modo considerata se habet veluti merces, & ita sicuti merces copia, vel inopia crescunt & decrescunt in valore, sic pecunia crescit, & decrescit propter copiam, vel inopiam eius. Ex quo fit, quòd hic valor secũdo modo pecuniæ diuersus sit à valore pecuniæ primo modo, quoniam prior est firmus, & constans, & est statutus à Principe ad emendas res eodem loco, & soluenda pretia illarum ibidem. Valor secundo modo est inconstans; & pecunia eo modo considerata non habet rationem pecuniæ, sed mercis, & ideò hic valor non repugnat priori; neque damnatur à principibus, vt omnes communiter tenent per taxationem prioris valoris. Vndè quamuis hic secundus valor alteretur; tamẽ prior in eodem loco semper constans manet.

283 Hoc supposito ad propositum dubium respondetur per distinctionem, vel enim est sermo de valore priori modo, vel de valore posteriori modo: loquendo de valore priori modo, casus erit hic. Verum Campsor qui Romæ accipit 100. ducatus aureos, quorum quilibet valet 11. Iulios Romanos, possit recipere Toleti 100. ducatos aureos eiusdem põderis, & qualitatis, vbi valet vnusquisque ducatus 12. reales, quorum vnusquisque est æqualis valoris vnius Iulij Romani; & intelligitur præcisè ratione permutationis monetæ non considerando labores, & alias circunstantias propter quas campsor aliquod præmium meretur. Omnes consentiunt non licere. Ratio est, quia in hac permutatione non seruatur æqualitas, quæ

Quid dicẽdum quò ad primũ modum.

Oẽs conueniunt non licere.

omninò

omninò est seruanda in quolibet contractu, alinquin iniustitia committitur, com obligatione ad restitutionem; in tali casu autem plus reciperet campsor, quam ipse dedisset, nimirum centum iulios, & sic non seruaretur æqualitas.

284 Molina tamen disp. 407. & 410. contra Nauarrum, distinguendum esse ait. Aliud enim inquit est comparare valorem monetæ maioris ad maiorem, sed minoris valoris, vt auream ad argenteam; & ducatum, seu scutum ad iulios, seu reales; & aliud comparare monetam maiorem ad minutam, scilicet ad æream. Nauarrus videtur velle in Man. cap. 17. nu. 295. & fusius in Comment. cap. vltimo de vsuris num. 60 & 61. habendam esse rationem comparationis ad monetas minutas æreas; adeò quòd si ducatus aureus valeat, exempli gratia 3. baiocos Romę, & alibi vt Toleti 115. campsor dans illum Romæ debeat decrescere recipiens illum Toleti, quo plus valet. Molina autem dicit hanc comparationem despici à mercatoribus, quoniam mercatores in commutatione pecuniarum de loco ad locum habent potius rationem auri, & argenti, quod extractum de quocunque loco retinet vbique suum valorem, quàm æris, quod in ratione monetæ regulariter est diuersum in diuersis regionibus, ac Regnis, & quod valet in vno loco, non valet in alio: in ratione verò ęris nihil æstimatur; maioresque essent sumptus in eiusmodi pecunijs asportandis de loco ad locum, quàm esset valor ęris earum. Inquit tamen incrementum illud valoris monetarum argenti, aut auri comparatione æ̨rearum in ea prouincia, in qua id incrementum statuitur, esse alicuius ponderis, & momenti, quatenus maiora debita in ea prouincia soluuntur eisdem aureis, & argenteis monetis, & plus mercium emitur, & quatenus plus monetarum eiusdem rationis argenti, & auri ad illam regionem defferuntur propter hoc incrementum, & illarum lucrum; quare incrementum illud aliquid minuet in pretio permutationis, & cambij earum monetarum à loco ad locum. Regula autem iusti pretij in hac re non potest alia assignari, quàm communis consuetudo cambiorum mercatorum inter se in huiusmodi permutationibus. Secus autem ait Molina esset dicendum si cābium fieret sub nomine minutissimarum monetarum (quod non est in vsu) tunc enim esset attendenda valdè hæc comparatio, & iuxta illam æqualitas esset constituenda. Hæc Molinæ obseruatio non displicet.

Quid dicēdū quò ad secūdū modū valoris.

285 Si verò loquamur de valore secundo modo, scilicet ratione copiæ, vel inopiæ pecuniæ, vt puta quia pecunia aurea, vel argentea eiusdem ponderis, & qualitatis, & æstimationis, & eiusdem valoris primo modo, plus valet in vno loco propter eius inopiam quàm in alio propter eius abundantiam, vt puta Romæ tantum valent 90. ducati aurei, quantum 100. eiusdem rationis in Hispania. Nam emo Romæ tot res mihi necessarias ad victum 90. ducatis, quot alius in Hispania 100. ducatis eiusdem rationis: quia maior inopia est Romæ ducatorum huiusmodi; dicendum est secundùm omnes communiter, licitum esse campsori ascendere, vel descendere in cambio iuxta valorem ipsarum monetarum, exempli gratia campsor Romæ accipiens 90. ducatos aureos, vt eos soluat Toleti in Hispania, debet ascendere in cambio, & soluere centum ducatos. E conuerso campsor accipiens Toleti centum ducatos aureos, vt eos soluat Romæ debet descendere in cambio, & soluere Romæ 90. ratio est, quia semper æqualitas est seruanda, hoc autem modo seruatur: quia tantum valent 90. ducati Romæ, quantum centum Toleti. Quis autem sit valor, & iustum pretium in huiusmodi permutatione accipitur ex cōsuetudine; valor enim hic est inconstans, & ex varijs euentibus variatur. Et hoc licet, dummodo monopolia, & fraudes absint, vt dictum est suprà. Consentiunt Soto 6. de iustitia q. 1 a. 2. 1. Nauarrus in Com. cap. vltimo de vsuris nu. 51. 59. 65. & sequentibus, & in Man. cap. 17. n. 294. & seq. Azorius 3. p. lib. 10. cap. 7. Molina disp. 410. & alij.

An cāpsor ascendēs in receptione pecuniæ possit etiam vltra recipere pretiū pro cambio.

286 Sed hic occurrit dubium, an cum campsor dat pecuniam Romæ soluendam Toleti, & ascendit in recipiēdo possit recipere pretium pro sua transportatione vltra lucrum illud, quod recipit propter valorem minorem monetæ, propter quem pro 90. ducatis recipit centum

Opinio Soto.

Soto vbi suprà, & nonnulli alij cum ipso tenent partem negatiuam, inquiunt enim quòd quando campsor accepit pecuniam vbi plus valet, & soluit eam vbi minus valet, non possit accipere pretium pro transportatione, vel saltem parum: quia illud incrementum, & lucrum ex valore pecuniæ debet illi satis esse.

Contraria opinio verior.

Contrariam tamen sententiam tenent auctores superius adducti locis suprà citatis, & est verior opinio. Ratio est, quia campsor non debet priuari præmio, seu pretio sui laboris, dummodo seruet æqualitatem in cambio, ita quòd reddat pecuniam tanti valoris quanti accepit. At in casu isto seruat: quia tantum valent centum ducati aurei Toleti, quantum 90. Romæ; sicut exempli gratia centum modij frumenti in Scicilia tantum valent, quantum 60. in Hispania: ideò si quis permutaret centum modios frumenti in Scicilia cum 60. modijs frumenti eiusdem conditionis in Hispania, seruaret æqualitatem: quia tantum valent illi 60. modij in Hispania, quantum illi centum in Scicilia. Et sicut qui dat centum modios frumenti in Scicilia, vt recipiat in Hispania 60. decrescit; & è conuerso, qui daret in Hispania 60. modios frumenti, vt reciperet in Scicilia centum ascendit in permutatione, & cambio, & tamen nulla est inæqualitas. Ita etiam in proposito tantum valent 90. ducati Romę, quantum centum in Hispania: & ideo sicut qui dat Romæ 90. vt accipiat in Hispania, ascendit in cambio, & permutatione vsque ad centum; ita qui dat in Hispania centum, vt eos recipiat Romæ, debet descendere in cambio ad 90. & sic seruatur æqualitas. Et proinde licèt campsor accipiendo Toleti centum reddat solùm Romæ 90. & ideò lucretur decem ducatos, tamen hoc lucrum non facit inæqualitatem in hoc cambio, sed stat simul cum æqualitate dati, & accepti: ideò hoc lucrum non obstat, quo minus campsor debeat recipere pretium suę transportationis de Toleto Romam.

De cambio ad nūdinas

287 Tertius modus cambij huius secundæ speciei, scilicet per litteras, vocatur cambium ad nundinas, & hoc cambium est, quod nunc maximè est in vsu, & in quo versatur tota ferè numulariorum ars, & negotiatio; quæ non fit gratia mercium, sed lucri, & quæstus, & paucis ab hinc annis est inuentum. Huiusmodi cambium esse valdè vtile Reipublicæ, & particularibus non est dubium: nam sicut olim inuentæ sunt nundinæ, quibus merces, quæ non sunt vbique locorum, transferuntur ad quædam certa loca, in quibus singuli conueniunt ad vendendum, & emendum quidquid sibi opus est; ita cum mercatores non vbique pecunias habeant, & opus habeant illas transportare in varia loca, quidam mercatores videntes magnum lucrum reportari ex translatione pecuniæ à loco ad locum per cambium, deseruerunt mercaturas, & huic soli negotiationi cambiorum incumbere cœperunt; & hi modo numularij seu campsores dicuntur, qui mercatoribus ipsis egentibus pecunia in diuersis locis assistunt, & illis dant, vel recipiunt pecuniam ad cambium pro diuersis locis. Aliquando etiam à se inuicem recipiunt pecuniam ad cambium, vt mercatoribus, vel alijs indigentibus commodius, & cum maiori suo lucro inseruire possint. Vt autem commodiùs hanc artem exercere possint; decreuerunt simul conuenire in certis locis, certis temporibus, & facere quasdam nundinas, in quibus fiunt solutiones pecuniarum, vel de nouo alia debita contrahuntur, & denique reddunt rationes dati, & accepti, & pecuniæ denuò creduntur, vel accipiuntur re ipsa, vel per chirographa & singraphas: immò totum ferè huiusmodi negotium sine pecunijs transigitur solùm datis, & acceptis chirographis, & singraphis.

Nundinæ sunt 4.

288 Huiusmodi autem nundinæ sunt quattuor. Primæ appellantur Nundinæ apparitionis: quia fiunt post festum apparitionis Domini, aut paulò post. Secundæ vocantur Nundinæ Paschatis: quia celebrantur mense Maij in quem solet incidere Pascha Pentecostes. Tertiæ appellantur Nundinæ Augustinæ: quia celebrantur mense Augusti. Quartæ dicuntur Nundinæ omnium Sanctorum: quia celebrantur paulò post Festum omnium Sanctorum. Istæ autem nundinæ distant ab inuicem tribus mensibus, ex quo fit vt cũ cambium dicitur fieri ad primas nundinas, intelligatur fieri ad tres menses: cum dicitur fieri ad secundas nundinas intelligatur fieri ad sex menses: Cum dicitur fieri ad tertias nundinas intelligatur fieri ad nouem menses: & cum fit ad quatuor nundinas intelligatur fieri ad 12. menses. Sæpè etiam dantur pecuniæ vno in loco, vt soluantur in alio loco, in quo nundinæ non fiunt, tamen fingunt mercatores, ac si ibi fiant nundinæ: quia præfigunt tempus idem ad soluendum pecunias, quod intercedit inter nundinas ipsas. Vndè solet dici pecunias dari, vel accipi ad primos terminos, vel secundos, vel tertios, hoc est ad tempus trimestre, vel semestre, vel longius, in quo primæ, vel secundæ, vel tertiæ Nundinæ celebrentur.

An huiusmodi cambiũ ad Nundinas sit licitum.

Prima opinio, quod sit illicitũ.

289 Est modò dubium, an huiusmodi cambium sit licitum, & nummularius possit ex huiusmodi cambio pecuniam, & lucrum aliquod recipere. Aliqui cambium huiusmodi dicunt esse siccum, & dicunt esse illicitum: quia tale cambium videtur esse mutuum permutatione palliatum. Nam e. g. Titius in huiusmodi cambio dat Caio pecunias, vt eas post aliquod tempus recipiat cum lucro; in hoc cambio autem non videtur recipi lucrum ratione loci magis, vel minùs distantis; sed ratione temporis maioris, vel minoris, ad quod solutio differtur, plus enim soluit, qui accipit ad cambium ad secundas nundinas, quàm qui ad primas, & sic de alijs.

Opinio apposita est vera.

Nihilominus communior pars Doctorum hæc cambia esse licita, & non vsuraria esse sustinet, vt Conradus de contractibus, quæst. 99. conclusione quarta. Ioan. Medina de Vsura, quæst. quarta, de cambijs. Soto 6. de iustitia, quæst. decima, articulo primo. Caietanus in Opusculo de cambijs, cap. primo, & sexto. Nauarrus in Manual. cap. 17. nume. 289. Molina disputat. 405. qui alios citat, & sequitur Azorius tertia parte, lib. 10. cap. 8. & 9. & alij. Ratio est, quia re vera in hoc cambio est permutatio pecuniæ de loco ad locum, & talis permutatio est multum vtilis Reipublicæ, & priuatis personis; & proinde quando sine fraude fiunt huiusmodi cambia, & seruatis conditionibus Bullæ Pij Quinti, de qua infrà, & iusto pretio, quod est illud, quod secundùm consuetudinem currit, ablatis fraudibus Monopoliorum, & si quæ aliæ sunt, licita sunt.

290 Neque huiusmodi cambia prohibentur per Bullam Pij Quinti, sed declaratur quibus pactis, & conditionibus fieri debeant, vt licita sint.

Conditiones cãbiorum ex Bulla Pij V.

291 Pro cuius notitia sciendum est Pium Quintum in Bulla quadam incipiente. *In eam pro nostro Pastorali, &c.* Relata à Nauarro in Manual. capit. decimo septimo, numero 300. Statuisse quasdam conditiones in huiusmodi cambijs ad nundinas sine quibus talia cambia sunt illicita.

1. Cõditio.

Prima habetur in illis verbis. *Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur; & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca, cambia celebrare simulant, ad quæ loca, ij, qui pecuniam recipiunt litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt transacto tempore vndè processerant, inanes referantur.* Per hanc clausulam declaratur cambium siccum esse illicitum. Nam re vera cambium siccum, idest illud, in quo re uera nulla fit transportatio, nec solutio pecuniæ in alio loco, sed quis mutuat pecuniam in vno loco, & eam ad sex menses recipit in eodem loco cum lucro, quod reciperet, si re vera fuisset factum cambium reale, est mutuatio pecuniæ cum lucro, quæ est vsura manifesta palliata nomine cambij.

292 Ex quo datur intelligi abusum illum campsorum tolli, quo e. gr. Titius egens pecunia Romæ accipit à Caio Romę 100. ducatos, vt eos soluere faciat eidẽ Caio Lugduni; Lugduni tamen ipse Titius, nec nũmos, nec respondentes habet, sed Caius illi offert suum procuratorem proprium, vt puta Seium, qui pro ipso Titio soluat ipsi Caio illos centum ducatos; Caius hoc acceptat, & Titius scribit litteras illi procuratori Seio, vt suo nomine soluat Caio suo domino centum ducatos, & dat literas Caio, vt mittat; Caius accipit literas, sed non mittit Lugdunum: (quia forsan sic conuenerant simul) vel si mittit nihil operantur; sed Caius in exitu sex mensium fingit se recepisse literas à Seio suorum negotiorum procuratore, quibus asserit se non habuisse pecunias quas solueret ipsi Caio pro Titio, sed coactum fuisse accipere illos centum ducatos ad cambium, vt solueret ipsi Caio pro Titio; & sic Seius procurator Caij facit Titium debitorem suum 100. ducatorum, & interesse duplicis cambij, & ordinat Caio, vel alicui alteri mercatori, vt hanc pecuniam exigat à Titio suo nomine: adeò quòd Titius spatio sex mensium pro 100. ducatis soluit primum pretium cambij Romæ; deinde Lugduni aliud pretium alterius cambij, quod accepisse Seius se fingit, vt solueret illos 100. ducatos Caio, & sic ex illis duobus cambijs fictis, & vacuis, soluit bis pretium cambij, quod nullum fuit. Hoc cambium est manifestum mutuum cum lucro sub specie, & nomine cambij: ideò est Vsura cum obligatione ad restitutionem.

293 Obseruandum est tamen, quòd si re vera Seius Lugduni acciperet illos centum ducatos ad cambium, & solueret re vera eos Caio pro Titio, aliunde quàm ex pecunia Caij, & quando Caius dedit illos centum ducatos ad cambium Titio, & obtulit illi suum procuratorem Seium, qui pro ipso Titio solueret illos centum ducatos, vel ex sua propria pecunia Seij, vel ex aliqua alia sumpta ad cambium; re vera dedit Romæ centum Titio, vt sibi re vera soluat Lugduni, non esset vsurarius contractus; neque esset contra Bullam hanc Pij Quinti, quia sic re vera litteræ mitterentur, & non redirent vacuæ. Et istud dicitur ab Italis *Cambium con la riccorsa*, siue *cambio à recambio*. Sic tenent Nauarrus in Manual. cap. 17. num. 291. Azorius, tertia parte, libro decimo, capit. 9. quæst. secunda, cum multis Doctoribus ab eo citatis. Atque asserit congregationem quandam Cardinalium nomine Gregorij Decimitertij, respondisse huiusmodi cambium non esse vsurarium. — De cambio con la ricorsa.

Dixi autem notãter dũmodo Seius procurator soluat 100. ducatos Caio ex sua propria pecunia, vel ab alio ad cãbium accepta, & non ea pecunia domini sui Caij: quia si solueret ex pecunia Caij, iam hic non esset cambium, sed mutuatio cum lucro, vt dictum est, & patet, & ipsemet Azorius vbi suprà cum alijs aperiè ostendit.

294 Secunda conditio habetur in illis verbis. *Sed, & in ipsis cambijs, quæ realia appellantur interdum (vt ad nos perfertur) campsores præstitutum solutionis terminum lucro ex tacita, vel expressa conuentione recepto, seu etiam tantummodo promisso differunt.* Hæc particula declarant prorogationem solutionis vltra tempus debitũ ob lucrum esse vsurariam: quia lucrum illud exigitur ratione dilationis temporis, & sic est mutuum cum lucro, quod est vsura e. g. Titius nummularius dat Caio Romæ pecunias ad cambium, vt soluat Lugduni ad tres menses: quia verò Caius maius lucrum promittit Titio si præfixũ solutionis tempus longiùs protrahatur Titius protrahit, & sic maius lucrum accipit. Pontifex damnat huiusmodi Cambia in quibus ratione maioris, vel breuioris temporis maius, vel minus lucrum accipitur. Neque sunt audiendæ excusationes, quas adducunt Campsores quò ad hanc partem quia clarissimum est, quòd — 2. Cõditio.

ratione

ratione dilationis temporis non potest maius lucrum accipi.

3. Cõditio.

295 Tertia conditio habetur in illis verbis. *Statuimus, ne deinceps quisquam audeat sine a principio, sine alias certum, & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci.* Per hanc conditionem Pontifex damnat pactum quoddam, quod solent campsores facere in cambijs, exempli gratia solent numularij dare pecunias Romæ, vt soluantur sibi in Hispania ad primas nundinas eo pacto, vt si is, qui recipit, non soluerit eas præstituto tempore, reddere debeat certum lucrum, quod statim taxatur. Hoc pactum damnat Pontifex, & meritò: quia satis est, quòd interesse, & lucrum numularij soluatur sibi post moram debitoris, non ante illam: quia si ante moram soluatur possunt fieri, & accidere multæ fraudes, cum nondum certò constare possit quantum sit interesse, quod patitur numularius propter moram solutionis. Et semper creditor habet ius in iudicio procedendi contra debitorem existêtem in mora. Denique cum lucrum numularij ex cambio sit incertum, iniquum est statuere, & pacisci de certo lucro.

4. Cõditio.

296 Quarta conditio habetur in illis verbis. *Neque Realia cambia aliter, quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi verò non celebrantur, pro primis terminis, iuxta receptum locorum vsum exercere, abuso illo prorsus reiecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis, siue terminis exercendi.* Hæc conditio est clara, nec eget declaratione, ponitur enim ad vitandum lucrum ratione temporis, quod, vt suprà dictum est, est vsura.

5. Cõditio.

297 Quinta conditio habetur illis verbis. *Curandum autem erit, in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, nedum longiores præfigunt, quam loca destinatæ solutionis desiderant, fænerandi detur occasio.* Hæc etiam conditio est euidens, & pertinet ad statuendum iustum pretium trãsportationis pecuniarum; neque enim tantum campsor debet pretium sumere ex cambio Roma Genua, quàm Roma Toletum, & sic de alijs.

Ad rationes contra hæc cãbia ad nundinas.

298 Hinc ad rationes suprà adductas contra hæc cambia ad nundinas respondetur, quòd etsi Gofredus, Hostiensis, & alij cap. 6. *in ciuitate tua*, de vsuria hæc cambia tanquam vsuraria improbauerint: quia dixerunt esse mutuationes cum lucro; tamen verior est opinio posteriorum Doctorum, qui asserunt huiusmodi cambia non esse mutuationes, sed veras permutationes pecuniarum, præsentium in absentes, & reduci ad contractum innominatum, *do vt des*, vt suprà diximus, & habent annexam locationem transportationis pecuniæ à loco ad locum, quæ est pecunia appreciabilis: ideò cum seruatur æqualitas pecuniæ in dando, & accipiendo, & iustum pretium transportationis pecuniæ de loco ad locum, sunt licita, & vtilia, vt diximus suprà. Et licèt sint periculosa propter auaritiam hominum, tamen, si seruentur conditiones Bullæ Pij Quinti, non videtur adesse periculum. Vnde ad argumentum in contrarium respondetur, quòd in his cambijs non accipitur lucrum respectu temporis, licèt fiat ad primas nundinas, &c. sed respectu loci. Intercedit verò illud tempus ex accidenti, quia pecunia distans non potest reddi statim: ideò opus est dilatione temporis. Vndè solutio maioris lucri ad tempus longius est prohibita per Bullam Pij Quinti, vt vidimus. Pretium etiam cambij debet proportionaliter fieri secundum distantiam locorum: ideò, his seruatis, cambia ista erunt licita.

De cambio ratione tẽporis. Cambium siccum q.d.

299 Tertia species cambij est ratione temporis, vt suprà diximus, scilicet cum quis dat pecuniam in vno loco, vt purà Romæ, vt ad tres menses, vel quattuor aliam soluat Romæ. Hoc cambium ex sua natura est cambium siccum, & illicitum: quia est re vera mutuum cum lucro; non autem permutatio vlla pecuniæ in pecuniam absentem: ideò ex natura sua, & ex Bulla Pij Quinti est damnatum.

300 Ex dictis patet quæ sint ea, quæ ad iustitiam contractus cambij requiruntur: ideò secundum has regulas debet iudicari de casibus particularibus occurrentibus: quæ enim ad præscriptas regulas fiunt sunt licita, quæ secus sunt illicita.

Depriuatis personis, quæ dant mercatoribus pecunias ad cambium.

Cum autem cambium huiusmodi sit contractus licitus, licet omnibus illud exercere. Sed obseruandum est cum viduæ, & alij priuati homines dant suas pecunias numularijs ad exercendum in cambijs, vt singulis nundinis dent lucrum, hoc posse facere tribus modis, vno modo dando has pecunias numularijs in vim cambij. Secundo dando in vi societatis cum ipso numulario. Tertio tanquàm procuratori suo in exercitio cambiorum. Primo modo est vsura: quia illud propriè est mutuum cum lucro: quia numularius non accipit illas pecunias vt alibi eas soluat, sed vt soluat eodem loco, scilicet Romæ vbi eas accepit. Secundo modo verò licet, quia dans init societatem cum numulario; sed subest tunc legibus iustæ societatis, nimirum, vt capitale subsit periculo, & si amittatur danti ammittatur, & numularius exerceat cambium reale, non siccum. Tertio modo etiam licet, quia numularius tanquàm procurator exercet cambium; sed tunc quoque si capitale fortuitò pereat, perit ipsi danti, & domino.

Ratione lucri cessãtis potest numular. aliquid vltra sortem accipere.

301 Ratione etiam lucri cessantis potest numularius aliquid vltra sortem recipere, dummodo sit verum lucrum cessans, vt si exempli gratia, iam habeat in promptu cambire pecuniam ad nundinas, vel in alium locum, & rogatus ab amico mutuet illam pecuniam, & cesset à cambio, propter rationes superius adductas de lucro cessante: Quod est verum, licèt aliqui oppositum dicant; neque hoc prohibetur per Bullam Pij Quinti: quia non loquitur in casu lucri cessantis, sed in casu cambij, & propter alias rationes, quas Azorius libr. 10. capite 11. & alij alibi afferunt, quas breuitatis causa ommitto.

Obseruandum est etiam in cambio alios casus, qui vsu euenire solent in contractibus venditionis, locationis, mutui, vt damni emergentis, &c. accidere posse, & de eis esse iudicandum sicut iudicandum est de illis contractibus, & secundùm dicta superius. Nunc enim hic egimus solum de nuda natura contractus cambij, & iustitia illius.

De bancharijs.

302 Vltimo loco obseruandum est aliud esse numulariorum genus, quos Bancharios vocant, hi solent manere præsertim hijs in locis, in quibus mercatura exercetur, & eorum proprium munus est recipere mercatorum & campsorum pecunias, (qui tamen eorum bãnco suas pecunias consignare volunt,) & esse depositarios earum pecuniæ, soluere illas ijs, quibus soluendas ordinauerint, rationes dati, & accepti in libro habere, denique rationes illorum cum alijs expedire, & semper paratas habere. Huiusmodi Bancharij, priusquàm munus hoc accipiant, dant legitimam cautionem de fideli administratione, & de integra solutione, & restitutione pecuniarum acceptarum. Isti autem Bancharij non sunt simplices depositarij, & in hoc differunt à depositarijs communiter, quòd Bancharij sunt domini veri istarum pecuniarum. Vndè si pereant, illis pereunt, non illis, qui eas illis consignauerunt. Vndè fit vt flante fortuna aduersa in extremam paupertatem redigantur, cum iactura fideiussorum.

Bancharij duplicis generis.

303 Isti Bancharij autem sunt in duplici discrimine. Quidam pro huiusmodi officio nihil accipiunt à consignantibus pecunias suo banco, & eorum opera vti volentibus, sed magnas gratias Bancharij illis habent, quòd suo bãco suas pecunias consignare velint. Ratio est quia isti Bancharij ex multa illa pecunia consignata à diuersis suo banco multa lucrantur: quia dum mercatores, aut campsores illa non indigent, eam tradunt ad cambiũ, vel negotiantur merces emendo, & vendendo. & sic quãdoque ad tres menses magnũ lucrũ reportãt; licèt, vt dixi

quandoque aduersa fortuna flante, in extremam paupertatem redigantur. Alij verò sunt, qui pro hoc suo labore, peractis negotijs in singulis locorum nundinis, à mercatoribus, quorum negotia gesserunt, accipiunt aliquid, vt quinque pro centinario, vel millenario, prout moris est.

Bancherij quādo peccant.

304 Bancherij primi generis licitè possunt dare pecunias creditas ad cambium: quia sunt domini earum, & possunt illis vti licito modo, dummodo non adsit damnum depositarum; quando verò adest, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Vndè si pecuniam depositam in tanta quantitate dent ad cambium, vel in suis negotijs expendant, vt reddantur inhabiles ad soluendum tempore congruo, quæ depositores ordinauerunt, & petierunt, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem damni emergentis, & lucri cessantis. Peccāt etiam mortaliter, si ita exponant has pecunias negotiationibus suis, vt se exponant periculo deueniendi ad eam paupertatem, & statum, quo non possint soluere deposita; atque sic peccant, nedum quando sinistrè res accidit, sed etiam quando prosperè; ratione periculi deueniēdi ad statum, quo non possint soluere, cui se exposuerunt.

An sit licitū non soluere stipendium Bancherijs.

305 Sed dubium non leue hic consurgit. An licitum sit deponentibus pecunias suas apud hos Bancharios non soluere stipendium, & præmium suorum laborum eisdem Bancherijs. Aliqui videntur dicere teneri deponentes ad soluendum illud stipendium. Ratio est quia illud depositum est verè mutuum, vnde si illa pecunia pereat, perit Bancherio; pro mutuo autem deponens, seu mutuans non potest recipere aliquid supra sortē; at nisi mercator soluat stipendium ipsi Bancherio, vltra sortem recipiet seruitutem illam Bancherij, quæ est pecunia appreciabilis: ergo videtur teneri ad soluendum illud stipendium, ne sit vsurarius, & hoc videtur tenere Nauarrus in Man. cap. 17. num. 295.

Opinio Nauarri affirmatiua.

Opinio negatiua approbatur.

Molina disput. 408. oppositum tenet, & mihi eius opinio placet. Nam quando depositum est in commodum non solum deponentis, sed etiam depositarij; deponens potest pacisci cum depositario se nolle aliquid soluere pro custodia, & laboribus depositarij, sed velle sufficere lucrum, & commodum, quod ex illo deposito reportat, & præsertim quando plures sunt, qui optant huiusmodi depositionem fieri apud ipsos; illud enim cōmodum, quod reportant, debet illis sufficere pro stipendio suorum laborum; hęc enim depositatio non est pura depositatio, sed habet quodammodo rationem cuiusdam locationis pecuniæ.

Quantum ad Bancherios secundi generis omnes conueniunt licitè illos recipere competens stipendium pro suis laboribus. Ratio est: quia illi labores, & seruitus sunt pretio æstimabiles: ideò pro illis stipendium iustum recipere possunt. Iustum autem stipendium erit illud, quod consuetudine, vel lege aliqua, si aliqua sit, erit taxatum; sicut de pretio iusto in venditione diximus.

De censibus. *Caput Decimum.*

306 QVoniā, vt suprà diximus, census est contractus, qui prope ad venditionem, & emptionem accedit, postquàm egimus de cambio, quod est permutatio quædam, quæ est primus contractus, agendum est de censu, qui respondet venditioni, & emptioni, quod est secundus genus contractus principale. Dimissis autem pluribus acceptionibus istius nominis *census* apud Iurisperitos, quæ videri possunt apud Couarruuiam li. 3. variarum resolutionum ca. 1. nu. 1. Soto de iustitia & iure lib. 6. q. 9. art. 1. & recentiores passim, & parum ad rem faciūt: Census in præsenti accipitur pro pensione, seu reddito annuo, vel menstruo, vel alio simili ex re aliqua vtili, & fructifera. Vnde potest diffiniri sic. *Census est ius percipiendi pensionem aliquam ex re vtili, & fructifera.* Dicitur *ius* quoniā census non est res quæ censui subijcitur; nec res quæ soluitur, sed est ius exigendi pensionem, & reditum illum. *Dicitur percipiendi pensionem*, per *pensionem* autem intelliguntur fructus annui, vel menstrui, vel aliquo alio tempore, siue sint in pecunia, siue in aliqua alia re visibili. Dicitur *ex re aliqua vtili, & fructifera*, quia census nō potest creari super re sterili, & non fructifera. Alij addunt aliquas alias particulas in diffinitione census, sed illæ redundant, & istæ sufficiunt.

Quid sit censu s.

307 Duplex autem secundum omnes communiter est census. Alter dicitur census reseruatiuus. Alter dicitur census consignatiuus. Census reseruatiuus est quando aliquis cōcedit aliquam rem alteri, vt domum, fundum, vel quid simile fructiferum, & vtile, quò ad omne id, quod potest illud concedere, reseruando sibi certam pensionem seu redditum, quem accipiens tenetur soluere ex fructibus illius rei, vel in fructibus, vel in pecunia, vel in aliqua alia re, de quo habetur l. vltima Cod. de rerum permutatione, &c. & doctores in caput 6. *Constitutus* de religiosis domibus.

Census reseruatiuus quis.

308 Hic census habet quandam similitudinem cum emphiteusi, sed tamen ab illa differt. Habet similitudinem: quia tam in censu reseruatiuo, quàm in emphiteusi, conceditur aliqua res fructifera alteri, cum reseruatione alicuius rei. Sed differunt quia in emphiteusi confertur vtile dominium alteri tantum, sed reseruatur dominium directum ipsi concedenti; at in censu transfertur vtrunque dominium, scilicet vtile, & directum, & ex hoc fit, quòd, si emphiteuta non soluit pensionem debitam, incidit in comissum, idest ammittit dominium vtile in rem datam in emphiteusim: censualis verò, si non soluat pensionem, non incidit in comissum, idest non ammittit dominium in rem datam, super quam fundatur census, sed solum cogitur ad soluendum fructus, & pensiones omissas, & debitas, vt patet ex cap. 6. *Constitutus* suprà citato. Ex hoc etiam oritur altera differentia, quę est, quòd emphiteuta non potest vendere rem emphiteoticā irrequisito domino, alioquin cadit in comissum; & pręterea tenetur soluere laudemium ipsi proprietario: censualis verò potest vendere rem censualem irrequisito domino, cui census debetur, neque tenetur illi ex pretio soluere laudemium.

Similitudo, & discrimen inter emphiteusim, & censum.

309 Dubium verò est, an quandocumque dubitatur an contractus aliquis sit emphiteuticus, an censualis, quid sit dicendum. Respondetur, iudicandum esse ex circunstantijs appositis, an sit emphiteuticus, vel censualis; regulariter autem, quando aliquid datur in emphiteusim, solent apponi hæ particulæ, do tibi hanc rem, ad tertiam, vel quartam generationem, &c. vt mihi soluas pensionem talem. In contractu autem censuali dicitur, do tibi hanc rem, & quidquid iuris habeo in illa, in te transfero, vt quotannis, &c. soluas mihi talem pensionem. Quando verò non adsunt tales particulæ, videndum est, an in tali regione contractus censualis, an emphiteuticus sit in vsu. Quòd si hoc etiam sit dubium, Doctores variant. Couarruuias tamen libr. 3. variarum resolutionum caput 7. num. 1. Nauarrus in Comment. de vsuris nume. 109. quos sequuntur Molina disput. 381. & Azorius libr. 10. cap. 3. dicunt iudicandum esse censualem: quia pœna est restringenda non ampleanda, & in dubio melior est conditio possidentis: ideò debet sententiari ad fauorem possidentis, etiam si sit cum Ecclesia initus, contra quosdam alios, qui asserunt, quando est initus cum Ecclesia, ad fauorem illius esse iudicandum emphiteuticum.

Quid cum dubitat an contractus sit emphiteutic. vel censualis.

310 De censu in hac significatione non occurrit aliud dicendum; neque enim est multum in vsu in rebus temporalibus: in spiritualibus verò frequentes. Non est autem periculum aliquod in hoc contractu vt interueniat simonia, vt ait Panormitanus in caput 6. *constitutus*, de religiosis domibus numer. 12. quia faciens hunc censum reseruatiuum liberè donat, & consignat reliquum rei fructiferæ, super quam fundatur

In censu reseruatiuo non potest esse simonia.

census,

censũs, ei qui soluere debet centum, absque vlla recompensatione, & proinde non potest adesse emptio aliqua rei sacræ.

De censu consignatiuo.

311 Census consignatiuus est, de quo in præsenti occurrit sermo, & est, quando aliquis consignat aliquam pẽsionem, vel redditum annuum, vel menstruum super aliqua sua bona, retinendo illa bona sibi quò ad dominium tam vtile, quàm directum.

Ad quem cõtractum reducatur census.

Est autem contentio inter doctores ad quam speciem contractuum principalem census reducatur, an ad venditionem, & emptionem, vel ad mutuum, vel ad permutationem, vel ad aliquẽ alium; sed communior sententia est reduci posse ad diuersos cõtractus, prout diuersis titulis conficitur. Si pensio illa, & redditus concedatur alicui pecunia, & pretio, vt regulariter fit, est species venditionis, & emptionis. Si autem concedatur gratis, & donatione, est donatio. Si concedatur per permutationem alicuius alterius rei, est permutatio, & reducitur ad contractum *do vt des*, & sic de alijs. Quia verò regulariter huiusmodi pensiones, & census conceduntur per pecuniam, & venduntur, ac emuntur: ideò ad venditionem, & emptionem communiter redducitur.

Diuersæ species census consignatiui.

312 Diuersæ autem assignantur species istius census, quæ etsi competere possint etiam censui reseruatiuo: tamen quia hic census consignatiuus, vt dixi, est magis in vsu, de illo specialiter assignantur. Conradus ergo de contractibus quæst. 72. quem Soto lib. 6. de iustitia q. 5. art. 1. citat, & cum alijs posterioribus sequitur, assignat quatuor diuisiones, ex quibus oriuntur 8. species census.

Census realis quis.

Prima est respectu rei, super quam fundatur census. Vel enim est res vtilis, & fructifera, vt fundus, prædium, &c. & dicitur census realis.

Cẽsus personalis qui.

Vel est persona aliqua ex qua cum habeat artem, industriam, operam, & vires est vtilis, & potest afferre commodum, vel vtilitatem, & tunc dicitur census personalis. Secunda diuisio sumitur penes pensionem, quæ soluitur, vel enim est pecunia, & dicitur census pecuniarius.

Cẽsus pecuniarius qs. Census fructuarius qs.

Vel sunt fructus aliqui, vt vinum, triticum, oleum, & huiusmodi, & dicitur census fructuarius. Tertia diuisio est penes tempus: nam vel non habet tempus limitatum, sed perpetuum, nec finitur per mortem venditoris, vel emptoris, sed transit ad hæredes, & dicitur census perpetuus.

Census perpetuus qs. Census tẽporalis qs. Cẽsus redimibilis qs.

Vel habet præscriptum tempus, vt ad decem, vel viginti annos, & simile, & illo complecto soluitur census, & dicitur census temporalis. Quarta diuisio est penes pactum; aut enim redimi, & extingui potest ex pacto, aut non potest. Primo modo dicitur redimibilis, & hic triplex esse potest, vt videbimus; scilicet vel in gratiam venditoris tantum, ita quòd solus venditor potest soluere illum; vel in gratiam emptoris tantum, vel in gratiam vtriusque. Et rursus vel est redimibilis intra certum tempus, quo elapso amplius redimi non possit, aut est cum pacto, vt quocumque tempore, etiam in perpetuum, possit redimi, & hic census dicitur redimibilis.

Census irredimibilis quis.

Secundo modo dicitur census irredimibilis.

An census realis sit licitus.

313 Circa censum realem tam temporalem, quàm perpetuum fuit iam grauis difficultas, An sit licitus. Nam etsi omnes semper conuenerint licitum esse creare censum annuum, vel menstruum, & huiusmodi super sua bona; atque illum iam creatum alteri deinde posse donare, permutare, &c. tamen dubium fuit, An de nouo possit creari, & vendi. De prima parte nulla vnquam fuit dubitatio: quia clarum est, quòd sicuti quis potest vendere, donare, & alienare sua bona ad tempus, vel in perpetuũ; ita potest partem illorum alienare donando, vendendo, permutando, &c. ad tempus, vel in perpetuum.

1. Ratio.

314 Quantum verò ad secundam partem Henricus de Gand. quolib. 8. qu. 24. & quolib. 1. qu. 39. Innoc. Ioa. And. in capite 6. *in ciuitate tua*. de vsuris, & Salicetus in Auth. Ad hæc, de vsuris. Qui citat Gregorium Ariminensem, & alij citati à Soto lib. 6. de iustitia quæst. 5. artic. 1. dixerunt, quòd etsi census iam facti, & constituti possint deinde vendi propter rationes nunc suprà adductas ad primam partem; tamen non possunt de nouo institui, & simul vendi. Primò quia inquiunt, quòd talis creatio, & venditio census est mutuatio pecuniæ vsuraria. Nam est ac si quis mutuet 100. exempli gratia alicui, & donec restituat 100. pro pignore, & Hippoteca tradat fundum, vel rem illam fructiferam cum fructibus. Videtur ergo esse mutuatio palliata sub nomine venditionis cum lucro fructuum ex ea.

Confirmatur.

Confirmatur: quia in venditione, & emptione debet distingui merx à pretio, l. 1. *origo emendi §. sed an sine nummis* versu *si aliud est pretium*, ff. de contrahenda emptione. At in censuali contractu non distinguitur merx a pretio, sed nummi nummis emuntur. Probatur assumptum, quia in censuali contractu videtur dari pecunia aliqua, vt eadem restituatur per partes cum lucro. Nam exempli gratia, Titius dat ducentum aureos, & emit pensionem decem aureorum quotannis; spatio 20. annorum recipit totam illam pecuniam, qua emit pensionem, & insuper centum aurei sunt sibi restituendi, si census sit soluendus: ergo census videtur esse mutuatio quædam pecuniæ reddendæ per partes cum lucro.

2. Ratio.

Præterea si contractus censualis esset venditio, & emptio, sequeretur quòd vel fundus, seu res fructifera, venderetur, vel ius percipiendi fructus, ex illo fundo; ac neutrum venditur: ergo. Maior est euidens. Minor probatur: quia non venditur fundus cum remaneat apud vẽditorem quò ad vtrumque dominium directum & vtile. Neque ius, quia ius est ens rationis, quod non est tanti valoris, ut tanta pecunia emi debeat.

3. Ratio.

Præterea in venditione, & emptione debet seruari æqualitas, ex dictis suprà in materia de venditione; at in censuali contractu, dato quòd sit venditio, & emptio non seruatur hæc æqualitas; quoniam id, quod redditur, est multò plus, quàm id, quod venditur. Nam exempli gratia quis emit pẽsionem annuam decem aureorum centum aureis; spatio 15. annorum reddit 150. aureos, & adhuc debet restituere integram sortem, s. centum aureos: ergo hic non est æqualitas, & consequenter est contractus iniustus.

4. Ratio.

315 Quartò ex censuali contractu multa mala oriuntur: ergo est illicitus. Antecedens probatur. Primò, quia qui emunt huiusmodi census, viuere volunt de alieno labore in suo proprio otio; ex quo vlterius sequitur, quòd terras non colant, neque exerceant negotiationes vtiles Reipublicæ. Præterea qui census vendunt depauperantur valdè, grauando bona sua huiusmodi annuis redditibus, quos singulis annis soluunt. Præcluditur etiam via charitati: quia, cum quis petit mutuo, statim ei dicitur, vt censum faciat, & vendat, & similia.

Opposita sentẽtia vera.

316 Ex altera parte communior est sententia Theologorum, & Iurisperitorum, atque vsu recepta, contractum censualem, tam perpetuum, quàm temporalem esse licitum. Hanc sententiam tenent in primis Abbas cap. 6. *in ciuitate tua*. de vsuris, & in suis qq. q. 91. Conradus de contractibus quæst. 79. & 80. Medina de vsuris, in quæst. 9. de censibus quæst. 2. & quæst. vltima. Soto libr. 6. quæst. 5. artic. 1. Gabriel Biel in 4. distinct. 15. quæst. 12. Maior in 4. distinct. 15. quæst. 43. & 44. Nauarrus in capit. 14. quæst. 3. a numer. 69. Couaruuias libr. 3. variarum resolut. capit. 7. Et recentiores Molina disput. 385. Azorius libr. 10. cap. 4. qui alios multos citant; atque de hac re his temporibus nulla est dubitatio: quia huiusmodi contractus censualis approbatus est per constitutiones Pontificias Martini V. Calixti III. Nicolai V. & demum Pij Quinti.

Ratio fundamẽtalis.

317 Rationes plures pro hac sententia assignantur, sed illa est principalis, quæ suprà adducta est ad primam partem. Nam cum vnusquisque sit dominus rerum suarum, & possit eas pro libito vendere, & alienare in totum, vel in partem prout libuerit; certè nulla est ratio, propter quam non possit eas ex parte vendere, & alienare. At creatio census super rem aliquam, & venditio illius, est vendere, & alienare

partem suorum bonorum: ergo licitè potest fieri hic contractus. Maior est euidens. Minor quoque patet ex forma contractus censualis, quòd enim in hoc contractu non interueniat mutuum, patebit ex solutione rationum aduersariorum.

Confirmatur. 318 Confirmatur: quia aduersarij confitentur censum posse donari, non autem vendi; at certè si potest donari: ergo potest quoque in dotem Genero dari, vt ait Soto, & cuicunque alteri pro seruitio, vel pro pretio.

2. Ratio. 319 Præterea licitum est emere vsũfructum alicuius agri, vel rei fructiferæ de nouo vt patet; huiusmodi enim emptio, est emptio iuris domini in fructus illius rei; at cõtractus censualis est venditio partis iuris, quam dominus habet super fructus illius rei: ergo est licita.

Idem verũ est de censu pecuniario. 320 Quod autem aliqui dicunt licitum esse emptionẽ fructuum, non autem nummorum siue pensionis pecuniariæ, est nullius momenti, vt prædicti doctores docent. Quoniam fructus ipsi sunt pecunia æstimabiles: ergo idẽ est emere fructus, quos emptor vendere vult, & vendit, ac emere pecuniam qua illi fructus æstimantur.

Ad primũ argumentum aduersariorum. 321 Prædicta aũt veritas adhuc magis cõfirmatur, ex solutione argumentorũ cõtrariæ partis, præsertim primi.

Ad primum ergo dicitur contractum censualem multum differre à contractu mutui, & proinde falsum esse in contractu censuali includi mutuum sub palliatione aliqua venditionis. Nam duæ conditiones præcipuæ sunt in mutuo, quæ non interueniunt in censuali contractu. Prima est quòd mutuans in potestate, & arbitrio suo habet repetere quandocunque voluerit pecuniam datam mutuo; at in censuali contractu, emens censum non potest repetere pecuniam, & sortem principalem, qua emit pensionem, sed solùm est in potestate vendentis reddere, quando voluerit. Secunda conditio principalis est, quòd qui dat mutuum alicui, semper habet ius super personam mutuatarij facta quacunque mutatione in rebus mutuatarij; at in censuali contractu, si perit res illa super quam fundatur pensio; licèt vendens pensionem habeat alia bona, remanent liber ipse, & illa alia bona à solutione pensionis.

Opinio Soto & aliorũ quod pereũte fundo cẽsualis teneatur ad pensionem reijcitur. Quod enim aiunt Soto, Couaruuias, & nonnulli alij vbi suprà, quòd pereunte re super quam fundatur census venditor personaliter remaneat obligatus, & cogatur cẽsum soluere, est omninò falsum; & pugnat cum ratione: quia, qui censum facit, se obligat quidem soluere censum, & seruare rem subiectam censui quò ad euictionem, at non se obligat rem illam perpetuam, stabilemque facere: ideò si perit, emptori perit. Vndè eorum fundamentum, quòd in reali censu implicitè contineatur census personalis, ruit: ideò patet contractum censualem non esse mutuum.

Ad confirmationem. 322 Ad confirmationem respondetur in censuali cõtractu id, quod venditur, & habet rationem mercis, esse ius percipiendi illos fructus ex re fructifera: ideò negatur in contractu censuali nummos nummis emi. Ad probationem respondetur, quòd sicut qui emit prædium certa quadam pecunia finita, vt puta mille aureis, ex quo quotannis sumit fructus valoris quinquaginta aureorum non potest dici dedisse pecuniam, vt illi per partes reddatur, ita neque in proposito: quia sicut illa est emptio iuris proprio ris domini super rem illam fructiferam; ita in censu est emptio iuris exigendi illam pensionem ex prædictæ rei fructibus.

Ad secundum. 323 Ad secundum respondetur ex eodem fundamento: nam verum est quòd fundus non venditur, nec emitur, sed remanet venditori: nec obest, quòd si fundus perit, perit in damnum ementis: quia hoc non euenit, quia censualis contractus sit venditio fundi, sed quia fundus est materia super quam fundantur pensio, & fructus: ideò illa materia, & subiecto destructo, seu fundamento ablato, ex quo fructus, & pensio emanat, æquitas vult quòd obligatio in vendente censum illum cesset. Ex quo etiam patet, quòd non est venditio fundi cum pacto retrouendendi, vt aliqui putarunt; sed est vẽditio solius iuris super illos fructus, vt dictum est. Et cum arguitur, quòd ius illud est ens rationis, quod non est tanti pretij. Respondetur hanc futilam obiectionem esse, nam principatus, dominationes, & iura regnorum non sunt nisi entia rationis, & tamen tantum valent, & æstimantur, quantum omnes sciunt. Respondetur ergo illud ius non considerari in se entitatiuè, sed in ordine ad pẽsionem ipsam fructuariam vel pecuniariam, quæ habet suum proprium valorem, & ratione illius æstimari; & proinde tantum valet, quantum illa pecunia, & redditus pensionis.

324 Ad tertium respondetur falsum esse non adesse æqualitatem ea ratione: quia si illud argumentum valeret, sequeretur, quòd neque etiam, cum quis liberè emit aliquod prædium finita pecunia, vt mille aureis, non seruaret æqualitatem, quia prædium illud potest fructificare in perpetuũ, seu in infinitum; neque tamen valor ipsius prædij est infinitus. Est ergo dicendum illud esse pretium iustum in censuali contractu secundùm omnes, quod est in vsu, & secundùm consuetudinem seruatur, vel lege aliqua statutum est. Vbi obseruant Medina quæst. 2. citata, & alij, quos sequitur Molina disp. citata 385. num. 18. & supponit Soto lib. 6. quæst. 5. ar. 2. cum alijs, & rectè, quòd in iudicando iusto pretio emptionis, pensionis, & census, non debent considerari redditus illi annui, ita quòd tantum debeat emi, quantum valet res, quæ similem pensionem reddit quotannis, vt e.g. si prædium reddens quotãnis quinquaginta, valet mille aureos, nũ est necesse illam pensionem quinquaginta reddẽtem emere mille aureis. Et ratio est quia prædia, & res fructiferæ regulariter non reddunt fructus iuxta eorum valorem; quoniam aliquando domus, quæ valet mille aureos, nõ reddet pensionem triginta aureorum, & è conuersò alicubi vinea, quæ iustè emitur mille aureis, iustè locabitur 80. aureis. Et rõ principalis est, quia, vt diximus suprà agendo de pretio iusto in venditionibus; pretium crescit, & decrescit ex multitudine, & paucitate emptorum, & ex consuetudine locorum, & ex legibus superiorum: ideò iuditium ex his est petendum, non ex reddituu ipsarum rerum. — *Ad tertiũ.* — *Quod sit iustum pretium venditionis cẽsus.*

325 Ad quartum respondetur ea mala, & absurda, quæ reputantur mala, & absurda in argumento, non minus sequi ex iusta prædiorum emptione ab his, qui pecunia indigent, quàm ex contractu censuali. Qui enim pluribus prædijs abundant, possunt viuere in otio, sudore, ac labore aliorum. Hi etiam, qui prædia liberè vendunt, faciliùs, & citiùs in paupertatem rediguntur, quàm qui census faciunt, maximè si census redimibiles sint. Quare cum iusta prædiorum, & aliarum rerum fructiferarum venditio non sit illicita, neque illa ponat obicem charitati; ita neque censuales contractus. Quare cum census fiunt cum requisitis conditionibus, de quibus infrà explicando cõditiones Bullæ Pij Quinti, non videtur esse ratio vlla cur quis à censuali contractu abstinere cogatur. — *Ad quartũ.*

326 Hæc, quæ dicta sunt, probant censum realem esse licitum de iure communi antiquo, tam illum, qui est perpetuus, quàm temporalem; tam fructuarium, quàm pecuniariũ, tam redimibilem, quàm irredimibilem. De personali verò, etsi de iure diuino, naturali, & positiuo sit verum esse licitum, vt plurimi doctores sentiunt, & ratio conuincit, quando opera alicuius sunt æstimabilia pecunia, vndè videmus operam serui locari, & ipsum hominẽ liberum posse se ipsum vendere; & pereunte persona cessare censum, nec transire ad hæredes: quia pereunte re super quam fundatur census, soluitur census; vndè census personalis perpetuus nõ potest dari: quia persona est mortalis. Neque etiam si sit Hippotecatus aliquibus bonis: quia est contra naturam emptionis, vt res empta venditori pereat, & non emptori: ideò cum perit persona, super quam census fundatus erat, perit census, nec transire potest ad hæredes: quia Hippoteca valet, donec persona viuit, non autem post mortem; tamen census personalis, & realis perpetuus iure Ecclesiastico nouo sunt prohibiti, vt ex cõ- — *De censu p̃sonali an sit licitus.*

ditioni-

ditionibus assignatis in Bulla Pij V. patebit, ex qua plurima dubia circa materiam censuum declarantur.

Bulla Pij V. de censibus.

327 Pius Quintus ergo in Bulla, quæ incipit *Cum onus Apostolicæ seruitutis*, quam adducit Nauarrus ad verbum in Man. cap. 17. numero 234. statuit quasdam conditiones, quarum aliqua si ommittatur, census est illicitus, quæ quidem conditiones fusè explicatæ sunt à Nauarro in Com. de vsuris, & à recentioribus Molina, Azorio, & alijs, ego in breuiter de illis agā. Istæ cõditiones cõtinētur 15. clausulis. Prima est hæc. *Hac igitur nostra constitutione statuimus censum seu annuum redditum creari constitui ve nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, & de sui natura fructifera.* Per hanc conditionem primò prohibētur census personales; neque enim persona est res immobilis, neque pro immobili habetur cum sit res se mouens, & mortalis quàmmaximè.

328 Difficultas est, An per hanc conditionem, & particulam prohibeatur census vitalitius, qui ad vitam emptoris, vel venditoris, vel alicuius tertij fieri solet, ita quòd finita vita illius, census extinguatur omninò quò ad fructus, & quò ad capitale. Hic est distinguendum, vel enim est sermo de censu vitalitio secundùm ius naturæ, & scriptum antiquum. Vel secundùm ius nouum. Primo modo sunt opiniones. Communior sentētia Theologorum Gabrielis in 4. d. 15. quæst. 14. art. 2. Maioris ibidem quæst. 44. Soto lib. 6. quæst. 5. art. 2. & aliorum Canonistarum in cap. 6. *in ciuitate tua*, de vsuris Iuristarum verbo *vsura* 1. & aliorum quos adducit, & sequitur Azorius lib. 10. cap. 17. quæst. 7. est huiusmodi censum esse licitum, & ratio est quia tam emptor, quàm venditor sunt in æquali spe, & in æquali incertitudine; vbi autem hæc adsunt, cõtractus permittuntur cap. 19. *naviganti* end. tit.

De censu vitalitio secūdùm ius antiquum.

329 Molina disp. 388. num. 4. & 389. num. 3. dicit censum vitalitium nedum realem, qui est ille, qui fundatur in re fructifera immobili ad vitam alicuius, sed etiam vitalitium personalem, qui fundatur in persona non in re fructifera, licèt cum Hippoteca bonorum, & etiam illum qui est sine Hippoteca, esse licitum; sed tamen difficultatem ait esse quò ad iustum pretium taxandum, quod quia (inquit) raró iustè taxatur, euenit, vt sæpe huiusmodi census sint vsurarij, & prohibeantur etiam à Pio Quinto. Iustum autem pretium in censu personali erit, quod erit æquale pensionibus, quæ plus minus sperantur recipiendæ; in censu vitalitio verò reali hanc regulam non esse seruandam dicit, sed standum esse consuetudini regionis, & iudicio prudentis viri, attenta ætate, complexione, & periculis vitæ eius, pro qua census personalis vitalitius emitur; non esse autem attendēdum ad vltimum terminum, ad quem naturaliter, vel moraliter peruenire potest vita eius, in quam conceditur, sumendo dimidium annorum, qui sunt à die à qua census vitalitius incipit, vsque ad terminum eiusdem vitæ; ita vt pretium sit, quod in quantitate adæquet pensiones medietatis omnium annorum: qa sępe sequeretur, vt pluris emeretur census vitalitius, quàm perpetuus, quod est iniustum. Consequentia probatur, quia si qui emit cēsum vitalitium decem ducatorum annualium, sit 20. annorum, & speretur viuere 80. annos, medietas annorum quos victurus esse speratur, erunt 30. deberet ergo emere annuum illum redditum decem aureorū 300. aureis. Atque adeò ad rationem 30. pro vno; at annuus census perpetuus solet emi regulariter 100. aureis, vel 150. plus minus; nimirum ad rationem decem pro vno: decē enim aureis, emitur redditus annuus vnius aurei, & 100. aureis, redditus annuus decem aureorum: ergo census vitalitius pluris emeretur, quàm perpetuus, seu irredimibilis.

330 Quæ omnia mihi vidētur vera, eo excepto, quòd non percipio differentiam inter censum vitalitium personalem, & realem, quò ad taxandum iustum pretium, sed eadem regula quò ad vtrumque mibi seruanda videtur, nimirum ea quę in censu vitalitio reali siue census personalis habeat Hippotecam bonorum realiū, siue nō.

331 Quantum verò ad secundum principale, siue quò ad Bullam Pij V. certum est censum vitalitium personalem prohiberi, nimirum eum qui fundatur super persona, siue sit cum Hippoteca ad bona realia, siue non, vt dictum est suprà. Quantum verò ad censum vitalitium realem, qui fundatur non super persona, sed super re fructifera reali, ad vitam tamen alicuius personæ, puto cum Nauarro in Comment. de vsuris num. 98. & Azorio libro 10. cap. 17. quęst. 6. tunc solùm prohiberi quando apponitur pactum de non redimendo ante mortem illius, super cuius vitam constituitur: quia Pius Quintus videtur velle quòd vēditor census semper babeat libertatem redimendi quandocumque voluerit.

De censu vitalitio secundū ius nouum Pij V.

332 Per hanc eandem primam conditionem declaratur censum non posse institui in animalibus, vino, oleo, tritico, & similibus, patet enim res huiusmodi esse mobiles, & ideò excludi à Pontifice à ratione fundandi cēsum. Nedum autem iure pontificio hęc inhabilia redduntur ad fundandum censum, sed etiam iure naturali: quoniam huiusmodi res vsu ipso consumuntur nec sunt fructiferæ: secus de rebus, quę vsu non consumuntur, sed vsus distinguitur à substantia rei, vt sunt animalia ipsa, quorum opera vtimur; iure enim naturali non prohibetur fundari cēsum super illas, sicut neque super personam hominis, vt dictum est suprà. Quod docuerunt Gabriel in 4. d. 15. q. 12. artic. 2. Soto, Medina, & recentiores cum alijs multis vbi suprà.

333 Secunda conditio est, quòd res immobilis, super quam fundatur census sit, *de sui natura fructifera.* Ex hac particula prohibetur fundari censum super rem, cuius fructus non adæquant censum, & pensionem quotānis exoluendum. Nam, si res non reddat tot fructus, vt integram pensionem exequent, sequitur rem illam ex aliqua parte esse infructiferam, respectu illius census. Deinde hoc patet ex natura census: nam fundatur in re fructifera, vt cēsum ex illis fructibus percipere censuarius possit. Si autem fructus illius non adæquent censum, certè non potest exigere censum ex illius rei fructibus. Quod autem Soto lib. 6. de iustitia quęst. 5. Couaruuias 3. variarum resolut. cap. 7. & alij dicunt licere, quia venditor census se obligat ad soluendum illum censum: ideò, licèt res, super quam fundatur, integrum illum non producat, ipsum supplere debere, nihil valet: quia hoc fundamētum est falsum, vt suprà diximus: venditor enim solùm se obligat ad conseruandum rem subiectam censui ab euictione, non ad soluendam pensionem; alioquin pereunte re subiecta censui, ipse ex parte teneretur ad soluendum censum, quod directè repugnat constitutioni Pontificis.

2. Cōditio.

334 Si autem rei fructus superent censum, non est dubium posse in illa constitui censum: quia non emitur totum ius, neque omnes fructus, qui ex ea proueniunt, sed tantummodo pars illorum iuxta quantitatem pretij, quo census ille emitur.

335 Tertia conditio est, vt hęc res immobiles fructifera, super quam fundatur census, *& quæ nominatim certis finibus designata sit*, quę conditio ponitur à Pontifice ad excludendum census, qui super omnia bona tam præsentia, quàm futura fundari cõsueuerunt; & vt cognoscatur, quando census extinguitur pereunte re, super quam fundatur; si autem res illa non esset certis limitibus descripta, non posset sciri quando periret census. Vndè cum disputatur, An post cōstitutionem Pij Quinti possit census fundari super pluribus prædijs, vt duobus, vel tribus, puto esse dicendum in vno solo posse fundari quando illud sufficit ad soluendum censum; quando verò vnum non sufficit posse in pluribus dessignatis, & certis limitibus determinans; ita tamen quòd pereunte altero, vel eo facto infructifero cesset census pro rata parte.

3. Cōditio

336 Secunda clausula continet quinque conditiones est enim talis. *Rursum, nisi verè in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac notario, & in actu celebrationis instrumēti, non autem priùs recepto integro, iustoque pretio.* Hęc clausu-

2. Clausula.

clausula apposita est ad tollendum iniustitias, quas sępè emptores census solent facere; videntes enim venditorem egere, cogere solent eum ad accipiendũ partim pecuniã, partim merces, vel aliquid aliud: aliquando ad accipiendum pecuniam diuersis temporibus: aliquando loco pecuniæ numeratæ computant credita, quæ habent cum venditoribus, & alia multa huiusmodi, quæ in maximũ damnum venditoris cedunt, quæ per huiusmodi conditiones tolluntur. Vndè cum hæ conditiones ad solemnitatem huius contractus requirantur, sine ipsis contractus censualis est nullus.

Notabile. 337 Notant autem Nauarrus in Comment. de vsuris citato num. 88. & Molina, disputat. 309. quòd, si emptor non numeret totam pecuniam coram tabellione, & testibus, sed partem, licet venditor fateretur se totam pecuniam accipere, non sufficeret; si autem numeraret totam pecuniam, conuentione tamen facta cum venditore census, vt statim partem pecunię sibi solueret, quam sibi aliàs debebat, huiusmodi census non esset damnandus, quia pactum, & conuentio illa non obstaret, quin emptio esset facta integra pecunia numerata, vt requirit prædicta clausula. Quod verò ait Nauarrus eodem Comm. nu. 88. & num. 121. emptorem census esse tutum in conscientia, licèt non soluat in pecunia numerata coram testibus, & tabellione, sed in mercibus iusto pretio, durum videtur Molinæ in prædicta disputat. & mihi quoque: repugnat enim apertè ipsi Bullæ.

3. Clausula. 338 Tertia clausula est. *Solutiones, quas vulgò anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci, prohibemus.* In hac clausula continetur vnica conditio: quæ est, quòd emptor census non possit exigere annuam pensionem, nisi elapso anno, si census sit annuus; & si semestris nisi elapso semestre, & sic de alijs proportionaliter. Quæ conditio iure apposita est à Pontifice, quia graue onus est impelli ad solendum censum, antequàm res subiecta censui ferat fructus, ex quibus venditor possit desumere censum, & pensionem soluendam.

4. Clausula. 339 Quarta clausula est. *Conuentiones directè, aut indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus, non tenetur, nullo modo valere volumus.* Controuersia est, an hæc conditio intelligatur de re subiecta censui, an de fructibus. Aliqui intelligunt eam de re subiecta censui tantùm; ita quòd sit sensus, Pontificem annullare pactum illud si fieret, quòd non obstãte, quòd res subiecta censui pereat, nihilominus venditor teneatur soluere censum. Sed hic sensus est falsus, quia infrà Pontifex apponit particulam, & conditionem particularem annullantem tale pactum quò ad rem subiectam censui.

Alij ergò intelligunt illam quò ad fructus, ita quòd Pontifex annullat pactum illud, quòd si fructus casu fortuito pereant, nihilominus venditor teneatur ad soluendum censum: & hic census est verus. Et est conditio æqua, quia sicut in venditione perfecta periculum, & damnum spectat ad emptorem, ita quoque esse debet in venditione censuali: debet tamen censualis emptor pręferri venditori in perceptione fructuum, qui supersunt detractis expensis, ita quòd primò debet census solui, deinde si supersint fructus, sunt venditoris.

5. Clausula. 340 Quinta clausula est. *Quemadmodum, nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam: quia volumus rem ipsam semper, & liberè, ac sine solutione laudemij, seu quinquagesima, aut alterius quantitatis, vel rei, tàm inter viuos, quam in vltima voluntate alienari. Vbi autem vendenda sit, volumus dominum census alijs omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectari.*

1. Cõditio. In hac clausula continentur duæ conditiones. Prima est, quòd Pontifex prohibet in contractu censuali fieri pactum, ne venditor vendere possit rem subiectam censui, vel aliquo modo restringens huiusmodi facultatem; vult enim Pontifex, quòd venditor census, ita possit ad libitum rem subiectam censui vendere, post censum constitutum, sicut ante. Secunda conditio est, quòd damnat pactum, quo casu venditionis, venditor teneatur soluere laudemium ipsi emptori. Quæ duæ conditiones sunt æquissimæ. Nam venditor census retinet sibi dominium vtile, & directum rei, super quam fundatur census, ideò æquitas expostulat, vt possit ad libitum de ea disponere, sicut alij domini perfecti de rebus suis. Quòd spectat ad primam conditionem. Et ex hac sequitur secundam conditionem esse quoque iustam: quoniam, cum venditor census retineat vtrunque dominium, differt ab emphiteota, qui habet solum dominium vtile: ideò iure emphiteota debet soluere laudemium domino dirrecto in recognitionem eius dominij, census autem venditor nequaquàm, quia habet, vt dictum est, vtrunque dominiũ. 2. Cõditio.

341 Per has duas particulas Summus Pontifex tollit quasdam iniustitias, quæ in censibus quandoque fiebant. Videntes enim emptores censuum venditores egere pecunia, vltra id quod spectat ad naturam census, imponebant illis hoc onus, vt venditor census non posset rẽ subiectã censui alienare sine eorum licentia; & quòd si venderent rem illam sine ipsorum facultate, tenerentur eis soluere laudemium. Patet autem, quòd huiusmodi pacta sunt iniusta, & contra naturam contractus censualis: ideò Pontifex iurè illa prohibuit.

Ex his autem conditionibus nulla infertur iniuria, vel damnum ipsi emptori census: quia remanet semper dominus suæ pensionis, & census super illam; quia res illa transit ad emptorem cum suo onere, sicut si prædium subiectum sit alicui seruituti, transit ad hæredem, vel ad secundum dominum cum eadem seruitute.

342 Vbi est obseruandum Pontificem etiam optimè prospicere indemnitati emptoris: nam non vult, quòd venditor possit rem ipsam subiectam censui vendere, nisi priùs admonito emptore census, atque eo expectato ad mensem, quod facit ne ipse emptor conqueri possit, si à secundo domino rei subiectæ censui, qui tenebitur soluere censum, nõ poterit exigere suum censum; hoc enim emptor sibi imputare debebit, qui ijsdem conditionibus noluit rem ipsam emere, & consensit in venditionem.

343 Sexta clausula est. *Pacta continẽtia morosũ census debitorẽ teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seù certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, seù expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rẽ censui subiectã, siue aliquã eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, siuè aliunde acquisitũ perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla. Immò, & censum augeri, & nouum creari super eadem, vel alia re, in fauorem eiusdem, aut personæ per eum suppositæ, pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omninò prohibemus.* In hac clausula ponuntur duæ conditiones. 6. Clausula.

Prima est, qua Pontifex irrita reddit pacta omnia superaddita contractui censuali, quæ obligent debitorem census ob moram ad soluendum aliquid extra naturam cõtractus census, non autem prohibet exigere ab illo id, quod secluso pacto exigère licitè poterat ex natura contractus: irrita ergo reddit pacta huiusmodi, quòd morosus debitor census teneatur ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium pro illa pensione non soluta, vel ad certas expẽsas, aut ad certa salaria pro recuperãda pensione, vel ad salaria, aut expensas quas creditor in ea recuperanda fecisse iurauerit, vel ad amissionem rei subiectæ censui, aut partem illius, vel ad amissionem alicuius iuris vndecunque acquisiti, vel denique ad quamcunque aliam pœnam: omnia enim ista sunt extra contractum census, & illi addita. 1. Cõditio.

344 Quantum autem ad particulam lucri cessantis est aliqua difficultas inter Doctores quomodo intelligatur: quia de iure licet deducere in pactum lucrum cessans, vt suprà vidimus; tamẽ cõmunior opinio est, Papam in hoc contractu censuali derogare iuri cõmuni in hac parte: & hoc ne sub specie lucri cessantis fraudibus, & iniustitiæ daretur locus, & occasio: ideò Pontifex noluit in hoc cõ- De lucro cessante quid dicẽdum.

tractu

tractu nullam haberi rationē lucri cessantis; & satis debere esse ipsi emptori, posse exigere expensas rationabiles, ac moderatas quas Dominus census fecerit ob moram in recuperanda pensione, An verò etiam Pontifex prohibeat hac clausula deduci in pactum damnū emergens, dissentiunt. Nauarrus in Comm. de Vsuris nu. 85. asserit non prohiberi, quia Pontifex de illo non meminit, neque iure diuino, vel humano prohibetur. Et hæc mihi placet. Azorius tamen lib. 10. cap. 13. q. 2. asserit illud quoque prohiberi.

De dāno emergente quid.

Altera conditio in eadem clausula.

Secunda conditio, quæ in eadem clausula ponitur, est ne census augeri possit, vel nouum creari suprà eadem re, vel in alia ad fauorem emptoris, aut personæ per eum suppositæ, pro censibus, & pensionibus præteriti temporis, quæ non sint solutæ, vel temporis futuri, quæ sint soluendæ. Hæc conditio iurè est apposita, ne per censuum incrementa vexetur venditor census, & in paupertatem redigatur, sicut accidit ex vsuris vsurarum, & ex recambijs. Neque hic fit iniuria creditori: quia semper potest conuenire debitorem coram iudice, & eum cogere ad soluendum census debitos, vel etiam apprehendere possessionem rei subiectæ censui; & tamdiù retinere quandiù sit illi satisfactum. Hæc tamen conditio iure naturali, & antiquo communi, non esset illicita; sed Pius Quintus voluit illam prohibere, ne debitor tam graui onere præmatur.

Clausula septima.

345 Clausula septima est. *Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerū ad eum spectare, ad quē alias de iure, & ex natura contractus non spectarent.* In hac clausula continetur hæc conditio, vt in contractu censuali non apponantur pacta obligantia debitorem census ad soluendum, seu subeundum onera aliqua ad quæ aliàs de iure non teneretur. Exemplum, vt si emptor census in pactum deduceret, quòd venditor teneatur recipere hospitio familiares emptoris census; hoc enim pactum repugnat æquitati: neque enim debitor census cogendus est ad onera indebita sustinenda.

Clausula octaua.

346 Octaua clausula est. *Postremò census omnes in futurum creandos non solùm re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodē pretio estingui, non obstante longissimi etiam tēpis, ac immemorabili, immò centum, & plurium annorum præscriptione, nō obstātibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis, aut clausulis concepta sint.* In hac clausula duæ conditiones clauduntur.

1. Cōditio.

Prima est clara, nimirum si perit, vel infructuosa redditur res subiecta censui in totum, vel in partem, censum quoque perire in totum, vel in partem proportionaliter. Obseruant hic Doctores rem tunc perire, & infructuosam reddi non ex eo, quòd duobus, vel tribus annis, aut pluribus fructus non ferat; sed quando facta est impotens ad reddendos fructus in futurum, vt si prædium à flumine sit dirutum absque vlla spe recuperandi, non autem si tempestate, vel infausto tempore ob casus fortuitos non reddat fructus. In hoc enim casu tenetur ad soluendum pensionem, eo modo quo dictum est suprà clausula quarta, in priori verò nequaquam. Et de illo intelligit Bulla. Rursus obseruant, quòd quando res subiecta censui perit in parte, debet minui census pro ea parte, esto etiam illa pars, quæ remanet, ferat longè plures fructus, quàm qui sufficiant ad pensionem integram soluendam. Ratio est, quia obligatio ad soluendum censum est ex censu in tota re: ideò pereunte parte illius rei, esto pars, quæ remanet fructus plures producat, quàm qui sufficiunt ad censum soluendum, tamen non tenetur nisi pro parte rata.

2. Cōditio.

347 Secunda conditio habet duas partes. Prima est, vt liberum sit venditori census ipsum censum redimere, & extinguere quandocumque voluerit, neque hanc libertatem tolli per præscriptionem cuiuscunque temporis, vel appositione cuiuscunque pacti directè, vel indirectè. Secunda est, quòd semper possit redimi eodem pretio. Prima parte prohibentur census, in quibus apponitur conditio, & pactum, vt nunquàm redimantur: qui census etsi ex natura sua, & iure naturali, & scripto, communi non sint prohibiti; tamen ex speciali iure Pij Quinti sunt prohibiti. Aliqui tamen tenent per hanc bullam non prohiberi census perpetuos; sed mihi hi directè repugnare huic clausulæ videntur. Eadem ratione prohibentur census illi, qui constituuntur ea conditione, vt si intra certum tempus non redimantur, amplius redimi non possint. Similiter illi census, qui constituuntur cum pacto, quòd ante certum tempus non possint redimi, sed solùm illo transacto, & similes. Neque valet ratio quam adducit Molina cum alijs disput. 391. quòd census perpetui semper fuerunt in vsu in Ecclesia, & iudicati fuerunt iusti: quia etsi sint iusti, cum pretio iusto emuntur; tamen non sequitur quin aliqua incommoda, & detrimenta afferant Reipublicæ, & occasiones litium ingerant, quæ omnia temporales census non ita facilè consequuntur, vt experientia patet. De vitalitijs autem censibus non personalibus est alia ratio; illi enim non prohibentur: quia Papa loquitur de censibus realibus absolutis, non de realibus vitalitijs, vt suprà prima clausula diximus. Prohibet etiam Pius Quintus census personales, vt patet ex prima clausula, & tamen census personales ex natura sua sunt liciti, & iusti quando sinè dolo, & fraude fiunt: non ergo est mirum, quòd etiam prohibeat census reales perpetuos, & irredimibiles, licèt ex sua natura sint liciti. Secunda verò parte prohibetur censum redimi maiori pretio, quàm fuerit emptus.

348 Clausula decima est. *Cum verò conditione pretij reditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciam, intra annum, tamen etiam ab inuito pretium repeti posse. Et vbi pretium, nec volens intra bimestre soluat, nec ab inuito intra annum exigatur. Volumus nihilominus quandocunque reditum exstingui posse; præuia tamen semper denuntia, de qua suprà, & non obstantibus his, de quibus suprà. Idque obseruari mandamus etiam quod pluries, ac pluries denunciatum fuisset, nec vnquam effectus sequutus fuisset.* Decernit Pontifex hac clausula, quòd, quando census est redimendus, debitor per bimestre ante redemptionem debeat denunciare hanc suam voluntatem domino census, vt possit de sua pecunia disponere; facta autem denunciatione, & transactis duobus mensibus vult Pontifex, quòd dominus census possit exigere pretium census, esto ampliùs debitor nollet redimere, atque hoc intra annum à die denunciationis. Et esto, quòd debitor non redemerit intra bimestre, nec coactus fuerit intra illum annum redimere, vult Pontifex ad huc debitorem habere potestatem denunciandi, & redimendi intra duos menses; & illis duobus mēsibus transactis creditorem posse cogere ipsum venditorem ad redimēdum censum; & esto iterum transacto anno non habuerit effectum redemptio census, atque hoc pluries euenerit, vult Pontifex eodem modo posse debitorem redimere, scilicet facta denunciatione per bimestre; & creditorem posse cogere ad restituendum intra illum annum; sed transacto anno, & non sequuto effectu redemptionis; nō posse cogi debitorem ad soluendum, sed manere semper liberum ad redimendum; &, si iterum voluerit redimere, debet facere denunciationem prædictam per bimestre; & ipse, ac creditor eodem modo quo suprà se gerere debent.

Clausula decima.

349 Hoc autem est verum, quando venditor census vult illū extinguere per restitutionē; vt verba ipsa sonant, non autem quando vult alienare censum à se alio modo; vt cum vult illum vendere, vel donare, vel permutare, vel alio modo distrahere; quoniam census annuus est quodammodo similis vsufructui, quem qui habet, potest illum multis modis alienare, & amittere; ita census potest multis modis finiri.

Clausula

Clausula vndecima.

350 Clausula vndecima est. *Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum, ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse omninò prohibemus*. Prohibet Pontifex omnia pacta, & conditiones, quibus obligetur venditor ad redimendum censum, aliter quàm modo superiori clausula explicato. Quæ conditio sanè est valdè iusta: nam si in venditionibus cum pacto de retrouendendo pactio iniqua est, quòd venditor teneatur retrouendere eodem pretio ad beneplacitū emptoris: quia etsi forsan in re sit licita; tamen habet magnam speciem mutui palliati: multo magis censualis contractus, si apponeretur aliquod pactum quo venditor cogere redimere censum ad placitum emptoris, esset suspectus de fraude vsuraria: ideò rationabiliter talia pacta prohibentur à Pontifice.

Clausula duodecima.

351 Clausula duodecima est. *Contractusque sub alia forma post hac celebrandos fœneratitios iudicamus. Et ita (illis propterea non obstantibus) quidquid vel expressè, vel tacitè, contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fisco volumus posse vindicari*. In hac clausula ponit Pontifex pœnas constituentibus, & celebrantibus census in posterum sub alia forma, ab ea, quæ hac Bulla est tradita. Quæ pœnæ sunt primò, quòd tales contractus pronunciat vsurarios, & proinde pœnis vsurariorum celebrantes esse puniendos. Secundò subijcit, & adiudicat fisco omnia illa bona pensiones &c. quæ in huiusmodi contractu contra formam præscriptam facta, datæ, remissæ, aut dimissæ fuerint; vultque fiscum omnia illa vindicare posse. Quòd certè intelligitur de toto contractu, etsi vna sola particula, & conditio omittatur: quia Bulla id apertè sonat.

Pœnæ transgressorum huius Bullæ.

Clausula decimatertia.

352 Clausula decimatertia est. *Hanc autem salutiferam sanctionem, nedum in censu nouiter creando: verùm etiam in creato quocunque tempore alienando, modò post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuò, & in omnibus seruari volumus*. Hac clausula decernit Pontifex conditiones superius assignatas in constitutione census de nouo etiam seruari in censibus iam creatis post publicationem prædictæ Bullæ, quandocunque huiusmodi census sint alienandi, & de nouo instituendi cum alijs personis contrahentibus.

Clausula Decimaquarta.

353 Clausula decimaquarta est. *Declarantes pretium semel censui constitutum nunquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quò ad vltimò contrahentes minui, vel augeri*. Hæc est vltima clausula Bullæ, in qua terminat conditiones, & formam seruandam in contractu censuali. In qua clausula decernit quòd pretium prima vice constitutum ipsi censui non solùm non possit augeri, vel minui ex temporum, & aliorum accidentium varietate, ex quibus pretia rerum solent augeri, vel minui; sed quòd neque dominus census possit eundem censum alio pretio vendere alicui tertio, neque tertius alio pretio emere, sed eodē quo primo fuit illi constitutum, licèt tempora, & accidentia rerum, & temporum, ac personarum sint variata.

Clausula Decimaquinta.

354 Clausula decimaquinta est. *Et licèt legē ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus: illos tamen omnes in quos sub alia forma peruenerunt census, hortamur in domino, vt singulos contractus censura bonorum Religiosorum subijciant, & animarum saluti consulant. Non obstantibus, &c. Datum Romæ anno 1568. 14. Kal. Februarij*. Hæc clausula est hortatoria, & ipsa monentur ij, qui celebrauerunt cōtractus censuales præter hanc formam antea, vt earum formas exponant bonis Religiosis, vt intelligant, an aliquæ conditiones vsurariæ ex natura rei in illis sint; si enim illi careant conditionibus vsurarijs ex natura sua, & iuxta Decreta, & Canones prædecessorum Pontificum, licèt non essent facti sub hac forma Pij Quinti, in nullo offendunt conscientias eorum, qui illos possident: sic aliter, secus.

An liceat redimere censum per partes.

355 Dubium circa dicta oritur cum Pius Quintus in hac Bulla non apposuerit illam cōditionem, vt census redimibilis non possit redimi per partes, licitum sit venditori illum redimere per partes, an hoc sapiat vsuram, vel iniustitiam aliquam. In hoc dubio puto dicendum esse cū Sarmento 7. selectarum interpret. cap. 1. nu. 17. Molina disp. 393. num. 5. & alijs, etsi Pius Quintus illam conditionem non apposuerit, esse tamen necessariam, & redimere censum per partes esse iniustitiam in damnum emptoris. Ratio est, quia in tali redemptione non seruatur æqualitas pretij restituendi, & accepti: quoniam plus valet totum pretium simul, quàm diuisum per partes, etiam maiorem, vt per dimidiam, tertiam, vel quartam partem. Census enim redimibilis est eiusdem rationis cum alijs rebus venditis cum pacto de retrouendendo: si enim aliter non deducatur in pactum, debent totum simul retrouendi. Si autem, cum venditur census, deduceretur in pactum, quòd pretium possit redimi per partes, esset licitum redimere per partes; sed tunc pretium census deberet minui: quia ista conditio, quòd possit redimi per partes minuit valorem pretij quo redimeretur: quia, vt dictum est, minus valet pecunia soluta per partes, quàm tota simul, vt patet.

De Montibus. Cap. XI.

De montibus.

356 Ad hunc tractatum de censibus pertinet quoque census anoui, qui vulgò in Italia vocantur Montes; sunt enim Montes isti quasi quidam aceruj pecuniarum instituti in redditibus Reip. quibus annui ipsi redditus emuntur, vt postea videbimus. Verùm obseruandum est, quòd sunt tria genera Montium. Quidam enim sunt montes erecti ad mutuandum egenibus, ex communi pietate, & dicuntur Montes pietatis. Alij sunt Montes quibus pecunia mutuo datur à ciuibus. Alij denique sunt Montes, qui pecunia venduntur, & emuntur; licèt ista duo genera vltima in idem redeunt. De his omnibus montibus tractauerunt Siluester verbo *Vsura*. 5. & alij, de quibus infrà.

Montes sūt triplicis generis.

De Montibus pietatis, an sint liciti.

357 De Mōtibus pietatis quondam ante Concilium Lateranense fuit grauissima disputatio inter Theologos ipsos, & iuris ciuilis, & canonici interpretes, an hi Montes sint liciti, & careant vsura; sed his temporibus iam res est definita: ideò breuiter agendum est.

Opinio asserens Mōtes pietatis esse vsurarios.

358 Duæ hic fuerunt opiniones. Prima fuit in his Mōtibus pietatis committi peccatum Vsuræ, & hanc opinionem præsertim tutatus est Caietanus in Opusculis to. 2. tract. 7. qui est de Monte pietatis. Cum deinde sequitus est Soto lib. 6. de iustitia, & iure, quæst. 1. artic. 6. qui cum Caietano asserit hanc opinionem non esse damnatam à sacris canonibus, præsertim à Concilio Lateranense, licèt deinde se subijciat determinationi sanctæ Ecclesiæ, & pro renocato habeat, quidquid ipse aliter contra eius decreta in hac materia. Siluester verbo *Vsura* 5. q. 4. dicit hanc rem esse dubiam.

Primū fundamentum pro aliena opinione.

359 Fundamenta horum auctorum principalia sunt hæc. Mons pietatis habuit originem, vt habet Caietanus, vbi suprà, cap. 14. & Leo X. in Bulla de qua infrà, ex prædicatione quorundam concionatorum, qui videntes Hebræos vsuris vorantes bona pauperum, suaserunt, & induxerunt populos intuitu pietatis ad congerendum simul quantitatem certam pecuniarum, vt hanc deinde gratis pauperibus mutuarent. Pecunia ista ad hunc effectum congregata dicitur Mons pietatis: Per metaphorā, quia est pecunia in aceruum congesta. Leges huiusmodi Montis sunt tres. Prima, vt ex massa pecuniarum huiusmodi cuilibet indigenti possit dari certa pecunia pro suis necessitatibus e. g. decem aurei, quos soluere debeat ad annum, vel ad summum ad biennium, plus minus. Secunda, quòd qui mutuò accipit pecuniam à Monte, det idoneum pignus, quòd statim vendi queat, si statuto tempore non soluat debitum, & ex pretio pignoris Mons accipiat partem sibi debitam, & reliquam habeat pignoris dominus. Tertia, quòd qui mutuò accipit pecunias à Monte,

Legis Mōtis pietatis.

Monte, singolis mensibus soluat tot denarios secundùm numerum librarum mutuo sibi datarum, eidem Monti. Et hoc non vt aliquid vltra sortem ipse Mons lucretur; sed pro recompensatione expensarum, quæ necessariò fiunt ad Montem tuendum, & conseruandum. Mons enim indiget multis ministris; conducit, vel emit ædes in quibus conueniunt ministri, asseruantur pignora, & arcæ in quibus pecuniæ custodiuntur, libri quibus omnia necessaria describuntur, & alia huiusmodi. Tunc sic tertia ista regula est vsuraria: ergo. Antecedens probatur: quia recipere aliquid ex mutuo vltra sortē principalem est vsura manifesta. In Monte pietatis ex hac tertia regula accipitur aliqua pecunia ex mutuo vltra sortem: ergo est aperta vsura. Hoc est fundamentum principale, & totale huius opinionis.

Ratio formatur.

Respōsio.

360 Quòd si quis dicat, vt dictum est, quòd istud vltra sortem nō recipitur ratione mutui, scilicet, vt Mons lucretur aliquid vltra sortem; sed pro sustentatione ministrorum, ne Mons pereat, & dilabatur, quod fieret, si ex pecunijs ipsius Montis expensæ montis fieri deberent.

Replica.

361 Contra arguunt huiusmodi expensæ debent solui à communitate siue ab illo cuius interest illam summam pecuniæ capitalem seruare incolumem; non autē debent eas soluere illi, qui mutuo accipiunt, alioquin est vsura. Hoc declarant exemplo. Si priuata aliqua persona, vt nobilis aliquis diues, pietatis causa, vellet mutuare pecuniam pauperibus hac triplici lege, procuidubio ob tertiam legem reputaretur vsurarius: ergo idem dicendum de Monte ipso. Antecedes probatur: quia expensæ illæ, quæ fierent ab illo priuato pro ministris, in recipiendis, & conseruandis pignoribus, scribendi libris, &c. cederent in vtilitatem ipsius mutuantis; nisi enim huiusmodi ministros haberet, & expensas faceret, eius pecunia citò dilaberetur: ergo ille, cuius interest seruare capitale, debet suis sumptibus ministros sustentare, non sumptibus mutuatariorum; alioquin est vsurarius.

Cōfirmat.

362 Confirmatur: quia in hoc casu mutuans est depositarius pignorum: quia dominium pignoris manet apud mutuatarium: ideò ipsi creditori, & mutuanti incumbit custodia pignoris; nec potest pro custodia aliquid exigere, nisi pignus esset talis conditionis, quòd in eo seruando, ne corrumperetur, opus esset expensis, quo in casu depositarius posset protestari mutuatario, vt curaret suum pignus conseruari; ergo pro expensis factis nō potest aliquid vltra sortem accipere sine vitio vsuræ.

Replica.

363 Quòd si quis arguat beneficium mutuandi cedit in vtilitatem pauperum, qui mutuum accipiunt. At mutuator habet se seruare indemnem: ergo potest aliorum sumptibus hoc efficere. Respondent quòd hic est fallacia, quoniam non debent hic misceri, quæ non pertinent ad iustitiam contractus; sed debemus considerare præcisè naturam contractus mutui. De ratione autem mutui est, vt fiat gratis. Licèt ergo sit beneficium ipsi mutuatario; tamen natura huiusmodi beneficij requirit, vt gratis fiat: ideo, cum non sit gratis hoc beneficium, fit vitium.

Respōsio.

Replica.

364 Quòd si iterum dicas, nō est par ratio de homine particulari diuite instituente huiusmodi montem, & de Monte pietatis erecto modo ordinario, & solito: quia in priori, homo ille particularis manet dominus illarum pecuniarum, quas mutuat; at in Monte pietatis nullus alius dominus adest, nisi ipsi pauperes. Communitas, & cæteri regentes huiusmodi Montes, sunt administratores tantùm, non domini.

Impugnatio prædictæ replicę.

365 Contrà replicat Soto. Immò falsum est ipsos pauperes esse dominos illarum pecuniarum, quia ipsi sunt solummodo mutuatarij, numquam verò domini. Proinde se habent respectu illius pecuniæ, ac si illa pecunia esset alicuius personæ particularis. Quo fit, quòd sicuti, si esset alicuius particularis, esset vsura, vt est concessum: ergo idem dicendum est, licèt illa pecunia non sit alicuius particularis domini.

Alia replica.

366 Quòd si quis dicat, si non potest exigi aliquid vltra sortem, & illa pecunia non habet dominum aliquem particularem, non poterit custodiri, & sic tandē propter expensas exhaurietur, & deseruetur Mōs. Respōdet certè Montem destruendum denique fore, neque enim hoc (ait) est inconueniens. Quoniam qui talem Montem erexit de sua pecunia, si volebat illum semper permanere, debebat subministrare stipendia de sua substantia ministris, non autem cogere mutuatarios ad illum Montem conseruandum.

Respōsio.

Alia replica.

367 Quòd si dicat, destrutio huiusmodi Montis erit in perniciem, & damnum pauperum. Respondent consequentiam non valere: nam si valeret sequeretur pauperibus incumbere suis expensis seruare diuitias hominis misericordis, qui mutuata pecunia præsidio ipsis esse solet.

Respōsio.

368 Præterea dicere, quòd operę ministrorum cedāt in fauorem pauperum: quia per eas ipsi beneficium mutuationis recipiunt, est illatio falsa; quæ si concedatur, saluare possemus multas vsuras esse licitas. Nam omnes qui mutuò ob inopiam, accipiunt, beneficium mutuationis accipiunt; non tamen conceditur licere ministris vsurarum ob tale beneficium aliquid vltra sortem recipere: ergo neque hìc valet consequentia ista. Totum ergo fundamentum huius opinionis est, quòd mutuatio debet fieri gratis: ideò ob sustentationem ministrorum non debet eius natura, & essentia mutari, sed debet aliundè excogitari vndè ministri sustententur.

Opinio cōtraria est communis & vera.

369 Contraria sententia, nimirum prædictos Montes pietatis nequaquàm Vsurarios esse, sed verè pietatem cōtinere, est communi consensu nunc recepta, & à sacris Canonibus definita. Hanc sequuntur communiter tam Doctores Theologi, quàm Canonistæ, qui post Concilium Lateranense sub Leone X. scripserunt. Medina de rebus per vsuram acquisitis quæst. 10. Iacobus Naglantus in Opusculo de Monte pietatis. Nauarrus in Man. cap. 17. num. 213. & in Comm. de Vsuris, num. 56. Filiarcus de officio Sacerdotis, lib. 5. cap. 19. 20. & 21. Io. Bapt. Lupus, Azorius lib. 10. cap. 22. & alij ab eo citati.

Excommunicantur tenentes priorem sēntentiam.

370 Et quidem hanc sententiam esse veram est nunc certissimum, & qui appositam sententiam doceret excōmunicationem latæ sententiæ incurreret. Nam Leo X. in Concilio Lateranensi approbante eodem Concilio sessione 10. in Bulla incipiente *Inter multiplices*; præter decreta Pauli II. Sixti IIII. Innocentij VIII. Alexandri VI. Iulij II. quæ ibi Pontifex Leo citat decernit Montes pietatis improbatos à priori sententia, nimirum in quibus accipitur aliquid vltra capitale pro expensis ministrorum, & illis conseruandis, esse licitos, pios, non autem vsurarios. Et verba eius sunt. *Declaramus, & diffinimus, Montes pietatis antedictos per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum, ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conseruationem (vt præfertur) pertinentium pro eorum indemnitate, duntaxat vltra sortem, absque lucro eorundem montium, recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentiuum præstare, neque vllo pacto improbari: quinimò meritorium esse, ac laudari & probari debere, tale mutuum minimè vsurarium putari; licereque illorum pietatem, & misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentijs à Sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis.* Et infrà. *Omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticas, ac seculares personas qui contra præsentis declarationis, & sanctionis formam de cætero prædicare, seu disputare verbo, vel scriptis ausi fuerint, Excommunicationis latæ sententiæ pœnam, priuilegio quocumque non obstante, incurrere volumus. Nō obstantibus &c.* Quare non video quomodo Soto, vbi suprà adducens Caiet. 2. 2. q. 1. ar. 10. (vbi tamen nihil tale inuenio) dicere ausus fuerit per Bullam Leonis, & Concilij Lateranensis decretum non damnari suam opinionem, & non approbari Montis

ri Montes pietatis, secundùm omnia eorum capitula; sed solùm quatenus sacris Canonibus non sunt contraria; neque Caietanum, qui eidem Concilio interfuit reprehensum fuisse. Nam quod sententia Caietani, Soto, & sequacium per eandem Bullam fuerit damnata euidentissimè patet, & verbis illius Bullæ adductis in quibus præsertim rationem fundamentalem illius sententiæ dānat. Dicunt enim auctores illius opinionis hos Montes esse vsurarios, quia non licet vltra sortem aliquid ex mutuo dato pauperibus recipere; Pontifex autem decernit recipere aliquid in his Montibus vltra sortem pro sustentatione ministrorum, & alijs expensis faciendis pro conseruandis his Montibus. *neque speciem mali præferre, nec peccandi incentiuum præstare, neque vllo pacto improbari, quinimmò meritorium esse, ac laudari, & probari debere, tale mutuum minimè vsurarium putari.* Et suprà in eadem Bulla adducens contentionem exortam de his Montibus habet hæc verba. *Nonnullis enim Magistris, & Doctoribus dicentibus, eos Montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libra, decurso certo tempore per ministros huius Montis, ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab vsurarum crimine, iniustitiave, seu ab aliqua certi specie mali, mundos non euadere,* &c. Hæc certè est opinio Caietani, Soto, & sequaciũ. At hos Montes deinde Pontifex approbat illis verbis. *Nos* &c. *Sacro approbante Concilio, declaramus, & diffinimus Montes pietatis antedictos per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum* &c. (reliqua enim verba suprà adduximus) *neque speciem mali* &c. *& tale mutuum minimè vsurarium putari* &c. Quare non video quō Caietanus ipse, si scripsit post Concilium Lateranense, & ipse Soto, non fuerint excommunicati. Verum est quidem Pontificem in ea Bulla nō dānare auctores, qui eo vsque oppositum tenuerunt; eos enim excusat, quod zelo iustitiæ eam sententiam tenuerint, sed tamen sententiam dānat, & prohibet ne in posterum sub pœna excommunicationis, nec verbis, nec scriptis ea sententia ab vllo defendatur, vel prædicetur.

Assertum Soto omninò improbandum.

371 Quod verò ait Soto, vbi suprà in responsione ad primum argumentum principale huiusmodi quæstionem non fuisse diffinitam tanquam articulum fidei; neque expedire, vt omnes articuli de quibus disputatur, an sint Vsurarij, definiantur definitione de fide: quia Spiritus sanctus non curat, nisi Ecclesiæ exponere Scripturam sacram, non ea quæ ex Philosophia pendent, certe maiori censura eget. Si enim semel admittamus propositiones diffinitas à Summis Pontificibus cū Concilio, tanquàm veras non esse de fide, corruent omnes articuli fidei. Tales enim per hunc modum dijudicātur, & determināntur, vt omnes norūt. In Conc. autem eo Lateranensi sub Leone X. definitur, tanquam veritas à fidelibus tenenda, & proinde, tanquam veritas catholica; Montes pietatis, in quibus mutuatur pecunia pauperibus, cum exactione alicuius moderatæ exactionis vltra sortem, non esse vsurarios, nec vllam speciem mali præseferre, sed esse pios, & sanctos, atque prædicantes, disputantes, & asserentes oppositum excommunicat excommunicatione latæ sententiæ; ergo hæc assertio est veritas de fide; alioquin si hoc negetur nulla diffinitio cōsiliorum, quæ sub anathemate damnāt aliquam opinionem, & veritatem decernunt, non erit de fide. Et licèt non expediat definire omnes alios casus, de quibus dubitatur, an sint vsurarij, non sequitur quin expedierit diffinire hunc, & quòd de facto non sit diffinitus; quia est res magni momenti, & maximè in vsu, ideò conscientiæ titubantes relinqui nō expediebat.

Prima ratio pro hac secunda sētentia, quæ est vera.

372 Et certè rationabilissimè hæc secunda sententia diffinita est ab Ecclesia; est enim verissima, & certissima. Et ratio potissima est, quia fundamentum aduersæ rationis omninò ruinosum, & nullum est; quoniam illud lucrum ex mutuo est vsura, quod accipitur ab aliquo ratione mutui præcisè, non autem ex alia aliqua causa rationabili, vt patet ex dictis suprà de Vsura. At in Montibus istis pietatis illud, quod suprà sortem accipitur, non est ratione mutui, sed ratione conseruationis ipsius Montis, quod reddit in vtilitatem ipsorum pauperum.

Mutuū vsurarium cadit inter diuersas personas.

373 Ad quod intelligendum, est obseruandum, quòd mutuum vsurarium necessariò cadit inter personas diuersas, ita quòd mutuans est persona diuersa à mutuatario; neque enim aliquis sibi ipsi mutuat, & ex mutuo dato sibi, quærit sibi ipsi lucrum, sed ex mutuo dato alteri. At in proposito Mons pietatis, & pauperes non sunt diuersæ personæ, sed eadem omninò. Nam pecunia aggregata in Monte pietatis nullum alium dominum habet, nisi ipsos pauperes: donata est enim pauperibus in communi, vt per mutuum eorum necessitatibus succurratur. Dum ergo pauperes recipiunt mutuum à Monte, nō recipiunt ab aliqua tertia persona diuersa, sed quasi à se ipsis. Se enim habent e.g. veluti illi, qui ex aliquo flumine recipiunt aliquam vtilitatem: & quia vtilitas hæc non potest haberi nisi aggeres certi conseruentur, soluunt omnes simul aliquam taxam ministris conseruantibus aggeres, ex quibus eis resultat vtilitas. Ita pauperes habent vtilitatem mutui gratis ex Montibus, sed hæc vtilitas non potest conseruari, nisi adsint ministri, qui hos montes conseruent: ideò soluunt in communi, quid moderatum pro impensis ipsorum ministrorum, & non aliter: ideò hæc solutio vltra sortem non est verè, & realiter propter mutuum, sed ad conseruādum hoc publicum suum bonum. Vndè sicut non est vsura, nec aliqua iniustitia soluere aliquid aliquibus ministris, & operarijs, qui aliquod bonū publicum plebis conseruant, sed est actus iustitiæ, ita in pauperibus soluere aliquid ministris publicis huius Mōtis, vt hoc bonum conseruetur, non est vsura, nec aliqua iniustitia, sed maxima æquitas, & iustitia. Et ideò hic locum habet rectè regula illa iuris adducta à Pontifice in eadem Bulla, quod *qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat*. Nam cum hi Montes erecti sint in gratiam pauperum, & dominium pecuniæ ad illos in communi transeat, & ex his habeant vtilitatem tanquā de re publica propria ipsorum, certè ęquitas postulat, vt huiusmodi bonum publicum conseruetur ab illis suis sumptibus pro se, & suis successoribus.

Exemplū rem artè declarans.

Ad fundamētū principale contrariorum.

374 Ex his patet fundamentum principale aduersariorum esse falsum, nimirum accipere aliquid vltra sortem ex mutuo dato à Monte esse vsuram: quia re vera nō est lucrum ex mutuo, sed est solutio debita stipendij ministrorum conseruantium hoc bonum publicum ipsorum pauperum.

Ad replicā.

Ad replicam contra hoc Respondetur, illam pro nobis concludere. Nam concedimus ad eum spectare soluere impensas ministrorum cuius interest seruare illam pecuniam; at subsumimus; sed seruare hanc pecuniam interest pauperum: ergo pauperibus incumbit aliquid errogare pro impensis huiusmodi ministrorum.

375 Ad rationem autem in contrarium ductam ab exemplo personæ particularis Respondetur ex dictis patere non esse parem rationem: quia illa persona particularis, quæ sic mutuaret, retineret dominium pecuniarum sibi, non autem transferret illud in pauperes, & ideò exigendo aliquid ex mutuo luctaretur, quia augeret suam pecuniam, vel saltem illam sibi conseruaret, quæ est conditio appretiabilis pecunia. At in casu nostro pecuniæ dominium verè transfertur à donante in pauperes in communi, ita quòd ipsi sunt quodammodo mutuantes, & mutuatarij, vt dictum est: ideò non potest adesse vitium Vsuræ, nec inæqualitatis, & iniustitiæ.

Ad confirmationem.

376 Ad confirmationem respondetur, quòd ministri Montis non sunt propriè depositarij pecuniarum Montis, neque Respublica, neque qui reliquerunt bona illa Monti; sed ipsi ministri, & qui curam gerunt conseruationis Montis sunt ministri ipsorum pauperum, qui omnes in communi sunt domini illarum pecuniarum

cum hoc

cum hoc onere, vt singulis ad mutuum dentur, non vt in alium vsum expendātur: ideò incumbit ipsis pauperibus, qui habent commodum soluere impensas ipsorum ministrorum, nisi ipsi gratis illos labores subire velint.

Ad replicā contra hoc.

377 Ad replicā contra hoc, q̧ pauperes non sunt domini illarum pecuniarum, quia sunt semper mutuatarij tm̄. Respondetur, q̧ etsi sint tm̄ mutuatarij nō ob hoc sequitur, quin ēt sint dñi saltē quò ad vtile dominium, qm̄ etiā aliquis populus in cōi potest esse dñs alicuius iurisdictionis, vel alicuius rei, ea qua cōmodum aliquod perueniat singulis cum onere, vt suis sumptibus illud publicum bonū conseruent, vt dictum est de flumine irrigante aliquā regionem, neque tñ possint singuli, vel omnes simul illud bonum alienare, nec alio modo de illo disponere, sed solùm ad illū effectum bonū, & vtilem mutuationis gratis factæ ad vitandum damnū vsurarum conseruare.

378 Et cum inquit non esse incōueniens, q̧ Mons ille destruatur, quia debebat ille, qui illū erexit, statuere certum redditum pro impensis ministrorum, si volebat vt permaneret perpetuò. Respondetur fortassè hoc melius fuisse, vt contingit in aliquibus Mōtibus pietatis Italiæ in quib. mutuatio fit absque solutione alicuius pecunię vltra sortē; tñ hoc nō efficit vt vbi hoc non est factū non possit Mōs cōseruari p exactionē alicuius pecunię moderatę p impensis ministrorum, & conseruatione Montis, vt dictū est: quia cum bonū hoc publicum, quod emanat ex Mōte, non possit conseruari ipsis pauperibus in cōi gratis, satius est illis, illud proprijs sumptibus sibi conseruare, q̄ permittere vt destruatur. Præterea fortasse vtilius est pauperibus soluere aliquid moderatū pro mutuo, vt tota pecunia Montis mutuò detur, q̄ impendere partem illius pecuniæ in annuos reddiuts certos pro expensis ministrorum, quia quāto maior est massa, & aceruus pecuniæ mutuandæ, magis potest succurri necessitatibus pauperum: ideò expedit illis, ex proprijs sumptib. modicis ministros soluere, & totam pecuniam ad mutuandam insumi, quàm illam in certos redditus diuidere, vt dictum est.

Ad aliam obiectionē.

379 Ad aliā obiectionē, q̧ pariter liceret pauperes suis sumptibus conseruare diuitias hōis misericordis in ipsos. Rñdetur nō esse parē rōnem: quia pauperes non sunt dñi diuitiarum illius hominis misericordis: quia illius pecunię non sunt donatę, nec translatæ à dominio illius diuitis ad dominium pauperum: in casu nostro autem pecuniæ trāsierunt à dominio piorum hominum, vel Reipublicæ ad pauperes in communi cum hoc onere mutuandi singulis, vt dictum est, gratis: ideò non est par ratio.

Per idem ad aliā rōnem: neque enim est par rō de ministris vsurarij: quia vt dictum in illis pecuniæ dominium non est translatū ad pauperes. Ideò fundamentū principale aduersariorum, q̧ mutuatio, quæ fit in Monte pietatis, sit propriè mutuatio, ex qua aliquid acquirere sit vsura, est falsum: quia hæc mutuatio non est propriè mutuatio generatiua vsurarum, qm̄ hæc fit inter diuersas personas quarum vnaquæque habet dñium distinctum suarū pecuniarū, & vna auget suas pecunias ex lucro mutui ex alterius pecunijs; At in casu nostro Mōs pietatis, & pauperes nō sūt diuersæ psonæ habētes pecunias diuersas, & diuersa dñia; sed sūt veluti vna psona. Pauperes.n. in cōi sūt dñi illarū pecuniarū, & illas sibi ipsis i particulari mutuāt, & ex illis beneficiū istud ad vitandū vsuras accipiunt, &, vt hoc beneficiū sibi cōseruent, suis sumptib. sustentāt ministros, & necessaria ad illius boni publici conseruationē.

Quid si super sint pecuniæ in Monte.

380 Sed quid dicendū si ex eo, quod suprà sortē exigitur à pauperibus, in fine anni aliquid supersit vltra sūptus, & expensas pro conseruatione Mōtis? Respondetur administratores Mōtis diligenter curare debere, ne plus exigant à mutuatariis, quàm sufficiat ad expensas, adeò q̧ supersit aliquid vltra impensas: quia ex eadem Bulla Leonis, & ex natura rei lucrū non debet accedere Monti ex illo mutuo; si tñ aliquid supersit: quia non ita exactè computus fieri potest expensarum, & illius pecuniæ vltra sortē reddēdæ, dēt insumi in opus piū: q̧ a dñi sūt incerti. Vndè cū Mōs ipse sit op° piū, poterit remanere ipsi Mōti.

An liceat alicui ponere pecuniā in Monte, ea lege, vt quotannis recipiat aliquid vltra sortem.

381 Dubium verò est, an liceat administratoribus Montium accipere pecunias ab ijs, qui volunt conferre suas pecunias in Montem, ea lege, vt aliquid recipiant vltra sortem quotannis, vt quattuor, vel quinque pro centenario; & administratores deinde dent illas pecunias mutuò pauperib. ea lege, vt soluant aliquid vltra sortem, tum pro sumptib. ministrorum, cum ēt, vt satisfaciant his, qui pecunias suas in Mōtem posuerunt? S. Ant. p. 2. tit. 1. c. 11. dicit de hac re quondā fuisse maximā contentionem, sed deinde cōi snīa receptum esse licere; dummodo pecunia, quò ad sortē principalē non possit repeti. In hanc snīam citantur Siluester verbo *Vsura* 5. q. 2. Io. Bapt. Lupus in tractatu de Vsuris. Panor. c. 6. *in ciuitate tua*, & alij ab Azorio lib. 10. c. 22. q. 4. Ratio est, quia ciues dantes hmōi pecunias Montis, non mutuant, sed emunt censum perpetuum. Nam ampliùs ipsi non possunt repetere capitale, licèt Mons possit ad libitum restituere capitale, & ideò ciues non peccant, nec cōmittunt vsurā. Neque administratores Montium exigendo aliquid vltra sortem ad soluendū hmōi censum, quia istud recipitur rōne damni emergentis: ciuitas enim, & Mōs, qui vendit censum illum annuum ciuibus, vt habeat pecunias ad mutuandum pauperibus, restaurat damnum suum ex illo supra sortem.

An deponētes pecunias in Mōte ea lege, vt possint repetere eas, possit aliquid vltra sortem accipere.

382 Sed dubiū est de quibusdā Montibus in Italia, in quib. ciues deponūt pecunias suas in Mōte hac lege, vt possint qñ voluerint eas repetere, & tñ recipiūt aliquid vltra sortem, vt 4. vel 5. pro 100. & ministri Montis deinde mutuant illas pecunias pauperib. & recipiunt vltra sortē tm̄, quantū soluūt istis creditoribus, nimirū 4. vel 5. pro 100. & vlterius aliquid aliud, vt duo, vel tria pro 100. pro impensis ministrorum, &c. Nauar. facit cōsil. particulare de hoc dubio, & est consil. 17. tit. de vsuris ad instantiā ciuiū Veronēs. & dicit licere, si seruentur conditiones statutæ in Bulla Iulij III. q̄ non reperio in Bullario, inter quas ait esse, q̧ qui dant hmōi pecunias essent à lucro, & sic ratione lucri cessantis possunt illud suprà sortem recipere. Vbi verò nō est lucrum cessans, idest, qui deponunt pecunias, quas non habent paratas ad mercaturam, & proinde nullum lucrū cessat eis, non videntur posse ea illo mutuo aliquid recipere, & hoc idem tenent alij DD. citati ab Azorio vbi suprà q. 5. qui quæst. hanc esse dubiam asserunt. Attamen quia Florentiæ, Vincentiæ, Veronæ, & alibi sūt in vsu huiusmodi Montes, videtur dicendum esse licitos: quia, qui ponunt suam pecuniam super hos Montes, eam possent impendere in aliquam rem fructiferam, vt emere fundum, vel aliquem alium redditum, nolunt autem, vt pauperibus inseruiant, & contenti sunt aliquid minus recipere ex hoc mutuo vltra sortem principalē, quàm reciperent ex fundo, vel prædio, vt iuuent pauperes, nec vexētur Vsuris. Hoc aūt ipsis pauperib. prodest: quia vbi mutuando ad vsuram soluerent 10. 12. & 20. pro 100. hîc soluunt 5. vel 6. tm̄ pro centinario. Putarē aūt tunc hoc maximè licere, qñ mensurare-tur id, quod vltra sortē datur, cum redditibus, quos ex prędijs, vel reb. immobilibus fructiferis reciperent quotannis detractis periculis expensis &c. vt in pluribus; tunc.n. seruaretur æqualitas in restitutione lucri cessantis, & nullum esset periculum vitij Vsuræ, neque in ciuibus deponentibus suas pecunias in Montibus ad hunc effectum mutuandi pauperibus: neque in ministris Montis, quia hîc nulla vsura adesset.

Notabila considerandum.

De secūdo genere Mōtium.

383 Secundum genus Mōtium est illud, quo ciues, vel alij solent dare pecunias Principi, vel Republicę ea lege, vt sibi quotānis, donec reddatur pecunia, Princeps soluat quinque, vel sex pro 100. & Princeps facit hoc, quia indiget pecunijs, & aliquādo cogit ciues, & subditos ad dādū sibi mutuò hmōi pecuniam; qñque non cogit, sed solùm hortatur, & eis qui sibi pecunias mutuant dat illud suprà sortem. Pecunia hæc sic data Principi dr̄ mons: quia est aceruus, & massa quædā pecuniæ; & dātes talem pecuniā dicuntur creditores Montis. Hos Montes esse licitos non est dubium modò, quia clarum est hanc non esse re vera

muiuationem pecuniæ, sed esse emptionẽ annui redditus Principis; ipsa enim Respubl. vel Princeps in bonis suis, & redditibus annuis antiquis, vel nouis cõstituit censum, & illũ vendit illo certo pretio, vt cum e.g. annuũ redditũ 5. aureorum vendit pro 100. aureis. Vndè dans hmõi pecuniã Principi non põt eam ampliùs repetere, ideò est vera emptio. Licèt ergo nomen mutui sit in vsu in hmõi cõtractu, propriè tñ non est mutuũ, sed cõtractus censualis; & conditiones censualis contractus in eo seruandæ sunt; nimirũ. Prima, vt Respub. ex redditib. antiquis, vel nouis possit soluere hos redditus. Secunda, ne qui dant pecunias possint eas repetere. Tertia, ꝙ ipse Princeps, & Resp. possit ad libitũ soluere sortẽ principalẽ, & extinguere censũ.

De tertio genere mõtium.

384 Tertium genus Montiũ est eorum, qui vendũtur. Contingit enim quãque, quod Princeps, vel Respub. egeat pecunia in aliqua magna quantitate: ipsa habet redditus varios, sed minutos, vt vectigalia, gabellas, & hmõi, decernit Princeps vendere hmõi redditus annuos ad aliquot annos, vt ad vitam emptoris, & aliqñ in perpetuum pro quadã magna massa pecuniarũ, ad rõnem, vt pro 4. vel 5. pro 100. & qñ venduntur ad tempus, vt ad vitã emptoris, dr̃ Mons vacabilis: quia mortuo emptore finitur census, & redditus redeunt ad Principẽ, & tunc minùs vẽduntur. Qñ verò venduntur in perpetuũ plus venduntur: quia plus valet redditus perpetuus, q̃ tpalis, vt patet. Vendere aũt in perpetuũ contingit dupliciter; aliqñ enim deducitur in pactum, vt Princeps possit, qñ voluerit, restituere pecuniam; aliqñ deducitur in pactum, vt nec Princeps possit reddere pecuniam capitalem, & tunc dicuntur Mõtes non vacabiles. Et q̃a difficile est aliquẽ particularẽ habere tantam pecuniam, vt possit totam hanc summã dare Principi, vt totum illum redditum emat, solent plures cõuenire, & aliqui dant vnam portionem pecuniæ, & iuxta illam accipiunt redditus: & alij aliam summam, & accipiunt redditus proportionatos; & istæ portiones dicuntur loca Montium. De his Montibus, an sint liciti, nulla est difficultas: quia re vera in his non fit cõtractus mutui, sed censualis. Nam priuati emunt redditus, & pensiones annuas ipsius Principis. Vndè in his seruari debẽt omnes cõditiones, quæ in censu seruandæ sunt. Prima, ꝙ fundentur in redditib. ipsius Principis, vel Reipublicæ. Secunda, ne plura loca, seu portiones vendantur, q̃ ipse Mons contineat. Tertia, ꝙ si Mons, siue illi redditus Principis fortuitò in totum, vel in partem perirẽt, pereant etiam in toto, vel in parte loca, seu consorcia. Ista aũt duo genera Montium re vera non differunt, nisi nomine: nam in vtroque genere Princeps constituit annuum censum, & pensionẽ super suos redditus, & illam vendit certa pecunia vni, vel pluribus, id est, vel vni totum censum annuũ, vel pluribus per varias portiones, siue per varia loca. Et hęc de cẽsibus.

De Societate. Cap. XII.

Societas ad locationẽ, & conductionem reducitur.

385 SEquitur vt agamus de societate, quæ reducitur ad contractum locationis, & cõductionis: in ea enim socij operam, industriam quodammodo sibi inuicem locant, vel conducunt, vt ex dicendis patebit. Cum autẽ societas multis modis accipiatur, Nos hic loqui intendimus de societate quæstuosa, quæ in negotiatione consistit. Societas, n. oĩum bonorũ, societas inter fratres, & similes parum negotij habent, & ex societate ad negotiationem patere potest, qñ contineant iniustitiam. Societas autem inter maritũ, & vxorem, quia non versatur circa bona externa, sed circa mutuam corporum potestatem, nõ pertinet ad hunc locum. De societate ergo quæstuosa, & ad negotiationem variæ afferuntur diffinitiones, quæ tñ in eandẽ recidunt. Hæc desumpta ab Azone in Summa, & ff. pro socio l. 5. in princ. vr̃ esse aptior. *Societas est contractus, seu conuentio duorum, vel plurium contribuendi ad cõe lucrũ.*

Quid sit societas.

In hac diffinitione *contractus, & conuentio* ponitur loco generis. Prima particula est *duorum, vel plurium*; quæ ponitur ad differẽtiã cõtractus, qui geritur ab vno solo; vnus enim solus nõ facit societatẽ, sed requiruntur duo, vel plures, qui expresse conueniant, & consentiant mutuò inire societatem: sine consensu enim mutuo nulla est societas, sicuti nec vllus contractus. Secunda particula est *contribuendi*, quæ contributio fit, vel pecunijs, vel operibus, vel industria, vel aliquib. bonis. Nã si aliquis neque pecuniã, neque operam, neque industriã, aut aliquid bonum contulerit in cõe cum alio, vel alijs, & tñ lucri ex negotiatione fiat particeps, non dr̃ socius, nec dr̃ inijsse societatem cum illo, neque lucrum illud accipere ex societate, sed accipere illud ex donatione. Tertia particula est *ad cõe lucrũ*, quæ ponitur ad differentiam eorum, qui simul habitãt in vna, & eadem domo, qui latè dicuntur socij; non tñ vllam negotiationem simul exercent ad lucrum comparandũ; similiter ad differentiam illorum, qui contribuunt aliquid ad cõem vsum, vt cõtingit in societate omnium bonorum, & in societate scolariũ in eadem domo habitantium cõtribuentium aliquam pecuniam in eodem marsupio ad ordinarios sumptus, & in societate militum, & similium.

Ad societatem hãc requirũtur quinque cõditiones.

386 Ad hunc contractum societatis, vt sit licitus, requiruntur conditiones, quas superiùs diximus ad oẽm cõtractum iustum realẽ requiri nimirũ tres conditiones, q̃ requirũtur in donatione, & in oĩ contractu, quæ sunt, ꝙ ineuntes societatem sint domini rerum quas in cõe contribuunt. Secunda, ꝙ velint inire contractum societatis. Tertia, ꝙ nullum sit impedimentũ. Propter hanc tertiam nõ licèt inire societatem de re illicita, sed debet esse de re honesta, l. 57. *nec prætermittendã*, ff. pro socio, & c. *per vestras* de don. inter vir. & vxor. quia inhonesta societas prohibetur. Vlteriùs requirũtur reliquæ duæ conditiones, quæ ad oẽm iustum cõtractũ requiruntur eo modo quò ad locationẽ, & conductionẽ necessariæ sunt. Nimirũ primò, ꝙ fiat sine fraude, nam socij tenentur de dolo, lata, & leui culpa. Quod ẽt patet ex Inst. lib. 3. tit. 26. de societate, §. 9. *socius socio*, & l. 72. *socius socio*, ff. pro socio. Et rõ horum adducta est suprà agendo de venditione quò ad istã cõditionẽ de fraude. Secũdò, ꝙ æqualitas proportionaliter seruetur. Quæ cõditio, vt ibidẽ dictum est, necessaria est simpliciter ad oẽm contractum, ad hoc vt sit licitus. Ideò in societate licita requiritur, vt in oĩbus, inter socios seruetur æqualitas; nimirũ, vt communes expensæ, lucra, & dãna sint cõia, ita vt pro rata portione, quam in cõe contribuunt, singuli faciant expensas, sustineant damnum, & reportẽt lucrum. Quod etiam decernitur l. 52. *cum duobus*, §. 3. *Damna*, & l. 29. *si non fuerint*, ff. pro socio.

Primũ genus societatis, & quo modo in ea cognoscatur iustitia, & iniustitia. Societas tribus modis fit.

387 Difficultas autẽ est in dignoscendo qñ in particularibus societatibus hæc inæqualitas, & iniustitia semetur. Pro cuius intelligentia notandum est, ꝙ societas præcipuè trib. modis fieri contingit. Vno modo, ita ꝙ singuli conferant in cõe pecuniam, siue æqualiter, siue inæqualiter, ex qua fiat vna massa, & vnum capitale, ex quo soluantur omnes expensæ, opera, & industria adhibita, & finita societate habeatur rõ in damno, & lucro subsequutis capitalis, quod vnusquisque sociorum contulit. Et in hac societate facilè est cognoscere, qñ adest iniustitia, & inæqualitas, & qñ non; quãdo enim damnũ, & lucrum diuiditur proportionaliter secundũ capitale positum, ita ꝙ si ęqualẽ pecuniã posuerunt, ęquale dãnum, & lucrũ habeãt; si verò nõ apposuerũt ęquale capitale, sed alius plus, alius minus, & dãna, & lucrũ plus, vel minus secũdũ proportionẽ diuidr̃ iusta est societas, nec vlla adest inęqualitas. Et hoc idẽ dicendũ est, si singuli æqualẽ pecuniã, laborẽ, & industriã cõtribuãt; tũc enim si ęqualiter dãna, & lucrũ diuidãtur finita societate, est iusta societas; sin minus, est iniusta.

Secundus, & tertius modus societatis.

388 Secundo modo solet iniri societas, ita ꝙ vnus apponat pecuniã, q̃ solent appellare capitale, alter verò solũ apponat laborem, industriã, & artẽ. Tertio modo ẽt fieri solet, vt vnus apponat pecuniã tm̃, alter verò industriã, & operã cum aliqua parte capitalis pecuniæ; vel vterque apponat laborem, & pecuniã, sed vnus maiorem industriã, & laborem, quàm alter. Et in his duobus generibus societatis est difficile valdè cognoscere quando adest inæqualitas,

litas, & iniuſtitia, ita vt adſit obligatio ad reſtituendum.

An diſſoluta ſocietate capitale ſit diuidendū.

389 Prima ergo, & principalis difficultas eſt, quñ vnus contribuit capitale tantùm, & alter labores tm̄; an diſſoluta ſocietate, ſi capitale integrum maneat, tota capitalis pecunia pertineat ad eum, qui illam contulit in commune, an diuidi debeat cum ſocio, qui appoſuit labores, & induſtriam tantùm. In hoc dubio reperio tres ſententias.

1. Opinio.
1. Ratio.

390 Prima aſſerit capitalē pecuniā eſſe diuidendā inter ſocios. Ratio eſt primò, quia ſupponitur, ꝙ labores, & induſtria tm̄ valeāt, quantū capitalis pecunia, vt putà, ſi e.g. pecunia capitalis ſint 100. ducati; & induſtria, ac eius valor æſtimetur quoque 100. ducatis: tunc perinde eſt, ac ſi ambo ſocij contuliſſent in cōe 200. ducatos: ergo finita ſocietate, qui poſuit laborem dēt recipere dimidiā partē pecuniæ capitalis, ſicut deberet recipere, ſi contribuiſſet 100. ducatos in pecunia.

2. Ratio.

Secundò, quia alioquin deterior eſſet conditio eius, qui induſtriā, & laborē apponit: nam ſi nullū lucrū ex ſocietate prouenerit, qui appoſuit capitalē pecuniā, totā ſuam integram pecuniā acciperet, & ſic nihil ammitter; alter verò ammitter ſuā induſtriā, & laborem.

3. Ratio.

Tertiò, quia eſto ēt ex ſocietate proueniat lucrū, tm̄ qui apponit labores tm̄, sēp erit deterioris conditionis: quia qui apponit pecuniam, finita ſocietate, recipiet integram ſuā capitalem pecuniam, & inſuper portionē ſuam lucri, alter verò recipiet ſolū partem ſuam lucri, ſed operam, & laborē ammittet: ergo videtur hic adeſſe inæqualitas. Hæc ſententia aſcribitur Conrado de contract. q. 93. Couar. lib. 3. variar. reſol. c. 2. nu. 2. ad finem, qui citat multos alios.

2. Opinio.

391 Secunda ſnia eſt quorundā aliorū, quos ſequitur Mol. diſp. 416. qui diſtinguunt de opera, & induſtria. Nā vel opera, & induſtria eſt æqualis valoris in pretio capitali pecuniæ, vt ſi apponit inſtrā, cuiuſmodi ſunt naues, ad mercaturā exercendā; retia ad piſcandū, & ſimilia, vel in precio non ſunt æqualia capitali pecuniæ, ſed ſolū in ordine ad lucrum. Loquēdo de opera, & induſtria primo modo, capitale dēt diuidi iuxta ratā proportionē valoris, quia illa opera eſt, ac pecunia. Si secūdo modo, non dēt diuidi capitale. Atque hæc opinio conuenit cū tertia opinione, quia eſt ſermo de opera, & induſtria, quæ nō eſt valoris ęqualis cū capitali in ſe, nec in totū, nec in partē, ſed ſolùm in ordine ad lucrū, in ſe autē nihil valet, vt labores, & induſtria, qua vtuntur mercatores in ſuis negotiationibus.

3. Opinio, quod tota ſors pertineat ad eū, qui illā poſuit in ſocietate.

Ideò eſt tertia opinio, quæ aſſerit capitalē pecuniā, ſeu ſortem principalē, ſi ſalua permaneat in fine ſocietatis totā integram pertinere, & dandā eſſe ei, qui illam contulit in ſocietate. Hæc opinio eſt cōior, & vera; eā vt veram ſupponit D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 5. Caiet. in Summa verbo *ſocietas*. Soto lib. 6. de iuſt. q. 6. ar. 1. Nau. in Man. c. 17. nu. 251. Azor. lib. 9. cap. 13. q. 1. qui multos alios citat pro hac opinione. Primò arguitur ſic. Pecunia illa capitalis reddēda eſt dño; ſed dn̄s eſt ille ſocius, qui eā poſuit in ſocietatē, non ille, qui ponit laborem, & induſtriā: ergo. Maior eſt euidens. Minor probatur, quia in ſocietate, qui ponit pecuniam, retinet dominium ipſius pecuniæ, ita ꝙ ſi perit, ſibi perit: ergo eſt dn̄s illius. Confirmatur, quia niſi ſeruaret dn̄ium ſibi, ſed illam conferret in cōe, ita ꝙ ſocius reciperet quoque dominium illius, non poſſet percipere lucrum ex tota pecunia capitali: quia illa tota non eſſet illius, ſed tantummodo pars illius, quod eſt abſurdum.

2. Ratio.

392 Secūdò, quia videmus, quòd in ſocietate animalium, quando vnus contribuit capitale. e.g. centū oues, & alter ſolùm operā, finita ſocietate, ſi ſaluæ ſiant oues ſine fructu, non diuidūtur oues inter ſocios, ſed manent illi, q illas appoſuit: ergo ēt idē euenire dēt de capitali pecunia.

3. Ratio.

Sixtus Quintus ēt in Conſtitut. quæ incipit *Deteſtabilis auaritiæ*, aſſerit, ſortem, finita ſocietate ſi extet, eſſe reddēdam ei, qui eam in commune contulit.

4. Ratio. Quæ eſt fūdamētalis.

393 Verùm rō fundamentalis eſt, quia ſi capitalis pecunia, finita ſocietate, diuideretur, fieret inæqualitas magna in præiudiciū illius, qui appoſuit ſortem. Nā ſi Caius ponit 100. ducatos, & Mæuius labores, & finita ſocietate, manet capitale integrū ſine vllo lucro, & diuidatur capitale inter Caium, & Męuium; Męuius, licèt ex ſocietate nullū lucrum prodierit, lucrabitur tñ dimidiam partē capitalis; & Caius ex ſocietate nedū nihil lucrabitur, ſed ēt ammittit dimidiā partem capitalis. Hoc autē eſſe iniuſtitiam in dānum Caij, probatur ex hoc: quia, cū ſocietas incipit, Caius pro capitale ponit pecuniā. e.g. centū ducatos. Męuius ponit labores, qui ſunt ęqualis valoris in ordine ad lucrum ex ſocietate, ac 100. ducati, & ſic ſunt æquales in inceptione ſocietatis: ergo in fine ſocietatis debent quoque eſſe æquales: Erunt aūt æquales, ſi vnuſquiſque habeat id, quod à principio contribuit in ſocietatē: At Caius appoſuit pecuniā, Męuius autem labores: ergo ex iuſtitiæ ęqualitate debet Caius habere 100. ducatos, & Męuius ſuū laborē. Dices labores Męuij conſumpti ſunt, & pecunia remanſit. Reſpondetur, ꝙ hoc prouenit ex cōditione rei appoſitæ in ſocietatē. Quod enim appoſuit Caius erat ſtabile, & permanens, quod verò appoſuit Męuius, non erat res ſtabilis, & permanens: ideò nihil obeſt, ꝙ ipſi labores perierint, quia hæc eſt eorū conditio. Vndè ēt ſi ex ſocietate prodijſſet lucrū, adhuc illi labores nō pmanerēt, neque vllius valoris eſſēt; pecunia aūt capitalis pmaneret, ſeruatur ergo æqualitas, quia vnuſquiſque recipit, qđ ſuū erat.

Differētia inter pecuniam, & labores in valore.

394 Pro cuius rei maiori claritate obſeruādū eſt, ꝙ labores, & pecunia in ſocietate poſita, in aliquo conueniūt, & in aliquo differunt. Cōueniunt in hoc, ꝙ ſicut labores habēt valorē in ordine ad lucrū, qa labores in negotiatione pariunt lucrū; ita ēt pecunia habet ſuū valorē in ordine ad lucrū, niſi enim pecunia adeſſet, labores nō poſſent applicari lucro: differunt verò, quia labores, circumſcripto ordine, & applicatione ad lucrum, in ſe ipſis conſiderati nihil valent; at pecunia vltra valorē in ordine ad lucrum, habet proprium valorem. Et hinc oritur ſolutio dubitationis apparentis, ꝙ fiat iniuſtitia dum Caio redditur pecunia capitalis integra, q̃ ille à principio cōtribuit, & Męuio nihil datur, & labores ſuos amiſit. Nā labores ſui nullum alium valorem habebant, niſi ad lucrum; nihil autē lucrati ſunt: ideò Męuius ex illis nihil hr̄e de iuſtitia pōt. At Caij pecunia habebat duplicē valorem; amiſit valorē ſuæ pecuniæ in ordine ad lucrum, quia nihil ſua pecunia lucratus eſt. At remanſit valor quem pecunia habet abſolutè: ideò non eſt contra iuſtitiæ æqualitatem, vt ipſe ſibi ſuam pecuniā retineat: quia nec ipſe aliquid lucratur, ſed retinet, qđ ſuū erat; neque hēt aliquid ampliùs q̃ Męuius.

Ad primā rationē pro priori opinione.

395 Hinc patet ſolutio ad rōnes pro priori opinione, ad primam reſpondetur, ꝙ labores, etſi quantū ad valorē in ordine ad lucrū ſint æquales 100. ducatis, tñ quò ad valorē in ſe non ſunt ęquales: ideò falſum eſt, ꝙ ponere labores, qui valeant 100. ducatos, ſit idem, ꝙ ponere 100. ducatos: ſunt enim 100. ducati laborib. ęquales quò ad valorē in ordine ad lucrum, non quò ad valorē proprium, ſed ſuperant valorē laborum: & ideò non ſequitur, ꝙ finita ſocietate, qui poſuit labores debeat recipere partem dimidiā pecuniæ capitalis, q̃ alter appoſuit: eſſet enim magna inæqualitas, quia, qui appoſuit pecuniā, amitteret valorē pecuniæ in ordine ad lucrum, ſicut qui appoſuit labores; propter quem erant æquales, & inſuper amitteret dimidiā partem ſuæ pecuniæ; quæ habet valorem ſuum proprium: & alter, licèt amitteret valorem ſui laboris in ordine ad lucrum, reciperet tamen dimidium capitalis, & pecuniæ ſocij; & ſic licèt ex ſocietate nihil lucratus eſſet, lucraretur tamen dimidium ſortis principalis, quæ eſt aperta iniuſtitia in damnum illius, qui appoſuiſſet pecuniam.

Ad ſecūdā.

396 Ad ſecundā patet ex eodem fundamento falſum eſſe, deteriorē eſſe conditionē illius, qui appoſuit laborē tantùm; quñ vterque amittit valorem, qui ordinatur ad lucrū. Nam qui apponit laborem dr̄ amittere laborem, quia nō acquirit lucrum ad quod labores ordinabātur, & in ordine ad quod habebant valorem; Alter verò amittit valorē illum pecuniæ, qui ordinabatur quoque ad lucrum, quia ex ſua pecunia nihil lucratur. Sunt ergo æqualis conditionis in eo, qđ ad ſocietatē, q̃ inierunt pertinet. Quantum verò ad id, quod appoſuerūt in ſocietatē quando illam

do illā inierunt, sunt inæquales, quia res, quas contribuerunt, erant diuersæ cōditionis; Pecunia de sua natura habet proprium valorem, vltra valorē in ordine ad lucrū; labores verò habent solùm valorem, qui ordinatur ad lucrum: ideò illo amisso nihil remanet ei, qui illos apposuit.

Ad tertiā. 397 Per idem ad tertiam patet: sufficit enim ad æqualitatem, vt lucrum æqualiter diuidant, quia ad hoc acquirendū inierunt societatem; q̄ autem ratione eorum, quæ vnusquisque contribuit, plus habeat in fine societatis, qui apposuit pecuniam, quàm qui apposuit labores, hoc nō ex contractu societatis euenit, sed ex natura eorū, quę contribuerunt, quæ sunt diuersæ rationis in valore, vt dictū est.

An liceat inire pactū, vt capitale diuidatur. 398 Sed oritur dubium contra hanc sententiam: quia si pecunia capitalis pertinet ad eū, qui illam posuit, & nihil ad eum, qui posuit solùm operam: ergo erit contra iustitiam inire societatem hoc pacto, vt finita societate capitalis pecunia diuidatur inter socios, ita quòd tātum ex illa percipiat, qui posuit pecuniam, quātum qui posuit solùm labores; & tamen hoc pactum licere apponi sentiunt ferè cōiter Doctores Glossa in cap. Plerique 13. q. 3. in verbo. *Negotiatoribus*. Bal. in l. 1. *C. pro socio*. Nau. in Man. c. 17. nu. 253. Azor. lib. 9. c. 3. q. 2. & alij auctores citati ab illis, nec vllus oppositum dicere vř: immò Sixtus V. in Const. nunc suprà citata declarat sortem esse restituēdam, cū extat soluta societate ei, qui eam in societatem contulit, nisi fuerit cum socio cōicata, aut aliter inter eos conuentum.

Solutio. 399 Respondeo licere apponere pactum; neque hoc pugnare cum determinatione nunc suprà facta: quia qñque contingere potest, vt labor, & industria tm̄ æstimetur in aliqua negotiatione, vt præponderet valori pecuniæ in ordine ad lucrū; & proinde, qui apponit laborē, nolit cōtentus esse æquali lucro cum socio, qui apponit solū pecuniā, sed velit absolutè in fine societatis, capitale, & lucrū diuidi ęqualiter. Vndè si socius, qui apponit pecuniā, assētit liberè, est, ac si approbet labores socij in tali negotiatione in ordine ad lucrum valere tm̄, quātū valet pecunia tàm in ordine ad lucrū, q̄ in se ipsa; & sic nulla est inęqualitas, nec iniustitia; in priori aūt casu est sermo, qñ labor est æqualis pecuniæ, quò ad valorem in ordine ad lucrum tm̄, nō autem qñ adeò labor æstimatur, vt sit ęqualis pecunię, tā quò ad valorē in ordine ad lucrū, q̄ in se ipsa absolutè.

Quid dicēdum quando nullum pactum apponitur de capitali. 400 Sed quid dicendum, qñ vnus apponit pecuniam, & alter labores, & nullū fit pactū expresè, an capitale saluū manere debeat ei, qui illud apposuit, an debeat diuidi inter socios? Respondetur standum esse consuetudini regionū, & societatū illius generis, quia censentur cōtrahere secundū cōsuetudinē illius Regionis, vel illius generis negotiationis, & societatis. Qñ aūt nulla est consuetudo, neque pactū expressum est appositū, iudicandū est capitale dn̄e remanere ei, qui illud apposuit: quia non censetur eū, qui apposuit pecuniā, æstimare tantum laborē socij, quantum absolutè valet sua pecunia, sed solū in ordine ad negotiationē, & lucrum; ad hunc enim finē ineunt societatem: ideò tunc sors, & capitale non est diuidendum inter socios, sed pertinet ad eum, qui illud posuit in societatem.

Si capitale pereat, cui pereat. Magna deinde adest difficultas. Ad quem spectet dānum si pecunia capitalis aliquādo pereat, an ad eum, qui illam contulit in cōi tm̄, an etiam ad socium, qui confert laborem, ita q̄ qui ponit laborem, si tota pecunia pereat, debeat subire damnum dimidiæ partis, & eam soluere ei, qui pecuniam apposuit. In hoc dubio etiā variant Doctores.

1. Opinio. Aliqui dicunt distinguendum esse. Vel enim pecunia perit à principio antequā alter socius apponat aliquē laborem, & tunc dicunt damnum esse cōe; si verò pereat in fine postquàm alter socius apposuit oēm laborem, damnū esse solū illius, qui posuit pecuniam; si verò pereat in dimidio tpe negotiationis plus minusvè, dānum esse dimidiū plus minusvè, quatenus plus minusvè laborauit. Hæc opinio tribuitur Maiori in 4. d. 15. q. 47. §. *tertius casus*. P. Perusino in tract. de duob. fratrib. p. 4 q. 2. Cynan l. 1. C. pro

Ratio pro hac sententia. socio, & alijs nonnullis. Ratio pro hac opinione est: quia qui apponit laborē, & qui apponit pecuniā se habēt, ac si apponerent æqualē pecuniam: ideò sicut si pecunia periret damnum esset cōe, & æquale, ita etiā qñ vnus apponit pecuniā, & alter laborem æqualē in valore ipsi pecuniæ.

401 Altera est opinio oīnò opposita cōior, & vera, quę asserit si capitalis pecunia pereat, perire illi, qui eā posuit, non alijs socijs. Opinio opposita est vera. Hanc opinionē sequuntur auctores suprà citati pro tertia opinione; hæc enim innititur eisdem fundamentis. s. quia qui contribuit pecuniam manet dn̄s pecuniæ: ideò si perit, ei perit, non alijs. Confirmatur: quia si socius, qui apposuit laborē, subijceretur damno pecuniæ amissæ, fieret iniustitia, & inęqualitas in dānū ipsius, qui posuit laborem: nā ipse amisit iā laborē suum, qui tm̄ valet, quantū pecunia amissa; Si autem adhuc teneretur ad soluendā partem pecuniæ amissæ socio, qui eam apposuit pateretur dānū in duplo maius, q̄ socius eius: nā qui posuit pecuniam, solùm amitteret partē pecunię, vt si contribuit 100. ducatos recuperabit 50. & sic amittet tm̄ 50. ducatos; Socius verò qui ponit laborem; primò amittet laborē, qui tm̄ valet, quantum 100. ducati in ordine ad lucrum, vt diximus suprà; deinde soluet 50. ducatos socio, & sic ipse tres partes damni sentiet, & socius, qui posuit pecuniam, vnā partem tm̄. Et hoc est euidens, si capitale pereat, postquā socius labores oēs, vel in parte aliqua magna apposuit.

402 Si ēt capitale pereat statim inita societate anteq̄ alter adhibeat labores, esset ēt iniustitia, & inæqualitas in dānum eius, qui ponit labores, si, qui ponere habebat labores, teneretur soluere socio dimidiā, vel aliq̄ partē capitalis amissi. Qm̄ socius ex hac societate nihil accepit à socio ex appositione illius pecunię in cōi societate, quod deinde restituere teneatur, si capitale pereat: quia illa pecunia ponitur in societate, & cōicabitur in ordine ad lucrū tm̄, non prout est alicuius valoris in se: quia hoc est accidentale societati, q̄ non alia de causa initur, nisi pp lucrū; at in ordine ad lucrum, ēt iste socius ponit, & cōicat partē suam, nimirum laborē, qui in ordine ad lucrum valet tm̄, quantum illa pecunia. Vndè si pecunia capitalis pereat, nec possint negotiari, nec alius possit apponere labores, hoc non facit, vt qui apponit labores habeat aliquid plus, q̄ qui ponit pecuniā, sed vnusquisque amittit, quod suum est, ille pecuniam, iste laborem, quia illam nō adhibet, nec lucratur. Exemplo simili declaratur. Si quis tradat prædium suum colono ad colendū hoc pacto, vt pro labore suo habeat dimidiam partem fructuum: si prædiū inundatione fluminis periret, antequàm colonus inciperet colere prædium, propter illam conuentionem, vt colonus coleret prędium pro dimidia parte fructuum pro suo labore, non teneretur colonus resarcire partem pretij prędij: quia ex illa conuentione colonus nihil substānæ prædij acquisiuit. Ita in proposito, socius ex cōuentione societatis ineundæ non accipit dominium partis pecuniæ capitalis, sed solùm cōuenit illam exercere, vt lucrum afferat, & pro labore partem lucri habeat. Cū ergo socius, qui ponit laborem ex appositione pecuniæ non accipiat aliquid à socio, qui illam contribuit, sequitur ipsum quoque non obligari ad restituēdū aliquid de capitali pecunię amissę.

403 Si autem deducatur in pactum, vt capitale sit cōmune, & diuidatur finita societate, tunc, qui ponit laborem, tenetur ad resarciendam partem capitalis socio, qui posuit pecuniam. Ratio ex eodem fundamento sumitur, quia socius, qui ponit pecuniam, communicat tunc pecuniam socio non solum in ordine ad lucrum, sed ēt quò ad substantiam suā, & valorem proprium, ideò si perit, perit sibi, non ei, qui apposuit ipsam pecuniam; & proinde partem illam pecuniæ, quam per cōmunicationē accepit, tenetur restituere, alioquin ille solus, q apposuit pecuniā, damnum sentiret: nam si pecunia periret, tota sibi periret, & si salua maneret, deberet diuidere illam cum socio, & sic dimidiam amitteret, & ita semper, & quocunque casu fieret iniustitia, & inæqualitas in damnum illius, qui posuit, & communicauit pecuniam. In hac assertione conueniunt Doctores citati suprà, & Azorius cum illis vbi supra, q. 4. licèt alio modo rem hanc declarent.

Sed

An liceat coire societatem cum pacto, vt capitale sit saluum ei, qui illud apposuit.

404 Sed dubium aliud nõ minus graue accidit, An liceat inire societatem cum aliquo, & apponere pecuniam capitalem hoc pacto, quòd capitale semper sit saluum, & nihilominus, qui apponit capitale, accipiat partem suam lucri. Hic casus frequenter euenit: nam contingit sæpe, quòd viduæ pupilli, & similes personæ habeant aliquam exiguam pecuniam, quæ nõ sufficiat ad emendũ aliquod stabile fructiferum, vt puta 100. ducatos; & quia sunt pauperes, tradere cupiunt eam pecuniam mercatoribus hoc pacto, vt capitale sit saluum, & tamen aliquod lucrũ ex illis percipiant, quo suam inopiam subleuare possint, non distracto capitali, quod seruant, vel pro filijs nubẽdis, vel pro aliqua alia necessitate. Hanc quæstionem tractãt diligenter Theologi, & Canonistæ, Maior in 4.d.15.q.48. Caietanus in opusculo 17. Resp. 11. Soto, lib. 6. de iustitia, q.6.ar.2. ad tertium. Panormitanus in cap. *per vestras*. de donationibus inter virum, & vxorem, num. 11. Nauarrus in Man.c.17.à nu.253. & in Com.c.14.q.3.à nu.32. Couar. lib. 3. variar. Resolut. c.2. nu.3. & 4. & alij multi quos citat Azorius lib. 9. c.3. q.5. & c.4. q.5. vbi hanc quæstionem latissimè tractat.

Non licet ratione societatis inire pactum, vt capitale sit saluum.

Breuiter in hoc dubio communior, & vera sentẽtia est nõ licere inire societatem cum pacto huiusmodi, vt capitale sit saluum, considerando hunc contractum in ratione simplicis societatis, ita quòd sit vnus simplex cõtractus societatis. Ratio est, quia in tali contractu re vera non est societas, sed mutuum cum lucro, sub specie societatis: quia de ratione societatis est, vt vterque socius se exponat periculo amittendi, vel operas, vel capitale. Vndè societatem, in qua capitale soluatur alteri socio, Iurisconsulti appellãt societatem leoninam: nam vnus socius lucrum tantũ habet non damnum, alter damnum. Vndè communiter reprobatur Hostiensis, qui oppositum docuit.

Opinio Caietani, Soto, & aliorũ asserentiũ, neque licere ratione assecurationis.

405 Attamen si contractus iste alio modo consideretur, quatenus s. non est simplex contractus societatis, sed habet adiunctum contractum assecurationis, illum non omnes damnant. Caiet. to.1. Opuscul. tract. 31. resp. 11. ait, quòd si à principio cũ initur societas, deducatur in pactũ, vt socius assecuret capitalem pecuniam, & se obliget ad soluendum certum lucrum, vt puta quattuor, vel quinque pro centum ratione lucri, quod speratur ex pecunia capitali posita in societate, est contractus vsurarius: quia re vera hic non est cõtractus assecurationis. Si tamen post societatem initam addantur hęc pacta de assecuratione capitalis, & de soluenda certa pecunia pro lucro sperato, ait esse licitũ contractũ: quia tunc abest suspicio vsurarũ, & apparet verè assecurationem capitalis, & emptionem certi lucri pro periculo, quod subit assecurando capitale.

406 Soto verò lib. 6. de iust. & iu. q.6. ar.2. Azor. lib. 9. c.3. q.6. & nonnulli alij sequentes Panor. in c. *per vestras*, nu. 11. tenent, nec à principio, nec deinde vnquam licere hmõi pactum inire cum socio, qui ponit laborem: cũ tertio aũt tenent licere. Ratio eorũ est, quia, dum socius deducit in pactũ, q capitalis pecunia salua remaneat; eo ipso ponens pecuniam transfert dominium suæ pecuniæ in socium, & desinit esse societas, sed fit mutuum, siquidem non vult subijcere periculo ammissionis pecuniæ, sed vult periculum pecuniæ esse penes socium, qui ponit laborem: ideò cum desinat esse societas, sequitur eum nõ posse percipere lucrum, quia est lucrum ex mutuo, quod est vsura.

Opinio asserẽs licere.

407 E conuerso Maior in 4. d. illa 15. q. 48. & 49. Nau. in Man. c.17. à nu. 254. & in Com. c.1.14. q.1. à num. 32. Couar. 3. variat. resol. c.2. nu.3. & 4. Mol. disp. 417. & alij quos citat Azor. pro hac sententia vbi sup. q.6. tenent licere tàm in principio, quàm deinde. Ratio principalis est,

Ratio fundamentalis pro hac opinione.

quia contractus assecurationis capitalis, & vẽditionis partis lucri sperati propter illam assecurationem non pugnat cum contractu societatis. Nam auctores aduersarij dicũt licere cum tertia persona; at socius ex societate non fit deterioris conditionis: ergo si tertius potest assecurare capitale, & pro illa assecuratione rõne periculi, quod in se suscipit pũi, recipere quatuor, vel quinque iuxta prudẽtis, & boni viri iudicium; et ille, qui ponit laborem in societate, potest hoc periculum in se sumere, & alter id in pactũ deducere potest, & ei pro periculo soluere certam pecuniã, & reliquum lucrum speratum societatis sibi reseruare.

Cõfirmat.

408 Confirmatur, quia fundamentum principale aduersariorũ, quod est, quia socius ponens capitale transfert dominium illius in socium, qui ponit solũ laborem, est falsum. Nam clarum est remanere dominiũ apud eum, qui apponit sortẽ. Sicuti enim in assecuratione licèt transferatur periculũ in assecurantẽ; non tñ transfertur dominium rei, sed permanet apud illũ, cuius est ante assecurationẽ. Ita in proposito, capitale etsi assecuretur à socio, qui ponit solùm labores, non tamen propter hoc in eum transfertur dominium ipsius pecuniæ capitalis, sed remanet apud eum, qui illam apponit. Et proinde falsum est hunc contractum transire in mutuum, & non manere societatem.

Et confirmatur, quia si socius periret, & societas proinde dissolueretur, rei vendicatio pertineret ad eum, qui apposuit capitale. Item si contingeret fieri executionem in bonis socij, qui posuit labores, ob aliam causam contractam, quàm propter societatem, non posset fieri in illo capitali: ergo signum est, quòd remanet dominium apud eum, qui illud apposuit. Hæc opinio itaque cùm sit communior, & rationabilior, ei me subscribo.

Hæc opinio approbatur.

409 Nec obest, q à principio deducatur in pactum, vt socius, qui capitale assecurat, etiam soluat certam determinatã pecuniam pro lucro, quod speratur, vt quatuor, vel quinque pro centum; hoc enim fit vt liberentur à labore supputationum, & à computis, num plus lucri comparatũ sit, vel an à mercatoribus decipiantur, & ob alias similes causas. e. g. negotiatio, quam ineunt, solet vt plurimum reddere 20. pro 100. quotãnis lucri, & ei qui apposuit capitale, cõtingũt 10. pro assecuratione capitalis reliquit socio quatuor pro 100. adeò quòd ad eum contingerent solum 6. pro centinario, vt autẽ liberetur à supputationibus, & ab alijs scrupulis, vt dictum est, conuenit cum socio, vt singulis annis durante societate soluat sibi quinque pro sperato lucro, reliqua sibi habeat. Hic contractus mihi videtur maximè iustus.

410 Obseruandũ est tamen hoc esse verum, quando, qui ponit capitale verè init societatem, idest ponit eam in negotiationem, vt pariat lucrum; si enim daretur alteri, qui non negotiaret, esset mutuum sub specie societatis, ac perinde vsura.

Constitutionem autem Sixti V. quæ incipit *Detestabilis*, non puto prohibere societatem in qua modo nunc explicato, scilicet per modũ assecurationis deducitur in pactum, vt in societate capitale sit saluum; tamen quia facilè potest hac via palliari vsura, tutius est abstinere.

Opin. Gotfredi reijcitur.

411 Ex dictis sequitur opinionem illam antiquã Gotfredi, reiectam iurè esse ab Angelo in verbo *Societas*, 1. q. 17. qui dicebat in fine societatis eum, qui operam solùm apposuit debere accipere tantam pecuniam, quanta erat sors, & capitalis pecunia, quam alter socius apposuit, & deinde diuidere lucrum, quod superest. e. g. Titius ponit centum aureos; Seius apponit laborem, qui æstimatur cẽtum aureis, lucrantur verò in fine societatis 200. aureos, Gotfredus volebat, quòd Titius primò sumeret suos centum aureos; & Seius centum alios, pro suo labore; deinde alios centum diuiderent. Iurè inquam hæc opinio reijcitur: quia operæ non habentur tanquam sors principalis; neque est par ratio de operis, & nummis: quia operæ nihil valent in se, sed solùm in ordine ad lucrum: ideò æstimare illas primò in se sicut pecuniam, & deinde illas æstimare in ordine ad lucrum quoque est iniustitia.

Opera non valet tantũ quantũ pecunia.

De societate animalium.

412 Societas animaliũ ex regulis suprà assignatis ad iustitiam societatis pensanda est. Notandum est tamen secundùm omnes. Animalia tribus modis tradi posse alicui. Primo modo, venditione, de qua hìc non est sermo, sed debent seruari regulæ seruandæ circa venditionem, & emptionem in communi, de quibus suprà.

413 Secundo modo traduntur per modum condu-

ctionis, & locationis, vt e.g. cum dominus animalium tradit animalia alicui, vt ea pascat, gubernet, & regat; tūc dominus animalium dicitur condocere operas illius, qui suscipit onus pascendi animalia, & ille pastor dicitur locare operā suam. Vel ipse dominus animalium locat operas, & fructus ipsorum animalium, & qui illa suscipit dicitur cōducere operas animalium. Quando autem animalia traduntur hoc modo per modum locationis, vel conductionis, seruandæ sunt regulæ iustitiæ, de quibus diximus agendo de locatione, & conductione.

Tertio modo traduntur ad veram societatem; & tunc seruandæ sunt regulæ superius assignatæ ad iustam societatē; & sicut societas potest duobus, vel tribus modis fieri

1. Modus societatis animalium. in alijs rebus, sic etiam in animalibus. Primo modo quādo aliqui socij simul emont animalia communia, faciunt expensas communes, & diuidunt lucrum simul. Vel vnus apponit maius capitale, & plures labores, alter minus capitale, & minores labores, & tunc facilè deprehenditur quando adest iniustitia, & quando non. Nam hoc modo debent fructus, seu lucrum, expensæ, & damna diuidi iuxta proportionem capitalis, & laborum, vt suprà dictum est. Alio etiam modo fieri potest, vt si vnus socius apponat capitale tantùm, scilicet animalia, alter laborem, & industriam tantùm. Et hoc etiam duobus modis fieri potest,

2. Modus, vt suprà dicebamus. Vno modo, quòd capitale non po-

3. Modus, natur in communi cum eo, qui apponit labores. Alio modo, quòd apponatur in communi, & communicetur cum Socio, qui apponit labores.

Quid dicēdum quòad primū modum. Si primo modo fiat societas, quæ est vera societas, si capitale perit, domino perit; neque socius, qui apponit labores, ad nihil tenetur, nisi dolo, & lata culpa eius pereat capitale.

Quid dicendum de 2. modo. Si secundo modo fiat societas, lucrum, & fructus debet diuidi iuxta dicta superius proportionaliter, ita quòd si labor æstimetur tanti in ordine ad lucrum, & fructus, quanti capitale, secundùm consuetudinem Regionis, vel talis societatis, lucrum, & fructus debent æqualiter diuidi: sin æstimentur minoris, secundum proportionem valoris operum debent diuidi.

Quid dicēdum de 3. modo. Si verò capitale ponatur in communi, ita quòd ex animalibus labore, & industria fiat vnum integrum capitale finita societate debent omnia diuidi, tam capitale, quàm fructus secundùm proportionem capitalis pecuniæ, & laborum contributorum. Et pacta, quæ dicta sunt ibi non licere, neque hic licere possunt: & quæ illic diximus licere, vt pactum assecurationis capitalis, hic quoque sunt licita eodem modo, quæ est communior doctrina, vt diximus. Ex his regulis generalibus casus particulares quò ad iustitiam, & iniustitiam patere possunt.

De societate officiorū. 414 De societatibus officiorū remanet disserendum. Hoc genus societatis exercetur in aliquibus Italiæ ciuitatibus, sed præsertim Romæ, & à paucis annis videntur cœpisse. Vnde antiquior, qui de his scripserit, videtur esse Soto in 6. de iustitia q. 6. art. 2. ad finem. Recentiores tamen fusè de his egerunt, Nauarrus in consilijs part. 2. de vsuris consilio 21. & 27. Franciscus Castracanius in libello particulari, & alijs quos citat Azorius libr. 9. cap. 8. in

Natura societatis officiorum. principio. Vt breuiter agamus notandum est huiusmodi societatem sic se habere. In Romana Curia sunt multa officia, quæ auctoritate Pontificis venduntur, ad vitam eorum qui illa emunt, & sont fructuosa, alia magis, alia minus quotannis. Contingit modò, vt qui emit aliquod horum officiorum, vt puta, Caius egeat pecunia, vt puta 100. aureis: accipit hos centum aureos à Mæuio; & hac lege inter se conueniunt, quòd pro istis centum aureis Caius accipit Mæuium in socium in suo officio, & ei consignat ex redditibus eiusdem officij ratam partem fructuum dicti officij, quam partem propter incertitudinem fructuum dicti officij, & fastidium computorum, dictus Caius conducit ad rationem scutorum duodecim, vel decem pro centinario in anno, quæ solui debeant de semestri in semestre, & in principio cuiuslibet semestris; & sint exempta ab omni ordinario, & extraordinario onere, & casu, cum pacto, quòd finita, & dissoluta societate, vsque ad integram restitutionem dictorum centum scutorum aureorum, Caius soluere teneatur eadem decem, vel 12. scuta pro centinario ratione interesse, & damnorum quæ in tantam summam taxauerunt. Rursus addunt hoc pactum, quòd si infra tempus societatis moriatur Mæuius, qui dedit centum aureos, morte naturali non violēta, &c. ipse Caius lucretur capitale, scilicet centum aureos, nec teneatur hæredibus Mæuij restituere, sed solùm fructus non solutos.

415 Circa hanc societatem Pontifices ædiderunt varias constitutiones continentes quasdam conditiones seruandas in illa; nimirum Leo X. Paulus IV. & Pius IV. quas adducit ad verbum Franciscus Castracanius in Tractatu de societatibus officiorum ad finem. Conditiones autem sunt octo, quarum prima est. Quòd re vera existet 1. Cōditio.
officium super quod initur societas; atque in societate, quæ in tali officio initur, non apponantur pacta contra 2. Cōditio.
bonos mores. Secunda conditio est. Ne is, qui officium habet, & accipit pecunias in societatem, plures socios adsciscat, nec plus pecuniarum accipiat, quàm æstimatio officij postulet, exempli gratia officium Caij valet quingentos aureos; non potest accipere in societatem plures socios, vt accipiat sexcentos. Hanc conditionem apposuit Pius IV. & addidit, quòd, qui habet officium, debeat exponere ei, qui dat pecunias, an alias societates habeat, si ab illo requiratur; & si eas in totum, vel in partem cælauerit, eo ipso sit priuatus officio; sine detrimento tamen creditorum & fideiussorum. Tertia conditio est, vt, qui in 3. Cōditio.
socium accipitur, pecuniam numeratam soluat corā Notario, & testibus. Quarta conditio est, quòd, si infra sex 4. Cōditio.
menses ille, qui dedit pecuniam habenti officium, decesserit, qui habet officium, lucretur illa centum; liberum tamen sit ei, qui dedit centum habenti officium intra quindecim, vel decem dies, nominare alium loco sui, cuius vitæ periculo stent centum, qui itidem, si intra semestre moriatur, qui habet officium, similiter lucretur centum absque onere restituendi cuiuis. Quinta cōditio est, quòd 5. Cōditio.
is, qui habet officium, & accipit pecunias in societate, teneatur eas restituere in omni euentu, quòd is, qui eas dedit, viuat ad sex menses; atque insuper teneatur soluere ad semestre illam lucri partem, quam diximus, scilicet ad rationem decem, vel duodecim pro centenario. Sexta 6. Cōditio.
conditio est, quòd, qui habet officium, & accipit pecunias in societatem, & propter eas soluit illam partem lucri, vt putà 6. ad semestre pro centum, illam partem lucri soluat, tanquam partem, & fructum ex centum. Septima cō- 7. Cōditio.
ditio est, quòd qui habet officium, & soluit lucrum, illud 8. Cōditio.
soluat anticipato, nimirum in principio semestris. Octaua, & vltima conditio est, quod is, qui habet officium, & recipit pecunias, teneatur soluere prædictum lucrum, etiamsi ammittat, vel dimittat officium ante completum semestre, immò & completo semestre, & finita etiam societate, tenetur soluere prædictum lucrum, donec restituat integrum capitale, vt putà centum aureos, quos recepit, ratione lucri cessantis.

416 Istæ sont conditiones seruandæ in hoc genere societatis, & quando hæc non seruantur, contractus est illicitus, quantum est ex parte huius generis contractus: si autem varietur aliqua conditio, vel aliqua omittatur, variabitur contractus, & non erit amplius societas officiorum vocata, sed alter contractus, & tunc iudicandum erit secundùm conditiones illius, ad quem reducetur, & videndum an habeat conditiones requisitas ad iustitiam, & æqualitatem requisitam illius, prout suprà diximus.

417 Quò ad prædictas conditiones requisitas ad hāc An cōditiones allatæ contineant iustitiam.
societatem, an contineant iustitiam, de quatuor primis nulla est, nec vnquam fuit dubitatio. Prima enim pertinet ad substantiam huius societatis, nec vllam continere De prima cōditione.
iniustitiam patet. Cum enim officium sit fructuosum, nulla est iniustitia ipsum participare alteri, qui partem pecuniæ soluat, & ratam partem fructuum percipiat. Solùm solet dubitari, an si, qui officium non habet, vt putà, 1. Dubitatio.

Mæuius

Mæuius, indigens pecunia, roget eum qui habet officiū, puta Caium, vt suum officium sibi accōmodet, quo possit super illud accipere ab aliquo tertio centum, ea conditione, & pactis, quibus acciperet Caius, & ipse qui habet officium illud ei accōmodet, committat vsuram. Castracanus apud Azorium vbi suprà cap. 8. q. 3. hanc societatem vt vsurariam damnare videtur; tamen propter vsum curiæ Romanæ eam ab omni labe vsuræ liberat. Verum vt ibidem rectè tenet Azorius, hæc societas non est vsuraria: quia si esset vsuraria, per consuetudinem non posset fieri licita: quia illa esset corruptella non consuetudo. Ratio autem est: quia non pugnat cum ratione, neque cum constitutionibus Pontificijs, quòd qui habet officium, cum pecunias non habeat, quas mutuare possit Mæuio amico, illi accōmmodet officium suum, vt eo possit accipere pecunias eo modo, quo acciperet ipse Caius habens officium. Sicut non pugnat cum ratione, quòd, cum ego non habeam pecunias, quas tibi mutuò dem, accommodem tibi gemmam, vel aliam rem, vt eam pignori des, & accipias tibi pecunias. Suppono autem, vt dixi, quod seruentur constitutiones Pontificiæ, maximè ea, quæ in 2. conditione explicata est.

De secūda conditione 418 Secunda conditio est etiam æquissima, & pertinet intrinsecè ad naturam societatis. Si enim talis excessus adsit in societate, certè in iudicio condemnabitur, quia est contra constitutiones Pontificias, quæ hunc excessum disertè prohibent. Ideò in societatibus huiusmodi recipere plures pecunias, quàm officium valeat, & adsciscere plures socios, quàm officium patiatur ratione societatis, est contractus vsurarius, & fit in fraudem legis.

Quòd verò dicunt aliqui, habentes huiusmodi officia accipere solere ab alijs pecuniam hac conditione, & pacto, quòd si termino sex mensium dans pecuniam moriatur, habens officium, ipsam lucretur, nec teneatur ad restituendum hæredibus; si verò non moriatur, habens officium, soluat sex pro centinario: & quærunt an hoc liceat? Re vera hunc esse contractum omninò diuersum à societate officij, & ratione illius nullo modo licere, extra illam verò, considerando hunc contractum in se, puto licere: Quia reducitur ad eum contractum à Doctoribus in cap. *Nauiganti* approbatum, quo quis monasterio Religiosorum dat, exempli gratia, mille aureos ea lege, vt quotannis dum vixerit, monasterium certam quantitatē pecuniæ ipsi soluat, & post obitum, omnia sint monasterij. Hic enim contractus iustus est propter periculum, & incertum euentum; potest enim qui dedit pecuniam citò mori, & monasterium lucrari; potest etiam diù viuere, & plus recipere, quàm dederit, & sic ipse lucrabitur. Ità in hoc casu, quia qui dedit pecuniam potest mori illo spacio sex mensium.

De tertia conditione 419 Per tertiam conditionem prohibentur illæ societates omnes quæ fiunt non numerata pecunia, si habens officium, habet vt solutam pecuniam; illæ enim fiunt in fraudem legis; & sunt contractus simulati: ideò licet aliqui sentiant oppositum, hæc tutior est.

De quarta conditione De quarta conditione nulla est dubitatio: licet enim ob periculum vitæ, & hoc est proprium huius societatis.

De quinta conditione De quinta videtur adesse aliqua dubitatio, quia, qui dat pecunias, non subest periculo amittendi illas: quia, si superuiuat ad finem semestris, cogitur recipiens illas restituere; sed respondetur, quòd etsi hac ratione non substent eius periculo; substant tamen periculo alia ratione: quia si infra semestre moriatur penitus perit pecunia, ita quòd nec ipse de ea disponere potest post mortem, nec hæredes eius eam repetere possunt.

De sexta. De sexta neque etiam est dubitatio, quia etsi aliquod officium Romanæ curiæ non semper quotannis reddat 12. pro centum; tamen aliquando plus, aliquando minus, & est verisimile parere huiusmodi fructum. Deinde dubium illud, vt lucretur capitale per mortem dantis pecunias, valet aliquid.

De septima De septima videtur dubium, quia ex societate non tenetur quis soluere lucrum nisi societate finita; solet enim diuidi lucrum postquàm est acquisitum, non ante. Respondetur in locationibus etiam solere solui pecuniam anticipatam; in societate autem ista qui accipit pecuniā conducit partem lucri officij, quæ contingeret danti pecuniam: ideò cum sit ex hac parte locatio, & conductio, non inconuenit eam anticipata solutione fieri.

420 De vltima, Soto vbi suprà videtur eā damnare, quia non admittit lucrum cessans in hoc casu esse licitū: sed hoc fundamentum est falsum, apertè enim explicatur ratio, propter quam lucrum illud finita societate, vel dimisso officio debeat solui, scilicet ratione interesse, quod est vel damnum emergens, vel lucrum cessans; neque enim æquum est, vt, qui dedit pecuniam cum periculo ammittendi capitale, si moriatur, etiam subeat periculum non exigendi suam pecuniam, finita vel dissolta societate, & eam alteri lucro non applicandi, si habens pecuniam finita societate, vel dissolta, non soluat. Verum est, quòd non debet recipere sex pro centum determinatè, sed quantum esset lucrum, quod ex applicatione illius pecuniæ ad aliā negotiationem secundum iudicium prudentis viri, ex dictis superiùs, esset lucraturus, detractis expensis, & periculis. De vltima. Opinio Soto reijcitur.

De emphiteusi, feudo, & contractu libellario, & liuellario. Cap. XIII.

421 Contractus emphiteusis, feudalis, & libellarius reducuntur ad contractum locationis, & conductionis, licèt habeant sua propria pacta, & leges, quibus inter se, & à locatione, & conductione propriè sumpta, distinguuntur. De his multa Iurisperiti scribunt; nobis sufficiat eorum diffinitionem assignare, vt naturā ipsorum cognoscamus, & quid ad eorum iustitiam requiratur, vt intelligere possimus si aliquando in eis interueniat peccatum, & obligatio ad restitutionem. Emphiteusis ergò, prætermissis alijs diffinitionibus, quæ insinuantur ab Inst. de locatione, & conductione, §. 3. Adeo: vers. vt ecce de prædijs, & ff. si ager vectigalis, l. 1. in fin. potest sic diffiniri. *Emphiteusis est contractus, quo res immobilis conceditur alicui quò ad dominium vtile retento dominio directo in perpetuum, vel ad longum tempus, sub reali pensione statutis temporibus domino proprietatis ea de causa soluenda, ad colendum, & vtendum salua eius substantia.* In hac diffinitione pro genere ponitur *contractus*. Prima differentia est *res immobilis*. Emphiteusis enim solùm constituitur in rebus immobilibus, non in mobilibus, propter quam differentiam emphiteusis differt à locatione, & conductione; quoniam ista fiūt etiam in rebus mobilibus. Vbi est obseruandum, quòd licèt in iure canonico emphiteusis pro locationis specie habeatur, & ob hanc causam specialis mentio de ea fiat in titul. de locato, & conducto capit. final. *potuit*, tamen differt à locatione, & est proprius contractus distinctus ex lege prima, C. de iure emphiteutico, quæ statuitur emphiteusim esse contractum diuersum à locatione, ac conductione, & habere conceptionem, & definitionem propriam, item propria pacta; præsertim autem habet hanc conditionem, quòd fit in rebus immobilibus tantùm, locatio autem in immobilibus, & mobilibus. Secunda differentia est, *quò ad dominium vtile*, &c. per quam differt à venditione, & emptione, & ab alijs contractibus. Tertia differentia est *in perpetuum, vel ad longum tempus*, quæ ponitur ad denotandum, quòd emphiteusis, quandoque fit in perpetuum, quandoque ad longum tempus, vt ad duas, vel tres generationes; vel ad vitam illius, cui conceditur iuxta pacta, quæ inter contrahentes ineuntur. Quando autem non apponitur tempus determinatum, si est de re Ecclesiastica, quia non potest alienari in perpetuum, intelligitur quò ad tres generationes, vt asserit Couaruuias cum alijs ab eo citatis lib. 3. variarum, capit. 17. num. vltimo. In rebus sæcularium verò erit intelligenda

Definitio emphiteusis.

1. Differentia.

2. Differentia.

3. Differentia.

iuxta

iuxta consuetudinem Regionis; vt ijdem doctores vbi suprà tradunt. Quarta differentia est *sub reali pensione*, per hanc particulam patet emphiteusim reduci ad locationem; in locatione enim res datur ad vsum alteri pro certa mercede. Dicitur verò *sub reali pensione* ad differentiam feudi, in quo, si est simplex nullam habens admixtam emphiteusim, soluitur seruitium personale, vt videbimus. Dicitur etiam *reali*: quia non solum in pecunia soluitur hęc pensio, sed quandoque in alijs rebus, vt tritico, vino, & alijs rebus. Per alias particulas differt ab alijs contractibus. Emphiteusis enim propriè ad hoc est inuenta, vt agri, & res immobiles colantur, & fructiferæ reddantur: cum enim quandoque domini huiusmodi rerum immobilium, vel non possint, vel nolint, vt putà, quia multa prædia habent, quæ omnia colere non possunt, vel ob aliquam aliã causã, alijs tradũt, quò ad vtile dominiũ, reseruando proprietatem, vt ea fructifera reddant.

4. Differentia.

422 Ad substantiam emphiteusis requiruntur illę tres conditiones, quas suprà diximus requiri ad omnem contractum ad hoc, vt sit validus; nimirum quòd dans in emphiteusim, sit dominus rei emphiteuticæ, quòd recipiens velit recipere; & quòd neuter à lege, vel à superiore prohibeantur ille dare, & iste accipere. Multa autem genera hominum iure canonico prohibẽtur: qui enim prohibentur alienare, prohibẽtur quoque dare in emphiteusim. In iure autem canonico, & ciuili habentur plures leges prohibentes certas personas dare, & recipere in emphiteusim, quarum plures adducit glossa in cap. fin. *potuit*. De locato, & conducto, Azorius 3. par. lib. 10. cap. 2. & alij. Præter autem tres istas conditiones generales requiruntur conditiones propriè explicatæ nunc suprà in diffinitione.

Conditiones requisitæ ad substantiã emphiteusis.

Dare, & recipere in emphiteusim.

423 Ad iustitiam verò emphiteusis requiruntur similiter illæ duæ conditiones generales necessariæ ad omnem contractum, scilicet vt fiat sine fraude, & dolo, vt suprà diximus, & in proposito ne emphiteuta dolo, vel culpa lata, vel leui faciat rem deteriorem, & similia. Secundò, vt seruetur æqualitas, idest quòd pretium pensionis, quam reddere emphiteuta debet, sit iustum. Quãtum autem sit iustum pretium in emphiteusi glossa in Authentica Const. 120. de alienatione, & emphiteusi, & cap. 2. *Si verò*, dicit illam esse iustam pensionem, quæ viginti annis collecta, vel soluta exequat vtilitatem rei. Verùm hæc opinio non est vera; sed illa est iusta pensio, quæ arbitrio boni, & prudentis viri, vel consuetudine gentis, vel regionis, iusta iudicatur: hanc enim diximus suprà esse veram regulam iusti pretij.

Ad iustitiã emphiteusis duę conditiones requiruntur.

Hanc verò pensionem soluere tenetur emphiteota, si res in emphiteusim data tota permaneat; si autem tota pereat, licèt de periculo rei nihil fuerit pactum, ad nullam pensionem tenetur secundùm omnes, vt Inst. de locatione, & conductione §. *Adeò*, vers. *sin autem* primo parte: extincta enim re ipsa, tota finitur emphiteusis. Quando verò res ex parte perit variant doctores. Panormitanus in ca. fin. *potuit*, de locato, & conducto ait generatim esse soluendam pensionem, quantacunque pars rei remaneat, etiam si fuerit modica, sine minor pensione; & alij sunt eiusdem opinionis; & videtur verior & colligitur d. §. *Adeo*, versic. *sin autem* secundò: quia pensio non soluitur ob fructus, sed vt emphiteota rei dominum agnoscat. Et ex eadem ratione secundùm Panormitanum, & alios auctores eiusdem opinionis oritur, quòd propter sterilitatem fundi emphiteotici non debet remitti pensio: quia emphiteota non soluit pẽsionem ratione fructuum, sed vt agnoscat dominum rei directum; licèt alij multi oppositum sentiant.

424 Quod si emphiteota non soluat pensionem debitam statutis temporibus incidit in pœnam commissi, hoc est ammittit rem in emphiteusim acceptam, & illa redit ad dominum directum; & si est emphiteusis Ecclesiastica, qui à soluenda pensione per bienniũ desistit, incidit in hãc pœnam commissi ex cap. fin. *potuit*. De locato, & conducto. Et si est secularis, ille incidit, qui per trienium desistit. l. 2. C. de iure emphiteotico.

425 Sed dubium est si emphiteota soluat partem pensionis non totam, an incidat in commissum. Variæ hîc sunt opiniones, communior, secundùm Siluestrum verbo *emphiteusis* quæst. 4. & multos alios doctores, quos ipse adducit, est incidere in commissum. In eadem sententia est Iason l. vltima Cod. de iure emphiteotico num. 125. & l. 2. eodem titulo. Ratio est quia pensio in emphiteusi est modica: ergo rationi consentaneum est, quòd si totam, & integram pensionem emphiteota non soluat, ammittat emphiteusim. Multa alia dubia accidunt circa hanc materiam, quæ Iurisperiti tractant, & Recentiores, quæ repetere esset inutile.

An si soluat in parte incidat in comissũ.

426 Proximè ad emphitensim accedit feudum, de quo multa tradunt Iurisperiti in lib. feudorum. Breuiter omissa illa diffinitione quæ colligitur ex lib. feud. tit. 23. §. fin. vers. *huius autẽ*, hæc est sufficiẽs. *Feudũ est contractus, quo res immobilis cõceditur quò ad vtile dominiũ, retẽto dominio directo, in perpetuũ, vel ad longũ tẽpus, sub pensione personali.* Omnes particulæ huius diffinitionis intelliguntur sicut particulæ positæ in definitione emphiteusis, excepta vltima, quæ ponitur ad differentiam emphiteusis, vt suprà diximus. Nam ad feudi substantiam duo tantùm requiruntur. Prima quòd res data in feudum sit immobilis. Secunda quòd feudatarius fidelitatem, & obsequium personale domino promittat, & per hanc secundam conditionem differt ab emphiteusi, quia emphiteota soluit pensionem realem, non personalem. Ista ergo est differentia essentialis sine qua feudum non consistit. Ex pactis autem diuersis possunt aliæ conditiones addi, vt quòd etiam quotannis feudatarius aliquid reale soluat domino, & similia; sed essentiale est, quòd pręstet seruitium personale. Ratio est quia feuda videntur introducta secundùm aliquos ab eo tempore quo Lõgobardi in Italia regnum tenuerunt: feudum enim est vocabulum Goticum non latinum. Cum enim Gothi ciuitates bello occupabant, prædia illarum colenda suis militibus tradebant in remunerationem laborum pro ipsis in bello perpessorum, ea lege, vt qui feudum accipiebant ipsi, & sui heredes agnoscerent dominum perpetuò, atque eũ veluti pro patrono colerent, ac haberent; atque vt prouincias, & ciuitates bello partas eorum opera in posterum si opus esset, tueri possent. Quos deinde imitati sunt Carolus Magnus, ac posteri eius, & cæteri german Imperatores, in Gallia, Italia, Germania, & alijs locis.

De feudo.

Quid sit feudum.

Quo tẽpore feuda introducta sunt.

Ex hoc autem quòd feudatarius debet obsequium personale domino, emphiteota autem solùm reale multæ aliæ differentiæ oriuntur inter feudum, & emphiteusim, vt quòd dominus directus feudi potest iudicare de controuersijs inter feudatarios, non inter emphiteotas: quia feudatarij quò ad personam sunt subditi; emphiteotæ autem nequaquam, sed solùm quò ad pensionem realem. Similiter feudatarius non potest propter eandem rationem dare feudum in pignus, neque alienare, sine domini licentia; emphiteuta autem potest, quia non est subditus quò ad personam sicut feudatarius.

Similiter, fœmina non potest succedere in feudo, nisi in collatione feudalis beneficij nominatim dictum sit vt ad accipientem hæredesque suos masculos, siue fœminas in perpetuum pertineat lib. 2. tit. 23. §. fin. vers. *vsusfructus verò*: quia fœmina non est apta præstare obsequia prædicta Domino, ita ac masculus. Quæ omnia vera sunt quantum est de natura feudi. Possunt tamen alia pacta apponi, ex quibus obligationes diuersæ & plures minoresve oriantur.

427 Ad feudum quantùm ad substantiã, & iustitiam illæ conditiones sunt necessariæ, quas diximus super esse necessarias in emphiteusi, & locatione, ac in omni contractu non merè liberali.

Condõnes necessariæ ad feudũ.

Amittit autem Vassallus, seu feudatarius feudũ. Primò si sciat domino parari insidias, & cum dolo malo, & frau-

Quãdo Vassalus feudũ amittit.

de

de vel negligentia sua cælauerit de illis, neque reuelauerit ei lib. 2. feudorum tit. 24. §. 2. *Item* vers. *præterea*, & tit. 28. §. 2. *Adhoc*, vers. *tu tamen scias*. Et hoc est singulare in feudis, quia aliàs de iure communi nemo propter solam scientiam alicuius criminis punitur. Secundò si hostiliter aduersùs dominum se gesserit lib. 2. feudorum tit. 24. §. 2. *Item* vers. *Torrò si dominum*, & tit. 57. in princ. In hoc autem non sufficit voluntas, nisi ad effectum perduxerit. Argumento sumpto ex leg. 18. *Cogitationis* ff. de pœnis, & quinque virorum summæ, atque integræ opinionis testimonio manifestè conuictus fuerit, ibid. §. fin. vers. *quod non obtinere*. Tertiò si dominum in acie prælianiem deseruerit lib. 1. feudorum tit. 5. in princ. tit. 17. tit. 21. §. fin. & lib. 2. tit. 24. §. 2. *Item qui dominum*, & tit. 28. §. 2. *adhoc* vers. *tu tamen sciat*. Nisi vel mortuum, vel ad mortem vulneratum in prælio deseruerit: tunc enim non amitteret feudum, colligitur ex lib. 1. feudorum tit. 5. in princ. vers. *non mortuum*. Quartò si Vassallus vxori, vel filiæ, vel nepoti ex filio, vel neptæ filij, vel sorori domini se miscuerit, vel si eius pudicitiam attentauerit, vel cum ea turpiter luserit lib. 1. feudorum tit. 5. §. 1. vers. *Item si fidelis* tit. 17. tit. 21. §. fin. vers. *vel si cum vxore*, & lib. 2. tit. 24. §. 2. vers. *rursus*. Hoc tamen intelligitur quando vel factum fuit exempli gratia cum filia neptæ, &c. quę in domo domini manet lib. 1. tit. 5. in princ. vers. *hæc ita obtinent*, & lib. 2. tit. 24. §. 2. vers. *rursus*. Vel si cũ vxore adhuc domino viuente lib. 1. tit. 21. §. fin. illis verbis *viuente domino*. Quintò si Vassallus dominum apud iudicem accusauerit vel detulerit lib. 2. feudorum tit. 24. §. 2. vers. *Idem si delator*. Nec licet ei dicere testimonium in iudicio contra dominum tã in causa criminali, quàm ciuili alia quam feudali & quidem modica cum inter dominũ & Vassallum contentio est ibid. tit. 33. §. 2. vers. *similiter* illis verbis. *Quidam tamen*. Sextò si Vassallus sine licẽtia domini feudum alienauerit lib. 2. tit. 55. in princ. vers. *Callidis*. Septimò si Vassallus inuestituram seu renouationem feudi nõ petierit intra annum & diem ab hærede domini, vel à domino superstite hæres vassalli lib. 2. tit. 24. in princ. Nisi hæres vassalli sit minor 14. annorum, tunc enim feudum non amittit si intra dictum terminum feudi renouationem non petierit li. 2. tit. 55. in princ. vers. *præterea*. Octauò si filius feudatarij, vel eius subditi dominum offenderint, nec ipse feudatarius monitus, fecerit vt filius, vel subditi veniam petant à domino li. 2. tit. 55. §. 2. *Insuper*. Nonò si feudatarius sit cõtumax aduersus dominum, hoc est si vocatus ter ad Curiã domini neglexerit intra spacium ter septem vel decem dierum determinatum à Curia venire lib. 2. feudorum tit. 22. si tamen intra annum venerit feudum restitui ei debet ibid. vers. *sed si*. Decimò si Vassalus iurè feudi abutatur dicto lib. tit. 24. §. 2. vers. *sed non est alia*. Vndecimò si feudatarius exigenti domino obsequia fraudolenter negauerit se eius esse Vassallum, seu feudatarium: nam ignoranti subuenitur lib. 2. feudorum tit. 26. §. 3. *Vassallus si*, & §. 5. *Vassallus feudũ* tit. 34. §. fin.

De libello seu liuello.

428 Tertio loco occurrit tractatio de libello, seu liuello; vbi obseruandum est, quòd contractus libellarius, & contractus liuellarius, qui est in more in multis partibus Italiæ, sunt differentes, licèt quandoque communi nomine soleant appellari. Nam contractus libellarius dicitur quando Vassallus, vel emphiteota concedit alteri rem emphiteoticam, quam ipse ab alio in emphiteusim, vel feudum accepit, certa annua pensione super illa constituta; ita quòd contractus libellarius est emphiteusis, vel feudum alteri emphiteusi, vel feudũ subordinatum, quod elicitur ex Iasone l. 1. Cod. de iure emphiteotico quæst. 1. num. 29. Bartolo in lege *si finito* 15. §. 26. *si de vectigalibus*, ff. de damno infecto, & ex alijs.

Quomodo differt ab emphiteusi.

429 Hic contractus secundùm Curatium adductum ab Azorio parte 3. lib. 10. cap. 1. differt ab emphiteusi. Primò quod emphiteusis non solet renouari nisi possessore mortuo; libellarius verò certis temporibus, possessore non mortuo, data certa pecunia, ad arbitrium boni viri; iuxta qualitatem rei libellariæ. Secundò emphiteusis datur hac lege, vt res emphiteotica melioretur. Res verò libellaria nequaquam. Tertiò res libellaria conceditur in perpetuum, emphiteusis nonnunquam ad tempus. Quartò libellarius potest vendere rem libellariam; emphiteota nequaquàm.

Cõtractus liuellarius quis.

430 Contractus autem liuellarius, pro vt est in more in aliquibus partibus Italiæ est quo aliquis, vt puta A. vendit prædium in totum, vel in partem emptori B. cum pacto de retrouendendo, & ad effectum, vt inter eosdẽ contrahentes ineatur contractus liuellarius affrancabilis huius conditionis, videlicet, quòd ipse emptor B. detad liuellum affrancabilem ad libitum partium (ad quam affrancationem tamen non possint cogi ante certum tẽpus, vt ante quinquennium, & illo transacto possint cogi) idem prædium eidem venditori A. ad rationem sex pro centum, reseruando sibi dominium directum donec in numerato exoluerit totam pecuniam, quam ipse venditor A. accepit; & cum pacto, quòd ipse liuellarius A. ius sui dominij vtilis in alium quemquam transferre nõ possit nisi priùs facta denunciatione ipse liuellatori.

An hic contractus sit licitus.

Anto Naldus Fauen.

De hoc contractu aliqui dubitauerunt, an in conscientia sit licitus? Ad quod dubium optimè meo iudicio respondet Anton. Naldus Fauentinus, ex Clericis Regularibus in sua Summa verbo, *liuellus*; sustinendo esse contractum licitum adducendo, & refellendo obiectiones in oppositum, quod etiam mihi probatur. Nam, (vt rectè prædictus Naldus obseruauit) hic contractus liuellarius, non est contractus simplex, sed mixtus ex tribus cõtractibus, in quibus nulla apparet iniustitia. Primus est venditio prædij. Hæc supponitur facta iusto pretio, quod est illud, quod habet consuetudo regionis in similibus contractibus; quòd autem sit vera venditio, patet: quia transfertur dominium directũ rei in emptorem, vndè si illa pereat, perit emptori, non venditori; & fructus sunt emptoris, si quidem eos locat deinde venditori per liuellum initum. Quòd si quis obijciat, res, quæ venditur, debet esse certa; at in hoc contractu quando non venditur totum prædium, sed pars eius, non apparet, quæ pars vendita sit, quia illa pars suis finibus non signatur, an scilicet sit superior, vel inferior, sed inconfusò venditur. Respondetur hoc non obstare veræ venditioni: quia non est nouum in iure portionem alicuius rei communis, & indiuisæ posse vendi, vt ex 100. modijs grani simul in eadem massa existentibus vendere decem, & similia: satis enim est determinatio illius communis, ex quo illa pars venditur.

In liuello miscentur tres contractus liciti.

In liuello est vera venditio.

Obiectio.

Solutio.

In liuello est pactum de retrouẽdendo.

Dubium.

431 Secundò adest pactum de retrouendendo; hoc autem est licitum, vt suprà vidimus agendo de venditione cum pacto retrouendendi. Quòd si obijcias pactũ de retrouendendo positum in potestate libera emptoris damnari a Doctoribus: quia pactum obligans venditorem ad redimendum possessionem post certum tempus, est mutuum palliatum. Respondeo vt suprà dixi cum Couaruuia lib. 3. variarum resolut. cap. 9. num. 3. huiusmodi pactum habere quidem speciem mutui vsurarij, & ab eo esse abstinendum; tamen in substantia non esse mutuum: quia eo tempore quo durat venditio, si res periret, periret domino. Et hoc magis confirmatur: quia multi Doctores cum Azorio p. 3. lib. 8. cap. 12. asserunt huiusmodi pactum esse passim vsitatum in Italia, Germania, & alibi; Et hic contractus liuellarius est maximè in vsu in Italia: ideò iudicandum est, vt veram venditionem celebrari, & non in fraudem vsurarum, cum secundùm suam substantiam non sit mutuum, vt dictum est, sed venditio.

Solutio.

In liuello est locatio.

432 Tertiò est locatio fructuum. Nam emptor certo pretio locat fructus prædij ad determinatum tempus, quod de se non est illicitum, nec repugnat locationi: immò est locationi proprium, quòd fiat ad certum tempus. Vndè licet videatur reduci ad contractum census, est tamen diuersus. Quare Panormitanus cap. 4. *illo vos*. de

pigno-

pignoribus num. 28. & Imola, ibidem num. 5. asserunt meritò emptorem posse pacisci cum venditore, vt remaneat in possessione rei sibi locatæ certa annua pensione: quia tunc venditor possidet rem tanquàm conductor,

Obiectio.

non tanquàm dominus. Quòd si quis obijciat in contractu locationis si fructus minuantur ob sterilitatem sine culpa conductoris, pensio minuitur; at in hoc contractu liuellario semper pensio eadem soluitur absque

Solutio.

vlla restauratione. Respondetur contractum liuellariũ habere hanc sibi conditionem propriã, per quam distinguitur à simplici locatione; in hac enim parte induit naturam emphiteusis, seù locationis perpetuæ. Et maximè quia in hoc contractu ponitur pactum, quòd liuellario non liceat ius suum transferre in alium irrequisito domino directo, seu emptore; quod est proprium ipsius emphiteusis: ideò hæc conditio hunc contractum non vitiat.

Liuellus non est census.

433 Quòd si quis dicat, hic contractus habet rationem census, non locationis perpetuæ seù emphiteusis: In censu autem ex cõstitutione Pij Quinti prohibetur pactum, in quo aufertur libertas venditori affrancandi pensionem quandocũque voluerit; In hoc autem contractu liuellario apponitur hoc pactum. Respondetur esse proculdubio contractum diuersum à censu, vt censuit Sacra congregatio Pœnitentiariæ relata ab eodem Naldo eodem loco. Et confirmatur: quia contractus ex pactis diuersis diuersificantur, vt tenent Doctores communiter. Huiusmodi autem pactum ex sua natura nullam sapit iniustitiam: ideò licèt in contractu censuali Pontifex illud prohibuerit, non tamen sequitur eum prohibuisse in contractu liuellario, de quo loquimur, qui est diuersus à censuali.

De contractibus in quibus non transfertur dominium, nec vsus rei, sed sunt actiones, ex quibus oritur obligatio, vel ex vtraque parte, vel altera tantùm. Et primò de promissione. Cap. XIIII.

Quid sit promissio. Promissio differt à proposito.

434 P*Romissio est actus quo quis spontè, & liberaliter pollicetur alteri aliquid dare, vel facere.* Quæ diffinitio est nota, & communiter acceptata. Hæc differt à proposito dandi, vel faciendi aliquid: quia promissio est actus quo quis se obligat ad dandum, vel faciendum aliquid; propositum verò licèt sit firmum, & deliberatum, non est actus inducens obligationem aliquam faciendi, vel dandi aliquid. Vndè promissio explicatur per verbum illud *promitto me facturum, vel daturum hoc, vel illud tali tempore*. Propositum verò explicatur per verbum illud *faciam, dabo*, & huiusmodi, sed non intenditur obligatio vlla. Vndè communiter Theologi, & Canonistæ asserunt propositum distingui à voto, quia votum est promissio facta Deo; propositum verò non est obligatio, nec promissio; licèt propositum prærequiratur ad ipsum votum: quia votum est promissio deliberata, & firma. Promissio ergo nuda, de qua hic agimus, est promissio facta alicui ex liberalitate, faciendi, vel dandi aliquid.

An promissio obliget sub pœna peccati.

435 Est autem difficultas specialis, an huiusmodi promissio simplex liberaliter facta sine iuramento, & sine aliqua causa, seù ratione debiti, obliget in conscientia, seù contineat obligationem adimplendi promissum sub pena peccati mortalis. In hac re sunt variæ opiniones.

1. Opinio, quæ est negatiua.

Aliqui dicunt promissionem ex sua ratione non obligare in conscientia, quando non adest causa; Quæ opinio videtur esse Panormitani in cap. 1. de donat. Et in cap. *si cautio*. de fide instrumentorum, & quorundam aliorũ. sed falsum est Panormitanum fuisse huius opinionis, nã vt ait Nauarrus in Man. cap. 18. num. 6. loquitur in foro exteriori, & dicit illam promissionem, in qua non exprimitur causa, censeri temerariam; non autem intendit, quòd promissio voluntaria, & liberaliter facta, non obliget in conscientia.

436 Alij dicunt, quòd obligat ex quadam honestate, sed non sub pœna peccati mortalis, neque promissionem non adimplere esse ex suo genere peccatum mortale, sed solùm veniale; aliquando verò ex accidenti fieri mortale, sicut mendacium ex suo genere est veniale, vt mendacium officiosum, & iocosum; & tamen aliquando est peccatum mortale, vt mendacium perniciosum. Hanc sententiã tenet Caietanus 2. 2. q. 88. ar. 2. & q. 113. art. 1. dubio 4. fundamentum eius est, quia non obseruare fidem est esse mendacem; sed mendacium ex sui natura est peccatum veniale tantùm: ergo. Ex quo subiungit Regulam ad cognoscendum quando promissum non seruare est peccatum mortale, esse desumendum ex subiecta materia, quando enim est in materia, quæ est cõtra charitatem proximi, est peccatum mortale, vt si quis promittat aliquam rem magni momenti, & valdè vtilem, vel necessariam proximo, ex cuius defectu damnum magnum patiatur. Et hoc idem dicendum ait de promissionibus ciuilibus. Si enim sit de re graui, & transgressio sit contra charitatem, ratione subiectæ materiæ est peccatum mortale; si verò ex subiecta materia non sit contra charitatem, non est peccatum mortale, sed veniale, & obligat tantùm ex honestate, non ex iustitia.

2. Opinio quæ est Caietani.

Hanc opinionem Caietani complectitur Molina disp. 242. quantùm ad hanc partem; immò dicit promissiones ciuiles frequentiùs hoc modo fieri. Admittit tamen etiam dari promissiones aliquas simplices, quæ ad mortale obligant, scilicet quando aliquis intendit se obligare sub hoc onere; istæ enim transeunt in pactum, & datur actio contra promittentem, nisi seruet promissum. Hæc opinio per fundamenta opinionis sequentis reijcitur.

Opinio Molinæ.

437 Aliqui alij ergo sustinent promissionem ex genere suo obligare in conscientia ad seruandum promissum sub pœna peccati mortalis, & non obseruare promissum esse peccatum mortale; ex accidenti verò, scilicet ratione leuitatis materiæ fieri veniale. Hanc opinionem tenet Soto lib. 6. de iustitia, & iure quæst. 2. art. 1. ad primum contra Caietanum, quem deinde alij sequuti sunt, quos refert, & sequitur Azorius 3. p. li. 11. c. 14. q. 3. & 4.

3. Opinio, quæ approbatur.

438 Hæc opinio mihi quoque probatur, & puto eam esse expressè Scoti. Nam Scotus in 4. d. 28. q. 1. in responsione ad secundum argumentum principale concedit adimpletionem promissi, sicut & fidelitatem, esse de lege naturæ, atque proinde de lege naturæ esse seruandam promissionem. Tunc sic, transgressio legis naturæ de suo genere est peccatum mortale: omnis enim actus contra præceptum Dei est peccatum mortale ex suo genere; lex naturæ est præceptum Dei: ergo.

Opinio Scoti.

1. Ratio.

439 Præterea ipse Scotus in tertio distin. 38. quæst. 1. agens de mendacio, in argumentis ad oppositũ pro parte vera, probat omne mendacium esse ex suo genere peccatum mortale duplici ratione. Primò quod est contra præceptum illud legis naturæ, *Non facies alij quod tibi non vis fieri*, est peccatum mortale; Mendacium est huiusmodi: ergo. Minor ab eo probatur, quia nemo vult se decipi à proximo. Ex hoc habemus primò mendacium esse ex suo genere peccatũ mortale, & sic fundamentum Caietani, quòd erat, ideò n õ seruare promissum, & perfidiam, non esse peccatum mortale ex se: quia est mendacium quoddam, & mendacium non est peccatum mortale ex suo genere, sed veniale, ruit. Secundò habemus argumentum ad propositum ex eodem medio efficax sic. Non obseruare promissum est contra illud præceptum naturæ, *non facies alij quod tibi non vis fieri*. Sed actus contra huiusmodi præceptum est peccatum mortale de suo genere: ergo.

Confirmatur.

Fundamentum Caietani reijcitur.

440 Secunda ratio, quam eodem loco facit Scotus, est hæc. Quidquid est contra aliquam virtutem necessariam, vel contra eius actum, est peccatum mortale; sed mendacium (adiungamus nos) sed perfidia, & non seruare promissum est contra veritatem, quæ est virtus cõtenta sub iustitia (adiungamus) non seruare promissum

2. Ratio.

est

est contra virtutem fidelitatis, quæ est virtus contenta sub iustitia, & est necessaria: ergo non seruare promissum est de suo genere peccatum mortale. Minor patet, quia qui promissum non soluit frangit fidem; frangere autem fidem est maximum peccatum: quia si fides, seu fidelitas è medio societatis humanæ tollatur, totam Republicam perire necesse est: quia fidelitas est fundamentum omnium contractuum, & pactorum humanorum: ideò, si non tenerentur ex iustitia homines seruare fidelitatem, nulla posset esse societas. Et certè hoc fundamentum est efficacissimum, & proinde hæc sententia est verissima.

Non obseruare promissionem ex accidenti est peccatum veniale.

441 Ex accidenti verò nulli dubium est promissionē non seruare, seu perfidiam, & infidelitatem fieri posse peccatum veniale ex paruitate materiæ, sicut suprà diximus agendo de causis, quibus peccatum ex suo genere mortale fit veniale. Et hac ratione saluare possumus promissiones morales, quæ sæpe in ciuili societate habentur in vsu, non semper obligare ad mortale: quia vt plurimùm sunt de rebus, quæ non sunt multùm vtiles illi cui fiunt; & si sunt de rebus vtilibus; non tamen ille, cui fit promissio, multum curat. Et quia (quod magis mihi placet) vt ait Scotus in 3. dist. 39. q. 1. §. *de Tertio*, & omnes concedunt, in obligationibus priuatis nullus obligatur non intendens se obligare: in promissionibus autem ciuilibus, & moralibus, vt plurimùm promittentes non intendunt se obligare cum hoc onere seruandi promissum sub pœna peccati mortalis; neque ij, quibus fit promissio, intendunt obligationem acceptare sub hoc maximò onere sed solùm ex quadam honestate. Vndè in transgressione talis promissionis non est mendacium, quia vterque, & promittens, & cui promittitur, intendunt esse obligationem ex honestate. Quando autem huiusmodi promissio obliget ex iustitia, vel ex honestate, ex ipso promittente intelligi potest nimirùm si ipse sic intendebat, & ille cui fiebat promissio intendebat acceptare promissionem; & erat de re vtili multa; vel valdè necessaria. In foro autem exteriori ex circunstantijs concurrentibus est iudicandum, vt ex scripturis vel testibus præsentibus, & similibus.

An promissio mentalis obliget.

442 Ex dictis possumus habere solutionem duarum quæstionum, quæ inter recentiores maximè controuertuntur, quarum prima est, An promissio mentalis nullis verbis, nec nutibus explicata obliget in conscientia seruare promissum. Secunda, An promissio verbis, vel nutibus explicata obliget antequàm acceptetur ab eo cui fit promissio. Etenim circa primam aliqui asserunt ex promissione interna, mentali, nuda, nullis verbis, vel nutibus explicata oriri obligationem naturalem, non ciuilem, obligantem in conscientia ad seruandum promissum idest obligare secundùm legem naturæ, & in conscientia; licèt in foro ciuili, & externo non obliget. Et hæc opinio tribuitur Lesdencio in 4. p. 2. q. 17. ar. 1. dubio 3. & alijs, quos sequitur Molina disp. 266. licèt in fine det etiam modum sustinendi oppositam sententiam, & videatur esse problematicus.

Opinio affirmatiua.

1. Ratio. Pro hac opinione.

443 Fundamenta huius opinionis sunt. Primò, quia promissio exterior non alia de causa habet vim obligandi nisi ex obligatione interiori; si enim desit internus animus se obligandi nulla est obligatio exterior: ergo obligatio interna est vera, & prima radix obligationis. Antecedens patet ex Institutis de rerum diuisione, §. 40. *per traditionem quoque*, vbi habetur. *Nihil tam conueniens esse naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam habere.*

2. Ratio.

Secundò promissio facta Deo solo interno mentis proposito obligat: ergo & promissio facta homini, licèt nō sit verbis expressa.

3. Ratio.

Tertiò solo animo & voluntate possumus dominium, & possessionem amittere, & iterum acquirere; vt, si e.g. Titius rem suam pro derelicta habeat, & iterum eam pro sua retineat antequàm alius possessionem eius adeptus sit, l. 1. & 2. ff. pro derelicto.

4. Ratio.

444 Quartò adiungit Molina ad hoc vt promissio, & donatio sit valida non est necessaria acceptatio, sed solùm de iure positiuo introductum est, vt acceptatio fiat verbis, vel nutibus in commune bonum; at ius positiuum non potest dare promissioni aliquid, quod sit suprà naturam eius; si ergo promissio obligat stante acceptatione, sequitur ipsam per se habere hanc vim sine acceptatione, & expressione per verba, & nutus.

5. Ratio.

445 Quintò, si tu heri actu interno promisisti, vel donasti alicui aliquid; deinde hodie nulla de nouo facta promissione dicatur illi, heri donaui tibi talem rem, vis ne illam acceptare? si acceptat teneris dare, & tamen significatio illa verbis facta non est donatio, nec promissio: ergo sola promissio interior est, quæ habuit vim obligandi.

Allata opinio reijcitur.

1. Ratio.

446 Allata opinio fusè reijcitur ab Azorio l. 11. c. 15. & priùs eam vt falsam reliquit Soto, licèt cum aliqua dubitatione lib. 4. de iustitia quæst. 5. art. 1. ad primum, & lib. 7. quæst. 2. art. 2. ad 1. & mihi quidem omninò improbabilis videtur. Nam promissio est actus iustitiæ, pertinet enim ad virtutem fidelitatis, fidelitas autem est actus iustitiæ; at iustitia est virtus moralis, quia pertinet ad commercium humanum, vt diximus suprà agendo de iustitia, sed commercium humanum non consistit in actibus internis, vt patet, sed externis; absurdum ergo immò ridiculum mihi videtur ponere promissionem, quatenus est nudus actus internus, inter actus iustitiæ, & obligationem inducere.

2. Ratio.

447 Præterea licèt ad promissionem requiratur consensus internus, tamen ratio formalis promissionis consistit in verbis externis, quibus actus internus exprimitur: ergo sine actuali expressione promissio mentalis nō est vera promissio, & consequenter non obligat. Antecedens probatur. Promissio est proximum, & immediatum fundamentum contractus humani, immò essentialiter ingreditur quemcunque contractum humanum, vt omnes concedunt; at actus mentalis non potest esse proximum, & immediatum fundamentum contractus, atque intrinsecè illum ingredi, quia contractus est actus externus, non internus: ergo promissio, quatenus est actus internus mentalis, non est propriè promissio, & consequenter non obligat. Vndè rectè D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 1. dixit promissionem, quæ fit homini non posse fieri nisi verbis, vel per aliqua exteriora signa.

3. Ratio.

448 Tandem, vt alij arguunt, per promissionem acquiritur ius ei, cui fit promissio per ipsam promissionē, & consequenter fit, vt possit petere hoc, quod sibi est promissum, & naturaliter debitum; at non potest quando est sibi naturaliter ignotum: ergo frustra est talis obligatio naturalis. Natura autem, & Deus ipse non facit aliquid frustra. Quòd si dicas, ipse promittens facta interna promissione tenetur eam manifestare ei, cui facta est promissio. Contrà: ergo per actum internum promissionis ille, cui fit promissio, acquireret ius exigendi manifestationem animi ipsius promittentis, & tamen hoc ius eum naturaliter lateret, quod est pariter absurdum, vt priùs. Hæc sententia magis confirmatur, ex confutatione rationum pro priori opinione.

Ad primā rationem pro priori opinione.

449 Ad rationes autem pro priori opinione facilis est responsio. Ad primam respondetur illam concludere ad promissionem ad hoc vt sit valida, & obliget promittentem requiri consensum mentis: nam promissio constat simul ex verbis, seu nutibus, & ex consensu explicato per eadem verba, vel nutus: Vnum non sufficit sine altero, principaliter autem promissio consistit in actu externo verborum, vel nutuum: quia actibus externis homines inter se ciuiliter viuunt. Vndè videmus sponsalia non contrahi actibus internis, sed solùm externis: neque, eo quia ex se aliquis actu interno promittit alicui eā ducere in vxorem, remanere obligatum ad ducendam illam in vxorem, vel ad manifestandam ei hanc suam mentalem promissionem.

Ad

Ad secūdā.

450 Ad secundam non est par ratio de Deo, & homine: quia Deo patet cor hominis, neque magis Deus intelligit conceptum mentis, si verbis exprimatur, quàm si non exprimatur: ideò promissionem sola mente factam sibi potest ratam habere, & acceptare: At homo non nisi verbis, vel nutibus, quæ ad hunc effectum data sunt hominibus, potest promissionem alterius intelligere, & acceptare.

Ad tertiam rationem.

451 Ad tertiam respondit Azorius, quòd etsi aliquis solo animo, & volūtate possit dominium suæ rei deponere, & rursus acquirere, tamen nō potest dominium illius ad alterum transferre, quod omnes concedunt. Addo ego neque re vera potest amittere dominium, vel acquirere solo animo, & voluntate, nisi aliqua verba, & signa huius voluntatis addantur. Nam nisi Titius aliquo signo exteriori ostendat se rem suam pro derelictā habere, nunquam alter illius dominium accipere potest: quia ignorat, an sit derelicta. Et confirmatur, quia illi quattuor contractus, qui dicuntur solo consensu compleri, nimirùm Emptio, Locatio, Societas, Mandatum, non dicuntur solo consensu fieri, & quia possint sine verbis, vel nutibus compleri, hoc enim est ridiculum; sed quia sine scripto, sine certa verborum forma conficiuntur, solo consensu verbis, vel nutibus, vel alijs signis expresso.

Ad quartā.

452 Ad quartam respondetur lege naturæ requiri acceptationem fieri verbis; neque in hoc ius positiuum adiungit aliquid actui promissionis supra naturam eius, sed explicat magis id, quod conuenit promissioni ex iure naturę. Deus enim & natura dedit hominibus verba, & nutus ad communicandum simul in societate, & commertijs humanis, ideò sine verbis, & nutibus hoc commertiū haberi non potest, quia homines non viuunt simul solis actibus internis.

Ad quintā.

453 Ad quintam respondetur, quod si qui manifestat promissionem mentalem, illam continuat tunc, quando eam manifestat, obligat; quoniam tunc actu animo, & verbis promittit; si autem eam promissionem non confirmat ore tunc, nulla est obligatio: quia tunc tempus est tantùm interna obligatio.

Quid si mētalis ꝓmissio iuramēto cōfirmetur.

454 Sed quid dicendum, si mentalem promissionem confirmet voto, vel iuramento? Respondetur tunc quidem obligare ratione voti, vel iuramenti, quia per hæc homo obligatur Deo; non autem ratione puræ promissionis factæ hominibus, de qua nunc nos loquimur.

An promissio obliget ante acceptationē.

455 Altera quæstio est an promissio obliget antequā acceptetur ab eo, cui fit. In hac quæstione omnes conueniunt in iure ciuili promissionem ante acceptationem regulariter non inducere obligationē, neque actionem pareret: quia nondum transiuit in pactum; neque in contractum perfectum. Dixi regulariter, quia in aliquibus casibus sine acceptatione obligat, vt quando promissio est facta ciuitati ad reparandum quod per incendium, & similia perijt, & in alijs & similibus casibus, de quibus Molina disp. 258. cum alijs ab eo citatis.

Opinio Soto quæ est negatiua.

456 Sed difficultas est de obligatione quò ad ius naturæ. Et quò ad hoc sunt opiniones; aliqui enim negant, aliqui affirmant. Soto lib. 4. de iustitia quæst. 5. art. 1. ad primum, & lib. 3. quæst. 5. art. 3. post secundam conclusionem partem negatiuam tenet, licèt cum aliqua formidine. Et fundamētum eius est, quia datio (idem enim est dicendum de donatione, seù datione, & promissione) dicit relationem ad accipientem: ideò cum non adest aliquis, qui accipiat, nulla videtur esse datio, & promissio, & sic nulla manet obligatio: Vndè est quòd tunc donatio, & promissio facta, potest reuocari, etiam sine iusta causa. Subiungit deinde Soto, quòd si promissio, & donatio solemniter sit facta coram testibus absenti, standum est iuri ciuili, iura ciuilia autem putat in hoc casu non sinere fieri reuocationem sine consensu donatarij, & proinde neque in conscientia posse fieri, sed obligare ad obseruationem promissi in conscientia. E conuerso Couarruuias cap. *Quamuis pactum.* parte 2. §. 4. num. 16. in fine. Molina disp. 263. qui tamen affert distinctionē quandam, vt videbimus. Azorius lib. 11. cap. 15. q. 2. Nauarrus in Man. cap. 18. num. 6. dum ait omnem promissionem, etiam tacitam obligare: & ij qui tenent obligationem internam obligare, multo magis, hic sustinent promissionem, antequam acceptetur, iure naturali obligare.

Opinio affirmatiua.

Fundamentum huius opin.

Fundamentum huius opinionis est, quia, vt dicebat Soto vbi suprà, promissio est duplex, alia est respectiua, alia est absoluta. Respectiua est, quæ expectat retributionem, qualis est quæ fit in contractibus mutuis, vt sunt venditio, &c. atque in his promissionibus certum est requiri acceptationem, quia sine illa nullum est pactum, neque contractus. At in promissionibus absolutis, quæ proueniunt ex liberalitate, vt est donatio, & promissio aliqua liberalis, videtur quòd sine acceptatione, quantum est ex natura rei, cadat obligatio ex sola spontanea, & gratuita promissione.

Distinctio Molinæ.

Distinguit verò Molina aliter inquiens magnam differentiam esse inter promittere aliquid alicui actu, atque exterius verbis hoc proferre, dicendo. Dono hanc rem Petro; & inter recipere, vel mittere aliquid ad donandum Petro: quia in primis duobus est obligatio seruandi promissum: quia in eis est actualis donatio seù promissio, in hoc verò tertio est solùm propositum donandi, non autem actualis donatio, nec actualis promissio: ideò in hoc tertio potest reuocari donatio, quantùm est ex iure naturæ, antequàm tradatur donatario, non autem in primis duobus casibus, quia ibi obligat seruare: in tertio autē casu non obligat.

Opinio auctoris.

457 Ego in hac re puto opinionem Soto esse veram, alio tamen fundamento: nimirùm, quia, vt suprà dixi. Promissionis obseruatio est actus veritatis fidelitatis, quæ est species virtutis iustitiæ; at virtus iustitiæ est virtus moralis pertinens ad cōmertium humanum, & ad actus ciuiles inter homines; at actus huiusmodi sunt solùm actus externi, & noti per quos aliqua inæqualitas oriri potest inter homines; actus autem priuati, & secreti vt sic non pertinent, nec sunt apti nati pertinere ad commertium humanum: ideò illi non pertinent ad iustitiā, neque consequenter ad virtutes sub ectas iustitiæ. Hinc ad propositum promissio externa etiam verbis explicata, sed nullo pręsente, vt cum quis secum dicit dono talem rem Petro, vel promitto talem rem Petro, est actus priuatus secretus, nullo modo aptus ad cōmertium humanū: ideò hic non est actus pertinēs ad iustitiā, neque eius obseruatio pertinet ad virtutem fidelitatis. At verò cū quis coram testibus solemniter, vel præsente eo, cui fit promissio, dicit. *Dono tibi hanc rem*, actus ille est publicus, & pertinet ad commertium humanum: ideò obligat ad obseruationem. Et hoc modo puto ius ciuile statuisse, quòd quædam promissiones, vt diximus de promissionibus factis communitatibus, sine acceptatione obligent: quia istæ promissiones factę sunt coram aliquibus, & publicæ sunt; alioquin, si essent secretæ, & non essent explicatæ verbis coram aliquibus testibus, vel in pręsentia repræsentantium communitates, certè non possent ij, qui promiserunt, cogi ad seruandum promissum, quia ex rebus secretis nulla potest esse actio. Quādo ergo promissiones sunt publicæ, ante acceptationem obligant, ita vt à promissione non possit, quis recedere, antequàm is, cui facta est promissio, vel consensum præstet, vel præstare recuset. Et ratio est, quia quod spectat ad promittentē, iam promissio facta est, & est actio pertinens ad commertium humanum: & quod spectat ad ipsam promissionē, ea etiam est publica, & cadit sub iudicio, & potestate hominum, & sub iustitia, & iniustitia.

Ad fundamentū aduersariorū.

458 Vndè ad fundamentum alterius sententiæ, concedo promissionem eam, quæ facta est præsenti, vel absenti coram testibus, seù aliqua solemnitate, obligare ad obseruandum promissum; at non ex eo fundamento, quia est promissio absoluta, vt illi dicunt, sed quia, vt est manifestata verbis, vel nutibus, est facta actio humana pertinens ad commertium humanum, & est capax iustitiæ, &

tiæ, &

tiæ, & iniustitiæ, vt dictum est. Et ex hoc habet vim ratio Soto. Nam promissio est relatio, & est relatio secundùm esse, non secundùm dici, vt respondet Molina: quia promissio secundùm essentiam est actus ad alterum: ideò cum tacitè, & solùm cum semetipso fit ab aliquo, non est verè actus promissionis, sed nomine, & æquiuocè tantùm.

An promissio facta præsenti nihil respondenti, valeat.

459 Sed quæritur, An si quis promittat, vel donet aliquid alicui præsenti, & ille cum possit respondere, & acceptare nihil dicit, intelligatur promissionem acceptasse? Respondetur promissionem acceptari: quia in ijs quę alicui sunt vtilia, tacere, est assentire, cap. 43. *qui tacet*. De regulis iuris in 6. & l. 142. *qui tacet*, ff. de regulis iuris.

An facta absenti valeat.

460 Si verò fiat absenti, necesse est, quòd promittens id illi significet per nuntium, vel per seipsum, vel per suũ procuratorem. Vndè si alia via perueniat ad aures eius, vt per amicum, qui id audiuit, & acceptet, acceptatio non est valida. Sic sentiunt Iul. Clar. §. Donano, q. 1. vers. *scias*. & Menoch. lib. 2. de vsu. controu. c. 15. nu. 8. & alij ab ijs citati. Ratio est, quia in contractib. requiritur expressus cõsensus, & mutuus, ac notus contrahentiũ: in causa autem isto recipiens promissionem, non conuenit cum promittit, cum eum ignoret.

Promissio non obligat nisi promittens intendat se obligare.

461 Supponitur autem, ꝙ promittens habeat volũtatem obligandi, quia, qui non habet voluntatem obligãdi se, licèt promittat, non contrahit obligationẽ, vt ait Scotus in 3. d. 39. q. 1. §. *de tertio articulo*, quia in obligationibus priuatis nullus obligatur non intendens se obligare, nam sine consensu voluntatis nulla actio tenet, quia est inuoluntaria. Et hanc sniam sequuntur D. Th. 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 5. Angel. verbo *pactum*, nu. 4. Siluest. eod. verbo, q. 4. Tabienfis, & Armilla, eodẽ verbo, nu. 2. Nau. in Man. c. 18. nu. 7. quatenus dicit debere esse voluntariam. Et confirmatur, quia si Princeps faciens legẽ intendat non obligare, lex non obligat subditum in conscientia: ergo à simile, si quis promittit non habens voluntatem obligandi se, nullam contrahit obligationem in conscientia.

Opinio Caietani, Soto, & aliorũ reijcitur. Fundamentum eorum refellitur.

462 Quare opinio Caiet. 2. 2. q. 88. art. 2. Soto lib. 7. de iustitia, q. 1. ar. 2. ad 1. Qui asserit, si qui promittit, intendat promittere, licèt nõ intendat se obligare, manere obligatum, est falsa pp rationem adductam. Neque rõ eorũ, est alicuius momenti; dñt enim obligationem esse effectũ promissionis; posita autem causa, s. promissione, effectũ, nimirum obligationem sequi naturaliter, & necessariò. Respondetur enim obligationẽ esse effectũ promissionis veræ nõ fictæ, & mendacis; qñ aũt quis promittit aliquid alicui, & nõ intẽdit se obligare, illa est promissio ficta, & mendax, sicut, qui iurat aliquid facere, & non intendit illud facere, est iurãm mẽdax, & dolosum, quod licèt sit peccatũ mortale, tñ nõ obligat: quia deficit ei actus volũtatis obligandi se. Quod si intẽderent Soto, & Caiet. vt Azor. eos exponit lib. 11. c. 15. q. 7. ꝙ qui promittit nihil cogitet de obligatione, & intendit promittere, verũ esset eũ obligari, quia non habet actum repugnantẽ, licèt ex alia rõne deficeret: quia promissio debet esse deliberata ad hoc, vt obliget, ex illa parte haberet probabilitatem; sed Caiet. & nimis disertè dicit, ꝙ & si quis intẽdat promittere, & se nõ obligare, etiam obligationem contrahere, vt dictum est.

Requiritur, quod promissio non fiat violenter.

463 Supponitur secundò, ꝙ promissio non sit coacta, idest vi facta; sed voluntaria, quod est verissimũ secundũ omnes. Vbi pro intelligentia obseruandum est, vt optimè docuit Scotus in 4. d. 29. q. 1. §. *Ad quæstionem*. Quod voluntatem cogi, põt intelligi duob. modis: vno modo simpliciter: alio modo secundũ quid. Cogi simpliciter, est cogi quò ad actionẽ elicitam, vel imperatã. Quòd aũt quò ad actus istos non possit, quis cogi, probatur: quia tunc sequeretur, ꝙ volens nollet; vel ꝙ nollens vellet, quod implicat contraditionẽ. Consequentia probatur: quia violẽtũ ex Arist. 3. Ethic. c. 2. *est cuius principium est extra non conferente vim passo*. Quod est dictu, violentũ est illud, qd est totaliter à principio extrinsecu, quod est contra inclinationem passi; ita quòd passum nullo modo cõcurrit ad

Coactio quõ cadere possit in voluntatẽ secundũ Scotum.

actum illũ, sed repugnat. Si ergo voluntas posset cogi, sequeretur, quòd ipsa à principio externo posset induci ad actum volendi aliquid, ipsa omninò repugnante, & non agente, sed patiente tantùm, quod esset facere ipsam nollentem velle, vel volentem nolle, quod est contradictio. Si tamen loquamur de coactione secundùm quid potest voluntas cogi. Coactio secundùm quid est duplex. Primò quando volũtas cogitur quò ad actum imperatum: quia scilicet actum vnum imperat, & oppositum fit, vt si quis ligatus cogatur alicubi manere; actus enim ille manendi eo in loco est contra voluntatem imperantem discedere ab eo loco. Secundo modo est, quando habens voluntatem cogitur ad aliquam passionem sustinendam, quam vt vitet, eligit velle aliquid, quod ipsa nollet, vt vitet illam passionem. Vt si quis à Tiranno cogatur sustinere mutilationem membri, vel soluere centum aureos; & ipse eligat potiùs soluere 100. aureos, quam pati mutilationem mẽbri; solutio illa 100. aureorum dicitur volita volitione coacta, sed est coactio secundũ quid, nõ aũt simpliciter, quia ipsa voluntas elicit actum illũ imperatum volẽs, sed quia elicit illum actum ad fugiendum maius malum, quod timet dicitur volitio coacta, & est coactio secundùm quid.

Voluntas potest cogi secundum quid.

Quid sit timor cadẽs inconstantẽ virum secũdum Scotũ.

464 Ex hoc habetur quid sit timor cadens in constantem virum, vt habet eodem loco Scotus; & quare actus proueniens ex timore cadere possit in virum virtuosum, & constantem, & sit actus rectus, & secundùm rectam rationem. Nam quandoque contingere potest, quòd prudenter, & certò certitudine sufficiente in actibus moralibus, aliquis cognoscat, ꝙ si non faciat aliquam actionem, quam nollet facere, vt dare 100. aureos latroni, sibi accidet maius malum, & sibi magis nociuum, & erit maius inconueniens, quàm sit elicere, vel imperare actum illum displicentem soluendi 100. latroni, & ideò ad fugiendũ illud maius malum, quod timet probabiliter, eligit efficere actum illum, quem nollet, scilicet soluere 100. aureos; vt fugiat mortem, vel mutilationem membrorum, vel aliquid aliud maius malum, quàm sic soluere 100. aureos.

Nullus potest esse timor cadẽs inconstantem virum respectu peccati.

465 Vbi obserua, ꝙ vt ait Scotus talis metus non potest cadere in aliquo respectu peccati mortalis; quia non datur maius malum, quàm peccatũ mortale; & ideò non põt quis eligere facere peccatũ mortale, vt fugiat aliquid maius malum, vt mutilationem, iacturam bonorum temporalium, & mortem: quia nullum horum malorum temporalium est maius malum, quàm sit peccatum mortale; in actionibus autem humanis, in quibus datur maius, & minus malum, timor hic habet locum secundùm rectam rõnem: quia recta ratio dictat, vt minus malum eligatur ad fugiendum maius malum. Ad propositũ promissio ad hoc, vt obliget non debet esse coacta hoc secundo modo, quia hæc non est voluntaria simpliciter, sed solùm secundùm quid: de ratione autem promissionis est, vt sit omninò voluntaria, & liberalis: & ideò coacta non obligat, quod etiam docet D. Thomas, 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. & alij cõmuniter.

Promissio debet esse de re bona.

466 Supponitur tertiò, ꝙ promissio sit rei bonæ: quia promissio rei turpis, & quæ sit peccatum in nullo foro, nec conscientiæ, nec ciuili obligat secundùm omnes, tàm Theologos, quàm Iurisperitos, vt si quis promittat se facturum homicidium, vel iniustè iudicaturum in causa. Patet l. 26. *generaliter*, ff. de verborũ oblig. & ratio est, quam adducit Scotus in 3. d. 39. §. *de tertio*, loquens de iuramẽto doloso transeunte super materiam illicitam, scilicet, quia non debet addere peccatũ peccato; sicut enim quando promisit, si habuit intentionem faciẽdi illud malum, peccauit, ita adimplendo postea promissum, nouum peccatum adderet, sicut qui iurauit occisurum, cum intentione occidendi peccauit; & si post iuramentum factum illud adimpleuit, nouum peccatum priori addidit.

An promissio de re bona, sed ob causam mali obliget.

467 Sed difficultas est de promissione facta ob causam illicitam, sed de re non mala, vt si quis promittat Iudici pecuniam, vt iustè in causam iudicet, & meretrici vestem ob actũ venereum. Rñdetur si causa turpis, & illicita sit futura, promissionem non tenere, sed esse ab ea rece-

dendum pp rationem superiùs adductã; & quia non debet quis addere peccatum peccato. Si verò causa sit sequuta, variant Doctores. Azorius lib. 11. cap. 17. quæst. 2. tenet obligare, nisi aliud fuerit canone, vel lege statutum: quia etsi causa sit turpis, promissum tamen, causa sequuta, ex iustitia tenet; neque in adimplendo promisso vlla est turpitudo. Atque idem dicẽdum de promissione ob quamcunque causam turpem, & illicitam antequam enim causa ponatur in esse non obligat, sed causa sequuta obligat, & hoc modo conciliat Doctores dissentientes.

Quando promissiõis obligatio cessat. Mutatio status duobus modis fieri potest.

468 Promissionis autem obligatio cessat communiter quando rerum, & personarum status mutatur, secundùm Senecam, & Tullium adductos, & approbatos à D. Thoma, 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad quintum, & ab alijs. Mutatio autem status rerum, & personarum duobus modis fieri potest secundùm Caietanum, 2. 2. quæst. 113. art. 1. Vno modo cum seruare fidem, & promissionem, factum est inutile ei, cui seruanda est fides, vt si tibi promissi ensem, deinde effectus es furiosus, promissio non est seruanda, quia non est tibi vtilis, sed periculosa. Secundus est quando seruare fidem, factum est mihi nociuum magis, quàm tibi sit vtile, vt si quis promisit alicui esse aduocatum in eius causa cras, & interim accidit infirmitas proprij filij, quæ exigit cras paternam curam, cessat obligatio. Addere possumus cum alijs si adimpletio fiat impossibilis, vel de iure illicita; tunc enim cessat. Et denique possumus addere cum Molina disput. 272. cessare in omni euentu, in quo promittens, si sciuisset, non promisisset. Quod probatur ea ratione qua Epicherea licet in legibus. Ea enim ideò ponitur: quia in certis casibus præsumitur, quòd legislator non intenderit obligare. Ita in proposito potest accidere aliquis casus, quem promittens non potuit aduertere, quem si aduertisset, se pro illo casu non obligasset. Hoc autem fundatur in illo principio, quòd in eo præcisè quisque per promissionem se obligat, in quo intendit se obligare; in huiusmodi autem casibus non se obligasset; ideò interrogandus est is, qui promisit, An si credidisset euenturum fuisse huiusmodi casum, se obligasset; & secundùm eius responsionem est iudicandum eum esse obligatum, vel non esse obligatum seruare promissum.

De deposito, pignore, hippotheca, mandato, & fideiussione. *Cap. XV.*

Definitio depositi.

469 DEpositum l. 1. ff. depositi. Sic diffinitur. *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est.* Ex hac diffinitione habetur depositum habere pro essentiali conditione per quam ab alijs cõtractibus distinguitur, quòd in deposito non transfertur dominium, nec vsus rei, sed manet apud deponentem vt patet ex l. 17. in fin. cod. tit. Ex quo sequitur, quòd depositum sit contractus gratia deponentis; non eius apud quem deponitur.

Quæ sint de substantia depositi

470 Ex hac diffinitione facilè elicitur quæ sint de substantia depositi, sunt enim ista. Primò est traditio rei: neque enim quis rem aliquam custodire potest nisi illa tradita sit in potestatem eius. Secundò requiritur consensus deponentis, & eius, qui recipit; omnis enim contractus requirit consensum contrahentium, vt suprà diximus. Tertiò est, vt hæc traditio detur ad hunc finem, vt custodiatur; hæc enim est essentialis, & propria huius contractus. Quartò requiritur vt eadem res deposita reddatur: quæ conditio sequitur ex prioribus: si enim traditur ad custodiam, eadem integra debet restitui. Quintò est, quòd depositarius gratis suscipiat, & custodiat rem depositam. Depositum enim non est officium mercenarium. Ista pertinent ad substantiam depositi, vt est purus contractus depositi, non autem quando transit in alium contractum, vel habet aliquem alium contractum annexum, vt dicemus.

Quãdo depositũ transeat in aliũ contractũ, vel habeat admixtum.

471 Depositum autem transit quandoque in alium contractum, vel habet admixtum duobus modis. Primo modo, quando depositarius pro custodia depositæ rei accipit aliquod stipendium, & tunc transit in contractum locati, vel conducti; Depositarius enim videtur locare operam suæ custodiæ deponenti, & deponens conducit operam depositarij, vt qui deponit vestem apud sutorem, vt eam seruet à tineis; & qui tradit animalia stabulario ad custodiam. Secundo modo, quando deponens tradit aliquid ad custodiendum, ita quod non sit necessarium reddere idem numero, sed sufficiat reddere idem specie eiusdem tamen quantitatis, & qualitatis: & tunc depositum transit in mutuum: transfertur enim dominium rei in depositarium, atque proinde si pereat, perit depositario. Vt si quis ita deponat apud aliquem pecuniam, triticum, oleum, vel aliquid simile, quod in numero, pondere, & mensura consistit, vt sibi in numero, pondere, & mensura restituatur. Et hic est obseruandum, tunc depositum transire in mutuum quando dominium apertè conceditur illius rei: quòd si solùm tradatur, vt numero, & pondere, & mensura idem reddatur, & tamen dominium non tradatur, erit simplex depositum, non mutuum: quia traditio in numero, pondere, & mensura non fit, vt habeat dominium, sed vt sciatur quantum sit reddendum: quòd si sit res aliqua obsignata, vel clausa aliquo modo: tunc propriè est depositum, vt patet.

Quæ obligationes ex deposito oriantur.

472 Ex dictis patet, quæ sint obligationes, quæ ex deposito consequuntur. Prima est, quòd depositarius tenetur seruare depositum ea fide, & cura, & diligentia, qua solet proprias res custodire. Hæc insequitur naturam depositi: ex quo enim aliquis suscipit aliquid in custodiam, ratio naturalis, & æquitas dictat vt illius rei curam ita gerat, ac rerum propriarum. Secunda debet depositarius ad libitum deponentis statim, & sine mora reddere depositum. Hæc etiam consequitur essentiam, & naturam depositi, quia ad hunc effectum traditur custodiendum, vt ad libitum ipse deponens possit illud reposcere. Fallit tamen quando timeretur aliquod damnum spirituale, temporale, vel profanum domino depositæ rei, vt diximus de eo, qui ensem deposito dedit, deinde furiosus factus repetit, quia depositarius tunc non tenetur reddere, vt agendo de restitutione dicemus. Tertia debet reddere rem depositam integram, non fractam, non diminutam, & denique nullo modo factam deteriorem, nisi casu aliter accidat: sed si aliquid damni passa sit dolo, vel culpa lata depositarij, restituere tenetur. In tribus causis etiam tenetur de leui culpa. Primò, quando se obtulit ad custodiam. Secundò, quando mercedem ob custodiam accipit: & Tertiò, quando ex pacto conuenit sic, quia pactum variat contractum. Ex culpa leuissima verò quando fuit in mora in restituendo, vel dolus præcessit, & culpa leuissima sequuta est: & in eisdem duobus casibus tenetur si casu res deposita perit, scilicet si mora, vel dolus præcessit, deinde casus sequutus est: ob moram enim, & dolum sibi imputatur damnum. Idem dicendũ si in pactum deductum est, quòd si pereat, depositario pereat: quia, vt dixi pactum naturam contractus format. Quarta obligatio. Depositarius non potest vti re deposita sine consensu expresso, vel tacito deponentis: quòd si vtatur, reus furti habetur.

Excipiuntur tamen tres casus. Primus est, quando pecunia numerata deposita est, sed non est obsignata, vel aliquo saculo occlusa, neque is, qui deposuit interdixit vsum illius depositario. Secundus, quando vt suprà dicebamus res in eadem specie, pondere, & mensura, & ad eandem functionem apta reddi potest, nec deponens prohibuit. Tertius, quando depositarius bona fide credit deponentem ratum habiturum vsum rei. Vt si, quis deposito accipit equum, ne in stabulo languescat, eo aliquando vtatur: & veste ne tineas rodatur, &c.

An in deposito locum habeat cõpensatio.

473 Sed quid, si qui suscipit Depositum, est creditor deponentis, potest ne compensare suum debitum ex pecunia, vel re deposita? Respondetur negatiuè: quia depositum

positum est contractus bonæ fidei; Depositarius autem promittit suscipere rem in formam depositi, quæ est, vt restituat rem depositam cum repetierit; si autem illam pro compensatione debiti retineat, frangit fidem datam, & peccat contra legem naturæ, & virtutem fidelitatis. Hæc omnia ex naturali ratione constant, & communiter vt vota recipiuntur, & etiam desumuntur ex digestorum lib. 16. & lib. 3. Decretalium titulo decimo, qui est de deposito. Ex his patet, quando circa depositum, quis peccare possit, & iniustitiam committere: Rectum enim est iudex obliqui.

De pignore, & Hippotheca.

474 *Pignus est res omnis, quæ creditori pro debito obligatur, & traditur.* Ex hac diffinitione patet differentiam inter depositum, & pignus esse: quia depositum datur ad custodiam simpliciter; at pignus datur ad cautionem creditori, vt de suo credito sit tutus. Et differt ab hippotheca, licèt quandoque pro eodem accipiantur, quòd pignus non solùm est res obligata creditori, sed est etiam tradita; at hippoteca est res obligata creditori non autem tradita: ideò pignus fit in rebus mobilibus, & immobilibus; at hippotheca fit in rebus immobilibus tantùm, quæ manent quidem penes debitorem, sed obligatę creditori, vt sunt prædia, domus, & huiusmodi.

Quę ad substantiam pignoris requirantur.

475 Ad substantiam pignoris Primò requiritur, vt obligatio, & debitum præcedat, quia vt visum est, non contrahitur nisi propter debitum, vel obligationem. Secundò, vt res pignori data sit certa res, & actu tradita creditori, per quod dicimus differre ab hippotheca. Tertiò, quòd fructus pignoris à creditore computentur in sortem. Et hoc verum est, etiam si debitor ea illa re, sua inscitia negligenter, vel alia aliqua causa fructus illos non erat percepturus, sed ea industria habentis pignus fructus illi ex pignore proueniunt, vt si quis loco pignoris habeat agrum, qui negligentia debitoris sterilis est effectus, & diligentia creditoris fit fructiferus singulis annis: Quoniam vt habet Nauarrus in Manual. capit. decimoseptimo, numer. 216. contra Soto; fructus illi non proueniunt omnes ex industria, & diligentia creditoris, sed partim ex agro, & re in pignus data, quæ de sua natura est fructifera. Potest tamen creditor tantum retinere sibi, quantum eius industria, & diligentia meretur; secus si res de sui natura non esset fructifera. Tenetur etiam computare in sortem principalem fructus nedum perceptos, sed etiam percipiendos, si dolo, & lata culpa sua non percepit, & etiam secundùm multos, eos quos leui culpa non percepit, de quibus infrà cum agemus de restitutione fructuum, cum Scoto, & alijs dicemus. Quartò creditor tenetur, de dolo lata, & leui culpa in pignore. Reliqua perquire lib. 20. Digestorum, & libro tertio Decretalium, titulo vigesimo primo, qui est de pignoribus. Et apud Iurisperitos.

De mãdato

476 Mandatum multis modis accipitur, nimirum pro præcepto, pro ædicto, pro facultate agendi, vel tractandi aliquid, vt pro lite gerenda, pro pace componenda, & similibus. In speciali mandatum accipitur, pro quodam contractu bonæ fidei, quo alicui committitur aliquod negotium gerendum amicè. Vndè definitur, quod *sit contractus quo aliquis officium honestum, & lege permissum expressè, vel tacitè suscipit exequendum gratuitò.* Dicitur *contractus* loco generis.

Diffinitio mandati.

Dicitur *officium honestum, & lege permissum*: quia de re turpi, nec dari, nec recipi debet mandatum; neque de eo, quod cum lege pugnat. Dicitur *gratuitò*, quia hæc est differentia essentialis huius contractus. Nam si pro tali negotio gerendo aliqua merces recipiatur, non erit mandatum, sed locatum. Vndè hic contractus ex amicitia, & beneuolentia originem ducit; & licèt voluntariè suscipiatur; tamen susceptum obligat suscipientem ad susceptum officium gerendum. Dicitur *tacitè, vel expressè*; quia contrahitur duobus modis, scilicet tacitè, & expressè.

Fab. de Restitutione.

Quæ requiruntur ad substãtiam mandati.

Vndè ad substantiã mandati requiritur Primò, mandantis, & mandatarij consensus, quia sine consensu nullus fit contractus. Secundò, quòd sit de re bona. Tertiò, quòd in eo præscribatur quædam forma, quam mandatarius seruare tenetur in exequendo; nimirùm quia mandet, cui mandet, in qua causa, & negotio, & contra quem.

De qua culpa teneatur mãdatarius

477 Dubitatio est, de qua culpa teneatur mandatarius, si mandatum non exequatur, vel non vt oportet, vel aliquid prætermittat, ex quo mandatori detrimentum accidat. In hac re leges, & Doctores variant, quos adducit Glossa in legem *A. procuratore*, C. Mandati in verbo, *& omnem culpam*. Asserunt enim alij teneri de dolo, & omni culpa, scilicet lata, leui, & leuissima. Quia asserunt, qui mandatum accipit, sese mandatori obligat ad exactam curam, & diligentiam, eo quòd ob solam industriam eligatur. Alij ex aduerso dicunt quando mandatum est solùm gratia mandatoris, & non intercessit pactum, quod obliget ad omnem culpam; neque mandatarius se se obtulerit, teneri solùm de dolo, & lata culpa; quando autem mandatarius se se obtulit, vel est in vtilitatem ipsius quoque, vt quia recipit aliquam mercedem pro labore, tenetur de lata, & leui culpa; non leuissima. Et hæc opinio videtur æquior. Si autem fecit pactum, etiam de leuissima tenetur. De casu fortuito non tenetur; Mandans autem tenetur mandatario de omnibus expensis, quas causa exequtionis mandati facit. An verò teneatur ad damnum casu fortuito passum, sunt opiniones variæ, tutior videtur esse ea, quam tenet Siluester verbo *mandatum*, quæst. 6. & alij ad illa damna teneri, quæ occasione mandati sequuntur, & non aliter.

De fideiussore.

478 De fideiussoris contractu agitur lib. 26. Digestorum, titulo septimo, & C. lib. 8. titulo 41. Instit. libro tertio, titulo 21. licèt autem varijs modis nominetur; tamen propriè *Fideiussor est, qui pro alieno debito fidem suam obligat, & obstringit, ita vt principali debitore non soluente ipso satisfacere creditori teneatur*, vt ait Glossa, in l. *Si verò non remunerandi*, §. *si post creditum*, ff. mandati. Duplex est fideiussio. Altera iudicialis, vt cum aliquis reus in carcere detentus ob crimen, è carcere liberatur data fideiussione ab aliquo, qui se obligat ad reducendum eum in carcerem post certum tempus. Altera est extraiudicialis, vt cum quis obligat fidem suam creditori pro alieno debito, vt dicimus. Et duobus modis fideiussor se potest obligare. Vno modo, ita vt ex æquo ipse, & principalis sint obligati; & tunc in creditoris optione est exigere debitum primò à fideiussore, relicto debitore principali. Alio modo, ita vt non ex æquo teneatur, sed solùm non soluente principali debitore.

479 Ex dictis sequitur eum solum posse fideiussionem facere, qui habet conditiones requisitas ad alios contractus, scilicet, qui est dominus, seù habet dominium rei; cui non est prohibitum à lege: Vndè clerico prohibetur iussionem facere pro laico, cap. *te quidem*, 11. quæstio. prima, ideò peccat; sed si ille, pro quo iussionem facit, valdè egeat, & nullus alius est, qui fideiussionē facere velit, non peccat. Glossa in cap. *idem*. tamen si fideiussionem faciat tenetur satisfacere, capit. *peruenit*, & capit. *constitutus*, de fideiussoribus, & tenetur soluere de bonis patrimonialibus. An verò possit obligare se ad satisfaciendum de fructibus Ecclesiæ, quos facit suos, sunt opiniones variæ, & communior est posse, quam sequuntur Siluester verbo *fideiussor*, q. 3. Abbas, Hostiensis, & alij ab eo citati.

An Abbas, & regularis possit facere fideiussionem.

480 An verò Regularis, vel Abbas possit esse fideiussor. Respondent Siluester verbo *fideiussor*, q. 4. & Angelus non licere, nisi ex consensu expresso, vel implicito maioris partis capituli, & superioris sui facultate. Quòd expressè habetur cap. *Quod quibusdam*, De fideiussoribus, vbi etiam Papa cum Concilio prohibet Religiosis acci-

pere pecuniam mutuò; & si accipiant, non vult Monasterium obligari ad restitutionem, nisi in vtilitatem Monasterij illa pecunia manifestè conuersa fuerit.

An fideiussor possit exigere pretium à debitore pro fideiussione.

481 Grauis quæstio est, An fideiussor licitè possit exigere pretium à debitore pro facienda fideiussione. Communis opinio Theologorum recentiorum, & Canonistarum est licere: quia suscipere in se obligationem soluendi debitum pro alio, casu quo ille non soluat, est maxima obligatio, & proinde pecunia æstimabilis; & sic est vendibilis pro moderato, & proportionato periculo, quod fideiussor subit. Hanc sententiam tenent S. Antoninus, par. 2. titulo 1. cap. 7. Caietanus 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad quartum, Soto lib. 6. de iustitia, quæst. 1. art. 2. Nauarrus in Manual. cap. 17. num. 28. Couaruuias lib. 3. variarum, cap. 2. num. 6. qui citat multos Iurisperitos, Bartolum, Decium, & alios, Azorius lib. 11. cap. 22. Molina dispu. 319. Obseruandum est tamen id, quod Couaruuias citato loco admonet, scilicet communem sententiam hanc non habere locum, quando nullum imminet periculum creditori, inspecta qualitate, & conditione debitoris; sicuti nec est licitum creditori accipere aliquam pecuniam à fideiussore, vt eum liberet à fideiussione, quando non imminet periculum ne debitor principalis soluat: quia sic aperitur via vsuris. Videtur enim fictum esse periculum tunc, & sic exigitur lucrum non pro periculo, sed pro pecunia, quam fideiussione se obligat mutuare debitori ad soluendum debitum. (dum enim fideiussor soluit debitum creditori pro debitore principali, est idem ac si mutuet pecuniam ipsi debitori ad soluendum creditori; nam ipse fideiussor habet actionem aduersùs debitorem exigendi pecuniam, quam pro eo soluit creditori, & sic est quædam mutuatio pecuniæ.) Nam si absolutè licet propter obligationem fideiussionis aliquid accipere à debitore, poterit Sempronius nolle mutuare Titio, nisi Mæuium sibi fideiussorem det, & deinde cum Mæuio conuenire, vt non faciat fideiussionem, nisi accepta aliqua pecunia, quam deinde inter se diuidant. Nec valet dicere in hoc casu non licere, quia adest fraus in fauorem vsurarum; quoniam si est licitum accipere lucrum ex fideiussione, deducere quoque in pactum, quòd lucrum illud inter se diuidant fideiussor, & creditor, non est illicitum. Nihilominus communi opinioni maximè est deferēdū.

De contractibus assecurationis sponsionum, (quæ Italicè dicuntur commesse) *sortium, ludi, in quibus periculum, & fortuna miscetur.* Cap. XVI.

De contractu assecurationis.

482 Contractus assecurationis est, quo quis promittit alteri rem suam futuram in tuto, certo pretio, e. g. Titius mercator habet Venetijs in portu Nauem onustam multis mercibus, volt illam traijcere Alexandriā; Caius promittit Titio, quòd nauis cum mercibus tutò traijciet Mare, & salua, ac integra perueniet Alexandriā, quòd si non perueniat tuta, valorem mercium ipse de suo soluet Titio; Pro hac autem assecuratione deducit in pactum certum pretium esse sibi soluendum à Titio.

Cōtractus assecurationis est licitus.

483 Huiusmodi contractum esse licitum nulli dubiū est; quoniam vt suprà sæpius dictum est, quæcunque res est pretio æstimabilis, est etiam vendibilis; At continuere rem in tuto, quæ iam est periculo exposita, est res pretio æstimabilis: ergo est vendibilis; At in hoc contractu fit assecuratio rei, quæ est periculo subiecta: ergo assecuratio hæc est vendibilis pretio. Confirmatur, quia experientia didicimus, quòd huiusmodi contractus est valdè vtilis Reipublicæ, ratione negotiationis: nam multi mercatores abstinerent à mercatura ob graue periculum amissionis mercium; hac autem assecuratione in tuto redditi, negotiantur, & sic quamplurimæ merces ex varijs locis asportantur, quæ non asportarentur, & sic Respublica magis rebus abundat.

Obiectio quorundā diluitur.

484 Nec valet obiectio quorundam, qui asserunt hunc contractum esse illicitum, quia assecuratores volunt lucrari sine labore, & otio indulgere contra illud Genesis *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Non valet inquam, quia nec diuites viuentes ex redditibus suorum prædiorum, viuunt ex labore suo, & tamen non peccant; illud enim Genesis non est præceptum, sed pœna generis humani ob peccatum commissum ab Adamo, propter quod necessarium est hominibus terram colere ad hoc, vt fructum afferat; in hoc autem labore omnes homines occupantur magis, vel minùs, quia etsi diuites non fodiant terram, tamen alios labores subeunt, vt præcipiendo, & curando quòd colatur, & similia, quæ ad eandem pœnam pertinent, nemo enim est, qui in hoc mundo grauibus curis non agatur, & hæc est pœna peccati Adæ.

Assecuratio ad venditionē reducitur.

485 Ad quem autem contractum reducatur assecuratio, non conueniunt Doctores, sed communior, & verior est, quòd vel reducatur ad contractum innominatum *faciam, vt des*; seu ad *do vt facias*. Assecurator enim facit rem tutam, vt dominus mercis det tantam pecuniam, & dominus mercis dat tantam pecuniam, vt faciat assecurationem. Vel reducitur ad contractum venditionis, & emptionis; quæ mihi magis placet, quia in hoc contractu dominus mercium emit assecurationem, seu obligationem alterius, qua se obstringit soluere pretium mercium si perierint de suo, tanto pretio.

Ad iustitiā assecurationis requiritur, vt fiat sine dolo, & iusto pretio.

De fraude ex parte illius cuius merces assecurantur.

486 Ad iustitiam huius contractus requiruntur eæ conditiones, quæ ad iustam venditionem, & emptionem necessariæ sunt; nimirum primò, quòd fiat sine fraude, & dolo. Secundò, quòd iustum pretium sit. Fraus autem esse potest in hoc contractu ex parte illius, cuius merces assecurantur, & ex parte assecuratoris. Ex parte primi duobus modis. Vno modo quando ipse scit certò merces, & naues suas perijsse, & tamen quærit assecuratorem, & cum eo conuenit de pacto pro assecuratione, hoc enim casu est maxima fraus, & tenetur ad restitutionem, & etiam interesse, & damni, si quod accidit vltra pretium valoris mercium, quæ perierunt. Si autem nescit certò perijsse, sed valdè dubitat, habet tamen magnas coniecturas, quòd perierint, tenetur manifestare rem quomodo sese habeat assecuratori, ita vt pro qualitate periculi possit cognoscere, an velit assecurare, & pro quanto pretio, alioquin est deceptio, & fraus, & contractus est iniustus: quia ex ignorantia assecurantis est inuoluntarius, & dolo inductus.

487 Secundò potest esse dolus ex parte domini mercium si loco rei assecuratæ nihil substituat, vel substituat aliquid minoris valoris. Et quidem si nihil substituat, & assecurans putat rem, de qua conuenerunt, esse substitutam, certum est contractum esse inualidum. Dicunt tamen Azorius vbi suprà dubio 9. & Molina dispur. 507. num. 5. ex sententia quorundam aliorum, quos sequuntur, neque assecuratorem teneri ad pretium soluendum, neque alterum ad solutionem valoris mercium, pro quorum assecuratione falsò conuenerant; & ratio est, quia contractus à principio est nullus, quia materia contractus deest, sine qua contractus subsistere non potest. Si verò substituat rem minoris valoris, quam sit ea, de qua conuenerunt pro assecuratione, eos pro quantitate illa teneri, nimirum assecuratorem pro valore illius partis mercium si perierunt, & alterum pro parte pretij illarum mercium, si saluæ perueniant. Mihi verò videtur eum, qui fraudem fecit, si in naui nihil substituit, teneri nihilominus ad soluendum pretium conuentum pro assecuratione, quia dolus sibi suffragari non debet, vel saltem teneri ad omne damnum, & interesse assecurantis: alioquin iniuria fieret assecuratori, qui, si nauis perijsset, nec fraus cognita fuisset, coactus fuisset soluere valorem mercium fictarum: Et idem dicendū, si merces minoris valoris substituit propter eandem rationem. Et idem dicendū puto, si dominus mercium existimet nauem esse onustam mercibus valoris, de quo conueniunt, sed re vera res sic nō se habet, sed est deceptus à suo negotiorum gestore, qui ei

Opinio Auctoris.

scripsit

scripsit Nauem onustam esse mercibus tanti valoris, & tamen falsum esse reperitur. Nam etsi ipse bona fide quæsiuerit assecuratorem, & cum eo conuenerit, tamen dolus gestoris suorum negotiorum non debet præiudicium afferre assecuratori, sed sibi domino imputandum est, qui fidelem ministrum reperire debet, aduersùs quem deinde habet actionem. Quòd si assecurator sciat Nauem non esse onustam talibus mercibus, tunc verum est, quod aiunt Soto lib.6.de iustitia, q.7. art.1. & Molina disput. 507. nullam fieri iniuriam assecuratori, & hunc contractum esse veluti sponsionem, & esse licitum, vt infrà dicemus.

Deceptio ex parte assecuratoris

488. Ex parte verò assecuratoris potest esse iniustitia duobos modis. Primò si non habeat sufficientia bona, vnde possit soluere, si res assecurata perierit. Secundò si faciat assecurationem de naui, & mercibus, & iam nauis est in portu, & merces saluæ sunt, & dominus hoc ignorat. Quod probatur eadem ratione, qua dictum est dominũ mercis iniustitiam committere, si sciat iam merces periisse, & tamen quærit, & conuenit cum assecuratore id ignorante.

De iustitia pretij.

489 Quantum ad iustitiam pretij seruandæ sunt etiã illæ regulæ, quas diximus seruandas esse in iusto pretio in venditionibus, & emptionibus, nimirum standum esse legi taxatæ, si qua adest, vel consuetudini, vel ad arbitriũ viri boni, & prudentis, habita ratione qualitatis, & quantitatis periculi, & rei, quæ assecuratur.

Assecuratio extẽditur

490 Extenditur autem huiusmodi contractus assecurationis ad alias res, quàm ad merces, vt ad pecunias; vt cũ e. g. assecuratur pecuniæ asportandæ de loco ad locum; ad personas, cum e. g. assecuratur transitus alicuius personæ, per loca hæreticorũ, Turcarum, vel latronum, & similium; denique etiam extenditur ad vitam hominum, vt cum e. g. quis conuenit cum aliquo, quòd, si Caius vixerit decem annos soluat illi tantam pecuniam, sin minus, alter illi tantundem plùs, vel minùs soluat.

An contractus iste, vt extenditur ad vitã hominum sit licitus.

491 Sed de hoc contractu quò ad vitam, aliqui dubitãt, An sit licitus, vt est videre apud Siluestrum verbo *Negotium*, q. 4. quia videtur dari occasio optandi mortẽ proximo. Verior tamen opinio est esse licitum, quam sustinent Nauarrus in Man. cap. 20. num. 18. Soto lib. 4. de iustitia, q. 5. art. 2. & lib. 6. q. 7. & recentiores, & ratio est, quia exponere pecuniam euentui incerto, & periculo ob lucrum, vel aliquas alias res inter Christianos, & in Sacra Scriptura est in vsu, vt patet ex dictis à D. Thoma, 2. 2. q. 95. art. vltimo, vt infrà dicemus agendo de contractu sortium; quod autem obijcitur de occasione optandi mortem alicui, nihil est, quia si concluderet, sequeretur, quòd illicita esset donatio bonorum post mortem, quia donatario videtur dari occasio optandi mortem donatori. Optare ergo mortem alicui est illicitum solùm modis prohibitis, qui explicantur sexto præcepto *non occides*, inter quos hic non enumeratur, vt patet, quod recentiores fusè tractant.

De sponsionibus Italicè dictis Scõmesse.

492 Hac eadem ratione sponsiones, quæ Italicè *scommesse* vocantur, sunt licitæ ex se, de his agunt Gabriel in 4. distin. 15. q. 13. art. 5. dub. 8. Maior, q. 5. Adrianus, q. de Ludo. Siluester verbo *Negotium*, q. 4. in fine. Nauarrus in Manuali, cap. 20. nu. 18. & multi ex recentioribus, qui plures alios citant.

Contractus iste sponsionum est, cum aliqui duo decertantes simul de aliqua re dubia vnos affirmat, & alius negat, ac vterque spondet alteri, quòd qui partem veram sustinuerit, lucretur tantam pecuniam, & qui falsam sustinuerit, tantam pecuniam, vel aliquid aliud amittat. Exempla sunt in promptu. Aliquis in Sede vacante sustinet. N. Cardinalem futurum esse Pontificem. Vel N. grauidam parituram esse filium masculum, & similia. Alter negat, qui sustinet partem affirmatiuam, vel è conuerso promittit centum ducatos aureos aduersario, si euentus speratus non verificabitur, hoc pacto, quod si verificetur, aduersarius soluat ei 10. ducatos aureos, plus minus, & sic de alijs. ... Fab. de Restitutione.

Licèt autem sponsiones communiter fiant de euentibus futuris, quandoque tamen etiam fiunt de re præterita, vel præsenti, sed dubia, vt si aliqui contendant, quòd Caius in bello sit mortuus, & Mæuius affirmet, Seius neget, Mæuius autem exponit centum, quòd est mortuus contra 10. quæ exponit Seius, quòd non est mortuus; hoc modo, quòd si est mortuus Mæuius lucretur decem, sin minus, amittat centum, & illa lucretur Seius.

493 De hoc contractu, vt suprà dicebam de assecuratione quò ad vitam, aliqui dixerunt esse illicitum, vt Archidiaconus, quem sequitur Siluester vbi suprà; sed multò plures auctores oppositum sustinent, quos superiùs adduxi, & multos alios adducit Azorius lib. 11. c. 19.

Cur hic cõtractus multis legibus prohibeat.

Illud, quod facit difficultatem, est, quia hic contractus multis legibus ciuilibus prohibetur, quia est causa multorum malorum, & nullam affert vtilitatem Reipublicæ. Sed respondetur, quòd prohibetur propter mala, quæ ex eo accidunt, quæ tamen mala consequuntur huiusmodi contractum ex accidenti; sicuti quidam ludi prohibentur propter mala, quæ accidentaliter ad illos sequuntur, non quia ex natura sua sint mali, & illiciti. Ad aliud verò dicitur, quòd etsi Republicæ nullam afferant vtilitatem, tamen seruiunt ad animi oblectationem sicut ludus, qui est species virtutis, vt infrà dicemus: sponsiones enim istæ ad ludum reducuntur. Vndè cum non admisceantur circumstantiæ illicitæ, & debito modo fiunt, sunt licitæ ea ratione, qua assecuratio, nimirùm ratione periculi ex vtraque parte.

Quid requiratur ad hoc, vt contractus hic sit licitus.

494 Ad hoc autem, vt contractus hic sit licitus, requiritur præcipuè, vt non adsit fraus, quæ duobus modis accidere potest. Vno modo, si alter omninò sit certus de re, super quam certant, oportet enim vtrunque esse dubium, vel saltem habere solùm probabilem opinionem; si enim quis certè vidisset oculis proprijs esse verũ id, de quo certant, non liceret ei sponsionem facere, licèt alter credere nollet, quia vnus esset in tuto, alter in certo damno. Si autem, qui est certus de re, apertè manifestaret se rem hanc certò scire, quia scilicet oculis proprijs vidit (hæc enim sensibilis cognitio sola est certa: quod verò habet ex relatione hominũ, innititur fidei humanæ, quæ potest falli,) & alter nihilominùs nõ vult credere, sed obstinatus manet, & vult sponsionem facere, licetet: quia in hoc casu nulla est deceptio, nec fraus, sed qui amittit scienter amittere velle videtur. Alio modo potest esse fraus faciendo æquiuocationem in re, de qua contenditur; sed hæc facilè cognosci, & detegi potest.

495 Si autem sponsiones fiant de re mala, sunt illicitæ ex accidenti, & qui eas exercent, peccant; tamen non obligantur ad restitutionem illius, quod lucrantur, quoniam est ex natura huius contractus, vt si qui duo certent sponsione facta de vino bibendo, peccant exercendo hunc actum intemperantiæ; tamen non peccant contra iustitiã. Et sic, qui lucratus fuerit, iustè retinet pecuniam, licèt peccauerit, & leges ciuiles, quæ prohibent huiusmodi spõsiones malas, prohibent, quia sunt occasiones peccandi, non quia sint contra iustitiam.

Spõsiones de eligẽdo Pontifice, sunt prohibitæ.

496 Obseruandum est autem sponsiones de eligendo Summo Pontifice esse prohibitas Bulla Pij IIII. quæ incipit, *In eligendis Ecclesiarum Prælatis*, quæ est de reformatione Conclauij, & lucra, quæ fiunt ex huiusmodi sponsionibus, esse illicita, & obnoxia restitutioni quantũ est ex Bulla ipsa, quia Pontifex huiusmodi sponsiones dicit esse nullas, tàm in iudicio, quàm extra iudicium. An verò hæc Bulla sit in vsu, nescio.

497 Eadem regula procedunt contractus illi soliti fieri in quibusdam regionibus, e. g. Do tibi centum hoc pacto, quòd si saluus perueneris ad domum tuam, vel si duxeris vxorem, vel si vxor tua masculum pariturit, tedas mihi ducentum.

498 Item illi contractus, in quibus aliquis dicit. Do tibi centum hoc pacto, quòd si ad annum vixero, mihi restituas centum, & decem; si verò periero, tu restituas meis hæredi-

hæredibus solum 80. in his enim contractibus exponitur pecunia euentui dubio, & periculo propter lucrum, qui, vt dictum est, sunt liciti, si sine fraude fiant, & æqualitas seruetur.

De ludo.

499 De ludo agunt Alexander Alensis in summa parte 2. quæst. 152. D. Thomas 2. 2. qu. 168. & cæteri Theologi, & Canonistæ in cap. *Clerici* 2. de vita, & honestate Clericorum, & cap. *inter dilectos*, de excessibus Prælatorum, & Summistæ verbo *ludus*. Nauarrus in Manuali cap. 20. nu. 1. & recentiores, qui alios citant.

Ludorum species diuersæ.

500 Breuiter est obseruandum diuersas species ludi assignari à Doctoribus, quarum aliquæ sunt licitæ, aliquæ non, sed hæc malitia oritur ex circumstantijs. Ludus autem in communi, sicut Risus, Iocus, Saltatio, & huiusmodi ex genere suo sunt actus boni, sunt enim actus virtutis Eutropeliæ, seu comitatis, vel vrbanitatis secundùm Aristotelem in Ethicis lib. 4. cap. 8. D. Thomas vbi suprà art. 2. ait nos eam appellare posse Iucunditatem, quæ consistit in medio, nimirum cum non excedimus in oblectatione, nec deficimus; sed secundùm rectam rationem, & cum debitis circunstantijs animum dictis, & factis recreamus.

Ludus est actus virtutis Eutropeliæ.

Eius extrema sunt vitia, quorum vnum dicitur scurrilitas, quod consistit in excessu; qui enim excedunt in ludo, & ioco dicuntur scurræ, & importuni inquit Aristoteles; qui verò deficiunt, ita quòd nihil dicunt, nec faciunt ridiculi, dicuntur agrestes, rustici, & duri.

Extrema ludorum sunt vitia, & quæ.

501 Hanc autem virtutem vrbanitatis, & comitatis esse necessariam humanæ vitæ ciuili, & honestæ non est dubium, quia vt inquit Aristoteles loco citato, & alij sequuntur, non potest homo studijs contemplationis semper incumbere, sicut non potest semper laboribus corporis fatigari, sed opus habet quiete, qua refocilletur; licèt enim anima rationalis sit spiritualis, tamen vtitur organis corporis, ideò fatigatur. Opus est ergo aliquãdu quiescere; quiescit autem, cum ludo, & ioco debito modo vacat. Et hoc modo Sanctos Patres habuisse in vsu se recreare legitur in collationibus Patrum, vt habet D. Thomas loco citato. Ludus ergo est licitus ex se, & continetur sub virtute comitatis, quæ est sub virtute temperantiæ.

An ludus ad lucrandũ sit peccatum.

502 Cæterùm ludus, vt spectat ad nostrum propositum, non sumitur ita largè, sed pro illa specie ludi, quæ est contractus quidam inter lusores, quo vnusquisque exponit se periculo amittendi pecuniam, vel aliam rem suam ob spem lucrandi aliam pecuniam, vel aliquam aliã rem alterius, ludo expositam. Et hic pertinet ad iustitiam, quia est contractus quidam, in quo pecunia exponitur periculo amissionis, vt quis aliã lucrifaciat. De hoc ludo est dubium, an sit licitum. Et quidem Panormitanus in cap. 11. *Clerici*, de vita & honestate Clericorum num. 1a. Gabriel in 4. distinct. 15. quæst. 13. art. 2. concl. 3. aiunt esse peccatum, quia sit ea cupiditate lucri rei alienæ, quod est contra decimum decalogi præceptum; & si est lucri notabilis, esse peccatum mortale, sin minùs esse veniale. Et confirmatur, quia ludus ea cupiditate lucrandi, nisi ordinetur ad aliud bonum est otiosus, ideò est peccatum. Adde quòd qui ludit, & amittit pecuniam, inuoluntariè amittit, & ideò non transfert dominium illius in victorem: quia etsi voluntariè se subijciat ludo, videtur tamen esse voluntarium mixtum inuoluntario.

Opinio affirmatiua.
1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.

Alij ex aduerso, & est communior, & verior opinio, quam sequuntur Caietanus 2. 2. quæst. 168. art. 4. Soto lib. 4. de iustitia quæst. 5. art. 2. Nauarrus in Manuali cap. 20. nu. 3. Molina disp. 511. & alij quamplurimi dicunt, ludum huiusmodi non esse ex sua natura, & seclusis prohibitionibus, illicitum. Quia cupiditas lucrandi ex se non est mala, nisi quatenus intenditur illicitis modis fieri, nimirum contra septimũ præceptum, vt suprà diximus, vt per furtum, rapinam, fraudem, & huiusmodi. Ludus autem non est modus illicitus illam acquirendi, quia ex suo genere est de genere bonorum, vt visum est, & sic primum fundamentum est falsum.

Opinio negatiua est vera.

Fundamentum huius opinionis.

Secundum etiam est falsum, quia conceditur ludum cum hac cupiditate lucrandi ordinari ad otium; negatur autem hunc finem esse malum: quia iam dictum est, ludum ea propria natura ordinari ad recreandum, & reficiendum animum, quod otio, & quiete ipsa fit. Huiusmodi autem otium captatum relaxandi animum à laboribus non est malum, sed bonum, & virtutis comitatis proprium.

503 Tertium quoque fundamentum est nullum: quia si tale inuoluntarium mixtũ voluntario impediret translationem dominij, sequeretur rarò in venditionibus, præsertim pauperum, fieri translationem dominij: quia regulariter qui vendit, vendit propter inopiam pecuniæ, & aliorum bonorum. Vndè, si aliunde sibi prouidere posset, non venderet; hoc tamen est absurdum: quia etsi sit inuoluntarium secundùm quid, est tamen voluntarium simpliciter, & proinde iurè transfert dominium, si sit dominus pecuniæ, quam ludit, & nulla lege superioris prohibeatur.

504 Et certè hæc opinio est vera: nam si licet ludere animi gratia, & in ludis vt plurimùm non est aliqua animi relaxatio, nisi aliquod præmium victori acquiratur, sed languet ludentium animus, vt experientia patet, sequitur etiam licere ludo exponere pecuniam animo lucrandi. Est ergo dicendum tunc solùm ludum esse peccatum mortale, vel veniale pro qualitate circũstantiarum, vt si plus tẽporis insumatur, quàm oportet; aut vbi, quando, & à quibus non oportet, attenta personæ qualitate. Item quando non ordinatur ad oblectationem, sed directè ad lucrum; & hoc modo fortè intelligunt Panormitanus, & Gabriel.

Hæc secunda opinio approbatur.

Sunt enim quidam ludi, qui ex se videntur ordinari solùm ad lucrum, & proinde prohibiti sunt nedum iure Ciuili, sed Canonico sub pœna excommunicationis d. 35. cap. 1. de quibus infrà. vt ludus aleæ, seu alearum, idest quidam ludi cartarum, & taxillorum, in quibus breui tempore multũ pecuniæ consueuit amitti, atque misceri periuria blasphemiæ, & prouenire solent magna damna familijs in Republicæ damnum, & ludentium perniciem. Ideò qui istis incumbunt, non animi laxandi gratia incumbere videntur neque amore virtutis. At istud est vitium ludentium: excedunt enim, non ipsius ludi. Similiter ludus fit illicitus, si misceantur ex obscena, & propter hanc causam vituperatur in sacris litteris, iuxta illud Hieremiæ 15. *non sedi cum ludentibus in Cõsilium*. Similiter quando miscetur periculum vitæ; qua ratione prohibentur torneamenta lib. 5. Decretalium titulo 13. qui est de torneamentis, & qui in torneamentis vulneratus perierit, priuatur sepultura Ecclesiastica.

Quidem ludi cur prohibiti.

Torneamenta prohibita.

505 Obseruandum est autem ludum fieri solere tribus modis. Vno modo quando ludens sola industria vtitur, vt ludus pillæ. Secundo quando solo casu, & fortuna vtitur, vt ludus fortium. Tertio quando partim industria, partim casu, & fortuna vtitur; sub hoc 3. genere comprehenditur ludus alearum, qui continet sub se omnes species ludi, qui partim casu, & fortuna, partim ludentium industria, sed magis fortuna, & casu, quam industria regitur; vt ludus cartarum, taxillorum, tabularum, & fortium. Ludus primi generis sine dubio est licitus nedum iure naturali, sed ciuili, immò commendatur, quia valet ad exercitium corporis, & virtutem fortitudinis excitandam, vt hastiludium, luctamina, & alia pugnæ simulacra. De secundo genere infrà agemus in hoc cap.

Ludus tribus modis fieri solet.

Ludus pilæ & similes comendantur.

506 Tertium genus etsi iure naturali, vt dictum est, simpliciter sit licitum, cum non admiscentur circumstantiæ illicitæ, tamen legibus ciuilibus, communibus est prohibitum, ideò vbi illæ non sunt abrogatæ per contrariam consuetudinem, ludere hoc genere ludi est peccatum. Iure canonico verò est prohibitum Clericis cap. *Clerici* 2. de vita, & honestate Clericorum, & cap. 6. *inter dilectos*, de excessibus Prælatorum, vbi Clericus publicus aleator remouetur à promotione ad beneficium, & qui habet beneficium debet admoneri, vt desistat à ludo, & nisi desistat, priuãdus est beneficio secundùm Glossam, & Panormitanum ibidem, distinct. verò 35. cap. *Episcopus*. Lusores

Quod genus ludi sit prohibitũ.

Publicus aleator remouetur à beneficio.

alearum,

Lusores alearum excommunicantur.

alearum, tàm clerici, quàm laici, nisi desinant admoniti à ludo, priuantur communione, & excommunicatione subijciuntur. Vndè sequitur esse peccatum mortale ludere aleis, & taxillis, & ijs generibus ludorum, qui ordinantur ad lucrum tantùm, & afferunt damna, de quibus dictum est suprà, neque enim Canon intēdit de ludis alearum, qui non sunt peccatum mortale, cuiusmodi sunt, qui animi gratia exercentur, vt dictum est, sed de ijs, qui communiter reprobantur, & sunt in scandalum, & intelligitur eos peccare mortaliter, non qui semel, vel bis, sed qui frequentant huiusmodi ludum secundùm glossam ibidē.

An acquisita per ludū prohibitū obnoxia sint restitutioni. Opinio affirmatiua.

507 An verò acquisita per ludū lege prohibitum sint in conscientia restituenda, sunt varij modi dicendi. Alensis, 4. p. q. 23. nu. 1. ar. 5. D. Bonauentura in 4. dist. 15. p. 2. ar. 2. q. 1. a quibus nō dissentit D. Thomas, 2. 2. q. 32. ar. 7. ad secundum distinguunt, quòd ille, qui ludit, vel mouetur motu voluntario cupiditatis, & libidine lasciuiendi; vel mouetur inductus à maiore, quem timet, & reueretur, vel precū importunitate; Si secundo modo ludens, s. inductus, aliquid alteri, scilicet inducēti lucratur, non tenetur ad restitutionem illi, qui eum induxit ad ludendū: quia in foro Dei ei non competit repetitio, in vindictam peccati; cum ludus sit probibitus: neque inductor ex peccato debet meliorari, & reportare lucrum; potest tamen, & debet de eo facere eleemosinam, & facere restitutionem pauperibus. Si verò ludens primo modo, idest inducens lucretur aliquid ei, quem ad ludendum adduxit, tenetur ad restituendum illi, quia preces importunæ, minæ, verba improba, quibus pudore suffunditur, nisi ludat, & agrestis, ac inurbanus habeatur, faciunt actum inuoluntarium. Quando etiam ambo concordes sunt ex libidine, & cupiditate ludendi, qui lucratur, tenetur ad restitutionem, non ei, qui amisit, quia ratione peccati est incapax repetitionis, sed pauperibus; nec potest illud conuertere in proprios vsus: quia turpitudo ludi, ex quo prohibitus est, obstat, quam rationem adducunt quoque Paludanus, Archidiaconus, & alij multi huius opinionis, & hæc est germana opinio Alexandri de Ales, neque sibi contradicit, vt ei imponit Azorius vbi suprà.

Hanc opinionem sequitur Scotus.

508 Hanc opinionem autem præsertim sequitur Scotus in hoc 4. dist. 15. q. 2. art. 3. nam inquit in permutationibus, in quibus intercedit deceptio, inuoluntarium, & prohibitio superioris, esse iniustitiam. Declarans autem superiùs, quid sit inuoluntarium, quod hic facit iniustitiā, inquit esse ignorantiam, & aliqualem coarctionem iuxta Aristot. 3. Ethicorum cap. 1. & indè. Ex quo in particulari deducit commutationem, quæ fit in ludis alearum, esse iniustam, iuxta illud, ff. de aleatoribus, l. vltima, & extra de vita, & honestate clericorū cap. *Clerici* super illud verbum *officia* in glossa. Subiungit tamen eos tantùm illa lege ligari, qui subsunt legi Imperiali, cuiusmodi nunc fortè sunt nulli, quia leges municipales præiudicant legibus Imperialibus, sed ego infrà ostendam iure Canonico eū prohiberi, ideò ludus alearum est omnibus laicis, & clericis prohibitus. Ex duplici ergo cap. tenetur ad restitutionem, qui ludens voluntariè lucratur, nolenti ludere, nisi importunis precibus inducto, scilicet per coactionem, & per prohibitionem superioris; qui verò ludit cum voluntariè ludente, tenetur ad restitutionem ex hoc solo capite, quia est prohibitus.

Opinio negatiua.

509 Alij verò dicunt absolutè nullum teneri ad restitutionem neque illi, qui perdidit, neque pauperibus in conscientia, donec a iudice compellatur per sententiam restituere. Et hanc opinionem sequuntur Adrianus, Medina, & maximè Soto lib. 4. de iustitia. q. 5. art. 2. concl. 4. & Nauarrus in Manuali cap. 20. num. 19. & multi alij, quos Azorius lib. 5. cap. 24. adducit, & sequitur, & Molina disput. 513. Ratio istorum est, quia dicunt de iure naturæ nullam esse obligationem, quia vnusquisque potest rei suæ dominium in alium pro libito transferre: collusores autem hac lege, & pacto inter se ludunt, vt qui vicerit, lucretur pecuniam: ergo de iure naturæ nulla est obliga-

Fundamentum huius opinionis.

tio ad restitutionem. Neque de iure ciuili tenetur, quia ius ciuile solùm concedit, quòd amissum in ludo possit repeti, non decernit autem solutionem factam ex ludo esse irritam, ideò donec per iudicem non irritetur, non tenetur ad restitutionem.

Allatū fundamentum reijcitur.

510 Verùm hæc ratio ad summum militat de eo, qui lucratur illi, qui voluntate, & libidine mouetur ad ludendum, non de eo, qui precibus importunis, vel timore quodam inductus ab alio, amittit pecuniam, adeò quòd nisi luderet, haberetur tanquam ignobilis, & inurbanus: quia actus ille est voluntarius mixtus inuoluntario. Neque requiritur vis, vel dolus, vt aliqui volunt, quia reuerentia illa, & inductio est quædam violentia, & metus, qui videtur facere actum inuoluntarium. Sed quidquid sit de isto, absolutè mihi videtur dicendum, omnem actū ludi prohibiti, esse inuoluntarium ratione prohibitionis legis, vt suprà dictum est ex D. Bonauentura, & alijs, præsertim ex Scoto: nam nemo potest transferre dominium rei suæ, quando sibi à superiori lege est prohibitum. At ludere est prohibitum iure canonico, (quicquid sit de iure ciuili.) Clericis, & laicis sub pœna priuationis communionis, idest excommunicationis cap. *Episcopus*, dist. 35. ergo ludens etiam si liberrimè ludit, & sit dominus iure naturæ, non potest transferre dominium rei per ludum in alterum, quia hæc volitio transferendi dominium per ludum in alterum est sibi prohibita per legem. Diximus enim, & probauimus suprà ad substantiam cuiuscumque contractus, & maximè donationis requiri tria. Primò, quòd contrahentes habeant dominium rei, quam commutant. Secundò, quòd velint; & Tertiò, quòd lege superioris non prohibeantur, iste transferre dominium, & alter recipere dominium eiusdem rei. Quòd autem per caput illud prohibeatur ludus clericis, & laicis, patet. Sic enim habet. *Episcopus, aut presbiter, aut diaconus aleæ atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur, subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur, similiter etiam laicus.* Per hoc caput ergo prohibetur transferri dominium, & recipere dominium. Et hæc est ratio Scoti, Alensis, & aliorum antiquorum istius opinionis, quam nec Soto, nec alij considerauerunt, & tamen etiam illi eam approbant; diximus enim suprà propter tertiam illam conditionem, clericum non posse donare in visitatione, quia illi est prohibitum, neque Monacum sine licentia sui superioris.

1. Obiect.

511 Sed aliquis respondebit sicut ipsi respondent de iure ciuili, quòd ius canonicum prohibet ludum, at non decernit solutionem factam ex ludo esse irritam, ideò licèt quis peccet ludendo tali ludo prohibito, tñ non prohiberi dñium transferri in alterū per ipsum ludum. Et pōt cōfirmari: quia si ex quo ludus est prohibitus, sequeretur p ipsum non posse transferri dominiū rei, quæ ludo exponitur, sequeretur etiam, meretricem obligari ad restitutionem pecuniæ, quam ex actu meretricio, & venereo acquirit, quod tñ communiter reputatur falsum.

2. Obiect.

Reijcitur 1. obiect.

512 Contrà. Prima responsio est nulla, quia ex eo quòd ludus prohibetur, prohibetur translatio dominij alicuius rei per ipsum: nam ideò ꝙ acquiritur per vsuram est obnoxium restitutioni: quia contractus vsuræ est prohibitus.

Reijcitur 2. obiect.

513 Secunda autem obiectio non concludit, quia nō est par ratio de actu meretricio, & ludo prohibito, quia actus meretricius ex sua natura non est cōtractus in quo transferatur dominium, vel vsus, vel vsusfructus alicuius rei; sed quòd aliquid tradatur meretrici propter actum venereum est accidentale. Vndè videmus sæpissimè huiusmodi actus committi sinè vlla pecunia. At ludus causa lucrandi prohibitus de quo loquimur, essentialiter est contractus, in quo lusores conueniunt de trāsferendo dominio rei, quam ludo exponunt, in alterum. Ideò cum prohibetur a lege hic ludus, prohibetur translatio dominij pecuniæ, &c. per actum hunc ludendi.

Ideò

Ideò salua reuerentia Doctorum oppositæ sententiæ, mihi videtur dicendum quidquid ludo prohibito aquiritur esse obnoxium restitutioni, non lusoribus, (nisi fortè illi, qui est inductus reuerentia quadam, & precibus importunis, vt dictum est, quòd tenent etiam Nauarrus in Man. cap. 20. num. 13. & alij citati ab ipso, & alijs,) sed pauperibus ob rationem inuoluntarij ratione prohibitionis legis.

Qui credito ludit nō tenetur soluere.

514 Et sic cessant omnes aliæ similes dubitationes ex hoc capite pendentes; an scilicet qui credito ludit, teneatur soluere, & similia, patet enim partem negatiuā esse veram.

Qui ludendo iurat soluere, nō tenetur soluere.

Sed quid si ludens promittat iurando soluturum? Auctores contrariæ sententiæ asserunt teneri; ex dictis autem sequitur non tenere, quia nemo tenetur adimplere iuramentum promissorium transiens super materiam illicitam; soluere autem pecuniam in ludo expositam est peccatum, & mortale, quia prohibitum sub pœna excommunicationis: ergo non tenetur.

Ijs, qui non habent dominiū, nec administrationem nō licet ludere.

515 Præter autem hāc tertiam conditionem, propter quam non licet lucrari in ludo, multi alij prohibentur etiam propter primam, quia scilicet non habent dominium, & administrationem rerum, & hac ratione non licet ludere cum filiofamilias, nisi habeat bona castrēsia, vel quasi castrensia, & similia, vel aliqua donata à Patre ad recreationem, quæ suprà diximus eum posse donare. Idem dicendum de religiosis regularibus: quia nihil habēt proprium, possunt tamen de peculio sibi concesso ad vsum modicum aliquid ludere ludis non prohibitis, & decentibus religiosis, quia hic cessat prima causa, nempè prohibitio ludi propter quam erat illicitum ludere; cessat etiam secunda, quia in tali casu superior videtur permittere talem alienationem. Quod sustinet Nauarrus in Manuali cap. 20. num. 12. citans Sotum, & multos alios, quos sinè vlla hæsitatione sequitur Azorius, 3. p. lib. 5. cap. 26. q. 8. Propter eandem conditionem non licet ludere, & lucrari cum Fure, Depositario, vel Vsurario, quia non sunt domini, sed qui lucratur, tenetur illud restituere domino vero; Si verò ludo exponat pecuniam ex alia pecunia, vel aliqua refurtiua acquisitam, qui illam lucratur, non tenetur ad restitutionem: quia fur illius lucri habet dominium, licèt teneatur semper ad restitutionem totius illius pecuniæ, quam furatus est. Et hoc idem dicendum de furioso, vxore, seruo, & similibus, qui non habent dominium, nec administrationem rerum.

An liceat religiosis ludere.

516 Dubitatur, An cum prodigo ludens, & lucrans teneatur ad restitutionem. Respondetur nisi sit à Iudice, vel Principe interdicta prodigo bonorum alienatio, non teneri ad restitutionem ex hoc capite.

Ad ludum non prohibitum, vt sit licitus requiritur, vt sine dolo, & cum æqualitate fiat.

517 Ad ludum, qui est contractus licitus, & non prohibitus secundùm suam naturam, requiruntur duæ conditiones: prima vt sit sinè fraude: secunda vt seruetur æqualitas: has enim duas conditiones diximus requiri ad omnem contractum, ad hoc vt sit iustus. Fraus autē fieri potest multis modis, quos illi sciunt, qui huiusmodi ludis incumbunt, & proinde in Confessione sunt de hoc interrogandi, & illis standum est, vt peritis in arte. Illud addiderim, quòd Couarruuias in Regula *peccatum*, p. 2. § 4. & alij asserunt non intelligi dolo aliquem decipere in ludo, quando collusor decipit aduersarium iuxta deceptiones lege ludi permissas, & vtrique communes; sæpè enim fingere licet, vt aduersarium decipiat, sicut in bello ad vincendum hostem multa fingere licet. Ex quibus regulis casus particulares, de quibus Nauarrus cap. 20 in Man. & alij agunt, explicandi sunt.

Quantum ad æqualitatem collusorum requiritur, vt sint æqualis peritiæ, & dexteritatis in arte ludendi verè, vel probabiliter; vel secundùm eorum propriam existimationem, licèt sit falsa; tunc enim licèt vnus sit peritior altero, nullam ei facit iniuriam, si secum ludere velit, quia non adest inuoluntarium. Secùs si dubitat, & qui peritior est, fingit se imperitiorem, vt eum ad ludum inducat, vel lucretur. Quod si apertè imperitior sit conscius de sua imperitia, & peritia alterius, & nihilominus ludere velit, nulla ei fit iniuria, quia volens amittit, & ideò videtur donare. Casus particulares varij habentur apud recentiores, quos omitto; quia ex regulis adductis est de illis iudicandum.

De sortib.

518 Contractus sortium, qui pertinet ad propositum, est quidam contractus, in quo conueniunt aliqui aliquid transferri in dominium alienum ex euentu incerto, & sortuito, seu casuali. De sortibus agunt Alex. Alensis, 2. par. q. 166. per totam. D. Thom. 2. 2. q. 96. ar. 3. & 8. vbi Caietanus, & alij. Sortes pertinent ad diuinationem; Vndè mittere sortes est facere aliquid vt nobis manifestetur aliquid occultum. Sors de sui natura non est quid malum, Vndè D. Augustinus super Psalmum. *In te Domine speraui*, inquit. *Sors non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione posita diuinam indicans voluntatem.* Et proinde in Actis Apostolicis capit. 1. dicitur, *Sors cecidit super Matthiam.* Potest tamen esse mala ex circumstantijs.

Tres species sortiū.

519 Vbi est obseruandum, quòd proiectio sortium fit semper ad inuestigādum aliquid occultum per aliquam causam externam, quæ per euentum sortium illud nobis manifestet. Et potest tribus modis fieri, & sic tres species sortium inueniuntur. Nam vel quis projicit sortes ad inquirendum aliquod consilium in rebus agendis, & ista dicitur sors consultoria. Vel projicit sortes ad cognoscendum aliquod futurum, & dicitur sors diuinatoria. Vel projicit sortes ad inquirendum iudicio sortium cui aliquid conferre debeat; & dicitur sors diuisoria.

520 Ex hoc sequitur, quòd in sortibus duo sint, quorum vnum pertinet ad causam, à qua cognitio rei occultę inquiritur; Alterum pertinet ad vnamquamque speciem particularem sortium; & secundùm vtranque potest esse bonitas, & malitia in sortibus, seu in exercente, & projiciente sortes. Quò ad primam quatuor possunt esse causæ, à quibus inquiratur cognitio rei occultæ, nimirum Deus, Dęmon, Cœlum, & ipsa fortuna, seu casus. Si ergo quis projiciat sortes, & à Deo inquirat consilium, cognitionem, vel diuisionem rerum, ita vt Deus per directionem euentus sortium ostendat, quod consilium capere debeat, vel quid sit futurum, vel cui res sit danda: ratione causæ est bona, & recta proiectio sortium; Sed ex parte speciei ipsius sortis poterit esse vitium, vt postea dicemus. Ratio est, quia Deus cum sit prima causa rerū, & ipsa sapientia, rectè fit inquirendo ab ipso quodnā consiliū sit capiendū: quid sit futurū: & cui res ipsæ distribuēdę sint. Si verò projiciantur sortes ad inquirendū prædicta à dęmone explicitè, vel implicitè, tales sortes sunt prohibitæ, quia est dęmonum inuocatio, quæ est cultus superstitiosus, & illicitus. Si verò projiciantur ad inquirendum huiusmodi notitiam à Cœlo, hæc proiectio est vana, & illicita: quia actiones humanæ nō subsunt causalitati Cęlorum, & proindè Cœli non possunt eos dirigere circa illas. Quòd intelligitur communiter in quātum actiones sunt à libero arbitrio, & liberè; non autem in quantum proueniunt ab inclinatione naturali hominum: quia quò ad has inclinationes corpora cœlestia habent aliquam vim. In huiusmodi autem proiectione sortium dęmon quandoque se insinuat, & effectum, quem Cœlum, & causæ naturales producere non valent, ipse producit, vt sic fouendo falsam imaginationem paulatim se insinuet in amicitiam hominum, & comparet reuerentiam, & cultum ab eis; & proinde istæ sortes superstitiosæ, & illicitæ sunt. Quartò potest quis projicere sortes ad inquirendum à casu, & fortuna consilium, cognitionem, & diuisionem; & istæ sortes solum in diuisione locum habere possunt, non autem in consiltjs, & cognitione futurorū, quia cum casus, & fortuna non sint causæ talium effectuum, vanum est cognitionem horum ex casu, & fortuna inquirere.

Quatuor possunt esse causæ, à quibus inquiratur cognitio rei occultæ.

Inquirere à dæmonib. per sortes aliquid, est peccatum.

Inquisitio per sortes à Cœlo est illicita.

521 Dictum est iudicio, & euentu sortium inquirere à Deo consilium, cognitionem, & diuisionem rerum esse

licitum

Proijcere ſortes ad inquirẽdum aliquid à Deo quomodo eſt illicitum.

licitum ratione cauſæ; tamen eſt obſeruandum cum D. Thoma, & alijs vbi ſuprà quadruplici modo hoc poſſe eſſe illicitum. Primò ſi ſine neceſſitate recurratur ad inquirendum hæc à Deo; hoc enim eſt tentare Deum. Secundò ſi etiam habeat quis neceſſitatem recurrendi ad Deum, tamen recurſus hic fiat ſine debita reuerentia. Vndè Apoſtoli quærentes quem in locum Iudæ ſufficere deberent, precibus, & maxima reuerentia, ſortes aſſociauerunt. Tertiò ſi recurratur per huiuſmodi ſortes ad Deum in negotijs temporalibus. Vndè D. Auguſtinus ad inquiſitiones Iannarij inquit, *quòd etſi optandum ſit, quòd ad ſortes euangelicas, ideſt ad Deum reccurrant, ne ad Dæmones confugiant, tamen talem conſuetudinem de rebus temporalibus ad oracula diuina recurrere non ſibi placere.* Quartò ſi in electionibus perſonarum, & officiorum eccleſiaſticorum aliqui vtantur ſortibus, quia ad dignitates eccleſiaſticas debent eligi qui cognoſcuntur digni, & non rem ſorti committere. Vndè Beda ſuper locum illum Actuum Apoſtolorum dicit, quòd licèt Matthias ſortè electus fuerit, tamen ſeptem diaconi non ſortè, ſed electione facti fuerunt. Quando tamen neceſſitas vrgeret, non eſſet malum recurrere ad Deum per ſortes, vt dicit D. Auguſtinus in Epiſtola ad Honoratum adductus ad D. Thoma vbi ſuprà.

De ſortibus diuiſorijs.

522 Dictum eſt etiam, quòd inquirere per proiectionem ſortium cõſilium, & cognitionem rerum futurarum à caſu, & fortuna eſt res vana, quia caſus, & fortuna non ſunt cauſæ quæ poſſint tales effectus producere, ſed habẽt ſolum locum in rebus diuidendis, vndè dicuntur diuiſoriæ. Iſtæ ſunt ſortes, quæ propriè ſpectant ad hunc locum, hic enim eſt quidam contractus, in quo transfertur dominium rei alicuius in alterum. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd tripliciter contingit fieri ſortes diuiſorias. Primò quando aliqua res communis diuidenda eſt inter plures, & ſortes proijciuntur, vt iuxta euentum ipſarum vna pars vni, & altera alteri tradatur; ſeu ſorti committitur quæ pars huius, & quæ pars illius ſit futura. Secundò quando res aliqua integra danda eſt vni ſoli, & ſorti committitur cui ex illis ea ſit danda; & hoc duplici modo ſortes ſunt licitæ: conueniunt enim qui habent dominium huiuſmodi rerum, & euentui incerto committitur acquiſitio dominij illius rei, quod ſolet fieri ad tollendum contentiones, & diſputationes, quæ in diuiſione huiuſmodi rerum fieri ſolent, & eam ſic eſſe in vſu etiam in ſcriptura videmus, & tamen non vitoperatur.

523 Tertio modo fit, quando aliqui plures conueniũt emere aliquam rem à Domino iuſto pretio, vt puta vas aureum, vel argenteũ, vel quid ſimile contribuendo vnicuique partem ſuam pretij, ita quòd nullus totam partẽ ſoluat, ſed omnes ſimul faciant vnum emptorem adæquatum, & totalem; deindè committunt ſorti cuius ſit futura tota integra, cæteris perdentibus pretium, quod appoſuerunt. Huiuſmodi contractum ſortium quoque eſſe licitũ, & iuſtum patet, quia niſi adſit fraus, nulla eſt iniuſtitia: quia qui vendit poteſt vendere, & vendit iuſto pretio, quod erit illud, quod à viris peritis iudicabitur. Emptores etiam liberè conueniunt transferre partem ſui dominij ſuper rem illam emptam in eum, cui ſors ipſa rem tulerit; & omnes ſunt æquales, quia ſors vnicuique contingere poterit. Solùm poſſet eſſe dubium ad quem ſpectent expenſæ, quæ in huiuſmodi ſortibus fiunt; ſolet enim in huiuſmodi ſortibus, quæ propriè ſunt quidam ludus, (ſolent enim fieri propriè ad animi recreationem) fieri expenſæ, nam conſtituuntur arbitri, qui iudicent iuſtum pretium rei, ſtatuuntur miniſtri, qui ſcribunt nomina emptorum, vel præbent inſtrumenta luſoria, vel domum, vel locum; ſolet etiam aliquod lucrum dari pauperibus, vel locis ſacris, & hac conditione Principes, & ſuperiores ſolẽt concedere facultatem proijciendi huiuſmodi ſortes. Sed breuiter reſpũdemus. Primò huiuſmodi lucra, quæ per expenſas illas fiunt, iuſtè dari ijs, quibus dantur: quia dantur tanquam ſtipendia ſuorum laborum, quod eſt iuſtum. Secundò dicendũ eſt has expenſas non pertinere ad venditorem, quia ipſe cum vendat rem ſuam iuſto pretio, nõ debet grauari ampliùs, vt aliq.d ex iuſto pretio diminuat. Sed hæc ſpectant ad emptores, quia contractus cedit in eorum vtilitatem; poteſt enim quiſque eorum integram rem ipſam conſequi.

De quaſi contractibus, nimirum de negotijs geſtis, tutella, communione bonorum, hæreditatis additione, indebito ſoluto, & alijs quarto genere contractuum contentis. *Cap. XVII.*

524 IN Inſtituta lib. 3. extat titul. 28. de obligationibus, quæ ex quaſi contractu oriuntur, quæ ibid. in princip. dicuntur eſſe illę, *quæ quidem non propriè naſci ex contractu intelliguntur: ſed tamen quia non ex maleficio ſubſtantiam capiunt, quaſi ex contractu naſci videntur*, & §. 1. enumerantur quinque genera huiuſmodi quaſi contractuum. Porrò *quaſi contractus eſt illa obligatio, quæ in aliquo oritur abſque eius conſenſu*; ad differentiam contractus, in quo (vt viſum eſt) neceſſarius eſt conſenſus, & voluntas libera contrahentium, & ſine ipſa nulla oritur obligatio. Fiunt enim quædam actiones contra homines, propter quas ea æquitate ipſa oritur aliqua obligatio ex parte perſonarum, licèt ipſæ inter ſe de tali obligatione prius non conuenerint, vt patebit ex dicendis. Quinque autem enumerantur in Inſt. vbi ſuprà dict. §. 1. huiuſmodi quaſi contractus, nimirum negotiorum geſtatio, tutella, communio rerum ſeu bonorum, additio hæreditatis, & indebitum ſolutum. Quid ſit quaſi contractus.

525 Negotiorum geſtatio eſt, cum aliquis alicuius abſentis negotia vtilia gerit abſque mandato formaliter, vel virtualiter; & hoc facit ne negotium, & res abſentis detrimentum patiantur. Aequum enim eſt, & valdè vtile Reipublicæ, vt cum quis abſens eſt, vel eſt minor, & nullus curam gerit rerum, & negotiorum ſuorum, alter gerat curam pro illo, licèt non habeat mandatum formaliter, nec virtualiter. Vndè quia hæc actio eſt iuſta, ſtatutum eſt, vt in hoc caſu oriantur obligationes inter eum, qui gerit negotia, & appellatur negotiorum geſtor, & eũ cuius negotia gerit. Dictum autem eſt, hunc contractum, *negotiorum geſtatio.* eſſe, cum quis gerit negotia vtilia alterius abſentis: quia ſi ſit præſens, & permittat gerere ſuũ negotium tranſit in contractum mandati. Dictum eſt etiam *ſine mandato*, quia cum adeſt mandatum formaliter, vel virtualiter, tranſit in alium contractum, qui dicitur mandatum, de quo ſuprà egimus. Poteſt autem quis negotium alterius quatuor modis gerere. Primò cura, & officio, vt in tutoribus, procuratoribus, curatoribus, adminiſtratoribus. Secundò impendendo aliquid in rem alterius, etiam non intuitu perſonæ cuius eſt res. Tertiò ratihabitione, nimirum quando aliquis nomine principalis agit aliquid ſine eius ſcientia, cum tamen deinde illud ſcit, ratum habet. Quod ſi ratum non haberet nihil ad ſe pertineret. Quartò actione ipſa negotij geſti, vt ſi ſoluat aliquid creditore abſente, & neſciente principali. De negotijs geſtis.

526 Ad hunc autem contractum nihil refert, ſiue gerat negotium per ſe, vel per alium, vt puta per procuratorem: poteſt enim qui alterius negotium gerit, ſubſtituere procuratorem ad illud negotium agendum, ſed hoc periculo ſuo l. *Nam & Seruius* §. fin. ff. *de negotiis geſtis.* Vndè non excuſatur ſi minùs idoneum ſubſtituat. Similiter nihil refert an neceſſitate, vel ſua ſponte gerat; an vnum, vel plura, an in iudicio, vel extra: omnibus enim modis fit iſte quaſi contractus.

527 In hoc contractu oriuntur obligationes ex vtraque parte. Ex parte geſtoris negotij oriuntur tres obligationes. Prima eſt obligatio reddendi rationem eorum, quæ geſſit. Secundò ſi quid ex negotio geſto ad ipſum pertienit, vt ſi recepit aliquos fructus ex re adminiſtrata, obligatur ad ſolutionem illius. Tertiò obligatur de dolo, & lata culpa, quando negotium eſt ſolùm in vtilitatẽ abſentis, Obligationes ex parte geſtoris negotiorũ.

sentis, & erat desertum, & nullus alius erat gesturus; sed si est in vtilitatem quoque gerentis, obligatur etiam de leui culpa, vt de similibus contractibus dictum est. Et si aliquis diligentior eo administraturus fuisset illa negotia, nisi ipse impedisset, tenetur de leuissima culpa. Quæ omnia colliguntur ex Instit. de obligatio. negot. gestorum, §. *igitur in fine*, & ex glossa ad illud verbum. *Ad exactissimam*, & ex alijs iuribus ab ea citatis.

528 De casu autem fortuito non tenetur nisi sex modis. Primò quando dominus admonuit, ne negotia eius gerat, nisi se obliget ad casum fortuitum; tunc enim si gerit, & deterioratur, tenetur ad satisfactionem. l. *Negotium*, C. de negotijs gestis. Secundò si culpa præcedit casum fortuitum, vt quia fuit in culpa incendij, ex quo postea sequutum est incendium, l. *si hæreditaria*, ff. de negotijs gestis. Et l. siuè, ff. eodem titulo. Tertiò si in mora fuit restituendi, & ideò res perijt, quia aliter non erat peritura, Glossa, l. si *Negotia*. Verbo, *Si solitus*. ff. de negotijs gestis. Quartò si accessit ad negotia insueta, quæ dominus non consueuerat facere, neque si præsens fuisset, fecisset, l. si *Negotia*, ff. de neg. gestis. Quintò si accesserit ad gerendum illa negotia animo deprędandi, & pereant casu fortuito, tenetur ad satisfactionem, glossa in l. si *Negotio*, ff. de negotijs gestis verbo *si solitus*. Sextò eadem glossa ponit gestorem negotiorum pupilli teneri ad casum fortuitum, quod intelligo si fuerit in culpa, vel mora, vt de alijs dictum est.

Obligatio ex parte eius, cuius negotia geruntur.

529 Ex parte verò domini, seu eius, cuius negotia geruntor, oritur obligatio ad soluendum expensas in ipsius bonum, & vtilitatem factas, Et insuper obligatur ad soluendum valorem operum, & industriæ adhibitæ, in gerendis negotijs prædictis: excipiuntur tamen aliqui casus, quando dominus expressè significauit illi, ne sua negotia gereret; si tamen antè huiusmodi significationem aliquas expensas vtiliter gessit, ad illas obligatur, & satis est, quòd à principio cum cœpit gerere negotium, vtiliter gesserit, licèt deindè casu fortuito perierit, vel detrimentum passum fuerit, e. g. Titius cœpit reficere domum Caij; deindè casù domus combusta est, tenetur Caius ad reficiendum expensas factas in reficienda domo. Secundò non tenetur reficere expensas inutiliter factas, vt puta si sint maiores expensæ, quàm vtilitas rei gestæ requirit, vel sint superfluæ, tunc enim non tenetur soluere nisi pro ratione vtilitatis inre sua subsequutæ. Tertiò si quis gerat negotium absentis existimans esse vtile absenti, & tamen re vera non est vtile, tunc non tenetur soluere expensas. Hæc omnia colliguntur ex C. si *hæreditaria*. ff. de negot. gest. & l. si *quis*. eodem titulo. Quartò si gestor negotiorum à principio gratis, & amore charitatis intendebat gerere negotia illius, non obligatur soluere expensas; quod si mutet intentionem, & nolit deinde gratis gerere ab eo tempore, quo mutauit mentem obligatur ad soluendum expensas, non ante; hoc est euidens, quia de eo, quod est donatum, nulla est obligatio restitutionis, vel satisfactionis.

De Tutella

530 Secundus quasi contractus est Tutella. Hic quasi contractus oritur inter tutorem, & pupillum, & inter curatorem, & minorem. Nam ex eo quòd Respublica constituit tutorem, & curatorem ad gerendum negotiū pupilli, & minoris; neque inter pupillum, & tutorem, minorem, & curatorem præcessent aliquis contractus; cum non sint, vel non censeantur idonei ad contractum aliquem faciendum, inter eos oritur quasi contractus negotiorum gestoris: ideò vterque tenetur ad illas obligationes, ad quas tenetur negotiorum gestor, & ille cuius negotium gerit l. *Tutori*, C. de neg. gest.

De communione bonorum.

531 Tertio loco inter quasi contractus enumeratur communio bonorum, sæpè enim accidit, vt aliqui plures habeant aliqua bona communia absque vllo contractu societatis inter se ipsos, sed vel ex testamento, vel ex legato, vel ex donatione. Vt si quis donauit aliquibus pluribus fratribus prædium aliquod in communi; inter istos iuris dispositione oritur quasi contractus, qui appellatur *communio bonorum*, habens infrascriptas conditiones. Se enim habent, ac si inter se fecissent contractū habentem certas conditiones, quæ sunt. Quòd omnes æquè debent participare de fructibus, & expensis. Vndè si alter illorum huiusmodi prædij fructus accipiat, tenetur partem ratam alijs dare; si autem fecit expensas necessarias, vel vtiles in illo prædio communi, reliqui tenentur pro rata parte. Demum qui administrat huiusmodi bona communia, tenetur de dolo, culpa lata, & leui, quia cedit in vtilitatem omnium.

De hæreditatis aditione.

532 Quartò loco inter quasi contractus ponitur. Aditio hæreditatis. Quando enim aliquis adit hæreditatem, & eam acceptat, & ratam habet, eo ipso obligatur ad soluendum debita creditoribus, quæ defunctus contraxerat, & legata legatarijs. Nam licèt nullum contractū ipse cum creditoribus, & legatarijs fecerit; tamen iuris dispositione ex eo, quod hæreditatem adiuit, censetur, ac si contractum inijsset soluendi debita, & legata, & tenetur de dolo, culpa lata, & leui.

De indebito insoluto

533 Quinto loco enumeratur Indebitū insolutū. Qđ est quando quis per errorem, vel ignorantiam soluit aliquid alicui, quod non debebat; quando enim huiusmodi casus accidit, qui soluit, potest repetere, quod indebitè soluit: licèt inter eos nullus præcesserit contractus, quo ad hanc solutionem is, qui accepit, teneatur: quia iuris dispositione ex eo, quod iste soluit, quod non erat debitū, & ex ignorantia, & errore soluit, ideò obligatio oritur, vt qui accepit, restituat.

Obseruandum est autem requiri ignorantiam, vel saltem dubitationem ex parte soluentis: quia si sciens solueret, videretur donare, & ideò non posset repetere. Cum autem ignorans, vel dubitans soluit, non est dubium eum non donare: quia ad donationem requiritur scientia, & voluntarius consensus, qui cum ignorantia manere non potest. Quòd autem dubitatio sufficiat, probatur: quia l. fin. C. de condict. indeb. dubitans dicitur similis esse erranti.

De contractibus ad quartū genus pertinētibus.

534 Reliquum est, vt agamus de actionibus, quas ad quartum genus contractuum suprà diximus reduci, sed breuiter, quia est messis aliena, de his enim agunt Iurisperiti diffusè in suis titulis, quos consulere possunt, qui plura cupiunt, cum propriè ad illos pertineant.

Obseruandum est ergo, dissolutionem obligationis ex contractibus ortam fieri potissimum, vel remissione obligationis; vel solutione eius, quod ex contractu, vel aliundè quis debet. Hoc autem fit transactione, & alijs actionibus, de quibus infrà. *Transactio* ex Pau. in Rubrica de trāsactione. *est de re dubia lite, aut controuersia iam mota pactio non gratuita*. Transactio enim est quidam contractus, quo lis cæpta finitur, & terminatur. Dicitur autem *pactio non gratuita*: quia in transactione reus semper aliquid, vel promittit actori, vt à lite recedat, vel concedit ei, vt aliquid retineat, vt ei ius contra se remittat; si enim sinè recompensatione fieret, non esset transactio, sed donatio. Dictum est, *de re dubia*, quia si tempore transactionis constet alicui transigentium rem certò esse alterius, transactio esset nulla in foro conscientiæ, & etiam in foro exteriori, & daretur actio læso. Ratio est, quia vbi est ignorantia nullus est consensus, & sic quod in transactione alteri remittitur, & conceditur, non verè concederetur, nec transferretur in eius dominium, & sic non posset tuta conscientia retinere.

De transactione.

Compromissum, quid.

535 Cōpromissum eodē modo se habet. *Cōpromissū enim est contractus, quo aliqui mutuo consensu in sententiam arbitri, aut arbitratoris controuersiam aliquam dirimendam reijciunt, spondentes se illi staturos, & parituros*. Huiusmodi compromissum habet rationem transactionis.

Compositio quid.

Compositio est quid latiùs patens, quàm transactio, quia se extendit etiam ad ea, de quibus nulla est controuersia,

uersia, nec dubium, sed certa sunt; tamen ob aliquam causam inter se, vel mediante aliquo bono viro alter ius, quod habet, vel prætendit, condonat alteri absque recompensatione, vel non æquali; quæ etiam dicitur pactio quædam largè sumpta. Rursus. Transactio non habet locum in beneficijs, & rebus spiritualibus, sed cōpositio.

De Nouatione. 536 Nouatio ex Vulpiano, l. 1. ff. de nouationibus *est prioris debiti*, seu obligationis *in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem transfusio, atque translatio hoc est cum ex præcedenti causa ita noua constituatur, vt prior perimatur*. Omnis enim obligatio tollitur per solutionem illius, quod quis debet alteri; solutio autem, vel est formalis, vt quando quis soluit illud propriè, quod debet, vel aliquid aliud loco illius qñ illud solui non potest; aut aliud de voluntate creditoris soluitur. Neque enim aliud pro alio inuito creditore solui potest; neque creditor aliud soluere cogitur pro eo, quod obligatur, sed hoc solùm licet de mutuo creditoris, & debitoris consensu; & quando non conueniunt, ad iudicem spectat decidere quid sit soluendum. Alia est solutio virtualis, vt quando aliquis subrogat illi creditori aliquam aliam obligationem loco prioris: illa enim æquiualet solutioni, & fit multis modis, vt commutando personam debitoris, e.g. Titius debet 100. Mæuio, hinc ad annum; subrogat Seium, qui loco sui soluat illa 100. Mæuio. Hæc dicitur Nouatio: quia obligationem veterem in nouam transfert, & Titius a priori liberatur. Multis alijs modis fit hæc Nouatio, vt experientia patet, nimirum variando conditiones, vel tempus, vel aliquid circa priorem obligationem, & alias inducendo.

(Margin: De solutione.)

De delegatione. 537 De delegatione etiam virtualiter fit solutio. Delegatio ex Vulpiano l. *delegare*, ff. de nouat. *Est vice sua alium reum dare creditori, vel cui iusserit*. Ad delegationem sufficit, quòd delegatus de mandato delegantis se constituat debitorem creditoris delegantis pro delegante, suscipiendo in se debitum delegantis, licèt ipse non esset debitor delegantis, secundùm communem opinionem. Quod patet ex diffinitione assignata. Requiritur autem ad hoc, vt sit valida, quòd creditor consentiat accipere delegatum pro debitore; & insuper requiritur, quòd creditor exprimat se habere animum nouandi, idest liberare suum debitorem ab omni obligatione sibi debita, & illam transferre in delegatum; si enim hoc nō exprimatur, debitor non manet omninò liber, quia si delegatus non soluat, ipse soluere teneretur.

De debito non soluto. 538 Soluitur etiam obligatio contractus, non soluto debito: si res debita alicui in indiuiduo pereat sinè culpa, & mora debitoris: quia res domino perit, & consequenter perit creditori. Secundò quando per sententiam iudicis absoluitur ab obligatione soluendi, vel per iuramentum in iudicio ad instantiam creditoris requisitum, & in defectū probationum factam. Sed est obseruandum, quòd in conscientiæ foro non liberatur, si scit se re vera esse debitorem; sed solùm quando res est dubia, & sinè dolo, & fraude agit. Tertiò quando creditor remittit debitum. Quartò cum possidet titulo præscriptionis legitimo, vt supra diximus agendo de præscriptione.

De cessione bonorū. 539 Soluitur etiam obligatio per cessionem bonorū. Cessio bonorum est quempiam profiteri se non habere, quo possit suis creditoribus satisfacere, & ideò se cedere omnibus suis bonis, ac ea tradere creditoribus, vt inde satisfiat debitis quò ad fieri potest. Ideò qui cedit bonis suis, nihil bonorum, nec iurium sibi competentium retinere potest, neque creditores tenentur ei aliquid relinquere, nisi vestes viles, quibus tegatur. Tenetur etiam debitor omnia sua bona manifestare, neque aliquid occultare, & simul omnes creditores, vt inter eos æqua diuisio fieri possit. Hoc priuilegium concessum est à iure illis debitoribus, qui in carceribus detinentur, vel detrudi possunt à creditore per sententiam iam iudicis latam, vel liquidam confessionem debitoris, & fieri potest ante, vel post detrusionem in carcere; si tamen ad pinguem fortunam veniat, tenetur eis integrum debitum soluere.

540 Restitutio in integrum, est remedium quo minor læsus, & alij instar illius, quibus de iure reperitur concessum, ex æquitate in pristinum statū, ac ius restituitur. Hoc enim remedio soluitur ab obligationibus, quibus tenebatur. De quo agitur l. 1. & sequentibus, ff. de in integrum restitutione. De restitutione ī integrum.

541 Acceptilatio est quando debitor alicuius rei, quam promisit aliquo modo creditori, interrogat creditorem hoc modo. *Quod tibi promisi, vel tibi debeo habes ne acceptum?* & creditor statim respondet, *habeo*. Tunc enim soluitur debitor ab obligatione debiti, si quidem creditor profitetur se acceptam habere rem sibi debitā. Soluūtur autem per huiusmodi actus obligationes ciuiles. De acceptilatione agitur Instit. quibus modis tollitur obligatio. §. *item per acceptilationem*. *Et hæc de contractibus non merè liberaliter satis.* De acceptilatione.

DISPVTATIO XLVIII.

De translatione rerum omninò illiberali, & inuito domino.

De furto, rapina, & damno dato. Cap. I.

1 TRibus modis dicebamus translationem rerum fieri. Primò per liberalem translationem rei nullam expectando retributionem, vt fit in donatione quò ad substantiam rei, & in accommodato quantum ad vsum rei. Secundò per translationem non merè liberalem, sed per quam aliqua retributio expectatur, vt fit in contractibus præcedenti disputatione explicatis. Reliquum est, vt agamus de translatione rerum omninò illiberali, & coacta, in qua vt ait Scotus hac dist. 15. q. 2. ar. 3. in fine, multò magis apparet iniustitia, quàm in commutationibus, & permutationibus factis per contractus explicatos disputatione præcedenti; quoniam in illis contractibus est iniustitia propter aliquam conditionem defectuosam, & vitiosam mixtam cum illis, vt propter fraudem, vel inæqualitatem, vel vsuram admixtam, propter quam conditionem iniustam sunt partialiter iniusti. At in translatione omninò illiberali est iniustitia generaliter, & totaliter, quia est omni ex parte iniusta: quia nulla ex parte est voluntaria, & proindè est omninò inæqualitas. Huiusmodi autem translatio inuoluntaria omninò, extenditur ad bona animæ, corporis, famæ, & fortunæ. De tribus prioribus agemus in seqq. q̄onibus cū Scoto; nunc agemus de ea in bonis externis fortunæ. Hæc autem translatio bonorum externorum illiberalis, & omninò inuoluntaria, est, quæ fit inuito domino, tam proximo, quàm remoto, scilicet legislatore, qui non vult, immò prohibet illam rem occupari inuito domino, nisi in casibus præscriptionis, & vsucapionis, vt dictum est suprà.

Tres species translationis inuolūtariæ, scilicet furtum, rapina, & damnum datū. 2 Translatio autem hæc inuoluntaria respectu bonorum externorum fortunæ fit tribus modis, & sic habet tres species, scilicet furtum, rapinam, & damnum datum. In his tribus translationibus rei non transfertur dominium rei simpliciter, sed est vsurpata occupatio rei alterius, & proinde oritur maior obligatio restitutionis in his, quàm ex iniustis contractibus liberalibus secundùm quid: nam in simpliciter inuoluntaria translatione rerum detinens rem alienam, tenetur illam restituere, nedum quia habet rem alienam inuito domino, sed quia habet illam simpliciter inuito domino, & actione specialiter prohibita. Detinens verò rem alienam in inuoluntaria translatione rei, sed voluntaria secundùm quid, habet illam inuito domino, non simpliciter, sed secundùm quid tantùm: & acceptione non prohibita specialiter per legem.

legem. Actio enim contractuum non merè liberalium non est prohibita, sed licita, & necessaria vitæ ciuili, & pro statu isto; at actiones translationis inuoluntariæ simpliciter, & illiberalis omninò, sunt prohibitæ: ideò res alienæ occupatæ per illas ratione huius prohibitionis quoque sunt obnoxiæ restitutioni, vt postea dicemus.

Diffinitio furti Iurisperitorum.

3 Prima species ergo inuoluntariæ translationis simpliciter est furtum, circa cuius diffinitionem inter Doctores est discrepantia. Furtum a Iurisperitis communiter diffinitur sic. *Furtum est contrectatio fraudolosa lucrifaciendi gratia, vel ipsius rei vel etiam vsus eius, possessionisve quod lege naturali prohibitum est admittere.* Quæ diffinitio habetur Inst. de obligationibus, quæ ex delicto, §. *Furtum.* Et l. 1. §. fin. ff. de furtis, & à Doctoribus adiunguntur aliæ particulæ. Hic diffinitionē cōfutant Caiet. 2. 2. q. 66. ar. 3. & Soto lib. 5. de iustitia, q. 3. ar. 1. tanquā nimis longā: & continentem aliquas particulas superfluas, & aliquas falsas, vt est illa *lucrādi gratia*, quia, qui alienum accipit, vt in flumen deijciat, est fur, & tamen non accipit alienum lucrandi gratia. Sed quicquid sit de hac diffinitione, quæ posset saluari, & eam Azorius tenetur, p. 3. lib. 5. cap. 11. breuiùs Theologi furti diffinitionem assignant. Nam D. Thomas 2. 2. q. 66. ar. 3. sic diffinit. *Furtum est occulta acceptio rei alienæ*, quam Soto, & alij sequuntur. Alensis. 4. parte, q. 24. m. 5. ar. 3. ad argumenta supponit hanc esse diffinitionem furti. *Furtum est contractatio rei alienæ inuito domino*. Recentiores alias assignant. Scotus in hoc 4. dist. 15. q. 2. ar. 3. in fine, non assignat diffinitionem specialem furti, sed assignat differentiam inter iniustitiam, sub qua continentur furtum, rapina, & damnum datum, & iniustitiam, quæ committitur in translationibus rerum per contractus. Nam vt suprà dicebamus iniustitia, quæ committitur in cōtractibus, non est iniustitia oī ex parte, sed ex defectu alicuius condōnis necessariæ. Iniustitia verò hæc, sub qua furtū, rapina, & damnum datum continentur, est iniustitia omni ex parte, scilicet nedum ex defectu circumstantiæ, sed ratione obiecti: versatur enim circa obiectum prohibitum: acceptio enim rei alienæ inuito domino proximo, & remoto, est actiu de suo genere prohibita; sicut homicidium, fornicatio, & huiusmodi sunt actus ex suo genere mali, quia sunt prohibiti; & sic in his est maior iniustitia.

Diffinitio D. Thomę. Diffinitio Alensis. Quid dicē dum secundum doctrinam Scoti.

4 Ex quo fit, quòd istæ duæ iniustitiæ sint quasi duo genera subalterna iniustitiæ in communi. Et genus proximum furti, rapinæ, & damni dati, sit hæc iniustitia generalis ratione obiecti, & de suo genere mala; quæ iniustitia videtur posse significari per hoc verbum *vsurpatio* meliùs quàm per hoc verbum, *acceptio*, nam acceptio est nimis commune; competit enim tam iustæ, quàm iniustæ acceptioni. Genus ergo furti, rapinæ, & damni dati potest statui *vsurpatio rei alienæ inuito domino*. Hæc enim omnia explicant hanc iniustitiam, quæ est genus proximum horum vitiorum. Hinc addendo differentias specificas possumus habere diffinitiones proprias furti, rapinæ, & damni dati, dicendo. Furtum *est vsurpatio rei alienæ occulta*. Rapina *est vsurpatio rei alienæ violenta*. Damnum datum *est vsurpatio dominij rei alienæ cum destructione, vel deterioratione illius*. Alij definiunt damnū datum *esse iacturam datam in bonis externis culpa saltem iuridica*. Sed de hac infra. Per illam particulam, *occulta*, furtum distinguitur à rapina. Rapina distinguitur à furto per illam particulam *violenta*. Furtum verò, & rapina distinguuntur a damno dato, & damnum datum distinguitur ab vtroque, quia est vsurpatio quædam dominij rerum alienarum eas destruendo, vel deteriorando. Furtum enim, & rapina videntur propriè esse earū, quæ in proprium vsum conuertuntur. Nam qui proijcit rem alienam in flumen, videtur potiùs damnum dare, quàm furari, vel rapere. In verbo autem *vsurpatio*, continentur reliqua, quæ ad furtum, rapinam, & damnū in genere pertinent; scilicet quòd est acceptio, vel detentio inuito domino: adeò quod vsurpatio extenditur etiam ad detentionem; omnis enim acceptio, vel detentio rei alienæ inuito domino, scilicet, vel nesciente, vel sciente, sed non consentiente, est iniustitia generalis. In verbo, *rei*, intelliguntur bona fortunæ, vel dominij illarum cum destructione, non autem bona animæ, nec famæ, nec corporis; ablatio enim horum bonorum pertinet ad alia vitia. In verbo, *alienæ*, intelliguntur bona, quæ quoquomodo pertinēt ad alium, siuè habeat dominium, siuè vsum, siuè curam, & custodiam; vel administrationem, seu per aliquam iustam tentionem illarum, vt sunt depositarius, pignoratarius, & similes.

Diffinitio furti, rapinæ, & damni dati ex mente auctoris, & Scoti.

Obiectio.

5 Sed contra has particulas positas in diffinitione furti occurrunt dubia. Primò circa illam particulam, *occulta*; Nam circumstantia hæc *occultè aliquid fieri*, non est circumstantia mala, nec prohibita, immò videtur diminuere peccatum: nam si quis facit peccatum occultè propter metum, vel propter verecundiam, circumstantia illa est potiùs diminuens; minùs enim peccat, qui occultè peccat, quàm qui coram alijs peccat, propter scandalum. Respondetur, quòd non est par ratio de occultè peccare, & de occultè accipere rem alienam: nam prima est circumstantia diminuens peccatum, quia aufert circumstantiam scandali, quæ aggrauat peccatum; occultè autem accipere rem alienam est circunstantia formaliter prohibita, quia includit inuoluntarium respectu domini rei; accipere autem alienum contra volontatem domini est iniustitia, ideò occultatio actus in proposito est directè prohibita, & consequenter est speciale peccatum.

Solutio.

a. Obiectio

6 Secundò occurrunt dubia circa illam particulam, *vsurpatio*, siuè *acceptio*: nam etiam ille, qui retinet rem alienam inuito domino, etiam si ipse furtè eam non surripuerit, dicitur furari: ergo est insufficiens illa particula, *acceptio*, seu *vsurpatio*. Respondetur iam dictum est *vsurpationem* extendi etiam ad acceptionem, & detentionem inuito domino. Vbi est obseruandum, quòd qui detinet rem alienam, si illam bono titulo accepit, vt quia mutuò accepit, vel in custodiam, vel alio modo licito, quò ad non fit requisitus à domino, &c. non peccat; sed tunc solùm cum, primò requisitus à domino, negat illam restituere: tunc enim incipit illam habere inuito domino, & quanto tempore durat in hac voluntate non restituendi, continuat peccatum istud: quod potest dici peccatum furti, quia reducitur ad vsurpationem rei alienæ inuito domino. Si autem habet rem alienam, & putat probabiliter eam non habere inuito domino, & tamen habeat inuito domino, non peccat formaliter peccato furti, sed materialiter tantùm, nec tenetur ad restitutionem. Econtra si non detinet rem inuito domino, & tamen putat eā detinere inuito domino, peccat peccato furti formaliter, non materialiter: & proindè tenetur ad restitutionem, non quia habeat rem alienam, sed ne perseueret in illo peccato furti, quo detineri se putat. Quando etiam inuenitur aliquid alienum, si qui inueniens accipit illud animo non restituendi, etiam si sciret dominum, committit furtum in conscientia, & tenetur quærere dominum edicto publico proposito. Quod est verum, excepto casu quo dominus rem illam habeat pro derelicta, & hoc inuenienti constet: quia in hoc casu fit primi occupantis, vt diximus agendo de primo dominio rerum.

Solutio.

Si verò rem, quam detinet, occultè accepit, & perseuerat in voluntate non restituendi, continuat idem peccatum furti. An verò quoties sic detinens rem alienam videt dominum egere, vel eum illam petere, facit peccatum nouum, vt vult Soto lib. 5. de iustitia, q. 3. art. 1. quia tunc semper accedit nouum ius restituendi: an verò sit circumstantia aggrauans idem peccatum, ex dictis suprà agendo de peccatorum circumstantijs est dissoluendum. Quantum ad conscientiam parum refert, quod sint plura peccata, vel vnum, ęquè graue, ac multa minùs grauia: sufficit, quod vel sint plura peccata, vel vnum cōtinuatum æquiualens pluribus.

An detinēs rem alienā sepius peccet.

Tertiò

3. Obiect. 7 Tertiò obijcitur contra illam particulam, *rei alienæ*; videtur enim malè apposita esse, quia in iure ille iudicatur furtum committere, qui rem suam apud alium existentem, propria auctoritate, vel clam surripit.

Solutio. 8 Ad hoc dubium respondent concorditer Alexander Alensis. 4. par. quæst. 24. memb. 5. art. 3. D. Thomas, 2. 2. quæst. 66. ar. 4. ad tertium, Caietanus ibidem. Soto 5. de iustitia, quæst. 3. ar. 1. ad tertium, Nauarrus in Manuali, cap. 17. num. 112. & 113. & alij multi, quos citat Azorius lib. 5. cap. 15. & responsio consistit in hoc, quòd licet accipere furtim, & propria auctoritate rem suam ab eo, qui eam iniustè detinet, vt à latrone; non autem ab eo, qui eam iustè detinet, vt à depositario, custode, & huiusmodi, his conditionibus præcipuè seruatis. Prima, quòd non possit rem suam officio iudicis recuperare, neque alia via sibi commoda. Secunda, vt accipiat absque detrimento illius, apud quem est, nimirum vt caueat, ne ille deinde obligetur ad restitutionem. Assignantur aliæ conditiones, sed illæ sunt communes omni restitutioni, de quibus infrà; istæ duæ sunt propriæ huius casus. Ratio est, quia propter duas causas, quis prohibetur accipere rem suam apud alium detinentem eam iniustè. Prima, quia nemo sibi ipsi ius dicit, hoc enim communi iustitia prohibetur; & proindè, qui sic clam, vel auctoritate propria recuperat rem suam, habetur vt fur in iure. Verùm vbi iudicium iudicis non habet locum, quia vel non adsunt probationes, vel timentur inimicitiæ, & adsunt aliæ conditiones propter quas, quis non potest rem suam recuperare, nisi cum magno damno, vel periculo, in foro conscientiæ cessat hæc ratio; & sic recuperans rem suam nedum non obligatur ad restitutionem, sed neque tunc peccat, & sic hæc prima causa cessat. Secunda causa, qua prohibetur, est damnum, quod infert detinenti rem illam iniustè; ille enim iniustus detentor tenetur ad restitutionem suo domino, & tamen si dominus, illo nesciente, & clam rem suam recuperat, eam restituere non potest, quia eam ampliùs non habet; & licèt materialiter (vt ita dicam) non teneatur eam restituere, quia ampliùs non habet rem alienam; tamen formaliter tenetur, quia ipse eam furatus est, neque scit dominum illam recuperasse. Vndè nisi dominus rei in recuperanda re sua consulat damno iniusti detentoris, ita quòd cognoscat, quod non ampliùs tenetur ad restitutionem, peccat; licèt ad restitutionem non teneatur, nisi sequatur damnum iniusto detinenti, vt puta si ille restitueret æquiualens domino, nesciens dominum iam rem furatam sibi, recuperasse: tunc enim teneretur resarcire damnum iniusti detentoris.

9 Sed quid si dominus rei non posset rem suam propriam recuperare, posset ne damnum suum ex alijs rebus iniusti detentoris compensare? e. gr. Titius furatus est mihi equum meum, non possum equum meum recuperare; possum tamen alium equum, vel vestem, vel aliquid aliud eiusdem Titij surripere; licet ne hoc mihi facere?

An qs possit damnū suum compensare ex rebus iniusti detentoris. Respondet Alensis vbi suprà, quòd si incontinenter, & sinè interpositione temporis possum meum damnum recompensare, licet. e. gr. Si cum Titius furatur mihi equum statim insurgo aduersùs eum, & quia non possum recuperare equum meum, aufero illi equum suum, licet. Ratio est, quia licet vim vi repellere. Præterea multa furta incontinenter, quæ mala sunt, excusantur ratione doloris incontinenter causati. Vndè Deuteronomij 21. Excusatur, qui incontinenter occidit occisorem sui propinqui, licèt inconsideratè homicidium commiserit: quia stimulo doloris hoc facit. Si verò tempore interpolato faciat hanc recompensationem, tenet Alexander hoc non licere in conscientia: quia res, quam quis pro recompensatione furatur, vel rapit, nunquam sua fuit, ideò non habet ius illam sibi accipiendi. Sed de hoc dubio etiam quò ad secundam partem dicendum est licere, sicut suprà dictum est de re propria; est enim eadem ratio de recuperatione rei suæ propriæ, & de recompensatione æquiualentis pro re debita sibi. Neque aliter intelligit Alensis, & est communis opinio, vt est videre apud auctores suprà citatos; dummodo enim adsint duæ illæ circumstantiæ superiùs adductæ; nimirùm primò cum non potest iudicio iudicis recipere compensationem debitam, neque alia via sibi commoda; Secundò, quòd hæc compensatio non redundet in damnum iniusti detentoris, vt dictum est suprà: Et ratio est, quia vnusquisque potest se seruare indemnem, & ius suū prosequi; accipere autem rem suam, est ius suum prosequi, & recta ratione se seruare indemnem.

10 Obseruandum est autem, hanc recompensationem intelligi de re, quæ per iustitiam alicui debetur, non de re debita alio titulo, vt gratitudinis, vel remunerationis, vel charitatis, vel misericordiæ, vt obseruauit Nauarrus loco citato, cap. 17. num. 113. cum auctoribus ab eo ibi citatis, & alij.

11 Ex dictis patet, quæ sit differentia inter furtum, & rapinam: nam furtum est occulta acceptio rei alienæ; Rapina verò est violenta acceptio. Vndè maius peccatum est rapina, quàm furtum: quia vltra ablationem rei alienæ inuito domino, etiam continet violentiam illatam domino rei: nihilominùs sępè isti termini confunduntur, & vnum accipitur pro alio, vt furtum pro rapina, & rapina pro furto. Furtum, & rapina distinguūtur

12 Vnumquodque autem tàm rapina, quàm furtum diuiditur in varias species, præsertim verò ratione subiectæ materiæ. Nam primus si, quod furto rapitur, est res sacra, sacrilegium dicitur. Secundus si est bonum aliquod Reipublicæ, dicitur peculatus. Tertius, si pecora, vel armenta dispersa, dicitur Abigeus. Quartò denique si quis furetur hominem liberum, vt eum vendat dicitur Plagiarius. Aliæ diuisiones habentur apud Iurisperitos, ff. de furtis. Sacrilegium autem apud Canonistas triplex est. Primum, quando res sacra ex loco sacro surripitur. Secundò, quando res sacra ex loco non sacro surripitur. Tertiò, quando res non sacra ex loco sacro surripitur: nam cap. quisquis, 17. quæst. 4. §. sacrilegium, istis tribus modis sacrilegium committi apertè dicitur. De iure ciuili autem tunc solùm sacrilegium est cum quis rem sacram ex loco sacro surripit, vt habetur, C. de Episcopis, & Clericis, *l. si quis in hoc.* Species variæ furti, & rapinæ. Sacrilegiū triplex.

13 Circa furtum, & rapinam variæ dubitationes oriuntur. Primò, an furtum de sui natura sit peccatum mortale. Ad hoc respondetur nullum esse dubium ex suo genere esse mortale peccatum. Et ratio vera est, quia vt diximus suprà agendo de distinctione peccati mortalis à veniali, ille actus est peccatum mortale, qui est contra aliquod præceptum; patet autem furtum esse contra septimum præceptum Decalogi, *non furaberis.* Potest verò esse veniale ratione imperfecti consensus, vel paucitatis materiæ, vt ibi diximus de omnibus actibus, qui ex mortalibus fiunt peccata venialia. An furtum sit ex suo genere peccatum mortale.

14 Sed difficultas est, quando materia sit iudicanda parua, siuè exigua, vt ex mortali fiat veniale. Aliqui dicunt habendam esse rationem personæ, non quantitatis rei ablatæ: quia maius damnum est auferre pauperi denarium æreum, quàm diuiti magno aureum vnum; & sic auferre pauperi denarium erit peccatum mortale, diuiti verò auferre aureum erit peccatum veniale. Et hæc opinio sic in generali tribuitur Soto libro quinto, de iustitia, & iure, quæst. 3. art. 3. Sed hic modus dicendi est falsus, quoniam furari centum aureos Regi non esset peccatum mortale, quia minùs lęditur Rex per furtum centum aureorum, quàm anus paupertima per furtum denarij ærei, quo panem emere potest ad prandium. Alij dixerunt summam duorum Iuliorum, vel Regalium etiā dimidij Regalis, & Iulij esse materiā peccati mortalis, vt Nau. in Man. c. 17. nu. 4. quæ opinio multis durior videtur, quòd enim quis propter ablationem vnius Iulij, vel dimidij damnetur ad infernum, videtur esse contra il- Quantitas materiæ, q̄ faciat de mortali veniale. Opi. Soto ascripta. 2. Opi. quę est Nau. & aliorū quorundam.

lud, *de minimis non curat prætor*: super quam regulam fundatur, quòd leuitas materiæ excuset à peccato mortali, vt diximus suprà agendo de circumstantijs facientibus actum de mortali veniale. Molina tractatu secundo, disput. 685. asserit eam esse sufficientem quantitatem ad peccatum mortale, quæ in vnoquoque loco sufficit ad cõducendum operas vnius diei fossoris terræ, quando non est magna penuria, neque magna abundantia huiusmodi operariorum; & hoc comparatione eorum, qui non pingues habent facultates.

Opi. Mol.

Opinio vera Soto.

15 Alij distinguunt, quòd quædam est quantitas, quæ absque relatione ad personam, siuè diuitem, siuè pauperem, facit actum esse peccatum mortale, vt quãtitas duorum, vel trium ducatorum: siuè enim quis surripiat diuiti, siuè pauperi duos ducatos, est quantitas de se magna, quæ sufficit ad peccatum mortale. Quædam verò est quantitas de sui natura exigua, quæ ex se non est tanta, vt inducat mortale; tamen habita ratione ad personam, cui surripitur, potest esse sufficiens ad culpam mortalem. (Et hæc est vera opinio Soto loco citato,) vt si nummum argenteum surripias pauperi, vel duplum, vt puta vnum Iulium, vel duos; est peccatum mortale. Si autem illud surripias Regi, vel diuiti magno, nequaquàm. Consentit Molina vbi suprà quantum ad hanc distinctionem de diuite, & paupere, sed nullus eorum assignat rationẽ.

Opinio vltima approbatur.

Hæc opinio mihi quoque placet, & potest probari. Nam quantum ad primam partem, nimirùm esse certam quantitatem pecuniæ, quæ apud omnes faciat peccatum mortale, vt dictum est de duobus, vel tribus ducatis, nullum mihi videtur esse dubium: quia furari etiam Regi duos ducatos, vel tres, est quantitas, quæ secundùm existimationem communem hominum sufficit ad furtum, licèt Rex parùm æstimaret huiusmodi damnum: est enim quantitas in se non paruæ considerationis. Et quantùm ad hanc partem locum habet, quòd Nauarrus, Azorius, vbi suprà, & alij dicunt grauitatem materiæ, quæ faciat peccatum mortale esse existimandam à bono viro ratione locorum Prouinciarum, in quibus maior, vel minor copia pecuniæ, & rerum adest. Certum est enim vnum Iulium, seu Regalem esse maioris in pretio in locis carentibus pecunia, quàm in ijs, qui ea abundant. Ferunt aliqui in India minùs valere vnum ducatum aureum, quàm valeat in Italia vnus Iulius, & proinde furtum duorum Iuliorum, quod est peccatum mortale in Italia, & Romæ, non esset mortale in India, quoniam furtum duorum Iuliorum in India esset, ac furtum duorum Baicorum in Italia, & Romæ. Ideò grauitas materiæ furti ex his circumstantijs est pensanda, sicuti dicebamus iustum pretium rerum ex eadem radice esse iudicandum. Secunda pars verò probatur, quia sicut vt supra diximus, cum quis multùm indiget re sua, plus illi valet, quàm alteri petenti eam ab illo, & potest illam vendere tantum, quantum sibi valet, & seruare se indemnem, licèt secundùm existimationem communem tantum non valeat: quia etsi res illa non valeat communiter tantum, tamen tantum possidenti valet; ita ad propositum, vnus Iulius, vel dimidius, vel quandoque denarius vnus æreus potest valere, & de facto plus valet pauperi, quàm diuiti, & quàm communiter æstimetur, quia pauper poterit illo vno Iulio emere sibi panem, & se vno die sustentare cum sua familia, quòd si quis illi illum Iulium surripiat, cogitur iacturam illam, & inediam pati; & proinde ratione illius personæ est quantitas magna, & sufficiens materia peccati mortalis, quæ non esset ex se sufficiens circumscripta hac relatione paupertatis personæ.

An furtum rei minimæ sit peccatum furti; & an per illud quis incidat in excõmunicationem.

16 Ex eadem radice mihi oriri videtur ratio, propter quam qui furatur rem minimam alicui sciens domino suo fore damnosam grauiter, vt qui furatur sutori acũ, propter quam ablationem sutor patitur grauem iacturã, vt quia ammittit operam illius diei, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem damni illati. Nam res illa etsi in se sit minima, & non sit sufficiens materia peccati mortalis, tamen illi sutori valet multum, & proindè est sufficiens materia furti. Vndè, quòd Nauarrus, Molina, Azorius, & alij obseruant, huiusmodi ablationem non esse peccatum furti, sed iniuriæ, & damni dati; & proindè, quando quis excommunicatur pro furto, & excommunicatio non extenditur ad eum, qui damnum dedit, hac excommunicatione non ligari, qui huiusmodi rem leuẽ in se, sed vtilem furatus est, mihi videtur speculatio nimis subtilis. Nam quod dicunt huiusmodi surreptionem esse quidem peccatum mortale, non tamen esse furtum, sed iniuriam, & damnum datum, & proindè non contineri sub excommunicatione contra eum, qui furtum fecit præcisè, est fundamentum satis leue. Quoniam occulta acceptio rei de suo genere est furtum: quòd deinde sit ablatio maioris, vel minoris quantitatis, sunt differentiæ furti, quarum vna est peccatum mortale, altera non; tamen ambæ sunt species furti. Si enim quis furetur acũ sutori, sed qui habeat plures similes acus, & proinde nullum patiatur damnum per ablationem illius vnius acus, actus ille erit peccatum, & peccatum furti, licèt veniale: ergo etiam ablatio acus ex qua vtilitatem reportat sutor est sub genere furti in se: quòd enim ablatio occulta rei leuis afferat damnum, non trahit actum illum extra suũ genus, quia est circumstantia externa, & proindè puto, quòd cum est peccatum mortale, ille, qui illud commisit, ligetur excommunicatione.

Opin. Nauarri, Molinæ, Azorij, & aliorum reijcitur.

17 Sed adhuc dubium est, an qui furatur rem minimam, animo tamen furandi maiorem, mortaliter peccet. D. Thomas, 2. 2. quæst. 66. ar. 3. ad tertium, ait peccare mortaliter: quomodo autem peccet mortaliter non explicat. Caietanus ibi, dicit, ideò peccare, quia habet animum furandi maiorem rem. Soto vbi suprà inquit, peccare posse mortaliter, quia contingere potest, quòd res illa minima sit carissima possidenti, atque proindè per illius ablationem valdè contristetur, & fortè ad iracundiam excitetur, Atque fieri posse, vt quis animo afficiendi illum tali tristitia furaretur illam rem. Azorius vbi suprà, q. 4. respondet, quòd quidquid sit de mente D. Thomæ, certum est sic furantem peccare mortaliter, non tamen peccare peccato furti, sed affectu interno; & quòd proindè si excommunicatio sit lata contra furtum, quod sit peccatum mortale, nõ comprehẽderetur sub hac excõicatione is, qui furaretur rem minimam animo furãdi maiorem.

An qui furatur rem minimam animo furandi maiorẽ, mortaliter peccet, & sit capax excõmunicationis.

Opinio D. Tho. & sectatorum.

In hac re certum est peccare mortaliter: quia est communis doctrina Theologorum, vt suprà vidimus, duplex esse peccatum, mentis, & operis; & peccatum mentis habere propriam malitiam sinè actu exteriori (licèt deinde Scotistæ à Thomistis differant, quòd secundùm Scotum actus exterior addit malitiam actui interiori, secundùm Thomistas verò nequaquàm) ideò certum est, quòd qui furatur rem minimam animo furandi maiorem, quæ sit peccatum mortale, peccat mortaliter actu interiori; & quò ad hoc, sententia allata mihi probatur. Verùm hæc opinio mihi non placet quò ad hoc, quod dicit huiusmodi actum non esse peccatum furti, propter rationem nunc suprà adductam, quia furtum rei minimæ de genere suo est sub peccato furti, ideò: siuè sit peccatum veniale, siuè mortale, semper est peccatum furti. Concedo quidem, quòd huiusmodi non ligaretur excommunicatione lata contra furtum; at non quia actus ille non sit furtum; sed quia in quantum furtum illud est peccatum mortale, est peccatum mentis: at excommunicatio non fertur contra peccata mentalia, sed externa: quia Ecclesia non iudicat de occultis.

Resolutio.

Reijcitur.

18 De ijs verò, qui paulatim, & diuersis vicibus magnam summam rei furantur, ita tamen quòd singulis vicibus modicũ quid furantur, quod nõ sufficit ad peccatũ mortale, vt mercatores, qui minutim res vendentes vnicuique auferunt denarium vnum, sed tam frequenter, quòd spatio vnius mensis ascendunt ad summam duorum ducatorum, & quandoque decem, plùs, minùs

De his, qui paulatim summã magnam furantur.

prout

prout plures, vel pauciores emptores habent, vel frequentant suam officinam.

Quid de eo, qui paulatim summam magnam furatur eidem.

Respondetur breuiter, quòd hoc contingere potest tribus modis. Primò, quando vnus furatur eidem hanc summam paulatim modo prædicto, sine tamen intentione perueniendi ad summam magnam, quæ sit peccatum mortale, & hoc facit interpelatis vicibus, vt si famulus, vel famula hodiè furetur vnum nummum æreum, seu quatrinum dominæ suæ, hinc ad octo dies alium, & sic diuersis vicibus, tamen spatio vnius, vel trium mensium ascendit ad summam, quæ sit peccatum mortale; & in hoc casu mihi placet opinio Nauarri in Manual. capit. 17. num. 139. qui asserit, quòd nunquam obligaret huiusmodi famulam ad restituendum sub pœna peccati mortalis, neque eam peccare mortaliter. Et re vera hæc sententia est æquissima, & rationabilissima. Nam quòd non peccet singulis his vicibus furando nummum æreũ, est euidens; cum sit materia leuis, nec habeat intentionem furandi quantitatem notabilem. Et licèt sępiùs furando nummum vnum vigesima vice ascendat ad summam, quæ sit peccatum mortale, propter quod Azorius lib. 5. cap. 15. quæst. 3. indicat illum esse peccatum mortale, & obligari ad restitutionem, & propter hoc argumentum confutat opinionem Nauarri; tamen hoc nihil obest, quia hoc non facit, vt actus ille sit peccatum mortale: quia ablatio illius nũmi vigesima vice, etsi sequatur ad furta priora, tamen non continuatur ad illa. Vndè cum plura peccata venialia non faciant vnum mortale, illa plura furta partialia, quæ sunt venialia, non faciunt vnum peccatum mortale furti.

Opin. Nauarri approbatur.

Atque ex hoc sequitur, quòd neque obligetur ad restitutionem totius summæ, quia etsi modica illa simul sumpta faciant materiam peccati mortalis, tamen sic diuisa non faciunt materiam obligatam ad restitutionem; sicut plurimæ gutæ aquæ simul faciunt quantitatem notabilem, aquæ tamen seiunctim, & successiuè nequaquam, quia sic seiunctim, & successiuè desinunt esse, nec vniuntur simul, sed vnaquæque statim desinit, nec facit cum alijs quantitatem notabilem aquæ; Ita illa modica pecunia surrepta hodie, cum non obliget ad restitutionem, cessat, nec continuatur cum altera modica quantitate simili, quam quis alia vice furatur, & sic de alijs; adeò quòd nunquam ex illis fit aggregatio tantæ quantitatis, quæ obliget ad restitutionem. Et re vera, si quis ex huiusmodi modicis furtis, quæ sunt peccata venialia, nec fiunt cum intentione furandi quantitatem notabilem domino, obligaretur ad restitutionem, difficile esset saluare famulos, & factores magnarum excusare à peccato, quia difficile est, quòd in tot expensis, ita diligentes sint, vt caueant à furto rei minimæ; vndè cum sępissimè actus expensarum fiant, credibile est, quòd spatio aliquo notabili ascendant ad summam aliquam notabilem, quæ sufficiat ad peccatum mortale.

19 Secus autem si (vt ait ibidem Nauarrus) hæc furta parua continuatis actibus fierent, etiam non animo furandi quantitatem notabilem, sed tamen spatio certi temporis, qui furaretur cognosceret se quantitatem notabilem, & damnosam domino abstulisse; tunc enim etsi non peccasset auferendo, peccaret tamen non restituendo. Quòd intelligo, si tunc illa quantitas notabilis pecuniæ actu existeret apud furantem, vt apud seruum, seu actorem domini; nam ipse tunc haberet rem alienam notabilem inuito domino, & ideò licèt acceptio non fuisset iniusta mortaliter; tamen si nõ restitueret, inciperet esse in mora, & sic peccaret non restituendo. Sed si illa quantitas pecuniæ notabilis non existeret apud furantem, sed sicut paulatim modicam furatus est, sic etiam illam spreuisset, & expendisset, ego non obligarem eum ad restitutionem, quia tunc nihil alienum haberet; neque actione mala mortaliter eam accepisset.

Quando quãtitas rei furatæ extat obligat ad restitutionem.

20 Secundo modo contingere potest, quòd sic furans paulatim magnam quantitatem, sine tamen intentione furandi magnam quantitatem, eam furetur non vni soli, sed diuersis, vt si mercator vendens res minutim singulis emptoribus furaretur nummum vnum, vel duos æreos, sed toties, quòd spatio vnius mensis, vel anni ascenderet ad summam notabilem, vt viginti scutorum plùs minùs. Et in hoc casu videtur dicendum sicut ad præcedentem, nimirum quòd non peccat mortaliter vnquam, nec tenetur ad restitutionem, si distinctis, & non continuatis vicibus sic furetur, nec quantitas ablata furti maneat, & simul vnita resultet in cumulum notabilem, sed sicut paulatim furatur, sic paulatim expendat partisfaciendo huiusmodi paucam quantitatem singulis vicibus ablatam. Si autem continuatis vicibus paulatim furetur, tot modica, quæ remanerent, & inaduertenter fiat cumulus, & quantitas notabilis manens apud ipsum furantem tenetur ad restitutionem, quia etsi actione mala mortaliter non acceperit, tamen rem alienam habet apud se, & non restituens est in mora; Sicut qui iustè accepit aliquid ab alio, dilata solutione ad tempus, & finito tempore si non restituat, est in mora, & peccat; non quia malè acceperit, sed quia est in mora, & hoc est, quod alij dicunt, vt infrà videbimus, teneri ad restitutionem, non ratione iniustæ acceptionis, quia nulla vice peccauit, sed ratione rei alienæ, quam habet apud se inuito domino. Postquàm enim aduertit ex administratione, vel ex venditionibus sic succreuisse sibi huiusmodi lucrum, ex minimis furtis, est conscius se habere rem alienam, ideò debet illam restituere, & quia incertus est dominus cum paulatim diuersis vicibus hanc quantitatem sit furatus, debet restituere pauperibus, vel Ecclesiæ eo modo quo dicemus de restitutione facienda rerum incertorum dominorum, & hoc modo verum est, quod ait Nauarrus prædicto loco, quòd inueniri possint furta solùm venialia, quæ obligent ad restitutionem sub pęna peccati mortalis.

Quid de eo, qui magnam quãtitatẽ paulatim furatur pluribus.

21 Tertio modo contingere potest, quod plures furentur aliquam quantitatem notabilem, quæ sit peccatum mortale, sed vnusquisque non furetur, nisi rem minimam, vt vnum vel duos denarios æreos, qui tamen simul sumpti faciunt ducatos decem aureos; vel singuli furentur vnum, vel duo poma, vel duos, vel tres racemos vuæ, tamen poma omnia vnita simul, & racemi vuæ simul faciunt summam magnam pomorum, & vuarum, quæ domino damnum magnum inferunt. Et ad hunc casum respondendum est secundùm regulas superiùs assignatas. Nam vel isti conueniunt simul sic paulatim minima auferendo, auferre quantitatem notabilem domino, & tunc patet clarè, quòd peccant mortaliter: quia licèt singuli accipiant rem minimam, tamen illam ordinãt ad quantitatem magnam, & sic mente consentiunt, & facto coadiuuant ad furtum magnæ quantitatis; & sic peccant, & tenentur ad restitutionem, eo modo quo plures consentientes in furtum. Qui continentur in illo versiculo. *Iussio consilium* & cæt. de quibus in disput. propria de restitutione: Tenentur enim singuli in solidum restituere totum. Si autem non conueniunt furari huiusmodi quantitatem notabilem, tamen singuli tantam quantitatem furati sunt, quòd ascendit ad quantitatem peccati mortalis, tenetur vnusquisque ad restituendum solum suam partem. Si autem singuli sciant alios furari minimam quantitatem, & ipsi etiam furantur minimam quantitatem, ita quòd cognoscant ex his furtis minimis resultare damnum graue domino non tamen alios adiuuant peccant mortaliter; quia consentiunt in furtum rei quantitatis notabilis; & eadem ratione singuli tenentur ad restitutionem suæ partis, tantùm (non totius: quia non sunt concausæ cum alijs, qui furantur) quia etsi sit minima, si tamen omnes restituant, dominus

Quid si plures paulatim alicui magnã quãtitatem furentur.

subleuabitur ab illo damno, quod per furtum cogi patiebatur.

De venatione, piscatione, cesione lignorum. 22 Multa solent tractari ab auctoribus de venatione, piscatione, cęsione lignorum, de furto Gabellarum: sed tria prima ad materiam de furto non spectant; quoniam diximus furtum esse vsurpationem, seu occultam acceptionem rei alienæ: modo feræ, & aues, quæ sub venatione comprehenduntur, cum non habeant determinatum dominium, sed sint liberæ, earum captio non est furtum: quia cum nullius sint, fiunt primi occupantis. Secus est de auibus, piscibus, & feris, quæ iam factæ sunt in potestate alicuius, captio enim illarum est furtum. Idem dicendum est de lignis cędendis; si enim syluæ sint communes, cęsio lignorum non est furtum; secus si sint particularium dominorum. Circa autem venationes, piscationes, & lignorum cæsiones solùm peccatur, quando transgrediuntur leges Principum statutæ circa illas, & transgressor obligatur ad pœnas in illis statutas.

Quid de gabellis. 1. Opinio. 23 Quò ad Gabellas autem; & vectigalia, & huiusmodi, an sit furtum illa non soluere, sunt præsertim duæ sententiæ. Aliqui negant fraudantem gabellas peccare mortaliter, & committere furtum. Ad quod asserendum aliqui mouentur, quia dicunt non esse credibile, quòd Principes, etsi possint condere leges, quæ in conscientia obligent, velint tamen obligare in huiusmodi legibus gabellarum, sed solùm esse credendum eos intendere tantùm obligare ad taxatam pœnam. Sic Nauarrus in Manual. cap. 23. nume. 55. & sequentibus vsque ad 60. vbi tenet regulariter leges Principum sæcularium non obligare ad peccatum, licèt possent si vellent obligare. Alij verò dicunt non obligare in conscientia: quia leges de huiusmodi gabellis non feruntur sub hac forma, *Statuimus, aut præcipimus, vt gabella soluatur*. Sed sub hac. *Quicunque extraxerit, vel vendiderit, vel transtulerit merces*, &c. *Soluat certam gabellam*, & imponit pœnam transgredienti. Ideò cum non statuant, nec præcipiant, non habēt rationem præcepti, sed potiùs conuentionis, & sic transgressio eius non est peccatum, sed solùm subijcitur pœnæ soluendæ taxatæ per legem. In hanc sententiam propendet Henricus quolib. tertio, quæstio. 22. & eam tenet Angelus verbo *Pedagium*, num. 6.

Opinio vera. 24 Communior sententia est, huiusmodi leges obligare sub pęna peccati mortalis, & fraudantes teneri ad restitutionem, quam tradunt Gabriel Biel in 4. distin. 15. quæst. 5. artic. 3. conclus. 7. qui citat Hostiensem, & dicit esse sententiam communem Doctorum, quem postea secuti sunt Siluester verbo *Gabella*, 3. quæst. 9. & alij multi, Soto, lib. 4. de iustitia, quęst. 6. art. 4. cum recentioribus. Couarruuias in regula *peccatum*, p. 2. §. 5. Azorius lib. 5. cap. 22. & alij. Et reuera hæc opinio est sustinenda.

1. Ratio. Prima ratio est, quoniam conceditur communiter, Principes posse facere legem obligantem ad peccatum mortale, & consequenter, si Principes velint leges gabellarum obligare ad peccatum mortale, ipsas obligare actu. At certum est etiam signum euidens esse Principem, & Prælatum tunc intendere obligare ad peccatum mortale, quando ex verbis, pœnis, & circumstantiis ostendit se habere intentionem firmam, quòd talis lex, & præceptū obliget vt suprà diximus; modò quòd subditi soluant gabellas, & similia imposita pro bono publico, & pro subsidio ipsius Principis, est res, quam non est dubium esse maximè curæ ipsi Principi, cum circa suum interesse maximè versetur, & si tales leges sperneretur, cederet in maximum detrimentum Principis, & Reipublicæ: ergo præsumendum est, eas toto animo velle obseruari, & pœnas quas imponunt, impont ad hunc finem, vt leges illæ obseruentur. Vndè dicere, quod Princeps faciat leges illas sub huiusmodi pœnis, intendens obligare solùm ad pœnam, & non ad obseruationem legis, esset species tyrannidis. Præsumendum est ergo Principem quantum est ex se nolle illam pœnam, sed obseruationem legis, opponere tamen pœnam, vt timore pœnæ, etsi non virtutis amore seruent legem, vt ex eodem Henrico citato loco elicitur.

2. Ratio. 25 Confirmatur: quia gabellæ, & huiusmodi collectæ sunt tributa ipsi Principi debita: ergo illa fraudare est peccatum furti, quia est alienum rapere: omnes autem fatentur tunc legem Principis sæcularis obligare ad peccatum, cum est de re, quæ tamen a se sit peccatum mortale: ergo leges gabellarum obligant ad peccatum mortale, & qui fraudat gabellas, est fur, & tenetur ad restitutionem. Et per hæc patet ad fundamentum Nauarri.

Ad fundamentū Nauarri, & aliorum. Ad aliud Angeli, & aliorū respondeo parùm referre sub qua forma statuantur hæ leges, cum constet ex dictis semper Principem intendere obligationem legis, cùm circa bonum publicum, & ipsius interesse maximè versentur.

26 Prædicta vera sunt de gabellis, & collectis iustis. Quando autem gabellæ sint iustæ non spectat ad subditum iudicare; sed cum adest dubium, debet ad Principē recurrere, & interim seruare leges, & soluere, nisi apertissimam præseferant tyrannidem.

Gabella ēt non petita est soluēda. Quod etiam dicunt Soto lib. 4. quæst. 6. art. 4. Azorius loco citato, & nonnulli alij, quòd nemo obligatur soluere gabellas, nisi à publicanis petantur, dummodo, qui adducit merces, non occultet eas, nec fraude viatur, ne Publicani in cognitionem earum deueniant, sed esse imputandum ipsi conductori Gabellarum, qui non adhibuit diligentiam, vt eas peteret à publicè transeuntibus, mihi non probatur: quia iam ex lege Principis adducens merces debet illam certam summam Principi: ergo siue conductor gabellæ illam petat, siue non petat, tenetur ad illam soluendam, vt benè obseruauit Couarruuias loco citato Regula *peccatum*, par. 2. §. 5. num. 5. Quod verò aiunt hoc habere locum vbi fortè consuetudo obtinuerit, quòd leges istæ in conscientia non obligent, & quòd non teneatur soluere nisi petatur, concedo; sed puto nullum esse locum, vbi huiusmodi consuetudo inualuerit, nec est præsumendum, nisi adsit aperta, & manifesta declaratio Principis, vel praxis in iudicijs feruata.

De damno dato. 27 Damnum datum (dimisso damno emergente, & lucro cessante, de quibus suis locis egimus) diximus supra esse *vsurpationem dominij rei alienæ, cum destructione, vel deterioratione illius*.

Diffinitio dāni dati. Alij tamen, vt Molina disput. 697. illud sic diffiniunt, *damnum est iactura data in bonis externis alicuius absque eorum vsurpatione culpa saltem iuridica dātis illud, ex qua legū præscripto teneatur*. At nos diximus esse *vsurpationem dominij*, vt poneremus genus sub quo hæc iniustitia specialis, quæ est damnum datum, reponitur. Certum est enim, quòd damnum dare est iniustitia, & omnis iniustitia est vsurpatio boni alterius, ex qua sequitur inæqualitas. Vndè etiam in damno dato non accipiatur res ipsa quantum ad substantiam, ita quod vertatur in vsum accipientis, per quod distinguitur à furto, & rapina, & tamen res alterius vsurpetur, rectè dici videtur *vsurpatio dominij cum destructione, vel deterioratione alterius*. Quod autem ait Molina, quod damnum datum *est iactura in bonis sine vsurpatione*; ibi per *vsurpationem* intelligit acceptionem rei alienæ cum conuersione illius in vsum accipientis; & sic potest dici sine vsurpatione, licèt non sit facienda vis in terminis: quia ille, qui armenta sua ad pascendum immittit in segetem alienam, dicitur damnum dare, & tamen cedit in vtilitatem damnum dantis.

Quādo dānum dare est peccatū & obligat ad restitutionem. 28 Quod est sciendum in damno dato, quando sit peccatum, & obliget ad restitutionem? Ad quod respondetur, quòd de damno dato in contractibus ex dolo, & fraude, quæ est culpa Theologica; & ex culpa iuridica, quæ est lata, vel leuis, vel leuissima, diximus supra cum Scoto, & alijs Theologis agendo de cōtractibus disp. 46.

cap. a.

cap. 2. Nunc agitur de damno dato extra contractus ex aliqua actione, & est sermo de damno dato in re iam acquisita, & obtenta. Nam de damno dato in re obtinenda impediendo eius assecutionem, & de restitutione eius erit sermo cum Scoto infrà in solutione argumenti vltimi principalis Scoti huius secundæ quæstionis. Respondetur ergo ex eisdem principijs, quòd vbi nullus est dolus, nec culpa Theologica, nec iuridica nemo peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem de damno dato in rebus proximi, vt de damno dato rebus proximi in bello iusto, vel ad se defendendum cum moderamine inculpatæ tutellæ; & quod dat iudex exequendo actum iustitiæ, & huiusmodi. Idem dicendum si solùm casu fortuito damnũ det. Si verò dolo, & fraude damnum det, quod est date damnum ex culpa Theologica, procul dubio peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, si quantitas ascendit ad summam peccati mortalis. Si verò absit culpa Theologica, videndum est, an actio sit honesta, vel inhonesta, seu illicita, vt sunt delicta ipsa. Et quidem si actio sit honesta, tenetur solùm de culpa iuridica lata secundùm omnes ad restitutionem, licèt non peccet mortaliter; de culpa verò leui, & leuissima nequaquam. Quod colligitur ex cap. *Si culpa tua* de iniurijs, & damno dato vbi suprà adducto, ff. ad legem Aquiliã. Si verò dat operam rei illicitæ, & alicui delicto, tenetur de culpa leui, & leuissima. An verò teneatur ad restitutionem ipso facto absque iudicis declaratione, & sententia, est valdè dubium. Et duæ sunt sententiæ. Aliqui enim asserunt absque iudicis sententia teneri ad restitutionem, sic Angelus verbo *culpa*, nom. 6. Adrianus in 4. de restitutione, q. quæ incipit. *Vtrùm in foro conscientiæ*. Medina de restitutione, q. 9. Couaruuias, 4. decret. p. 2. cap. 6. §. 8. nu. 12. Fundamentum est, quia in cap. *si culpa tua* citato significatur exactissimam diligentiam esse præstandam, per quam nihil de contingentibus omittatur. Alij dicunt non teneri ex leuissima culpa, ante sententiam iudicis, quia dicunt legem illam esse pœnalem, seu comminatoriam, quæ non obligat nisi lata sententia. Res hæc est valdè dubia. Nam prima sententia vult illas leges esse iustas, vt sic deterreantur homines à delictis patrandis, & damno alijs inferendo. Vndè ratione delicti commissi videntur eos obligare ad restitutionem damni dati. Alij verò alterius opinionis, quos sequitur Siluester verbo *culpa*, q. 4. vt Innocentius in cap. *sicut dignum*. De homicidio, & alij plures dicunt leges illas esse pœnales, & comminatorias tantùm, vt quisque dans operam rei illicitæ sit cautior, ne ex suo delicto damnum alteri sequatur. Azorius lib. 4. cap. 7. putat hanc vltimam opinionem esse tenendam, quia est mitior. Mihi verò opposita opinio Angeli, & aliorum magis probatur, quia ratio illius mihi efficacior videtur, nõ enim verisimile est, leges illas intendisse, vt malefactores ex delictis cautiores essent in damno dando, sed absolutè hac obligatione intendisse deterrere malefactores à delictis ipsis, & proindè iustas, & non solùm pœnales esse; & hæc opinio est magis conformis textui, qui vult quod de contingentibus nihil ommittatur; at qui dat operam rei illicitę, & de contingentib. aliquid ommittit: qui ad rẽ illicitam solent contingere mala, & damna, & huius sententiæ videtur esse Scotus in 4. dist. 23. quæst. 1. §. *in ista quæstione*, versic. *sequuntur etiam duo inconuenientia*. Tenet enim ibi, dantem operam rei illicitæ incurrere irregularitatem: ergo à simili damnificans dando operam rei illicitæ, tenetur ipso facto ad restitutionem.

An liceat punire furtum pœna mortis. Opinio aduersariorum. Cap. II.

29 Hic se se offert celebris quæstio discutienda, An liceat Principibus simplex furtum pœna mortis punire, de qua Scotus in hoc 4. distin. 15. quæst. 3. breuiter quidem, sed neruosè agit, & contra quem deindè alij ferè omnes posteriores insurrexerunt, vt postea videbimus.

Fab. de Restitutioe.

Obseruandum est autem in hac quæstione esse disputationem de furto simplici, quod non habet annexam aliquam aliam circumstantiam prohibitam, quia de furto habente annexam aliquam aliam circumstantiam secus est dicendum.

30 In hac quæstione sunt duæ opiniones omninò oppositæ. Prima est Scoti in hoc 4. dist. 15. q. 3. art. 2. versus finem, & antè ipsum fuit Alexandri Alensis 3. par. q. 47. memb. 4. ar. 5. qui asserit, quod nulla lex iusta esse potest, qua statuatur furem propter furtum simplex esse morte afficiendum. Principale fundamentum Scoti est istud. Nulla potestas humana potest dispensare super legem diuinam: sed sic est, quòd diuina lex absolutè præcipit neminem occidi exceptis duobus casibus; Primus quando lex iuxta generaliter præcipit aliquem occidi; Secundus est, quando ipse Deus, qui est fons iustitiæ, præcipit specialiter aliquem occidi: ergo nulla potestas humana potest occidere aliquem, nisi his duobus casibus. Subinfert, sed sic est, quòd in istis duobus casibus non comprehenditur furtum: ergo potestas humana propter furtum neminem potest occidere. Maior est euidens. Minor probatur ex D. Augustino 1. lib. de ciuitate Dei, cap. 21. relato 23. quæst. 5. c. 9. *si non licet*. vbi §. penult. in fine, habet hæc verba. *His igitur exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur*. Assumptum in subsyllogismo probatur, & primò, quòd non comprehendatur sub primo casu, nimirum quòd detur aliqua lex iusta, quæ generaliter præcipiat furem occidi pro solo furto; nam *lex iusta* secundùm eundem D. Augustinum lib. 1. de libero arbitrio, *nulla* est *nisi, quæ descendit à diuina lege sicut conclusiones practicæ à principijs practicis*, vel *quæ concordat legi diuinæ*, vel *ad minùs, quæ non discordat à lege diuina*: at præcipere hominem occidi propter furtum, neque descendit à lege diuina, tanquam conclusio pendens ex illa, vt ex principijs practicis; neque concordat legi diuinæ, sed discordat: ergo talis lex præcipiens occidi furem pro solo furto, non potest esse iusta. Maior est D. Augustini. Minor probatur: quia lex diuina, Moysis, & Euangelica absolutè quinto præcepto Decalogi dixit *non occides*. Excipit autem lex Moysis multos casus, vt patet Exodi 21. scilicet Blasphemum, Adulterum, Homicidam, & multos alios, quos eleganter refert Alexander Alensis, 3. par. q. 47. m. 4. ar. 5. inter quos non est furtum, immò manifestè ostendit, se non velle excipere furem, nec velle eum plecti morte, quia infligit furi aliam pœnam, scilicet, vt reddat septuplum, vt habetur Prouerbiorum 6. quam auctoritatem sequenti ratione adducam. Et Exod. 22. fur nocturnus occidi præcipitur; diurnus verò nequaquam. Et ratio est, quia fur diurnus est simplex fur; nocturnus verò præsumitur inuasor, qui non est simplex fur. In lege Euangelica etiam nullibi legitur furtum excipi ab illa lege vniuersali non occides hominem: ergo nulla lex humana, quæ præcipiat furem simplicem occidi, potest esse conformis legi diuinæ, vel ab illa descendere, sed est illi omninò contraria, & consequenter est iniusta. Neque comprehenditur sub secundo casu, scilicet, quòd per specialem reuelationẽ habeatur Deum ordinasse furem puniri pœna mortis: quia inquit Scotus, non audiuimus aliquam bullam de Cęlo descendisse, in qua hæc reuelatio habeatur, quòd fur propter furtum occidatur: ergo sequitur, quòd potestas humana propter simplex furtum non potest occidere aliquem.

31 Secundò confirmat Scotus hanc assertionem, dato, quòd in lege Moysis aliquo modo licuisset Iudicibus occidere furem, magis vĩ per Euangelicam legem huiusmodi rigor reuocatus, quã rigor contra Adulterũ: quia peccatum furti est multò minus, quàm Adulterium iuxta illud Prouerbiorum sexto. *Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit; furatur enim vt esurientem impleat animã: deprehensus quoque reddet septuplũ*. Sequitur.

Opin. Scoti cum suis fũdamẽtis.

1. Ratio.

2. Ratio Scoti.

Qui autem adulter est propter inopiam cordis, perdet animam suam. Sed pœna de adulterio est reuocata Ioan. 8. *Nemo te condemnauit mulier, nec ego te condemnabo, vade, iam noli ampliùs peccare*. Multò magis ergo reuocatus esset rigor ille contra furtum si fuisset statutus in lege Mosayca. Propter has rationes videtur dicendum illicitam, & iniustam esse legem, qua præcipitur furem propter solum furtum occidi.

Rō Alēsis. 32 Alensis pro hac opinione vbi suprà adducit hanc rationem, quam Scotus supponit, & magis corroborat vt infrà videbimus. Pœna, vt sit iusta, debet proportionari culpæ iuxta illud Deuteronomij 25. *pro mensura peccati erit plagarum modus*. At bona externa fortunæ occupant infimum locum inter bona nostra; vita corporalis verò occupat primum locum: ergo est iniustitia pro re ablata furto punire furem vita. Doctores antiqui D. Bonauentura, D. Thomas, & alij nihil dicunt cōtra hanc sententiam, immò vt infra videbimus, D. Thomas est nostræ sententiæ. Citatur pro opinione nostra Siluester verbo *furtum* q. 3. sed re vera sentit cum opposita sententia, vt est videre apud ipsum in verbis sequentibus.

Opinio aduersariorū. 33 Aduersùs hanc opinionem Scoti insurgunt multi, ac ferè omnes posteriores scribentes in hac materia, præsertim verò Gabriel Biel in 4. dist. 15. q. 15. ar. 3. dub. 1. Maior eadem dist. q. 27. quos sequuti sunt deindè Caietans, 2. 2. q. 64. art. 1. citatur etiam Sanctus Thomas ibi contra hanc sententiam, sed D. Thomas nihil huiusmodi ibi dicit. Soto more suo totis viribus lib. 5. de iustitia, & iure, q. 3. ar. 2. ad quartum argumentum, & fusiùs eodem lib. q. 1. art. 2. quos sequuti sunt deindè recentiores, præsertim Couaruuias lib. 2. variarum resol. cap. 9. nu. 7. Valentia tomo 3. disp. 5. quæst. 8. puncto 2. Molina tractatu 3. disput. 5. & tractatu 2. disp. 695. & multi alij. Atque adeò excandescit Molina aduersùs Scotum, vt dicat Scoti opinionem esse plusquam periculosam, & valdè affinē errori Valdensium, qui asseruerunt teste Guidone, & Castro aduersùs hæreses verbo *occidere*, non licere Principibus vlla ratione interficere malefactores. Insurgunt ergo aduersùs opinionem Scoti, & quantum ad conclusionem principalem, & quantum ad fundamentum.

1. Ratio. Aduersariorum cōtra conclusionē Scoti. 34 Primò contra conclusionem sic. Hæc assertio Scoti repugnat consuetudini iam inueteratæ, & acceptatæ, qua iudices, & Principes per leges municipales sanxerūt fures simplices morte puniendos esse: At est absurdum, & durum omnes huiusmodi iudices, & Principes condemnare tanquàm homicidas: ergo dicendum est licere interficere simplices fures.

2. Ratio; quæ est cōtra fundamentū Scoti. 35 Secundò contra fundamentum Scoti. Cum enim fundamentum sit falsum, necesse est conclusionem esse falsam. Quòd autem fundamentum Scoti sit falsum probatur præsertim à Soto, quem Molina, & alij ad vnguem sequuti sunt. Fundamentum Scoti est, quia præceptum illud *non occides*, est præceptum generale diuinum, & ideò obligat vniuersaliter, exceptis illis casibus, quos ius diuinum excipit; potestas autem humana non potest super ius diuinum dispensare: At contrà insurgunt falsum est præceptum illud Decalogi *non occides* esse præceptum generale, quod comprehendat neminem esse occidendum, nisi in casibus expressis in lege veteri, nam licet interficere inuasorem inculpata tutella ex lege naturæ; At hic casus non excipitur in lege Moysi ab illo præcepto: ergo illud præceptum de lege naturæ non est vniuersale.

Tacita responsio reijcitur. 36 Neque valet responsio quorundam asserentium inuasum non intendere occidere inuasorem, sed se defendere; quoniam licèt intendat se defendere, tamen ad se defendendum vtitur pro medio occisione inuasoris: ergo intendit occidere.

Alia tacita respōsio reijcitur. 37 Neque aliorum responsio valet, qui dicunt inuasum occidere inuasorem auctoritate publica, & diuina: quia non alio iure inuasor potest se tueri ab inuasore, nisi eo, quo potest comedere ad seruandam suam vitam: At comedere ad seruandam vitam nemo dicet licere alicui auctoritate publica, sed auctoritate priuata, & ex iure naturæ: ergo etiam occidere inuasorem ad se tuendum auctoritate priuata, & iure naturæ sibi licet: quia sunt einsdem rationis, comedere ad seruandam vitam, & tueri se ab inuasore per occisionem inuasoris.

38 Tertiò, si illud præceptum *non occides*, fuisset ita generale, non debuisset Deus excipere tot casus ab illo. Præterea non potuisset Deus dispensare cum illo, quia cū sit præceptum Decalogi negatiuum, est indispensabile ab ipso Deo, vt tenet ipse Soto lib. 2. de iustitia, & iure, q. 3. ar. 8. & quidam alij cum eo. 3. Ratio.

39 Præterea præcepta illa veteris legis de occidendo malefactores in certis casibus, quæ Scotus appellat exceptiones, vel erant legalia, vel naturalia; non legalia, quia cum legalia cessauerint, non posset modò in illis casibus Respublica aliquem licitè occidere, quia lex vetus quò ad iudicialia cessauit; si autem erant naturalia, vt re vera erant inquit Soto, quia erant interpretationes iuris naturæ, sequitur quòd non erant exemptiones ab illo præcepto non occides, sed quòd præceptum illud non erat vniuersale de lege naturæ, & quòd proindè in illo non connnebantur; & sic illud præceptum *non occides* non erat vniuersale, vt vult Scotus, nec naturale. 4 Ratio.

40 Præterea. Ante legem scriptam homines pœna mortis puniebant malefactores in illis casibus, pro quibus lex scripta præcipit occidi hominem, & hoc iustissimè faciebant, & tamen non est dicendum, quòd hoc facerent: quia illi casus essent excepti à lege scripta, si quidem nulla erat lex scripta; etsi adfuisset, Gentiles non tenebantur ad illam: ergo est dicendum, quòd id facerent non vi exceptionis legis, sed vi iuris naturæ. 5. Ratio.

41 Sextò. Fundamentū principale Soto, & aduersariorum est hoc, quòd de iure naturæ, & à Deo conditore naturæ data est potestati temporali facultas occidendi malefactorem, qui Reipublicæ bonum perturbat: ergo cum fures sint huiusmodi, iustè potest temporalis potestas condere legem, vt morte puniantur. Maior probatur, quia ita de iure naturæ est, quòd innocentes non occidantur, sicut quòd malefactores rescindantur à Republica: ergo sicut illud est licitum de iure naturę, ita secundū. 6. Ratio. Fundamētum principale aduersariorum.

42 Confirmatur, quia si Respublica iure naturali nō haberet facultatem puniendi malefactores pœna mortis pro suo arbitratu, recta cum ratione, sed teneretur sequi exceptiones illas legis Moysis, sequeretur, neque posse punire malefactores alijs generibus mortis, quàm ijs, quæ præscripta sunt in lege veteri in allatis casibus; At consequens est absurdum: ergo consequentia est eadēs. Absurditas consequentis probatur, quia est contra tenorem legis. ff. de pœnis. Vbi incendiarijs, atque alijs, pœna capitis decernitur, paricedæ in dolium occlusi submerguntur; hæretici exuruntur; rei lesæ maiestatis dilaniatur; alij flagellis verberantur; alij relegantur in exilium; & alijs aliæ pęnæ decernuntur, quæ tamen non habentur in lege veteri: ergo dicendum est, hanc potestatem Principum occidendi malefactores esse de iure naturæ. 1. Confir.

43 Confirmatur secundò, quia hoc præceptum *non occides*, est de iure naturæ sicut reliqua præcepta Decalogi, innitūtur. n. illi præcepto, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; neque hoc potest Scotus negare: ergo debet intelligi iuxta dictamen rectum naturæ: At natura dictat vitam vniuscuiusque seruandam esse; casu autem accidit, quòd quis non possit seruare vitam propriam, nisi occidat alium, vt in casu inuasoris, & in alijs casibus malefactorum, qui bonum Reipublicę perturbant: ergo occidere hominem non est prohibitum lege naturæ, sed è conuerso. Neque occisio hominis de lege naturæ sic latè, & absolutè extenditur ad omne homicidium, sed solùm ad iniustum homicidium. Et hic est germanus sensus illius quinti præcepti: ideò illo præcepto non ligantur manus Principibus, ne possint nouas leges mortis inflictiuas facere. 2. Confir. Germanus sēsus quinti præcepti secūdū aduersarios.

Con-

3. Confir. 44 Confirmatur tertiò ratione D. Thomæ, 2.2.q.64. art. 2. quæ est. Sicut se habent membra, & partes corporis humani ad totum corpus humanum, sic quodammodo se habent membra, & partes Reipublicæ ad totam Rempublicam; sed quando aliquod membrum humanum est putridum, & inficit totum corpus, licet homini cuilibet particulari ad conseruationem totius ex lege naturæ abscindere illud membrum: ergo ita Reipublicæ licet lege naturali abscindere hominem illum, qui est putridum membrum Reipublicæ, & illam totam inficit, per mortẽ, vt timore tantæ pęnæ cæteri homines abstineant à similibus delictis. Adiungit Molina vbi suprà differre Rempub. ab homine priuato: quia homo priuatus potest ad libitum præscindere membrũ si sibi videatur necessarium ad conseruationem totius; At Respublica non potest occidere hominem sine culpa, quia occidere hominem sine culpa est intrinsecè malum; abscindere verò membrum corporis non est intrinsecè malum, quia membrum corporis per se non est capax iniuriæ: At membra Reipublicæ qui sunt homines particulares, maximè. Quando ergo adest culpa in homine, tenetur Respublica ex lege naturæ occidere hominem, vt fit in bello iusto, & in punitione malefactorum. Neque hoc est contra quintum præceptũ Decalogi. Ex quo sequitur (inquiunt) quòd leges in veteri testamento de occidendis hominibus in casibus certis, nõ erant dispensationes, sed declarationes huius legis naturalis, *quòd licet homines occidere propter culpam*; & erant exempla quædam, & similitudines, in quibus licitum est interficere hominem, vt Principes, qui habent hanc potestatem sciant se regere in hoc præcepto naturæ, de occidendo hominem. Et sic isti auctores volunt, quòd Principes de lege naturæ teneantur ad occidendum homines quando adest culpa, & exclamant contra Scotum dicentem è conuerso de lege naturæ esse præceptum non occidendi hominem absolutè exceptis tantùm aliquibus casibus propter bonum publicum Reipublicæ, & volunt eũ habere opinionem valdè affinem hæresi Valdensium.

Adaersarij volunt esse pręceptum naturæ, vt Principes occidãt homines pp culpam.

45 Subiungit Molina vbi suprà, quòd etsi de iure naturæ sit malefactores puniendos esse pęna condigna, tñ esse in potestate Reipublicæ, quòd hoc, vel illud crimen tali, vel tali pęna puniatur, prout bonum publicum, & spirituale expostulat; Deo relinquente ipsis potestatibus hoc arbitramentum. Additque quinto præcepto Decologi prohiberi occisionem, quæ intrinsecè est mala, scilicet iniusta, & dissona rectæ rationi, scilicet, quia non adsunt circumstãtiæ, quibus illa cohonestetur; secus autem quando adsunt circumstantiæ quibus cohonestetur, & non est dissona rectæ rationi; Vndè colligit occidere hominem non esse intrinsecè malum, sed ex varijs circumstantijs posse honestari, & proinde in sua latitudine non esse prohibitum quinto præcepto Decalogi.

Homicidium aiunt aduersarij non esse intrinsecè malum.

7. Ratio. 46 Septimò. Demum Apostolus ad Rom. 13. ait datã esse potestatem, & gladium Principibus temporalibus in vindictam malorum: ergo licet Principibus pro qualitate criminum reos occidere: ideò si furtum sit quantitatis notabilis, vel frequenter commissum, ita quòd Princeps videat alias pęnas sperni, poterit licitè statuere, vt morte puniatur.

8. Ratio; quæ est de reuocatione legis cõtra adulterium. Octauò, contra secundam rationem Scoti, quòd Christus reuocauerit legem de occidenda adultera, arguit Soto. Nam reuocare legem diuinam pertinet ad Deum, & ad Christum quatenus Deus, & quatenus Iudex, & Princeps sæcularis potestatis: At Christus dominus eo loco non se gessit, vt Iudex, nec vt Princeps sæcularis potestatis, immò visus est negare sibi tanquàm homini illud iudicium sæculare adulteræ, sed veluti minister Regis Regni Cęlorum admonuit accusatores Adulteræ, vt si in aliquo crimine essent, resipiscerent: quia iudicium à se ipso inchoandum est. Falsum est ergo inquit Soto, ibidem, & articulo sequenti, Christum reuocasse illam legem, quòd Adultera non occidatur. Hæc aduersarij, aduersùs Scotum.

Allata opinio refellitur. Cap. III.

Allata opinio reijcit. 47 Non possum non sũmopere mirari aduersarios, ita acriter in Scoti opinionem insurgere, & maximè contra fundamentum Scoti principale huius assertionis, atque apertè eos sustinere occidere hominem non esse præceptum vniuersale de lege naturæ prohibens homicidium, sed è contra de lege naturæ esse occidere hominem quando adest culpa: hoc enim nedum non ius, & legem naturæ, sed immanitatem quandam contra legem naturæ esse, qui non videt certè cęcus est. Quòd autem aduersarij hoc dicant, patet ex dictis. Quàm autem sit irrationabile, vt dixi, cęcus est mente, qui non videt. Quod tamen potest adhuc sic magis declarari. Quod est de lege naturæ obligat omnes homines indifferenter sub pęna peccati mortalis: per aduersarios occidere hominem est de lege naturæ: ergo omnes homines sub pęna peccati mortalis tenentur occidere homines. Conclusio est falsa, ergo altera præmissarum; non maior vt patet: ergo minor; sed minor est positio aduersariorum: ergo. 1. Ratio.

Responsio tacita reijcitur. 48 Quòd si quis respondeat. De lege naturæ est occidere hominem, non quemcumque, sed malefactorem, vt ipsi respondent. Cõtrà. Mors vt est pęna, nõ est quid naturale, sed est pęna peccati, & propter peccatum introducta, & nisi fuisset peccatum, non fuisset mors actualiter introducta, licèt homo potuisset mori: ergo inflictio actualis mortis alicui non continetur sub lege naturæ, neque de lege naturæ obligamur ad inferendum mortem alicui; neque mors est debita alicui ratione naturalis legis, sed solùm propter peccatum. Tantum ergo abest, vt occidere hominem etiam malefactorem sit actus de iure naturæ, vt sit maximè contra legem naturæ introductus in naturam propter vitium peccati, quod est corruptiuum naturæ.

Secundò. 49 Præterea, de ratione legis est vniuersalitas, & extensio ad multitudinem; exceptionis verò ratio extenditur ad particulares casus, qui sunt pauciores: At maximus est numerus eorum, qui non debent occidi, paruus autem numerus eorum, qui debent occidi: ergo de ratione legis naturæ est non occidere homines; & occidere homines pertinet ad exceptionem. Et consequenter Scotus rectè dicit, præceptum Decalogi *non occides* comprehendere multitudinem, & extendi ad vniuersalitatem; occidere verò in certis casibus in lege Moysi expressis, esse exceptiones ab illa lege communi de non occidendo. Maior est euidens. Quando enim legislator fert legem aliquam iustam, illam fert pro vtilitate publica, idest ad totum populum, & omnes subditos extenditur: quòd si deinde aliqui excipiuntur ab illa lege, vel fit ex priuilegio, si est lex pęnalis: vel fit ex particulari culpa, si est lex gratiosa. Et certè dicere, quòd lex respiciat quosdam paucos casus, & exceptio se extendat ad vniuersalitatem, est confundere naturam, & essentiam legis cum natura, & essentia exceptionis. Minor est euidens; maior est enim numerus hominum, qui non debent occidi propter culpam, quàm numerus malefactorum, qui debent occidi, vt experientia patet. Et certè dicere, quòd maior sit numerus malefactorum dignorum morte, est maximam iniuriam inferre toti Reipublicæ.

Tertiò. Præterea præcepta Decalogi secundùm omnes sunt de iure naturæ, & maximè secundùm D. Thomam, 1.2. q. 100. ar. 1. neque Scotus oppositũ docet 3. sent. dist. 37. licèt aliter hoc declaret quàm D. Thomas: quòd autem sint de iure naturæ, & præsertim *non occides, non furtum facies*, & similia probat D. Thomas: quia inquit sunt quædam principia, quæ statim per se ratio cuiuslibet hominis iudicat esse facienda; Tunc sic. Præcepta de iure naturæ necessariò sunt conformia primo præcepto iuris naturæ, quod est illud, *quod tibi vis, alteri feceris, & quod tibi non vis, alteri ne feceris*. At quilibet vult sibi vitam, & non vult sibi mortem: ergo de lege naturæ est,

quòd

quòd quilibet velit proximo vitam, & nolit sibi mortẽ: ergo velle occidere aliquem est contra legem naturæ, & è contra nolle occidere aliquem est conforme legi naturæ; & consequenter præceptum negatiuum, non occides, vt est sic negatiuum, & vniuersale est de lege naturæ; & sic omnis occisio hominis est iniusta, excepta illa, quam præcipit Deus, qui est dominus vitæ creaturæ rationalis; siuè per legem scriptam, siuè per legem naturæ, quam cordibus hominum inseruit. Et hoc modo intellexit D. Thomas 1.2.q.100.ar.8. ad tertium dum dixit, quòd occisio hominis, quæ præcipitur in quinto præcepto Decalogi est occisio iniusta; intellexit enim omnem occisionem hominis regulanter esse iniustam, excepta illa, quæ præcipitur à Deo, cuiusmodi ait fuisse occisionẽ de filio Abrahæ, quam Deus præcepit; erat enim de se iniusta, sed quia Deus illam præcepit, ob illam præceptionẽ excipiebatur ab iniustitia, quia Deus est dominus vitæ humanæ. Et sic etiam ex D. Thoma habemus, hoc præceptum, *non occides*, esse vniuersale; & præcepta de hoc, vel illo occidendo in lege veteri, vel in lege naturæ non fuisse interpretationes huius præcepti *non occides*: sed exceptiones ab illo.

Præcepta occidẽdi aliquem in lege scripta, vel in lege naturæ, nõ sunt declaratiões, sed exceptiones à 5. pcepto Decalogi.

4. Ratio.

50 Quartò. Contra id quod aiunt, Principes de lege naturæ habere potestatem occidendi hominem propter culpam. De lege naturæ homo non est subditus homini: seruitus enim, & dominatio, & maximè coactiua nõ erat in statu innocentiæ, vt suprà disp. 42. cap. 3. conclusione quinta ostendimus: quia in creatione naturæ humanæ Deus non dixit, *homo homini dominetur*, sed *homo pecoribus* ex D. Augustino ibi citato, *dominamini piscibus maris bestiis terræ*, &c. Gen. primo, sed dominatio, & potestas temporalis est de iure gentium introducta propter peccatum, licèt possit dici naturalis in quantum ortum habuit à voluntate hominis, qui natura sua est liber, & voluit, & vult se subdere alicui superiori, & domino, vt quietè viuere possit in Republica, vt ibi diximus.

Occidere hominẽ est contra legẽ naturæ, ex quo fundamentũ aduersariorũ ruit.

51 Ex his rationibus habemus, quòd occidere hominem non solùm non est de iure, & lege naturæ, sed vniuersaliter est directè contra illam, & proinde est prohibitum quinto præcepto Decalogi; & solùm licet in casibus exceptis à Deo in lege scripta, vel naturali. Et sic fundamentum principale aduersariorum expugnatum est, qui dicebant lege naturæ licere occidere hominem ex culpa: ostensum est enim licere occidere hominem non quia lex id præcipiat, sed ratione exceptionis: & ideò licere solùm in casu exceptionis. Nunc ostendendum est nullam esse exceptionem, qua liceat occidere hominem pro simplici furto. Ideò quintò arguo contra aliud fundamentum aduersariorum; scilicet, quòd per potestatem datam à Deo Principibus non liceat eis furem occidere, & simul ad conclusionem principalem, quòd non liceat aliquem pro furto simplici occidere, hoc modo. Si liceret Principi pro simplici furto punire hominem pœna mortis, hoc esset, quia per legem Dei scriptam, Mosaycam, vel Euangelicam esset eis concessum, vel id haberent ex potestate, quam habent iure gentium super homines pro quieto, & pacifico statu Reipub. confirmato eis à Deo in lege veteri, & à Christo domino in Euangelio, *quæ sunt Cesari, Cesari*, & per illud Pauli ad Romanos 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & c. At neutro modo hoc illis licet: ergo. Maior ex sufficienti diuisione patet, quia ex nulla alia radice pendet auctoritas Principum sæcularium. Minor quò ad primam partem est euidens, nimirum quòd ex lege Dei scripta non liceat fures occidere: quia nullibi in Euangelio, nec in lege veteri habetur hæc exceptio ab illo præcepto *non occides*, vt visum est, & conceditur ab aduersarijs.

Quòd non liceat Principibus per potestatem datam illis à Deo occidere furẽ.

5. Ratio.

Ratio contra conclusionem, & fundamentum simul.

52 Tota difficultas ergo est in secunda parte, ex eo enim capite multi ex recentioribus tenent, Principes habere hanc potestatem. Ea ergo sic probatur. Potestas quã habent Principes de iure gentium ad regendum populũ debet commensurari iustitiæ, quia data est illis in ædificationem, & propter bonum publicum conseruandum, & promouendum, non ad destructionem, & malum faciendum, & introducendum; & de hoc nulla est dubitatio; At iustitia exigit, vt æqualitas seruetur in commutationibus humanis, ita quòd quantum quis aufert proximo, tantundem illi reddatur, & non plus: ex quo sequitur, quòd pœna ad hoc vt sit iusta, debet esse æqualis delicto, non maior. Hoc fundamento supposito pro maiori, tunc subinfero minorem; sed pœna mortis superat delictum simplex furti quantumcumque illud magnum sit: ergo numquam licet iustè pro simplici furto statuere pœnam mortis. Minor est euidens, quia vita corporalis est longè maius bonum, quàm quodcumque bonum temporale. Vndè magis æstimatur vita corporalis, quàm omnes diuitiæ mundi: secundùm enim rectam rationem vnusquisque debet magis diligere vitam, quàm omnia regna mundi: ablata enim vita corporali nihil valent diuitiæ, & bona omnia alia temporalia. Commutare ergo pro simplici furto centum ducatos, vel mille, immò pro valore vnius Regni vitam corporalem, est valdè inæqualis commutatio; & proindè est iniusta omninò. Et ideò huic fundamento maximè innititur Alexander Alensis, & Scotus, dum dicunt, legem hanc de occidendo fure esse iniustam, quia non est conformis legi diuinæ, secundùm quam potestas tpalis debet se regulare.

Fundamentum Scoti, & Alensis.

53 At respondet Molina disp. illa 695. in fine concedendo pœnam non debere superare culpam, sed illi proportionari, & vitam esse supremum bonum temporale, & fundamentum omnium aliorum bonorum, & mortem, & maximè violentam esse terribilium omnium terribilissimum maximè horrendum; his tamen non obstãtibus negandum ait esse ex his sequi mortem non esse cõdignam pœnam furti. Ratio eius est, quia ad iudicãdum, an pœna sit æqualis culpæ, nec illam excedat, non est attendendum ad materiam culpæ, quasi materia pœnæ, siue bonum, quo pœna priuat, non debeat excedere materiam culpæ, seu bonum, quo delinquens priuat proximũ sua culpa; sic enim esset iniusta pœna dupli, vel quadrupli, & alia maior pro furto; Neque posset imponi pro furto nisi pœna pecuniaria, & illius generis, cuius est materia, in qua delinquens delinquit, quod tamen constat esse falsum; sed attendendum est ad ipsam culpam, ad legis transgressionem, & inobedientiam, & ad vim maiorem, vel minorem, qua à legislatore aliquid prohibetur, & ad commune bonum, & maximè ad hoc, quòd Principes vice Dei habent potestatem à Deo statuendi pro bono publico, quod sibi viderint expedire, & ad reliquas circumstantias. Cum autem in furto sit culpa læthalis ex lege naturæ, & diuina scripta in Decalogo; & rursus ex lege humana acrius illud prohibente ad conseruandam pacem inter ciues, & ad vitandum cędes, & alia mala, sequitur in ipso esse sufficientem culpam, vt morte corporali puniatur.

Responsio Molinæ.

54 Hæc responsio est omninò absurda, nam opposito modo se habet, nimirum quòd primò, & directè in iudicanda pœna iusta est attendenda materia delicti, & pœnæ; indirectè verò, & ex accidenti circũstantiæ, quas Molina principales facit. Prima pars probatur, quia punitio delicti est actus iustitiæ commutatiuæ, vt patet, & conceditur: at in iustitia commutatiua attenditur ęqualitas dati, & accepti; tunc enim commutatio, & correctio delicti est iusta, quando quantum quis detrimentũ est passus, & alter est lucratus, tantundem redditur ipsi damnificato. Si ergo quis passus est damnum in bonis tẽporalibus in duplo, si ei restituantur bona temporalia à damnificante in duplo, est satisfactum iustitiæ, & reducti sunt ad æqualitatem. Et quando dicit Molina, quòd tunc non liceret punire furtum in quadruplu, & maiori pęna. Respondeo, quòd qui alium damnificat per furtum, duplici (vt ipsi aiunt) titulo tenetur ad restitutionem. Primò ratione rei acceptæ, quia habet rem alienam; & sic si furatus est centum, tenetur reddere centum ratione rei

Reijcitur.

acceptæ;

acceptæ; & hac ratione tenetur restituere tantumdem, quantum accepit. Secundò tenetur ratione iniustæ acceptionis, & iniuriæ illatæ proximo per furtum, & hac ratione tenetur vltra id, quod furatus est in duplo, vel quadruplo, vel maiori, iuxta qualitatem furti, propter iniuriam illatam. Sed hac eorum doctrina de duplici radice restitutionis dimissa, quam infrà reijciemus disp. 50. cap. 1. Ratio vera est: quia qui furatur, peccat nedum contra iustitiam commutatiuam, qua rem alienā aufert inuito domino, sed etiam peccat contra iustitiam vindicatiuam; quia furtum est contra voluntatem Principis quoque: ideò non solùm tenetur ad restitutionem æquiualentis rei alienæ surreptæ furtum, vel damnificatæ, sed etiam à Principe debet puniri propter iniuriam in Rempublicam commissam, & proinde in duplo, quadruplo, magis, & minùs debet puniri pro qualitate furti. Hoc totum, & simul secunda pars confirmatur, quia si materia, & bonum culpæ, & pœnæ non esset attendenda in reddendo commutantes ad æqualitatem, sequeretur quòd pro bonis corporis ablatis possent iustè retribui bona temporalia; & pro bonis temporalibus exiguis, quæ tamen constituerent peccatum mortale, posset puniri quis mutilatione membrorum, vel etiam morte. Cōsequens est absurdum, vt patet secūdùm existimationem communem hominum. Consequentia probatur, quia tam ex aduersarijs non est attendenda materia, & bonum, quo quis priuatur, sed peccatum læthale, inobedientia legis, maior vis legislatoris, & an legislator iudicet esse contra bonum prohibitum: ergo si Princeps aliquis adeò odio haberet furtum, vt statueret, quòd qui furatur duos Iulios argenteos Romanos, qui sunt sufficiens materia peccati mortalis, morte plecteretur, & Princeps iudicaret ob bonum publicum esse occidendū, iustè posset occidi pro illo furto: quod tamen nemo est qui non iudicet hunc actum omninò inhumanum, & contra dictamen rectum rationis. Secunda pars adhuc probatur: quia vel circumstantiæ vltra materiam sunt alia lege prohibitæ, vt quia est in loco sacro, & similia, & tunc sumus extra casum, quia loquimur de simplici furto, vel sunt intrinsecæ ipsi furto, vt quia maximè est prohibitum furtum à Principe, vel quia sæpiùs est commissum, vel quatenus eius punitio resultat in bonum publicum, vt alij terreantur pœna ipsius; & tunc si istæ essent iustæ causæ puniendi furtū morte, sequeretur, quòd qui pluribus, vt 30. vicibus furatus esset duos Iulios argenteos Papales, iustè posset occidi pro his furtis ad terrendos alios à furto, quod vt dixi est penitus inhumanū.

55 Præterea si non esset attendenda materia damni in pœna, sed pro potestate Principis accepta à Deo iustitia pœnæ debitæ esset attendenda, & esset in potestate Principis iudicare quæ pœna sit vtilis bono publico, & quæ non absque vlla regula assignata à Deo, sequeretur quòd pro libito posset pro simplici mendacio, exigua percussione corporali, pro contumelijs statuere pœnam capitalem. Consequens est absurdum: ergo. Consequentia autem est euidens, quia totum hoc iudicium est situm in manu Principis. Falsitas autem consequentis patet: quia Principes subditi sunt legi diuinæ, & legi naturæ, ideò quod æquum est, est statuendum: ergo certa regula ex lege diuina, naturali, & scripta datur, secundùm quam metiri debent culpam, & pœnam: hæc autem est vt æqualitas seruetur inter ciues, & quòd ius suum cuique tribuatur; nec vnus magis grauetur, quàm æquitas patitur: ergo non potest quis grauari in bono vitæ, pro iactura boni temporalis quantumcunque illud sit; neque expedit bono publico facere hanc iniustitiam, & inæqualitatem, vt vitetur furtum, quia secundùm Apostolum *non sunt facienda mala, vt eueniant bona*. Ex his sequitur quod ratio certa, & tota iustæ pœnæ est quantitas lucri, & damni in delicto, & pœna, seu in materia, & valore rei, quæ per pœnam aufertur.

56 Et tandem confirmatur, quia non magis furtum affert detrimentum Reipublicæ, quàm mendacia, contumeliæ, fornicationes, leues percussiones corporis, immò ista sæpissimè solent esse causa homicidiorum, & factionum in rebus publicis; vt experientia patet; paucissimi enim sunt, qui occidant aliquem propter furtum sibi factum, at propter contumelias illatas, propter percussionem aliquam corporalem, propter fornicationem, propter mendacia, propter non obseruationem promissionum, & similium, videmus passim oriri homicidia, & inimicitias graues perturbantes Rempublicam; & tamen pro his nemo dicit iustè imponi pœnam mortis: ergo neque iustus prætextus est bonum publicum ad damnandum quò furem vltimo supplicio plectendum esse asseramus.

57 Sextò. Pro opinione Scoti maximè facit, quòd de iure communi Cæsareo prohibetur furem occidi, vel mutilari pro simplici furto, & ius antiquum statuens pro furti pœna mortem est reuocatū. Quod ipse Molina prædicta disp. ostendit, & patet ex Authentica; *sed nouo iure*, de qua mentio fit C. de seruis fugitiuis, post leg. 3. *si fugitiui*, & ex Authentica. *Vt nulli iudicum*. cap. vlt. *Quia verò*, §. 1. coll. 9. tit. 17. nouell. 134. cuius verba sunt. *Pro furto autem nolumus omninò quodlibet membrum abscindi, aut mutilari, sed aliter eum castigari. Fures autem vocamus qui occultè & sine armis huiusmodi delinquunt: eos verò qui violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domibus, aut itineribus, aut in mari, pœnis eos legalibus subdi iubemus*. Ex quo habetur Imperatorem non iudicasse iustam pœnam esse mortem pro furto simplici. Secus de latrone, & fure nocturno, qui præsumūtur non puri fures, sed habere animum occidendi si inueniant resistentiam in furando, vt diximus suprà, & soluendo rationes aduersariorum dicemus: & Glossæ Doctorum has leges aliter interpretantes, non sunt expositiones, sed peruersiones, & destructiones textus, verba enim legis sunt clara. 6. Ratio.

58 Septimò. Accedit, quòd ipse Soto loco citato lib. 5. de iustitia, & iure q. 3. ar. 3. cōfitetur grauitatem furti non mereri pęnam mortis, & damnat vsum, quo Principes simplex furtum morte damnant, quamuis asserat eos habere hanc potestatem de iure naturæ, (licèt in hoc erret, vt diximus suprà.) Quòd autem grauitas furti non mereatur pęnam mortis, probat, quia bona exteriora nō sunt tanti habenda, præsertim apud Christianos, quos Christus admonuit, vt petenti pallium relinquant, & tunicam: ideò non apparet ratio, vt pro furto vita extinguatur. Tunc sic arguo. Potestas Principum data illis à Deo non extenditur ad id, quod est contra rationem: sed pro simplici furto occidere hominem ex Soto est irrationabile: ergo. Prosequitur Soto probans hanc pęnam esse irrationabilem: quia cum antiquitus illa pęna mortis esset statuta, est reuocata per Authenticam in Codice: ergo signum est, quòd est irrationabilis. Et confutat Baldum, quem dicit se putare fuisse in causa, vt pro simplici furto pęna mortis statueretur eo, quia in Authentica *sed nouo iure*, C. de seruis fugitiuis, dixit duo. Primum quòd geminatū furtum reputatur latrocinium. Secundum, quòd quando vnum est ingens furtum æquipollet tribus: Quia autem latrones secundùm ius Cæsareum debent mortis pęna puniri, hinc deduxit furē ob triplex furtum dignum esse morte. Confutat autem eum Soto, & iurè, quia latro non est censendus quis ex simplici frequētia actuum, sed ex modo; nempè, quia vim infert, & raptus perturbat Rempublicam: fur autem occultè tantùm, neque irruptionem in ædes, vel vias facit, nec affert mortem resistenti. Et ex eodem fundamento ruit secundum assertum Baldi: quia etsi ingens furtum æquipolleat latrocinio vni in quantitate, non tamen ęquipollet in modo; & sic non est dignum morte. Vltimò reprehendit ipsum Baldum, & iurè, quòd asserat propter enorme crimen licere leges transgredi: quod quidem dictum verè ait Soto esse indignum Iurisperito: quoniam 7. Ratio.

transgredi

transgredi leges est peccatum, & peccatum nunquam licet; Et certè est verisimile auctoritatem huius Doctoris fuisse in causâ, vt fures morte plecterentur: sed quàm iniustum, & irrationabile hoc sit, patet ex dictis.

8. Ratio. Probat auctoritate D. Tho.

59 Octauò est auctoritas D. Thomę 2.2.quęst.66.ar.6.ad secundum vbi apertè dicit, quòd non pro quolibet peccato mortali infligitur pęna mortis secundùm iudiciũ præsentis vitæ, sed solùm pro illis, quæ inferunt irreparabile damnum, vel etiam pro illis, quæ habent horribilem deformitatem; & quia furtum non infert irreparabile damnum, pro furto secundùm iudicium præsentis vitæ non infertur pęna mortis, nisi quando aliqua circumstantia aggrauatur, sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, de Peculatu, quod est furtum rei communis, & de Plagiario quod est furtum hominis liberi. Patet autem ex hoc loco D. Thomæ non solùm elici, quòd tempore D. Thomæ fures simplices non suspendebantur in furca, vt vult Soto vbi suprà, sed quòd secundùm rectam rationem simplex fur non potest puniri pęna mortis. Quoniam recta ratio, seù rectum iudicium pro hac vita non habet infligere pęnam mortis, nisi pro illis delictis, in quibus infertur proximo irreparabile damnum. At per D. Thomam furti delictum nõ infert irreparabile damnum: ergo iustè pro furto non potest imponi pęna mortis. Et sic habemus nedum Alensem, sed D. Thomam conuenire cum Scoto in hac assertione, quòd furtum, non debet puniri pęna mortis, in qua aduersarij tantum latrant contra Scotum, & volunt esse plusquàm periculosam, & valdè esse affinem hæresi Valdensium.

Rationes aduersariorum soluuntur. Cap. IIII.

Ad primã rationẽ pro aduersarijs

60 AD rationes, pro aduersarijs ex dictis facilè patet solutio. Ad primam respondetur ex legibus Imperialibus iam prohibitam esse pęnam mortis infligi pro furto simplici. Quòd verò aliquæ leges municipales hãc pęnam statuerint contra Imperiales, non arguit eos Prĩcipes non errasse, sed è conuerso deliquisse valdè, & proindè non excusari à peccato. Quantum autem ego arbitror, paucissimi sunt qui pro simplici furto imponant pęnam mortis: & si pęna à lege particulari sit statuta, non puto obseruari; sed eos solùm fures plecti morte, qui vel sunt latrones, & grassatores, vel præsumuntur inuasores, & fures nocturni: pauci enim sunt fures, qui solũ etiã de die aliquid sinè armis furentur, sed qui huic vitio se tradunt, & pluries furantur, mirum est, si de nocte, & sinè armis nunquam aliquid furati sint. Proindè non puto esse adeò vniuersalem huiusmodi consuetudinem, vt etiã per leges municipales simplices fures vel damnentur morte, vel huiusmodi sententia executioni mandetur. Vndè qui illam exequuntur, meo iudicio à culpa homicidij non sunt immunes, nisi ignorantia, vel auctoritas Doctorum oppositæ sententiæ, quos in re dubia quilibet sequi potest, excuset.

Ad secũdũ.

61 Ad secundum argumentum, & reliqua contra fundamentum Scoti, patet Aduersarios inniti falso fundamento; scilicet quòd *non occides*, non sit præceptum vniuersale comprehendens vniuersaliter omne homicidium, exceptis ijs, quæ in lege scripta, vel naturali excipiuntur: inter quæ non est furtum, vt suprà fusè ostensum est.

62 Verùm quia in tertio argumento dicitur, quòd si *non occides*, sic vniuersaliter esset præceptũ Decalogi, nõ posset Deus dispensare in illo, quia præcepta Decalogi omnia sunt indispensabilia à Deo. Hic esset tractanda quæstio, An præcepta Decalogi sint dispensabilia à Deo, quod faciemus cap. sequenti. Pro nunc dico, quòd procul dubio præcepta Decalogi sunt dispensabilia, & quidem duo priora primæ tabulæ, absolutè loquendo, & mutato ordine rerum; vt si Deus aliter vellet res facere quàm fecit, vt diximus suprà agendo de peccato, An peccatum sit peccatum, quia prohibitum, vel quia ex se sit malum. Stante verò lege naturæ præcepta primæ tabulæ sunt indispensabilia; sed præcepta secundæ tabulæ maximè sunt dispensabilia, vt cap. sequenti ostendam.

An præcepta Decalogi sint dispẽsabilia à Deo.

63 Ad secundum ergo argumentum negatur, præceptum illud, *non occides*, non esse de lege naturæ in sua vniuersalitate, hoc enim esse falsum suprà probatum est. Ad probationem dico ex lege naturæ licere inuasorem occidere, sed hæc est vna exceptio ab illo præcepto vniuersali; Nam in eo casu Deus non intendit præceptum illud *non occides*, obligare. Et ratio est, quia quando duo præcepta concurrunt, & non possunt ambo obseruari, seruandum est maius; modò de lege naturæ sunt ista duo præcepta, *non occides*, & istud *magis est diligenda propria vita, quàm vita proximi*. In casu inuasionis non possunt ambo obseruari, ideò seruandum est maius. At maius præceptum est istud *magis est diligenda propria vita, quàm vita proximi*, ideò in tali casu ad seruandũ vitã propriam, quæ seruari non potest sinè occisione inuasoris, licet occidere inuasorem. Et ideò in tali casu præceptum, *non occides*, non obligat, & sic occisio in tali casu est exceptio, non declaratio, seu expositio præcepti vt ipsi volunt. Et hæc est germana solutio.

Ad tertiũ.

64 Ad tertium respondetur, quòd Soto debebat assignare rationem, propter quam Deus non debebat excipere tot casus ab illo præcepto *non occides*. Hoc enim est velle vocare Deum in iudicium, cur illa præcepta dederit, quod est irrationabile, ne dicam ridiculum. Ad aliam rationem de dispensatione, patebit cap. sequenti, falsum esse Deum non posse dispensare super præcepta Decalogi.

Ad quartũ.

65 Ad quartum respondetur, quòd illæ exceptiones erant legales, non de lege naturæ. Ad rationem contra hoc, quia legalia quò ad iudicialia cessauerunt, respondetur, quòd nunc non obligarent, nec obligant in ijs casibus, in quibus adhuc quædam illorum seruantur, quia sint præcepta, & exceptiones legales, sed quia in lege noua sunt confirmata; vel à lege humana, & à Principibus de nouo statuta, vt optimè docet Scotus in eadem dist. 15.q.3.ar.2. Nam etiam hodie multa talia in Decretalibus habemus, quæ sunt sumpta ex iudicialibus legis Moysis, vt patet extra de iniurijs, & damno dato, cap. 1. & sequentibus, quæ omnia sumuntur ex Exodo cap. 22. & 23. & seruanda sunt hodiè vt iura Canonica, non vt in lege mosayca.

Ad quintũ.

66 Ad quintum respondetur Gentiles, & reliquos omnes occidisse malefactores, ex exceptione legis naturæ, eadem ratione, qua dictum est ad secundum. Nam etsi de lege naturæ erat, *non occides*, tamen etiam de lege naturæ erat sicuti est modò, præponendum esse bonum publicum priuato, & hoc præceptum præponderat illi, *non occides*. Ideò quando occurrebat casus, quòd vtrumque præceptum non posset seruari, seruandũ erat maius. Cum ergo malefactores perturbent bonum publicum, neque alia via meliori seruari possit, quàm occidendo perturbatores, licitum fuit occidere perturbatores, quia in tali casu conditor naturæ non intendebat obligare ad hoc præceptum, *non occides*.

Ad sextũ.

67 Ad Sextum respondetur verum esse Deum dedisse potestatem Principibus occidẽdi malefactores propter bonum publicum; sed dico eam dedisse limitatam, nimirum vt illam exerceant ad mẽsuram iustitiæ, ità quòd pęna sit proportionata culpæ. At pęna proportionata culpæ furti non est mors, vt dictum est supra. Vndè & lex diuina non excipit hoc peccatum ab illo præcepto *non occides*, sicut excipit multa alia; neque lex naturæ hoc ordinat, quia ex illa maius bonum est vita corporalis, quàm quæcumque alia bona fortunę; ideò commutatio vitę pro bonis fortunę est iniusta commutatio propter maximum excessum boni vitę super bona fortunę.

Ad primã confirm.

68 Ad primam confirmationem negatur consequentia: nam vt dictum est, illæ exceptiones legis Moysis, vt illius

illius legis, ſunt abrogatę: ideò non valent, niſi auctoritate Principum de nouo ſtatuantur. Sicut autem habent Priocipes illas leges de nouo ſtatuere, ſic poſſunt ex lege, & dictamine legis naturæ alterare, & minuere pœnas illas, dommodo in hoc ſequantur legem veterem, quæ nō niſi magna ratione data fuit à Deo, & ideò cootioet ęquitatem; vel ſequantur principia legis naturæ inſerta cordibus noſtris, vt iuſta pœna correſpondeat culpæ.

Ad 2. confirmationē

69 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, ex dictis ad ſecundum iam patere, quòd in certis caſibus exceptis præceptum iſtud non obligat, vt eſt caſus inuaſoris. Quod autem dicitur, ſenſum illius præcepti eſſe prohibere non quodlibet homicidium, ſed ſolùm iniuſtum. Reſpondeo, in ſequenti cap. oſtendam, ſenſum præcepti eſſe, non eſſe occidendum hominem vniuerſaliter: quia occidere hominem eſt contra legem naturæ, & eſt de ſe malum, ſicut & alia, quæ ſunt contra legem naturæ; in caſibus autem licet, quia Deus noo intendit in illis obligare, & ideò in illis caſibus non eſt iniuſtitia hominem occidere. Ligat autem hoc præceptū manus Principibus, ne ad libitum ijs liceat occidere aliqnem, ſed ſolùm in caſibus exceptis, vel à lege diuina, vel à naturali, vt dictum eſt: quia Principes tenentur exercere ſuam potentiam iuſtè, & ſecundùm legem præſcriptam à Deo in lege naturæ, vel ſcripta.

Ad 3. confirmationē

70 Ad tertiam confirmationem concedo rationem illam D. Thomæ concludere in Republica, & Principe temporali eſſe poteſtatem occidendi hominem quando turbat bonum publicum, nec aliter bono publico pruden ter conſolere Princeps poteſt; ſed dico haoc eſſe exceptionem ab illo præcepto *non occides*, quia in tali caſu non intendit Deus illud præceptum obligare vt dictum eſt. Nego autem ex his ſequi, quòd occidere homines iniuſtos ſit præceptum legis naturæ directè intentum à natura; & quòd illi caſus, in quibus vel lex ſcripta, vel naturalis præcipit occidi homines, ſint declarationes huius præcepti, *quod homo iniuſtus occidatur*; ſed dico eſſe exceptiones ab illo præcepto *non occides*; eo quia non poſſunt alia præcepta maiora legis naturæ ſeruari ſimul in illis caſibus cum iſto, *non occides*. Vt ſont illa, *ius ſuum vnicuique eſt ſeruandum*. *Magis eſt diligenda propria vita, quàm vita proximi*, & huiuſmodi. Cum eoim quis turbat Rempublicam, & aufert ius ſuum alteri, niſi iſte de medio tollatur, non poteſt ſeruari ius ſuum vnicuique: ideò in tali caſu legislator Deus non intendit obligare ad ſeruandum hoc præceptum, *non occides*.

Ad 7. principale.

71 Ad ſeptimom coocedo datā eſſe poteſtatem Principibus ad puniendum malefactores, & turbatores Reipublicæ, ſed dico eſſe limitatam ad regulas iuſtitiæ, ità quòd pœna ſit proportionata culpæ, oon excedens; Viſum eſt autem, quòd mors, eſt pœna excedens culpam ſimplicis furti. Neque deſuot aliæ pœnæ corporales quibus citra mortem ij puniaotur, vt ſuot flagellationes, carceres ad multum tempus, damnatio ad triremes, & huiuſmodi, vt iura Imperialia antiqua conſueuerant.

Ad octauū Christ⁹ nō ſe geſſit in hoc mūdo, vt Princeps ſecularis.

72 Ad octauum. Propoſitio illa Soto, quòd reuocare legem pertinet ad Chriſtom vt erat Princeps, & iudex ſæcularis poteſtatis, eſt omninò falſa. Certum eſt enim Chriſtum dominum in hoc mundo non ſe geſſiſſe, vt iudex, & Princeps poteſtatis ſæcularis; quia licèt eſſet Rex Regum, & dominus dominantium, non tamen talem poteſtatem exercuit in mundo, iuxta illud Ioao. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; ſed ſe geſſit, vt legislator, quod negare eſſet hæreticum. Illa ergo, quæ ipſe præcepit, ſunt præcepta, & quæ oon præcepit, vel non obligare ipſe ſignificauit, non obligant: etſi priùs erant præcepta, ſuot abrogata. Ad propoſitum Chriſtus dominus non condemnauit Adulteram, neque dixit eſſe condemnandam pęna mortis ob Adulteriom, ſed dixit. *Neque ego te condemnabo*, ergo legem illam non obligare ſignificauit. Præterea videmus de facto in multis

Adulterij pœna ea lege Moyſis reuocata ē à Christo.

Regnis Adulterium noo puniri pęna mortis: ergo ſignū eſt iſtam pęnam eſſe reuocatam; at niſi eſſet reuocata à Chriſto obligaret; & ſi Chriſtus dominus condemnaſſet Adulteram, non liceret Principibus non occidere Adulteram, ergo ſignum eſt, quòd à Chriſto domino eſt reuocata.

An præcepta Decalogi ſint diſpenſabilia à Deo. Cap. V.

73 QVoniam principale fundamentum Aduerſariorum in cap. pręcedentibus, quòd illud præceptū, *non occides*, non obliget vniuerſaliter, neque in hac vniuerſalitate ſit præceptum de lege naturæ, ſed ſolùm quatenus arctatur ad hominem culpabilem, erat hoc. Quia præcepta Decalogi ſunt indeſpenſabilia, & ideò ſi illud præceptum, *non occides*, in illa vniuerſalitate eſſet de lege naturæ, non eſſet diſpenſabile à Deo; oportet hic examinare hanc difficultatem, Vtrùm præcepta Decalogi ſiot diſpenſabilia, quæ eſt quæſtio neceſſaria ad diſſoluendum multas difficultates, & dubia occurrentia.

74 Pro intelligentia autem huius difficultatis notandum eſt, quòd hic eſt ſermo, An Deus diſpenſare poſſit huiuſmodi præcepta ſtantibus rebus pro vt ſtant, ideſt ſtante natura condita, & lege eius eo modo quo eam condidit; Nam loquendo de potentia Dei abſoluta, & ſupponendo quòd Deus vellet aliter res, & naturam humanam facere, iam ſuprà diſp. prima de pœnitentia diximus Deum poſſe etiam diſpenſare, & mutare præcepta primæ tabulæ, & facere quòd odium Dei oon eſſet peccatum, quæ fuit etiam opinio OKam, & aliorum, & probaui ex principijs Scoti deduci, ideò de illa nunc non eſt ſermo. Quæritur ergo an ſtante lege naturæ eo modo quo à Deo eſt condita, ideſt de potētia Dei ordinaria, poſſit Deus diſpenſare in præceptis Decalogi. *Senſus q̄ſtionis.*

Opinio D. Tho. & ſectatorum.

75 In hac ergo difficultate ſunt duæ opiniones principales. Prima eſt D. Thomæ 1. 2. q. 100. art. 1. & 8. quæ priùs fuit Altiſiodorenſis, ait Soto, lib. 3. tract. 7. q. 5. D. Thomam, deindè ſequuti ſunt ſui ſectatores. Caietanus ibidem. Soto lib. 2. de iuſtitia, & iure, q. 3. ar. 8. Medina p. 2. q. 100. ar. 8. Molina Tractatu 2. diſp. 695. Vaſquez 1. 2. diſp. 189. & alij ab eis citati. D. Thomas ergo loco citato ex ſententia Soto pooit duas concluſiones. Prima eſt. Omnia præcepta Decalogi tàm primæ, quàm ſecundæ tabulæ ſunt prorſus indiſpenſabilia, ità vt neque à Deo diſpenſari poſſint. Secunda concluſio. Alia pręcepta, quæ extra Decalogum vagantur, neque in ipſo implicitè continentur, etiam ſi ſint iuris naturæ, nihil vetat quin diſpenſari poſſint. De hac ſecunda concluſione oō eſt contentio Inter D. Thomam, & Scotum, ſed ſolùm de prima. (Vaſquez autem contra Sotū eam impugnat vbi ſuprà cap. 3. tenet enim vniuerſaliter omnia præcepta naturalia, ſiuè in Decalogo, ſiuè extra, eſſe indiſpenſabilia.) Nam cum Scotus ſuſtineat præcepta Decalogi ſecundę tabulæ poſſe diſpenſari, conſequenter ſequitur eū concedere, cętera præcepta, quæ non ſuot Decalogi, cum ſint minùs obligantia, poſſe diſpenſari. Tota igitur difficultas eſt circa primam concluſionem.

1. Concluſio D. Th. in qua eſt difficultas: probatur. 1. Ratio.

76 Ea autem probatur, & primò ſic à Soto ex D. Thoma loco citato. In illis præceptis fieri poteſt diſpenſatio, per quę ſi ad litteram ſeruarentur, fieret contra intentionem legislatoris; ſed per nullum pręceptum Decalogi vllo vnquam caſu, & ratione poteſt obuiari, ſeu fieri contra rationem legislatoris: ergo nullo vnquam caſu poteſt in illis diſpenſari. Maior ſupponitur vera. Minor verò probatur in qua eſt ſita controuerſia. Quęcumque pręcepta includentia bonum commune, & ordinem iuſtitię, quod eſt medium ad bonum commune, & denique (vt ait Scotus referendo rationem D. Thomę pro hac ſua aſſertione) includentia bonitatem ipſam formalem, neceſſariò, & inſeparabiliter includunt intentionem legislatoris, ſed ſic eſt, quòd pręcepta omnia Decalogi includunt bonum commune, iuſtitię ordinem, & denique

ipſam

ipsam bonitatem formalem: ergo nullo vnquam casu in obseruatione alicuius illorum fieri potest contra intentionem legislatoris Dei; & sic non sunt dispensabilia. Maior est euidens: quia intentio legislatoris semper ordinatur ad bonum, & finem vltimum; & legislator Deus in præceptis legis naturæ ordinatur ad bonum commune, & ad iustitiam ipsam, quæ est medium ad bonum commune; bonum autem commune ordinatur vltimatè ad felicitatem ipsam, & Deum ipsum diligendum, & illi seruiendũ: ergo præcepta, quæ includunt bonum commune, & iustitiam, includunt bonitatem ipsam formalem, & vltimum finem, & sic obseruatio huiusmodi præceptorum est inseparabilis ab intentione Dei. Hæc probat Soto exẽplis. Nam si quis legislator præcipiat ne quis sit labefactator Reipublicæ; vel nullus iniustè agat, certè in his præceptis intrinsecè includitur bonitas formalis, iustitia ipsa, & bonum commune: ideò implicat repugnantiam, vt in aliquo casu sint contra intentionem legislatoris, & possint à legislatore dispensari. Si autem legislator præciperet, vt nemo fores Vrbis, dum obsessa est, aperiat, quia hoc præiudicat bono Reipublicæ, non repugnaret intentioni legislatoris, quòd in aliquo casu aperirentur, vt putà si Dux Reipubl. fugiens vellet se in vrbe saluare; in tali enim casu non intenderet legislator præceptum illud obligare.

77 Minorem verò, scilicet, quòd præcepta Decalogi sint prioris ordinis, idest, quòd includant bonitatem ipsam formaliter, bonum commune, & iustitiam ipsam, probant Soto, & alij sectatores ex eodem D. Thoma: quia præcepta primæ tabulæ includunt ordinem ad ipsum Deum; præcepta secundæ tabulæ includunt ordinẽ ad proximum, & ipsam iustitiam, vt ius suum vnicuique tribuatur. Hoc probatur, (& hoc nota, quia hic est punctus difficultatis) quia D. Thomas, Soto, & sectatores dicunt, quod dicere, *non occides*, est idẽ, ac dicere non iniustè, aut illicitè, aut malè facias; sic enim intelligenda sunt præcepta Decalogi. Et denique, vt aiunt Molina, & alij, cum præcipit dominus *non occides*, non prohibet quamcunque occisionem hominis, sed iniustam; cum præcipit, *non furaberis*, non prohibet quodcunque furtum, sed furtum iniustum; & sic de alijs. Adeò quod semper prohibet iniustitiam, & malitiam, ideò includunt inseparabiliter intentionem Dei; & sic sunt indispensabilia Deo; quia si dispensaret, dispensaret vt iniustitia, & malitia fieret, quod repugnat intentioni Dei in illis præceptis. Et Soto inquit in hoc Scotum allucinatum fuisse: quia, inquit, posuit discrimen inter præcepta primæ tabulæ, & secundæ in hoc, quòd priora contineãt iustitiam ipsam inseparabiliter, non autem secunda, quod est falsum (ait) vt est visum: quia præcepta secundæ tabulæ intelligenda sunt modo explicato à D. Thoma.

Punctus difficultatis.

2. Ratio.

78 Secundò arguit Soto pro eadem assertione. Adulterium, fornicatio, mentiri, quæ in Decalogo prohibentur, sunt ita intrinsecè mala, vt odium Dei, ita quòd nulla ratione possunt esse bona; At quod est simpliciter malum, & nulla ratione, bonum, non potest cadere sub dispensatione: quia Deus non potest dispensare, nisi vbi est aliqua ratio boni: ergo præcepta Decalogi non sunt dispensabilia. Minor est euidens. Maior probatur: quia mẽtiri, adulterare, & huiusmodi sunt naturaliter mala; & malitia est ita illis actibus naturalis, sicut rationalitas est naturalis homini: ergo præcepta illa prohibentia, sunt naturaliter bona, & continent bonitatem ipsam formaliter, & consequenter sunt indispensabilia.

3. Ratio.

79 Tertiò adducit argumentum, quod Scotus eadem d. 37. adducit contra suam solutionem, quod Scotum, ait deinde, non rectè soluere, & est hoc. Præcepta secundę tabulæ, *non occides. non mœchaberis*, secundùm D. Paulum ad Rom. 13. instaurantur, seu includantur in hoc præcepto *diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Nam ait idẽ Apostolus, *qui proximum diligit legem impleuit*. Et confirmatur auctoritate Saluatoris Matth. 22. *In his duobus mandatis*; scilicet dilectione Dei, & proximi, *tota lex pendet, & prophetæ*. Sed istud præceptum *diliges proximum tuum* sequitur ex illo *diliges dominum Deum tuum*: ergo à primo ad vltimum omnia præcepta secundæ tabulæ necessariò sequuntur ex primo præcepto primæ tabulæ; sed primum præceptum primæ tabulæ est indispensabile secundùm Scotum: ergo etiam præcepta secundæ tabulæ sunt indispensabilia. Assumptum autem illud, quòd dilectio proximi sequatur ex dilectione Dei probatur: quia qui diligit Deum ordinatè necessariò habet diligere condilectum Dei; Deus enim est bonum commune, & proinde est diligendus ab omnibus: diligens ergo Deũ debet velle proximum quoque diligere Deum: dum autem vult proximum diligere Deum, diligit proximum; dilectio ergo proximi pendet ex dilectione Dei; in dilectione autem proximi includuntur dilectio nedum animæ illius, sed corporis, & bonorum, quæ explicantur in alijs præceptis secundæ tabulæ: ergo præcepta secundæ tabulæ includentia illa, pendent à præcepto primæ tabulæ necessariò, & ita sicut illud primum est indispensabile, sic ea de secunda tabula.

80 Respondet Scotus tripliciter ad hoc argumẽtum. Sed tertia responsio est hæc quam impugnat Soto. Præceptum istud *diliges proximum tuum* deducitur necessariò ex illo *diliges Deum*, quantum ad hoc, vt velimus proximo ipsum diligere Deum, quod est bonum animæ: hoc enim est verè, & propriè diligere proximum, & oppositũ habere nunquam licet; sed diligere proximum quantum ad bonum corporale, vt velle illi vitam corporalem, vel bona fortunæ, non deducitur necessariò ex illo præcepto diliges Deum: quia possum diligere proximum quò ad bonum animæ, volendi illi bonum, scilicet diligere Deũ: & tamen nolle illi bonũ corporale, vel fortunæ: Possum enim velle, vt moriatur, ne peccatum committat, vt bona fortunę non habeat, ne illis abutatur. Non ergo hęc necessariò includuntur in dilectione proximi, quatenus necessariò deducitur ex illo præcepto diliges proximum tuum, sed solùm in illo includuntur, quatenus deducuntur ex illo primo secundùm explicationem Christi. Vndè nisi esset facta explicatio à Christo illius præcepti, ista euidenter ex illo non sequebantur.

Solutio Scoti.

81 Hanc responsionem impugnat Soto ex contrarijs principijs sic. Præceptum dilectionis proximi ortum habet ex præcepto dilectionis Dei: at non ex præcepto dilectionis Dei, quo nos obligamur diligere Deũ, sed ex præcepto dilectionis, quo Deus, & natura, seu Deus in naturæ lege præcipit, vt velimus proximo bona nedum animæ, scilicet diligere Deum, sed etiam bona corporis, & fortunæ, & ipsam iustitiam. Vnde dicere, quòd Deus possit dispensare in præceptis secundæ tabulæ, est dicere, quòd Deus possit dispensare, vt iustitia ipsa iustè perturbetur, vel vt fiat iniustitia ipsi proximo, quod implicat contradictionem.

Impugnatio Soto.

Molina, & Medina vbi suprà, & alij ferè omnes ex recentioribus eisdem rationibus vtuntur solùm verbis discrepando: maximè verò eo medio innituntur, quòd in præceptis Decalogi includitur illud præceptum vniuersale. *Non licet iniustè operari*: Vndè cum præcipitur neminem esse occidẽdum, intelligitur iniustè, & sic de alijs. Ideò cum præcepta Decalogi includant iustitiam ipsam, & bonitatem sunt formaliter indispensabilia.

Medinę, & & Molinæ fundamenta.

82 Caietanus 1.2. quæst. 100. ar. 8. quem sequitur Vasquez disput. illa, 189. cap. 2. & alij, alio modo procedit: distinguit enim. Cum loquimur de dispensatione circa præcepta Decalogi, & legis naturæ, hoc potest intelligi duobus modis. Vno modo, vt dispensatio fieri possit circa legem naturæ secundùm se, scilicet quatenus est regula, & lex nostrarum actionum. Alio modo quò ad materiam ipsius legis, & præceptorum ipsius. Loquendo de lege naturæ, & præceptis eius, vt lex naturæ, est indispensabilis. Secundo modo tenet esse dispensabilem, quia materia præceptorum potest variari quò ad circumstantias,

& tunc

& tunc non cadit illa materia ſub lege, & præcepto legis naturæ. Et hoc modo euenit de homicidio, furto, & alijs caſibus, in quibus legitur Deus diſpenſaſſe in ſacra ſcriptura; tunc enim mutauit materiam præcepti, non legem, nec præceptum.

Fundamentum Vaſquez. Prima pars autem huius opinionis fundatur in alia aſſertione, quam ſuprà diſp. 1. c. 5. confutauimus: quia ſcilicet tenet aliqua peccata eſſe peccata, & mala, quia ex ſe ſunt mala, non quia prohibita: ideò inquit illa ſtantibus certis circunſtantijs non poſſunt non eſſe mala; ideò non poſſunt fieri bona per aliquam diſpenſationem; ſiue diſpenſatio accipiatur pro relaxatione legis, ſiue pro interpretatione illius.

Secunda pars ſequitur ex eadem probatione, Quia cum circunſtantia mutatur, res illa, quæ ex ſe erat mala, ceſſat eſſe mala. e.g. homicidium factum ab hoie ex odio eſt de ſe malum: ideò Deus non poteſt diſpenſare, vt quis iuſtè faciat hunc actum: neque poteſt reuocare hanc legem, vt non ſit peccatum tale homicidium. Homicidium verò factum ab homine ex pręcepto Dei, non eſt malum ex ſe, ſed bonum: quia præceptum eſt à Deo, qui eſt dominus vitæ hominis: ideò hic variatur materia, non præceptum.

Opinio lata reijcitur. 83 Hæc opinio reijcitur ex profeſſo à Scoto in 3. diſt. 37. & quidem efficaciſſimis rationibus, licèt, vt verum fatear, hæc diſputatio potius ſit de verbis, quàm de re ipſa. Reuera enim res ipſa magis explicatur dicendo, quòd poſſint diſpenſari, & quòd Deus aliquando in illis diſpenſauerit, quando ordinauit actum oppoſitum ipſi præcepto, quàm dicendo, quòd materiam præcepti mutauerit, vt patebit ex dicendis.

1. Rõ Scoti Prima ergo ratio, & principalis Scoti eſt primum argumentum principale illius quæſtionis; probãs enim, quòd præcepta Decalogi non ſint de lege naturæ facit hoc argumentum. Quæ ſunt de lege naturæ, ſiue vt principia, ſiue vt concluſiones neceſſariæ, ex illis prouenientes, ſunt veritates neceſſariæ: ideò non poteſt Deus illas facere eſſe falſas; igitur non poteſt facere illud, quòd mandat fieri non eſſe bonum; & illud, quod prohibent non eſſe malum. Attamen videmus, quòd aliquando Deus fecit illud, quod illi prohibetur, eſſe bonum, vt occidere, mechari in Abraham, Oſea, & alijs: ergo non eſt dicendum eſſe de lege naturæ, nec vt principi, nec vt conditiones neceſſariæ ex illis deductæ. Ex hoc ad propoſitum noſtrum ſic arguitur. Si præcepta Decalogi eſſent indiſpenſabilia, & de lege naturæ ſtrictè, Deus nunquam circa illa diſpenſaſſet; Sed ſic eſt, quòd Deus multoties diſpenſauit circa aliqua illorum: ergo ſunt diſpenſabilia ab ipſo Deo. Maior eſt per ſe nota. Minor probatur, quia Gen. 22. diſpenſauit cum Abraham de occidendo filio Iſaac. Exodi 11. & 12. diſpenſauit cum filiis Iſrael circa furtum, quando præcepit illis, vt ſpoliarent Aegiptios, quæ ſpoliatio eſt ablatio rei alienæ inuito domino. Oſeę primo, diſpenſauit cum Oſea, vt acciperet mulierem fornicariam, & faceret filios fornicationis, quod eſt contra præceptum de non mechando: ergo Deus aliquando diſpenſauit circa præcepta Decalogi: ergo ſunt diſpenſabilia.

Reſponſio Caietani. 84 Ad hoc argumentum reſpondet Caietanus vbi ſuprà ex D. Thoma eodem art. 8. ad ſecundum quòd præcepta Decalogi poſſunt duobus modis conſiderari. Primo ſecundùm ordinem iuſtitiæ, quem continent; & hoc modo ſunt indiſpenſabilia. Secundo ſecundùm applicationem ad aliquem ſingularem actum, & hoc modo præcepta ſecundæ tabulæ ſunt diſpenſabilia. Subiungit Caiet. quòd hæc diſpenſatio non eſt præcepti relaxatio, aut declaratio illius in hoc caſu, vt vult Scotus; ſed eſt facere, quòd in tali caſu actus ille prohibitus, vt homicidium Abrahæ, non ſit homicidium, quod ſine illa auctoritate Dei fuiſſet homicidium. Quod ampliùs declarat ipſe Caietanus, & cum eo Vaſquez, & alij ſequentes hanc reſponſionem Caietani nam diſtinguunt hoc modo. Præcepta Decalogi non ſunt diſpenſabilia quò ad formale, ſed ſolùm quò ad materiale. Cum enim Deus diſpenſat in aliquo præcepto Decalogi, vt in homicidio cum Abraham, non relaxat præceptum non occidendi, ſed excepit, & ſubtraxit occiſionem Abrahæ à ratione formali homicidii, quæ eſt non occidere hominem innocentem. Dum autem Deus præcepit Abrahæ occidere Iſaac, fecit, vt occiſio Iſaac non eſſet iniuſta; & ſic eam ſubtraxit à materia contenta ſub hoc præcepto *non occides*, quæ materia eſt ſolùm iniuſta occiſio. Denique hæc eſt reſponſio quam Scotus ex D. Thoma adducit, ſcilicet, quòd Deus non poteſt ſimpliciter diſpenſare in actibus præceptorum Decalogi, inquantum ſunt actus prohibiti per præcepta, & ſunt materia ſuper quam tranſit præceptum: quia vt ſic actus illi ſunt ſimpliciter mali, & iniuſti, nec poſſunt fieri iuſti, & boni à Deo, vt occiſio hominis auctoritate priuata cum talibus, & talibus circunſtantijs: tamen Deus poteſt diſpenſare in genere actus circa actum illum, & in communi, & facere, quòd actus ille non ſit materia præcepti; ideſt malus, & iniuſtus, vt quòd homicidium Abrahæ circa Iſaac non eſſet actus malus, nec materia ſuper quam tranſeat ratio formalis præcepti, *non occides*.

85 Dat exemplum Caietanus. Veritas iſtius propoſitionis. Mortui non poſſunt reſurgere, eſt veritas neceſſaria ex principijs naturæ, ita quòd eſt impoſſibile, quòd ex principijs naturæ ſit falſa. Quando autem Deus reſuſcitat aliquem mortuum non mutat hanc propoſitionẽ; nec illam facit falſam, ſed ſubtrahit caſum hunc particularem quo mortuum reſuſcitat à continentia illius propoſitionis: quia hic caſus, quo Deus aliquem reſuſcitat, eſt materia extracta à continentia formali illius propoſitionis. Ita in propoſito. Homicidium ordinarium humanũ cum talibus circunſtantijs eſt ex ſe malum formaliter, & conſequenter eſt materia huius præcepti, *non occides*, neque poteſt Deus facere, vt ſit actus bonus, & iuſtus; at homicidium factum auctoritate diuina non eſt materia, ſeù de numero illorum homicidiorum, quæ in illo præcepto clauduntur: ideò dum Deus præcipit aliquod homicidium, non propter hoc diſpenſat, ſeu relaxat præceptum de non occidendo: quia non facit, quòd homicidium, quod per illud præceptum prohibetur, ſit iuſtum, ſed ꝙ aliud homicidium non contentum ſub illo præcepto ſit licitum. *Exemplũ Caietani.*

86 Hæc reſponſio cui maximè innituntur recentiores reijcitur quoque à Soto vbi ſuprà in reſponſione ad tertium. Nam non ſolùm eſt lubrica, & obſcura, ſed eſt omninò falſa. Etenim dicere, quòd præceptum non eſt diſpenſabile in quantum includit ordinem iuſtitiæ, nihil aliud ſonat, quàm dicere præceptum non eſt diſpenſabile permanens contra iuſtitiam; hoc autem eſt petere principium, & nihil ad argumentum dicere. Nam certum eſt, quòd Deus non poteſt facere malum culpæ coniunctim (hoc eſt remanente ſub conditione mali) vt ait etiam Durandus in 1. diſt. 47. q. 4. nu. 3. neque de hoc eſt vlla quæſtio cum ſit certum non poſſe facere malum culpæ; ſed difficultas eſt ſolùm. Vtrùm hoc, quod eſt accipere alienum inuito domino, aut hominem occidere, qualiter id natura negat, & prohibet, poſſit permiſſione diuina fieri licitum? Ideò diſtinguere de actu iſto, quatenus eſt contra ordinem iuſtitiæ, & quatenus eſt actus particularis, non eſt ad propoſitũ, quia ſermo eſt ſemper de actu particulari prohibito, an aliquo modo poſſit eſſe licitus. *Ablata reſpõſio reijcitur à Soto*

87 Pręterea arguo ipſe fatentur aduerſarij, ꝙ Deus in illo caſu quo præcepit homicidium Abrahæ ſubtraxit homicidium illud à ratione præcepti; & fecit non eſſe materiam præcepti, quia fecit illud homicidium eſſe iuſtũ, & ſic fecit ne caderet ſub ratione formali præcepti. Tũc ſic; At hæc ſubtractio alicuius actus à ratione formali præcepti, eſt diſpẽſare præceptum: ergo iſta præcepta Decalogi in talib. caſib. diſpenſantur. Aſſumptum probatur. Diſpẽſatio omnis, vel eſt iuris reuocatio, vel iuris interpretatio. *2. Ratio.*

Ad propositum cum Deus subtrahit hoc homicidium à præcepto de non occidendo, & facit illud non esse materiam præcepti, vel est idem, quod interpretari, quod homicidium in illo casu non est iniustum, & quod ideò præceptum ad illud non extenditur; & sic erit dispensatio. Vel est reuocare illud præceptum quantum ad illum casum particularem, ita vt non velit obligare in illo casu; & hoc est similiter dispensare in illo præcepto: ergo absurdum est dicere, quòd illa subtractio materiæ à ratione formali præcepti non sit dispensatio.

88 Quòd si obstinatè dicant adhuc nō esse dispēsationem, assignent ipsi ad quod genus eximendi aliquid à præcepto reducatur. Nam supra disput. 42. cap. primo, ex eorum doctrina dicebamus cessationem legis, & præcepti fieri, vel per irritationem, vel per abrogationem, vel per dispensationem, vel per iuris interpretationem; necesse est ergo vt hæc subtractio materiæ legis reducatur ad aliquod horū. Tria priora sunt reuocatio iuris, vel in totum, vel quò ad illum casum. Quartum est interpretatio iuris: ergo dicendum est, quod illa subtractio materiæ sit dispensatio.

3. Ratio.

89 Præterea implicat repugnantiam, quòd ratio formalis legis, & præcepti, seu ratio prohibens aliquem actum maneat in ratione præcepti, & legis; & tamen actus per præceptum, & legem prohibitus fiat licitus. At per aduersarios manet ratio præcepti *non occides*, propter quod præceptum actus ille homicidij est iniustum, & illicitus; manet etiam actus homicidij cum eisdem circumstantiis: ergo implicat repugnantiam dicere, quòd actus præcepti possit substrahi à materia præcepti, & fieri licitus absque mutatione, & dispensatione præcepti. Maior probatur: quia tunc actus idem subiectus legi absque vlla mutatione facta in lege, & in actu, esset licitus, & illicitus. Probo quia præceptum prohibet homicidium, & hac ratione præcisè est illicitum: quia est prohibitum à Deo; si enim non esset prohibitum à Deo non esset peccatum, quia ex aduersarijs homicidium, furtum, & huiusmodi non sunt mala, quia ex se sint mala; sed quia prohibita: ergo stante præcepto Dei prohibente, & faciente actum illum homicidij illicitum actus, homicidij erit illicitus: quia stat lex Dei prohibens homicidium; erit verò licitus, quia Deus præcepit homicidium fieri. Hoc autem includit repugnantiam. Et sic actus ille idem erit licitus, & illicitus, quod dicit repugnantiam. Minor verò patet quò ad primam partem: quia aduersarij dicunt, quod lex, & præceptum non dispensatur, nec reuocatur. Quò ad secundam partē quoque est euidens: quia manet actus homicidij idem in se, solum mutatur illa circunstantia, quod non est prohibitum; at illa circumstantia non se tenet ex parte actus, sed ex parte legis: neque enim est intrinseca actui, sed extrinseca, & manente lege in suo vigore implicat repugnantiam, quòd separetur ab actu homicidij: ergo clarum est, quòd manet lex eadem, & actus idem absolutè: ergo implicat contradictionem, quòd stante lege, & nulla habita dispensatione idem actus, qui est illicitus, fiat licitus.

4. Ratio.

90 Denique ex principiis iactis à Scoto ea quæstione sic argumentor. Quæro an homicidium Abrahæ (& idem de aliis actibus contra præcepta secundæ tabulæ) cum omnibus circumstantijs suis excepta circumstantia prohibitio, vel præcepti, sit actus illicitus necne? si dicas, quòd est actus illicitus: ergo tunc esset velut odium Dei, & sic neque per præceptum Dei potuisset fieri actus licitus. Si dicas, quòd est ex se licitus: ergo sine præcepto Dei erat licitū Abrahæ occidere Isaac: quia erat res de se bona, quæ per legem non poterat prohiberi. Sequitur ergo, vt sit de se actus indifferens; si enim non est de se malus, nec bonus erit de se indifferens. Tunc quæro à quo fiat licitus, vel illicitus; non potes dicere, quòd ab alia circumstantia, nisi à ratione prohibiti, & non prohibiti: quia circumscribo omnes alias circumstantias, ista excepta. Tunc sic: ergo stante præcepto de occidendo, occisio erit iusta, & licita; stante præcepto de non occidendo erit illicita: ergo omnis ratio liciti, & illiciti in homicidio Abrahæ, oritur ex ratione legis, & præcepti, vel iubentis, vel præcipientis: ergo manente lege, & præcepto eodem, & nulla facta dispensatione, vel mutatione in lege, nulla potest fieri mutatio de iustitia, & iniustitia in actu illo homicidij: ergo implicat contradictionem, quòd manente lege eadem, actus homicidij de iniusto fiat iustus, & de iusto fiat iniustus.

5. Ratio.

91 Tādem leges sunt vniuersales; quod aūt est vniuersale sub se cōprehendit omnia particularia sibi subiecta, alioquin non esset vniuersale: ergo est impossibile excipere aliquem casum à lege vniuersali nisi faciendo dispensationem circa legem quò ad illud particulare: implicat enim repugnantiam, quòd lex se extendat per obligationem ad illud particulare, & tamen illud particulare non contineatur sub obligatione illius vniuersalis. At illa præcepta, *non occides*, *non furaberis*, &c. sunt leges, & præcepta vniuersalia: ergo implicat repugnantiam, quòd aliquod homicidium, vel furtum particulare excipiatur ab illa lege vniuersali, & non fiat dispensatio, seu reuocatio legis quò ad illud particulare. Ideò hæc responsio aduersariorum est mera fuga, & contra omnem rationem, & vniuersalem modum dicendi circa exceptiones casuum à legibus vniuersalibus.

Responsio Soto ad argumētum principale Scoti.

92 Ideò Soto quem sequutus est Medina, & alij vbi suprà respondet per hanc distinctionem. Deus habet duplicem potestatem. Alteram vt dominus, & creator hominum. Alteram vt legislator, & vniuersalis omnium Iudex. Si consideretur vt Iudex tantùm, & legislator non potest dispensare, vt quis res alienas inuito domino accipiat; nec vt aliquis alium occidat. Si verò consideretur, vt dominus vniuersalis omnium, potest rem cuiuscunque alteri donare, eo inuito: quia ipse est dominus verus omnium rerum creatarum. Hæc autem donatio non potest dici dispensatio, sicut nec tu quando rem tuam alteri tradis, dispensas in furto; neque aliquis pater in vestem paruuli traderet amico inuito paruulo dispensat in furto: quia pater est verus dominus. Neque Prælatus dispensat in furto, si me inscio, vel inuito facultatem faciat alteri capiendi libros meos. Ita Deus non dispensat in homicidio cum præcipit, vt aliquis occidatur; nec dispensat in furto, cum præcipit aliquem auferre rem alienam: quia ipse Deus est verus dominus omnium rerum.

Reijcitur.

93 Verùm hæc responsio non magis soluit argumentum, quàm prior, & facilè eius falsitas conspicitur. Nam verum est quidem, quòd ratio domini, & ratio legislatoris sunt diuersæ, & distinctæ rationes in se, & consequenter etiam in Deo: Attamen quando simul concurrunt non potest ratio Domini exerceri nisi fiat dispensatio circa rationem legislatoris. Nam in proposito Deus, qui est dominus vitæ, & bonorum temporalium &c. fecit etiam legem, vt nullus occidat hominem; nec inuito domino accipiat rem alienam: ergo non potest, vt dominus facere, quod quis occidat alium hominem, nisi abroget, & reuocet legem illam à se factam, ne quis occidat alium hominem, nec quòd quis accipiat rem alienam domino &c. quia tunc haberet actus oppositos, & contradictorios simul, quod implicat repugnantiam. Dum ergo præcipit furtum, dispensat in præcepto *non furaberis*; dum præcipit homicidium dispensat in præcepto *non occides*, & sic de alijs.

94 Quòd si dicat, vt tandem dicere videtur in eodem loco, quod Deus in illis præceptis prohibet homicidium iniustum, & furtum iniustum ex lege naturæ reincidit in responsionem Caietani, quam ipse iam confutauerat, & nos supra ostendimus implicare repugnantiam, & esse alienam à modo dicendi quo casus eximuntur à legibus.

2. Rō principalis.

95 Secunda ratio principalis ex principijs Scoti est hæc. Si præcepta Decalogi essent indispensabilia hoc esset,

set, quia ea, quæ per præcepta illa ordinantur, essent ex se bona; & quæ per illa prohibentur essent ex se mala; At hoc est falsum: ergo. Maior est euidens quia Deus non potest facere, quòd illud, quod est ex se malũ, sit bonum, vt quòd odium Dei sit bonum, & quod est ex se bonum sit malum, vt quòd dilectio Dei sit mala. Minor probatur, quia si daretur aliquod bonum ex se extra Deum, & aliquod malum, ex se malum, extra Deum, sequeretur, q̃ voluntas diuina necessariò determinaretur ab aliquo extra se; quod est absurdum. Consequẽtia probatur, quia si e. g. homicidium est ex se malum necessariò voluntas diuina cogeretur nolle homicidium: quia diuina voluntas non potest velle malum; & si honorare patrem est ex se bonum, non posset Deus non velle honorari patrem, quia non potest nolle bonum: ergo voluntas diuina ab alio extra se determinaretur.

Responsio Caietani, Soto, & aliorum. 96 Respondet Caietanus vbi suprà, quem Soto, & alij deinde sequuti sunt, quòd voluntatem diuinam determinari ad volendum aliquid extra se potest intelligi duobus modis. Vno modo, quòd determinetur ad volendum existentiam huius, vel illius rei, siue ad volendum hoc vel illud esse. Et hoc modo est impossibile voluntatẽ determinari ad volendum aliquid extra se: quia quidquid vult esse extra se, illud vult liberè, & contingenter, non necessariò. Alio modo, quòd voluntas determinetur ad volendum aliquid complexum, vt ad volendum aliquam propositionem complexam; & hoc modo non est inconueniens dicere, quòd Dei voluntas determinetur ad aliquid extra se. Nam determinatur ad volendum omnia illa, quæ sunt perpetuæ veritatis, vt hominem esse animal rationale, & vt ait D. Augustinus quatuor, & tria esse septem, quæ quidem etiam si mundus non existeret, essent vera. Vnde Scotus etiam ipse coactus est fateri dari aliqua per se bona extra Deum, ad quæ voluntas diuina determinatur, & non potest illa non velle, vt sunt præcepta primæ tabulæ Decalogi, & prima principia, seu præcepta naturæ, in quibus Scotus ipse ait Deum non posse dispensare. Huiusmodi autem sunt omnia præcepta, etiam secundæ tabulæ secundùm D. Thomam, & sectatores.

Reijcitur. 97 Hæc responsio innititur fundamento falso, nimirum quòd peccatum sit peccatum, non quia prohibitum

1. Ratio. à Deo, sed quia sit in se malum. Hoc autem esse fundm̃ falsum probatum est suprà disp. 1. cap. 5. Sed adhuc illud fundm̃ confirmo, & hanc responsionem impugno. Asserunt voluntatem Dei posse determinari ab extra ad aliquid volendum, quò ad esse cõplexum, non quò ad esse existentiæ; Ego autem probo voluntatem diuinam non posse determinari ad extra, ne dum quò ad esse existentiæ simplex, sed neque quò ad esse complexum sic. Omne ens, seu esse extra Deum est contingens, & est creatum, & factum à Deo; sed tàm esse simplex, quàm esse complexum creatum est esse, & ens extra Deum: ergo omne esse creatum, tàm simplex, quàm creatum est creatum, & factum à Deo; sed quod est creatum, & factum à Deo, est, quia voluntas diuina illud vult: ergo nedum esse simplex, sed esse complexum habet esse, quia est volitum à Deo. Subsumo, sed ens, & veritas entis idem sunt realiter: ex eo enim quòd res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa: ergo veritas omnis complexa, siue speculatiua, siue moralis, cum sit ens creatum, est à diuina voluntate: non ergo diuina voluntas determinatur ab illa, nec illam necessariò vult, sed liberè, & contingenter.

Confirm. 98 Confirmatur, quia si voluntas diuina vellet veritatem speculatiuam, vel moralem creatam necessariò, sequeretur illam veritatem creatam, vt *furtum est malum*, esse ex se necesse esse, sicut ista est ex se necesse esse. *Deus est omnipotens*. Et ista *Pater generat filium*, & huiusmodi. At falsum est aliquam veritatem creatam esse ex se necesse esse; & esse tantæ necessitatis, quantæ sunt veritates. De Trinitate, quoniam vt dictum est qualis est res talis est veritas eius, quia ex eo, quod res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa. Veritas ergo entis necessarij ex se, vt est Deus, est ex se necesse esse: veritas entis creati non est ex se necesse esse, sed contingens. Ista autem *Pater generat filium* non est veritas creata, sed increata; sed ista *furtum est malum* est veritas creata: ergo ista non est necessariò volita: quia non est necesse esse, sed pendet à voluntate diuina quæ posset illam velle, & non velle. Implicat ergo repugnantiam dicere, quòd voluntas diuina ab alio ente extra se determinetur ad volendum illud: siue quod velit aliquid necessariò extra se: quia tunc illud non esset volitum, nec factum à Deo: quod apertè falsum est: cum omnia creata facta sint, & creata sint à Deo.

99 Vnde Caietanus ipse, vt disputatione superiùs citata diximus, postquam allatam responsionem assignauit, subiungit, *quòd cum debita reuerentia loquendum est, & altiori veritate vtendum est, dicere debemus quòd sicut diuinus intellectus naturaliter determinatus est ad Deum ipsum tantùm intelligendum, & in se omnia naturaliter relucentia, ita diuina voluntas determinata est ad volendum tantùm ipsum Deum, & in seipsa omnia naturaliter recta qualia sunt huiusmodi omnia, quæ non nisi in Deo sunt, antequam communicarentur*. Tunc sic, at omnia creata, tam speculatiua, quàm practica, & moralia non sunt naturaliter in Deo, nec in voluntate diuina, saltem quò ad complexionem, vt fatetur etiam ipse, & alij: quia complexio pertinet ad scientiam visionis, quæ est contingens secundùm omnes, licèt quò ad simplicia sit naturalis, & solùm se habeat contingenter, antequam illa crearentur ad extra: ergo voluntas diuina non determinatur ab illis sed illa ea determinat.

100 Vbi obserua, vt loco suprà citato etiam obseruauimus pro declaratione ambiguitatis, quæ est in exemplis allatis à Soto, & alijs, quòd cum D. Augustinus ait Deum non posse velle, quòd quatuor, & tria non sint septem, & quòd homo non sit animal rationale: quia istæ sunt veritates æternæ: Ista exempla, & veritates possunt duobus modis cõsiderari. Vno modo postquam ista entia, & veritates factæ sunt; alio modo antequam fierent. Primo modo non est dubium, quòd postquam homo factus est rationalis à Deo implicat contradictionem, quòd sit homo, & non sit animal rationale: & quòd quatuor, & tria non faciant numerum septenarium postquã Deus voluit, quòd numerus septenarius esset confectus ex quatuor, & tribus vnitatibus. At secundo modo, scilicet antequam Deus faceret hominem animal rationale, & numerus septenarius constitueretur ex illis septem vnitatibus, non erat necessarium, quòd homo esset animal rationale, neque quòd septenarius numerus conficeretur ex quatuor, & tribus vnitatibus; sed ista, huiusmodi esse habent, & sunt talia: quia voluntas diuina talia illa, & talis existẽntiæ ea esse voluit. Sicut ergo hæc consequentia nõ valet. Sortes currens dum currit necessariò currit: ergo Sortes currit necessariò simpliciter. Quia dum currit liberè, & contingenter, verè currit, tamen dum currit, non potest non currere, quia implicat contradictionem, quòd dum currit non currat, sed illa est necessitas secundùm quid. Ita in proposito non valet hæc consequentia. Homo necessariò est animal rationale; & numerus septenarius necessariò constat ex quatuor, & tribus: ergo voluntas diuina necessariò vult hominem esse animal rationale, & numerum septenarium confici ex quatuor, & tribus. Nam quòd homo necessariò sit animal rationale, est necessarium postquam homo factus est animal rationale; implicat enim quòd postquam Deus fecit hominẽ esse animal rationale, homo non sit animal rationale; & postquã fecit, quòd numerus septenarius sit ex quatuor, & tribus, non sit ex quatuor, & tribus; attamen antequam Deus faceret hominem esse animal rationale, poterat nõ facere illum animal rationale, & poterat non facere numerum septenarium ex quatuor, & tribus dempta ratione implicantiæ contradictionis.

Responsio ad exempla adducta à Sot. & alijs.

3. Ratio principalis Scoti. 101 Tertiò arguit Scotus vbi suprà §. *Ad quaestionem*, illa praecepta sunt indispensabilia, quae sunt de lege naturae strictè, & continent immediatè bonitatem vltimi finis,& immediatè ordinant ad vltimum finem,vel prohibent malitiam necessariò auertentem ab vltimo fine; sed sic est, quòd praecepta secundae tabulae neque continent immediatè bonitatem vltimi finis, neque prohibent malitiam necessariò auertentem ab vltimo fine: ergo non sunt de lege naturae strictè; neque sunt indispensabilia. Maior conceditur. Minor probatur ex dictis à Scoto ibi, & eadem q. §. *contra primum*, in tertia solutione. Nam si Deus non praecepisset, non esse occidendum, nec furandum, & similia, posset quis diligere Deum,& ordinari ad vltimum finem, licèt faceret homicidium, & furtum.

Responsio Caietani. 102 Haec consequentia negatur a Caietano, quia inquit, licèt vltimum finem possit quis amare, & consequi alio modo, quàm haec mala vitando,vel bona ista faciendo,non tamen sequitur,quòd haec mala quoque nõ auertant ex se ab vltimo fine; & ista bona quoque non ordinent immediatè ad vltimum finem: quia sunt conclusiones, quę à posteriori inferunt principium istud, *Deus est diligendus*; & sic inducunt, & ordinant ad diligendum Deum. Sed consequentia ista probatur,& simul haec responsio Caietani excluditur.

Reijcitur. Consequentia autem probatur, quia si alia via,& modo quis potest diligere Deum,& consequi beatitudinem:ergo obseruantia istorum praeceptorum non est necessaria simpliciter. Assumptum hoc patet: quia quotiescunque dantur plura media quorum vnumquodque est ex se sufficiens ad consequendum finē intentum, non est necessarium adhibere omnia, sed vno accepto reliqua relinqui possunt; At ad amandum Deū, & consequendum finem vltimum per Caietanum dantur alia media, quàm ista praecepta: ergo obseruatio illorum non est simpliciter necessaria, & consequenter sunt dispensabilia. Et certè haec responsio Caietani est vana. Nam nemo dubitat, quòd ista praecepta sunt media ad beatitudinem,& ad diligendum Deum, & quòd sequuntur ex lege naturae,quia illi sunt conformia;sed difficultas est, an sint media necessaria, & indispensabilia intrinsecè, & ex natura rei immediatè, adeò quòd nemo possit saluari stante lege ordinaria Dei, nisi seruet haec mandata. Caietanus autem concedit, posse aliquem saluari alia via non seruando haec praecepta; tamen haec praecepta quoque ordinare ad Deum: ergo non fluunt necessariò immediatè,& inseparabiliter à primis principijs legis naturae: ideò non soluunt argumentum.

Opin. Scoti explicat. 103 Respondet ergo Scotus, quòd praecepta Decalogi sunt in duplici discrimine; quaedam sunt de lege naturae strictè, & indispensabilia; quaedam verò sunt de lege naturae largè, & dispensabilia; & tunc ponit duas conclusiones.

1. Concl. Prima est, praecepta primae tabulae sine dubio sunt de lege naturae strictè, & indispensabilia. (quod intellige stante lege naturae conditae eo modo quo est cōdita:quia implicat repugnantiam; non tamen sequitur, quòd si Deus aliter res fecisset,& faceret,non possent illis dispensare,vt suprà disput. prima, de peccato diximus)

2. Concl. Secunda conclusio est. Praecepta secundae tabulae sunt de lege naturae largè,& dispensabilia.

1. Conclusio probatur. Prima conclusio probatur: quia aliquid esse de lege naturae contingit duobus modis. Vno modo: quia sunt prima principia practica nota ex terminis,& vera, vel sunt conclusiones necessariò sequentes ex eis. Secundo modo aliqua dicuntur de lege naturae, quia sunt multum conformia legi naturae, licèt non sequantur necessariò ex primis principijs, vt conclusiones necessariae.

Praecepta primae tabulae sunt de lege naturae strictè,& indispensabilia. At praecepta Decalogi primae tabulae sunt principia prima practica habentia euidentiam ex terminis apud quemcunque intellectum apprehendentem terminos illorum: ergo. Maior supponitur vera, & videtur concessa ad omnibus; declaratur tamen à Scoto vbi suprà exemplo. Nam supposito isto principio iuris positiui. *Pacificè esse viuendum in communitate*.nō sequitur necessariò: igitur quilibet debet habere possessionem distinctam; posset enim stare pax, etiam si omnia essent communia; sed tamen possessiones esse distinctas est valdè consonum pacificae conuersationi; & idem dicendum de alijs legibus positiuis: omnes enim habent aliquod fundamentum ex quo deducuntur; non tamen ex illo necessariò sequuntur, sed aliquo modo declarant illud: ita in proposito. Est lex naturae, quae praecipit *esse diligendum Deum,& proximum*; dilectioni autem proximi est valdè consonum, quòd velimus illi bona sua, nedum animae, quae simpliciter illi velle tenemur per illud pręceptum *diliges proximum tuum*; sed etiam bona corporis, & fortunae,& famae. Tamen non sequitur necessariò,& inseparabiliter, vt teneamur velle illi bona corporis, & fortunae: quia possumus velle illi bona animae, & non bona corporis,si illi sint nociua, quò ad bona animae, vt patet ex 3.d. 30. de dilectione inimicorum. Minor verò probatur: quia primum praeceptum est. *Non habebis Deos alienos*. Secundum,*Non assumes nomen Dei tui in vanum*. At ex apprehensione simplici huius termini, *Deus*, patet, quòd si est Deus, est amandus vt Deus; & qoòd nihil aliud est colendum tanquam Deus:quia Deus est summum ens,& summè bonum: ideo est amandus, vt summum bonum, & nihil aliud est amandum tanquam summum bonum, quia ipse solus est summum bonum. Quò ad secundum patet: quia si est Deus, non est illi facienda irreuerentia, quae per assumptionem nominis sui in vanum ei fit. Cum ergo sint de se nota,esse vera prima principia practica bona; Deus non potest dispensare vt aliquis licitè faciat oppositum: quia esset facere, vt quis iustè faceret, quod est contra iustitiam ipsam, & legem naturae, quę est iustitia, quod implicat contradictionem.

104 De tertio praecepto Decalogi, quod est *de Sabbato sanctificando*, est aliqua difficultas. Nam in praecepto illo tria considerari possunt. De 3. praecepto Decalogi. Primum est, quòd illud est praeceptum affirmatiuum, quo praecipitur exhiberi cultū Deo pro aliquo determinato tempore. Secundum quòd hoc determinatum tempus exibendi cultum Deo est dies Sabbati. Tertium est,quòd includit negationem operis seruilis eo die quo hic cultus est exhibendus Deo. Quò ad haec duo vltima, scilicet, quò ad determinatum tempus, certum est, quòd non est de lege naturae: quia ex lege naturae non sequitur magis hoc tempore Sabbati, quam alio die Deum esse colendum. Similiter quò ad tertiam partem, quia prohibitio operis seruilis fit ne impediatur aliquis à cultu diuino:ideò cum quò ad illud tempus exhibendi cultum Deo non sit illum tempus determinatum, neque quò ad cessandum ab opere seruili.

105 Tota difficultas est de praecepto quò ad primam partem; An praeceptum de colendo Deo certo tempore sit de iure naturę strictè. An scilicet praeceptum de colendo Deo determinato tempore sit de iure naturae strictè. Et Scotus arguit ad vtranque partem, & videtur relinquere rem dubiam, & esse problematicus. Pro parte affirmatiua, quòd sit de lege naturae strictè arguit sic. Si hoc praeceptum non esset de lege naturę strictè, sequeretur,quòd Deus absolutè posset dispensare, quòd homo toto tempore vitae suae non haberet motum bonum circa Deum. Quod videtur falsum. Consequentia probatur: quia si nunquam tenetur ad bonum velle finis, neque pro vllo tempore tenetur ad volendum media ad finem: quia eadem est ratio de volitione finis, & mediorum ad finem. Et sic non videtur posse concludi aliquem teneri ad habendum aliquod bonum velle, pro vllo tempore determinato. Quòd si non potest concludi hominem teneri ad actum bonum pro aliquo tempore determinato, neque potest concludi teneri ad habendum actum bonum indeterminatè, & indistinctè: quia ad nullum actum tenetur aliquis pro aliquo tempore indeterminato, ad quem non tenetur pro aliquo tempore signato aliquibus opportunitatibus concurrentibus. Falsitas aūt consequentis supponitur euidēs.

Obiectio mota à Scoto, & eius dē solutio. 106 Sed aliquis obijciet. Probatio huius minoris destruit conclusionem principalem. Nam si ille, qui pro nullo signato tempore tenetur ad determinatum actum, neque

que etiam indeterminatè, & indistinctè tenetur ad illum actum, vt assumitur in probatione huius minoris; cum iā suprà sit dictum, quòd ex hoc præcepto de iure naturæ nemo determinatur ad certū tempus, sequitur, quòd de lege naturæ nemo tenetur indistinctè determinato tempore ad colendum Deum, quod est contra intentum. Respondet Scotus, quod sustinendo hoc præceptum de colendo Deo pro certo tempore indistinctè esse de lege naturæ strictè, argumentum istud non officit; quia à singularibus ad vniuersale non tenet consequentia, sed est fallatia figuræ dictionis; neque enim valet hæc consequē tia. Sortes non tenetur obedire pro hoc tempore, vel illo, Principi: ergo nunquam. Quia tenetur pro illo tempore quo opportunitas occurrit. Ita licèt homo non teneatur hac die, vel illo colere Deum, non tamen sequitur, quòd nunquam, & pro nullo tempore. Tenetur enim pro illo tempore, quod erit opportunum. Valet ergo illa ratio ad probandum, quòd Deus posset dispensare vt aliquis nullo vnquam tempore habeat actum bonum; non tamen concludit, quòd non teneatur pro aliquo tempore indistinctè colere Deum, si sit de iure naturæ strictè. Propter hanc rationem ego puto hanc partem esse veram, & Scotum inclinare in hanc partem. Quod si quis sustinere velit præceptum illud tertium primæ tabulæ non esse de lege naturæ strictè, erit iudicandum tunc de illo, sicut de alijs præceptis secundæ tabulæ, de quibus infrà.

Opinio auctoris.

2. Conclusio probat.

107 Secundam conclusionem probat Scotus assumēdo pro Maiori eandem propositionem bimembrem, quā superiori ratione assumpserat sic. Ea quæ sunt de lege naturæ, Vel sunt principia practica nota ex terminis; Vel conclusiones necessariæ deductæ ex illis; Vel sunt multum consona iuri naturæ, licèt non sequantur necessariò ex principijs illis primis practicis. Sed sic est, quòd præcepta secundæ tabulæ non sunt principia prima practica nota ex terminis; neque conclusiones necessariæ ex illis deductæ; sed solùm sunt multum consona legi naturæ: ergo præcepta secundæ tabulæ non sunt de lege naturæ strictè, neque indispensabilia, sed dispensabilia. Minor patet per rationes adductas cōtra aduersarios suprà. Et confirmatur nunc ex ratione adducta à Scoto in tertia responsione ad obiectionem factam contra determinationem. Quia possum diligere proximum absque eo, quòd velim illi vitam corporalem, vel bona fortunæ, vel non violationem vxoris &c. quia dilectio proximi, quæ oritur ex dilectione Dei, ad quam ex lege naturæ sum obligatus, cogit me diligere proximum quantum ad hoc, quòd illi optem, & velim illum diligere Deum, & vitam æternam consequi; possum autem velle ipsum diligere Deum, & consequi vitam æternam, & tamen nolle ipsi vitam corporalem ordinate, neque bona fortunæ, vt docet Scotus in 3. dist. 30. vbi loquitur de dilectione inimici. Quæcunque enim possum mihi ordinatè nolle, possum ea proximo ordinatè nolle; & ita si viderem proximum quotidie peccare, & addere peccata peccatis, possum ordinatè nolle illi vitam corporalem, ne tot peccata committat, vel vt daret locum sanctis: & quò ad bona fortunæ, sicut possum nolle ea mihi in pœnam peccatorum meorum, ita possum illa nolle proximo. Odire enim proximum hoc modo non est contra præceptum de dilectione proximi. Patet ergo, quòd *non occidere, non furari*, & huiusmodi non sunt necessariò, & intrinsece connexa dilectioni proximi, vt sine eis dilectio proximi haberi nō possit. Sunt ergo de iure naturæ, quia illi sunt valde consirmia, & obligant nunc de facto, quia explicata sunt à Deo, & confirmata à Christo in lege Euangelica: non autem quia naturaliter simpliciter sint bona, vel mala.

Ad 1. rationem aduersariorum.

108 Hinc ad rationes pro aduersarijs facilis est responsio. Ad primam negatur minor. Ad probationem negatur intellectum illorum præceptorum esse illum, loquendo de intrinseco, & stricto intellectu illorum. Nam præceptum illud, *non iniustè aliquid facias*, est vnum principium legis naturæ notum ex terminis, sed alia præcepta *non occides, non furaberis*, & huiusmodi sunt declarationes particulares, & exempla particularia illius. Cum enim legislator præcipit, *non occides, non furaberis*, declarat, quòd in his actibus violatur iustitia, quod ante declarationem non erat ita certum, quia non deducitur euidenter, & necessariò ex illo, ita quòd primum non possit seruari, non seruatis secundis. Sunt ergo præcepta multum diuersa, & proinde licèt istæ declarationes, & deductiones sint consonæ valdè illi primo principio; non tamen sunt illud idem. Vndè explicantur per diuersos terminos, & per diuersas propositiones habentes oīnò diuersū significatum: non ergo sunt eædem veritates: Sicut conclusio valdè probabilis, & principium ex quo deducitur non sunt eædem veritates, sed diuersæ. Et proinde falsum est, quòd idem sit dicere, *non occides*, ac dicere *nihil iniustè facies*, vel quòd, *non occides*, sit idē, quod *non iniustè occides*.

Confirm.

109 Quod confirmatur, quia *non occides* est propositio absoluta, *non occides iniustè* est propositio conditionata. Præterea explicare hanc propositionem *non occides*, secūdùm hunc sensum, *non occides iniustè*, est idem quod dicere, *non occides*, quatenus occidere est contra præceptū illud immediatum naturæ, *nihil iniustum est faciendum*: patet autem, quòd explicando hoc modo sensum istius præcepti est petitio principij. Non autem aliqua declaratio particularis illius primi principij, *non est faciendum aliquid iniustum*. Quia tunc adhuc quæram quando hic casus particularis *occidere* est iniustus, & contra primum principium legis naturæ, *nihil iniustum est faciendum*?

Confirm. solutionis.

110 Et confirmatur exemplo superiùs adducto à Scoto. Nam est præceptum naturæ, *pacificè esse viuendum in Republica*. Ex hocque deducitur possessiones esse diuidendas inter ciues; tunc si esset vera opinio aduersariorum, quis posset dicere legem de diuidendis possessionibus esse idem, quòd *pacificè esse viuendum*: quia à legislatore non alia intentione datur hæc lex, nisi vt pacificè viuatur in Republica; & sicut de lege naturæ hæc lex est indispensabilis, *pacificè viuendum est in Republica*, ita ista quoque est indispensabilis. *Possessiones in Republica* sunt diuidendæ. Quia possessiones diuidere, est pacificè viuere. Hoc tamen esse absurdum patet: quia alia lex est *pacificè esse viuendum*, & alia *possessiones sunt diuidendæ*; illa enim est vniuersalis, & est primum principium naturę notum: ista est lex particularis, & quædam declaratio illius, valdè illi quidem conformis, & valdè probabiliter ex illa proueniens; non tamen necessariò ex illa simpliciter deducta; ita quòd pacificè viuere haberi non posset sine illa diuisione possessionum. Quia etiam stante communitate rerum possent pacificè viuere ciues, vt in statu innocentiæ, & in Religionibus Regularium viuentium in communi in statu naturæ corruptæ, & alijs casibus. Et alię leges possent statui ad faciendum viuere pacificè homines in Republica viuente in communi.

Ad secūdā.

111 Ad secundā respondetur per idem; falsa est enim maior. Ad probationem negatur adulterium, furtū, &c. continere in se formaliter malitiā, sicut odium Dei. Vnde videmus Deū in illis aliquando dispensasse, nō autem in odio Dei. Sunt quidem valdè conformia rectitudini naturali, non tamen ex illa necessariò, & inseparabiliter sequuntur: quia iustitia, & rectitudo naturalis potest seruari, etiam facta dispensatione in illis, vt probatum est.

Ad tertiā.

112 Ad tertiam respondetur, quòd responsio assignata à Scoto suo argumento est vera: nec ratio Soto contra illam militat, sed procedit ex alio medio, & fundamento, quod est impugnatum iam, scilicet, quòd ex præcepto legis naturæ necessariò sequatur ipsi proximo peroptanda à nobis esse bona corporis, & fortunæ: diximus enim solùm hoc deduci probabiliter; & quòd ista præcepta sunt naturalia, quia sunt valde conformia æquitati, & legi naturali, non autem sunt ita necessariò annexa, vt rectitudo naturalis non possit consistere sine illis.

DISPVTATIO XLIX.

Quæ sit iniusta occupatio rerum alienarum, seu alterius damnificatio in re temporali, & an per vsurariam actionem transferatur dominium: in qua explicatur tertius Articulus quæstionis Scoti.

Quid de prædictis sit dicendum, & explicatio tertij Articuli q. Scoti. Caput Primum.

1 IN hac disputatione breuiter cũ Scoto in hac q. 2. dist. 15. ar. 3. recolligemus, & quasi in Epilogo redigemus, quę sit iniustitia in omnibus contractib. prædictis, maximè principalibus. Nam, vt ait Scotus, quia rectũ est iudex sui, & obliqui 1. de Anima tex. 85. cum iam explicauerimus suprà, quæ requiruntur ad iustam translationem rerum in contractibus omninò liberalibus, & secundùm quid liberalibus, & insuper explicauerimus, qui sint contractus omnino illiberales, facilè patet quæ sit iniustitia in præcedentibus contractibus, & in translatione rerum. Tamen Scotus hoc 3. art. in particulari discurrendo circa vnumquemque contractũ, quæ sit iniustitia in vnoquoque in particulari manifestat.

De iniustitia in donatione, quę duobus modis fit.

2 Inquit ergo incipiendo à donatione, qui est primus contractus liberalis, & de qua primo loco egimus, quòd in donatione est iniustitia duobus modis. Primò si donans non merè liberaliter donat. Secundò si donat contra voluntatem alicuius superioris à quo dependet in donando.

Primũ corrollarium.

3 Ex primo modo sequuntur quædam corrollaria. Primum est, quòd deceptus de eo, cui donat, quantum ad illam rationem, propter quam donat, non simpliciter donat; & sic per illam donationem non fit iusta, sed iniusta translatio rerum, vel vsus earum, hoc declaratur exemplo. Aliquis donat alicui tanquam propinquo, & tamen ille non est propinquus. Iste decipitur circa personam, cui donat in causa propter quam donat: quoniã donat hac causa, quia putat esse propinquum, & tamen non est propinquus. Aliud exemplum adductum à Scoto. Si aliquis donat egeno, qui non est egenus: hic enim decipitur circa eum, cui dat quantum ad causam propter quam illi donat: donat enim quia putat, quòd sit egenus, & tamen non est egenus; & sic hæc donatio non est vera donatio, sed iniusta translatio rerum. Ratio est, quia ignorantia facit actum inuoluntarium simpliciter, vt diximus suprà, cum Arist. 3. Eth. cap. primo, & inde.

Deceptus non donat simpliciter

Donata egeno, qui nõ est egenus non valet.

4 Ex quo infert Scotus debere valdè cauere illos, (à Scoto appellantur Trutani) qui diuites existentes, tamen tanquam egentes recipiunt eleemosinas, ne iniustè omnia recipiant; quoniam in dante propter ignorantiam non est voluntarium in tali erogatione; erogat enim eleemosinam, quia putat personam esse pauperem, si autem putaret esse diuitem nõ donaret. De qua re agemus infrà art. 4.

2. Corrollarium.

Secundum corrollarium est. Qui aliqua quasi necessitate tractus donat, non simpliciter donat; & sic per talem donationem fit iniusta translatio rei, vel vsus eius. Exemplum, qui soluit vsuram, non merè liberaliter donat, sed quasi necessitate tractus, ideò illa datio non potest esse donatio iusta. Ratio est, quia Aristoteles tertio Ethicorum cap. 1. suprà adductus, asserit nedum ignorantiam, & violentiam facere inuoluntarium, sed aliqualem coactionẽ, scilicet quando actus est mixtus ex voluntario, & inuoluntario, vt contingit de proijciente merces in mare ad se ipsum saluandum, & ob timorem maioris mali: huiusmodi enim actus non est omninò, & merè liberalis: ideò non sufficit ad donationem veram per quam fiat iusta translatio rerum, vel vsus earum.

Donata quasi necessitate non valent.

Corrollaria varia ex secundo modo.

5 Ex secundo modo sequuntur varia corrollaria, vt quòd Clericus in visitatione non potest visitatori aliquid donare, vt dictum est suprà extra de censibus lib. 6. cap. *exigit*. Similiter Monachus sine licentia Abbatis; & sic de alijs, qui vel à lege superiori prohibente, vel in actibus suæ voluntatis ab alijs dependent, vt diximus suprà agendo de donatione.

De iniustitia in accõmodatione

6 De iniustitia in accõmodatione idem est dicẽdum. Eisdem enim modis potest esse iniusta, quibus donatio: solùm differt à donatione in hoc, quòd in accõmodatione non requiritur tanta liberalitas, quanta in donatione, & consequenter non requiritur tam merè voluntaria datio, sicut in donatione. Ratio est, quia non requiritur tanta liberalitas in translatione vsus rei ad tempus, sicut in donatione rei; & ideò, licèt actus accõmodandi non sit ita merè, & omninò voluntarius, sicut in donatione, hoc non facit translationem vsus rei ad tempus in accõmodatione esse iniustam, & accommodantem, & commodatarium esse inæquales: quia non requiritur tam perfecta æqualitas inter cõtrahentes in tali actione. Vndè etsi aliquid lucretur accommodans ab eo, qui accipit commodatò, quia non ita voluntariè accõmodat, sicut posset, non est iniustitia, nec inæqualitas.

De iniustitia in permutatione

7 De iniustitia in permutationibus idem dicendum, quod de donatione. Potest enim fieri iniustitia ratione illiberalis dationis scilicet ratione deceptionis, & ratione aliqualis coactionis, vt dictum est suprà, & ratione prohibitionis superioris, cui permutans subest in commutando. Ex hoc infert Scotus corrollarium illud, quod commutatio pecuniarum, & aliarum rerum, quæ fiunt in ludis alearum, est iniusta. De hac re suprà egimus diffusè: ideò nihil occurrit hic dicendum.

De iniustitia in emptione, & venditione

De iniustitia in venditione, & emptione dictum est suprà agendo de his contractibus: ideò non est opus ea repetere, sicut neque ea repetit Scotus, sed remittit ad ibi dicta.

De iniustitia in locatione, conductione, & mutuatione.

De iniustitia vsuræ.

8 De iniustitia in locatione, conductione, mutuatione, patet etiam ex dictis suprà, assignando conditiones requisitas ad hoc, vt isti contractus sint iusti, quas non opus est repetere. Obseruat tamen Scotus in his contractibus posse accidere vnam iniustitiam principalem, quæ à sacra scriptura maximè detestatur, & est vsura: nam maior difficultas in cognoscendo, quando contractus prædicti sint iusti, vel iniusti, est cognoscere, an habeant vsuram mixtam. Sæpissimè enim vsura palliatur in illis, & propter ipsam fiunt iniusti. De Vsura autem satis superque suprà egimus.

Duæ rationes pro defensione vsuræ.

9 Adducit autem duas rationes Scotus pro defensione vsuræ, quas etiam soluit. Nos vt suprà agendo de vsura promisimus, hic soluere oportet. Prima ratio est hæc. Posset vsurarius pro se sic arguere. Licet vnicuique in contractibus se indemnem seruare, vt dictum est suprà sæpè. Nam vendens attendens damnum suum, & maximè si inducatur ab emente, potest carius rem suam vendere: ergo eodem modo si quis inducatur ab aliquo vt sibi mutuet, licet sibi se seruare indemnem: At non potest se seruare indemnem, nisi aliquid accipiat ex pacto vltra sortem; nisi enim faciat pactum, est incertum se posse seruare indemnem.

2. Ratio.

10 Secunda, dans vsuràm, voluntariè dat: quia nullus cogit eum ad accipiendum ad vsuram; sed voluntariè accipit mutuò, & reddit vltra sortem: ergo potest dominium transferre in alium. Si autem trãsfert dominiũ: ergo qui accipit vsurã, seù aliquid supra sortem, non habet alienum. Et sic est licitum accipere vsuram.

Ad primã rationem. Solutio.

11 Ad primam rationem respondet Scotus, rationẽ non valere: quia si non vult damnificari, pecuniam sibi necessariam reseruet: quia nullus enim cogit ad faciendã misericordiam proximo; sed si vult facere misericordiã, necessitatur ex lege diuina eam facere non vitiatam: est autem misericordia vitiata mutuare cũ receptione lucri vltra sortem ex lege diuina.

Ad secundã rõnem.

12 Ad secundum argumentum respondet Scotus in datione vsuræ transferri dominium in vsurarium. Non

tamen

tamen ex hoc ſequi, quin vſurarius teneatur ad reſtitutionem vſuræ. Ratio eius eſt, quia in omni datione transfertur dominium; & tamen hoc non obſtante tenetur debitor reſtituere eandem rem datam ipſi creditori. Ideò non ſequitur, quod etſi ſoluens vſuram transferat dominium pecuniæ vſurariæ in vſurarium, vſurarius ipſe non teneatur ad reſtitutionem. Hic autem tangitur grauis illa quęſtio, An per vſurariam dationem transferatur dominium, de qua cap. ſequenti agemus.

De iniuſtitia in ſolutionibus.

13 De iniuſtitia in ſolutionib. patet ex dictis ſuprà in vẽditione dilata ſolutione: nunc enim in omnibus cõtractibus, in quibus fit dilatio ſolutionis, eſt iniuſtitia, cum venditur tempus, ſeu ratione dilationis ſolutionis res carius venditur, quàm fieret numerata pecunia. Vel ponendo ſe in certo de lucrando, vel ſimpliciter, vel vt in pluribus, vt diximus abundè ſuprà agendo de pretio rerum, quæ dilata ſolutione venduntur.

De iniuſtitia in negotiatiuis cõtractibus.

14 De iniuſtitia in negotiatiuis contractibus, etiam dictum eſt ſuprà agendo de ipſis; ſemper enim in illis committitur iniuſtitia, quando illa negotiatio officit Reipubl. vel recipit immoderatum lucrum à Republica, vltra valorem induſtriæ, diligentiæ, ſollicitudinis, & periculorum, quæ mercator ſubit.

De iniuſtitia in contractib. omnino inuoluntarijs.

15 De iniuſtitia in contractibus inuoluntarijs omnino etiam dictum eſt ſuprà: In illis enim eſt duplex iniuſtitia. Prima eſt acceptio rei alienæ. Secunda eſt acceptio iniuſta, & prohibita rei eiuſdem alienæ: nam nedum in talibus contractibus aliena res aufertur domino, ſed aufertur ſpeciali modo prohibito à lege diuina, vel humana, vt patet de furto, rapina, & damno dato, vt dictum eſt: ideò nihil dicendum ſupereſſe videtur. Quomodo autem intelligatur hæc duplex radix iniuſtitiæ ratione rei acceptæ, & ratione iniuſtæ acceptionis, declarabitur infrà art. 4. agendo de reſtitutione cap. 1.

Vtrùm vſurarius comparet dominium eorum, quæ acquirit per vſuram, & eorum, quæ ex pecunia, & re vſuraria acquirit. Cap. II.

16 HAec ſunt duæ quæſtiones. Prima eſt, An vſurarius acquirat dominium vſuræ. Secunda, An acquirat dominium eorum, quę labore ſuo, ex pecunia vſuraria acquirit. De hac ſecunda quæſt. infrà agemus. In prima quæſtione ſunt duæ ſentẽtiæ omnino oppoſitæ, & vtraque habet plures ſectatores. Prima eſt negatiua, quã ex veteribus ſequuti ſunt apertè Alenſis, 3. par. quæſt. 36. memb. 4. art. 2. Altiſiodorenſis 3. p. tract. 21. q. 1. Gabriel Biel in 4. diſtin. 15. q. 11. art. 1. notabili. 3. Angelus verbo *vſura* 2. num. 18. Siluester *vſura* 6. q. 1. & multi alij. D. Bonauentura verò in 4. d. 15. p. 2. art. 2. q. 2. Richardus eadẽ diſtin. art. 2. q. 5. accedere ad eandem videntur: Richardus tamen de dominio nihil dicit. De D. Thoma eſt valdè dubium, quid ſenſerit, eſt enim valdè perplexus. Vnde pro vtraque opinione citatur. Nam in 4. diſt. 15. q. 2. ar. 4. quæſtiuncula prima dicit ſecundùm quoſdam dominiũ non transferri, & videtur eam ſententiam approbare, cũ eam nõ confutet. Vndè Adrianus in q. de vſura eum pro hac ſententia adducit. 2. 2. verò q. 78. art. 3. in fine corporis articuli ait, quod ſi vſurarius extorſiſſet ab aliquo per vſuram rem fructiferam, tenetur reſtituere non ſolum rẽ ipſam fructiferam, ſed etiam fructus eius, & adducit hãc rationem, quia illi ſunt fructus rerum, quarum alius eſt dominus: & ideò illi debentur. Vnde videtur mutaſſe ſententiam: & ideò Silueſter verbo *vſura* 6. q. 1. & recentiores Thomiſtæ expreſsè hanc opinionem tenent, & dicunt eſſe D. Thomæ, vt Caietanus tomo 2. opuſculorũ, tractatu 8. cap. 1. Soto lib. 6. de iuſtitia, & iure, q. 1. art. 4. Molina tract. 2. diſp. 326. Couarruuias lib. 3. variarum reſolut. c. 3. nu. 7. qui alios multos citant.

1. Opinio, quæ eſt negatiua.

1. Ratio pro allata opinione.

17 Pro hac ſententia præſertim fiunt iſtæ rationes. Prima nunquam traditio nuda transfert dominium, niſi præceſſerit venditio, aut iuſta alia cauſa ſeu titulus. At vſurarius non accipit vſuram aliquam iuſta cauſa, & titulo, ſed iniuſto, & prohibito lege diuina, canonica, & ciuili, quibus vſura eſt prohibita: ergo vſurarius non acquirit dominium. Minor eſt euidens. Maior probatur ratione Alexandri de Ales, quia vbi Deus omnium prohibet fieri translationem rerum, nulla eſt vera translatio dominij; ſicut ſi aliquis haberet feudum ab aliquo terreno domino, non poſſet transferre dominium illius feudi contradicente domino. Ex quo fundamento colligitur per nullum contractum lege diuina, canonica, & ciuili irritũ transferri dominium, & habetur expreſsè l. *nunquam*. ff. de acquirendo rerum domin. & hanc rationem præ alijs concludere ait Gabriel Biel.

18 Secunda, vſurarius tenetur reſtituere non ſolùm rem fructiferam vſura acceptam, ſed etiam fructus eius ſecundùm omnes; At ratio, propter quam tenetur, nulla alia aſſignari poteſt, niſi illa, quam aſſignat D. Thomas vbi ſuprà; nimirum, quia dominium rei fructiferæ non eſt apud vſurarium, ſed apud illum, qui ob mutuum illam dedit vſurario. Quod autem hæc ſola ſit vera ratio, probatur: quia ſi res fructifera eſſet verè vſurarij, fructificaret ſibi, neque amplius teneretur ad reſtitutionem. Res enim fructifera fructificat domino non alijs. 2. Ratio.

19 Tertia, ſi per vſurariam ſolutionem transfertur dominium rei in vſurarium, hoc fit, vel rigore legis hoc ſtatuentis, vel arbitrio voluntatis ſoluentis: At non rigore legis, vt dictum eſt prima ratione: quia omnis lex hunc cõtractum prohibet. Neque arbitrio voluntatis: quia nullũ apparet inditium, quod ſoluens vſuram intendat transferre dominium vſuræ, & verè rem illam dare vſurario; ſed bene eſt præſumptio in cõtrarium: quia etſi actus iſte ſit voluntarius, eſt tamen mixtus inuoluntariò. Et ideò præſumendum eſt non donare, ſcilicet, ſicut qui proijcit merces in mari, non propter hoc præſumitur illas transferre in dominium eorum, qui illas poſt naufragium acceperint, ſed ſi recuperari poſſint, sũt ipſius mercatoris: ergo datio voluntaria, ſed mixta inuoluntariò non transfert dominium. 3. Ratio.

20 Quarta, non minus requiritur ad transferendum dominium rei alicuius in alterum, quàm ad abdicandũ à ſe ius, & ad concedendum illud alteri ad eam rem: ſed ſolutio vſuræ non ſufficit, vt mutuatarius cenſeatur abdicaſſe à ſe ius in rem quam ſoluit pro mutuo, & illud tranſtuliſſe in vſurarium: ergo ſola ſolutio vſuræ non transfert dominium. Maior probatur: quia plus eſt transferre dominium rei, quàm ius in rem. Minor quoque probatur, quia ſi per ſolutionem vſuræ quis transferret ius ſuum in vſurariũ, non poſſet repetere vſuram iuſtè, neque vſurarius teneretur reſtituere. 4. Ratio.

21 Quintam, ſi vſurarius acquireret dominium rei vſurarię, ſequeretur, quod ſi haberet creditores aliquos anteriores, vel priuilegiatos, vel qui hippothecam vniuerſalem haberent in bonis ipſius vſurarij, illi eſſent præferendi mutuatario, adeo vt ex pecunia, & bonis vſurarij prius eſſet ſatisfaciendum illis creditoribus, antequam ſatisfieret mutuatario; & ſi non ſupereſſent tot bona, vt omnibus ſatisfieri poſſet, nihil mutuatario eſſet reddendum; ſed ſolum creditoribus ex illis bonis vſurarijs mutuatarij eſſet ſatisfaciendum. Quod nullus dicet fieri poſſe. 5. Ratio.

22 Altera opinio eſt huic cõtraria, & eſt affirmatiua, quam ſuſtinent quamplures Theologi, & Canoniſtæ. Gloſa in cap. ſi quis vſuram, 14. q. 4. Henricus quolib. 4. q. 27. Paludanus in 4. d. 15. q. 2. ar. 5. Adrianus de reſtitutione in materia de vſura q. *ex his alia oritur quæſtio*. Nauarrus in Man. cap. 17. num. 265. & alij quidam. Eam verò, vt iteriam ſupponit Scotus in hoc 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. vt capite præcedenti vidimus: atque præ alijs efficaciorẽ rationem, & fundamentum pro ea tradit. Rationes autẽ quę probant hanc ſecundam opinionẽ, deſtruunt priorẽ: Res tamen hęc eſt difficilis; ideo non eſt mirũ, ſi D. Tho. valde perplexus fuit, & pro vtraque opinione ſint Doctores graues, & rationes valde efficaces. 2. Opinio, quæ eſt affirmatiua.

Ratio efficax Scoti pro hac opinione.

Pro

Certa ab incertis in hac quæstione distinguenda.

23 Proclariori autem notitia mihi videtur in primis distinguenda esse certa ab incertis in hac materia cum Azor. 3. p. lib. 5. c. 11. qui hanc quæstionem breuiter, sed satis dilucidè attigit, & licèt amplectatur primã opinionẽ, quia inquit esse communiorem, & faciliorem; tamen dicit quoque hanc secundam esse certè probabilem.

Quatuor certa sunt secundũ vtrãque opinionem.

24 Quatoor ergo suot certa secundùm vtranque opinionem. Primum est qood quandocumque res accepta ab vsurario consistit in pondere, mensura, vel numero, vt pecunia, frumentum, oleum, & huiusmodi, & admiscetur cum re propria vsurarij eiusdem speciei, vt amplius separari, & discerni nequeat, vt si vsurarius misceat pecuniam vsurariam cum sua non vsuraria, & frumentũ cum suo frumento, & oleum cum oleo; tunc vsurarium acquirere dominium rei vsurariæ; neque tunc teneri ad restituendam eandem rem in specie, vel numero, sed solùm in æquiualenti. Secundum si res vsuraria extet eadem in specie, seù numero, vsurarium teneri ad restituẽdam eam in numero, & specie. Tertium si res vsuraria est fructifera teneri ad restituendam non solùm rem ipsam, sed fructus omnes ex ea perceptos. Quartum teneri ad lucrum cessans, & damnum emergens mutuatario. Difficultas verò est, An cum his omnibus stet, quod vsurarius accipiat dominium rei vsurariæ, vel non accipiat. Prima opinio negat. Secunda affirmat. Quod autem accipiat dominium, & quod hæc non impediant, rationibus sequentibus probatur.

1. Ratio ex Scoto.

25 Prima ratio efficacior, & fundamentalis est, quã addocit Scotus hoc 3. articulo, vt cap. superiori vidimus, quæ est. Quicunque habet dominium rei suæ potest illud transferre in alterum pro libito suæ voluntatis; sed mutuatarius dans vsuram potest ipsam vsuram voluntariè dare ipsi vsurario pro mutuo; & est dominus illius rei, & pecuniæ: ergo potest transferre dominium illius vsurariæ rei in vsurarium. Maior est euidens ex dictis suprà de translatione dominij rerum, & assignando conditiones iustæ donationis, & aliorum iustorum contractuum. Minor qooque patet, quia cum mutuatarius sit dominus rerum suarum, & liber potest illas tradere cuicunque vult.

Responsio aduersariorum.

26 Ad hanc rationem respondent aduersarij, Caietanus, Soto, & alij vbi suprà, quod traditio vsuræ non est voluntaria, & libera datio, sed inuoluntaria mixta voluntariò, & ideò est coacta: quod probant. Tum quia simplex traditio rei alicui, non arguit voluntariam translationem dominij: quia traditio rei, & translatio dominij secũdùm se sunt res separabiles ab inuicem; Vnde qui dat rem in deposito alicui, tradit rem, nec tamen transfert dominium illius, vt patet. Tum quia traditio rei vsurariæ non potest dici traditio dominij rei per superuenientem intentionem mutuatarij liberè transferendi dominium in vsurarium: quia cum vsura sit damnata ab omnibus legibus, non est præsumendum eam dationem facere voluntariè. Tum denique quia illam non faceret, si absque ea posset mutuum accipere; Vnde patet nõ esse voluntariam, & liberam dationem; sed inuoluntariam mixtam voluntariò, & ideò per eam non transferri dominium.

Refellitur.

27 Sed contra hanc responsionem est ratio efficax ex Arist. 3. Ethic. cap. 1. vbi ostendit, quod inuoluntarium mixtum voluntariò non aufert voluntarium simpliciter. Exemplo illius qui projicit merces in mare ob saluandã vitam propriam: nam licèt actus ille habeat inuoluntarium mixtum: quia si posset aliter saluare vitam, non projiceret merces; tamen hoc non facit, quin actus ille sit simpliciter voluntarius, & liber: & consequenter non sufficiat ad transferendum dominium. Et confirmatur, quia si hoc inuoluntarium mixtum impediret translationem dominij in contractibus, sequeretur, quod multi contractus essent nulli, & nulla fieret translatio dominij. Nam vt plurimum qui vendunt bona sua, vendunt aliqua necessitate compulsi, vt patet de pauperibus, ne scilicet carcere detineantur à creditoribus; vel vt matrimonio dent filias, & huiusmodi; & si aliter possent his necessitatibus subuenire non venderent sua bona. Vanum est ergo dicere, quod inuoluntarium mixtum voluntariò impediat actum voluntarium simpliciter, ne per illũ transferatur dominium rei.

28 Præterea in nostro casu de vsuris aliqui dantur, qui omnino voluntariè, & sine vlla necessitate pecuniam ad vsuram accipiunt: quia etsi e.g. pro centenario soluant decem vsurario; tamen negotiando cum illa pecunia accepta mutuò, lucrantur 20. & sæpè 30. pro centenario, prout industria sua, & qualitas negotiationis exigit; in hoc casu autem proculdubio nullum est inuoluntarium; sed est actus omnino voluntarius. At respondet Soto, quod in hoc actu etiam miscetur inuoluntarium: quia etsi liberè quis decernat accipere ad vsuram; tamen postquam constituit mutuum petere compellitur dare vsurã: quia aliter obtinere non potest.

Responsio Soto.

Refellitur.

29 Sed hæc respõsio est nulla: quia quando actio vna totalis constat ex plurib. actionib. partialibus, libertas, vel coactio in illa non pensatur ex actionibus posterioribus, sed ex prima a qua cæteræ aliæ dependent. Si enim illa sit libera, & voluntaria, tota actio dicitur voluntaria, & libera, licèt interueniant deinde multæ actiones coactæ: quia licèt sint coactæ in se, & ex suppositione; sunt tamen liberæ virtute primæ, & principalis actionis, à qua dependent. Exemplum. Quis decernit vxorem ducere, ex hoc sequitur, vt cogatur reddere debitum ei, nutrire filios, & huiusmodi, istæ posteriores actiones, etsi sint necessariæ, non tamen faciunt actum illum matrimonium contrahendi non esse liberum: ita in proposito cũ aliquis liberè decernit sumere pecuniam ad vsuram ad lucrandum illa pecunia in negotiatina commutatione, licèt deindè necessariò teneatur ad soluendum vsuram, illa necessitas non facit, quod actus ille accipiendi ad vsuram, & soluendi, non sit voluntarius omnino: quia licèt in se sit necessarius, & coactus, hoc est per accidens, & ex suppositione: per se autem est liberalis, & voluntarius ratione primæ volitionis sumendi ad vsuram, quæ omnino libera, & voluntaria fuit. Habemus ergo ex hac ratione, quod solutio vsuræ potest esse actus omninò liber, & voluntarius, & sine vlla coactione: secundò habemus ex priori ratione, quod dato, quod datio vsuræ sit inuoluntarius actus secundùm quid propter admixtionẽ inuoluntarij, tamen simpliciter est voluntarius, & quod huiusmodi actus non impedit transferri dominium.

Aliorum responsio.

30 Alij respondent non sufficere liberam, & voluntariam traditionem simpliciter ad transferendum dominium rei in alium, sed requiri iustum titulum. In casu autem nostro non est iustus titulus: quia solutio vsuræ est prohibita legibus diuinis, & humanis: & hoc est quod videtur innuisse Caietanus, dum dixit, hic non præsumi liberam dationem, cum sit contra legem diuinam, & omnia iura.

Reijcitur.

31 Sed contra hoc est, quod vt rectè obseruauit Azorius vbi suprà, falsum est hìc non esse iustum titulum: nam adest pactum, & conuentio mutuatarij cum vsurario de soluenda vsura pro mutuo: pactum autem, & promissio est iustus titulus. Nec obstat, quod sit ex causa mala, & iniusta scilicet ex contractu vsurario: quia causa iniusta, & mala non impedit translationem dominij, sed solùm facit, vt actus ille sit peccatum. Exemplum. Lex prohibet actum meretricium, non tamen facit, quod datio pecuniæ pro actu meretricio sit nulla, & meretrix non accipiat dominium illius. Ita in proposito leges prohibent factum vsuræ, non tamen prohibent, vel reuocant translationem dominij pecuniæ, quæ per huiusmodi contractum vsurarium fit. Ratio concluderet, si lex directè prohiberet translationem dominij, vt obseruauit rectè Azorius vbi suprà. Sed lex directè prohibet factum, & obligat ad restitutionem, non prohibet autẽ, quod si fiat, factum non sit: idest non prohibet, quod si

quis

quis tradat pecuniam, non tradat simul dominium; sed damnat factum illud, & obligat accipientem huiusmodi rem, & dominium rei ad restituendum eam priori domino, & sic irritat factum, quod iam sine hac irritatione valeret.

Obiectio principalis aduersariorum.

32 Sed arguunt contrà, & huic fundamento maximè innituntur. Vsurarius tenetur ad restitutionẽ vsuræ, seù lucri accepti ex mutuo. Hoc antè non esset nisi per leges prohiberetur transferre dominiũ: nã tunc vsurarius esset dominus vsuræ: ideò non teneretur ad restitutionem.

Reijcitur.

33 Contrà. Hoc eorum fundamentum principale est falsum, & est causa deceptionis eorum. Putant enim, vt est videre apud Molinam, num. 9. quod obligatio restitutionis semper oriatur in re ex hoc, quod non fiat translatio dominij rei; & tamen hoc est falsum: quia, vt ait Scotus loco citato, aliquis potest transferre dominium alicuius rei in alium, & tamen illum remanere obligatum ad restitutionem eiusdem rei. Potest enim reseruare sibi ius repetendi, & restituendi tibi eandem rem, vt patet in mutuo. Nam qui dat pecuniam mutuò, transfert dominium pecuniæ in alium; & tamen non abdicat à se ius repetendi pecuniam eandem; neque qui accipit pecuniã mutuò, licèt recipiat dominium, ob hoc eximitur ab obligatione restituendi: sunt ergo ista separabilia abinuicẽ, translatio dominij rei, & abdicatio iuris repetendi rem eandem, seù liberatio alterius à restitutione rei, & vnũ potest esse sine altero. Ideò in proposito potest mutuatarius velle liberè dare vsuram vsurario, & transferre in illum dominium ipsius: non tamen velle præiudicare suo iuri, quod sibi remanet circa illam pecuniam de iure. Similiter ipsi fatentur, quod quando quis vendit rem aliquam vltra iustum pretium, transfertur dominium pecuniæ in venditorem, neque tamen propter hoc abdicat à se emens ius repetendi id, quod supra pretium iustum rem illam emit; neque per translationem hanc dominij venditor liberatur ab obligatione restituendi illud supra iustum pretium. Sunt ergo duæ res separatæ, translatio dominij, & abdicatio iuris repetitionis, & restitutionis eiusdem rei.

2. Rõ principalis.

34 Secundò principaliter arguitur pro hac secũda opinione sic. Metus, & vis multò magis tollit volũtarium, quàm coactio illa qua quis trahitur ad soluendas vsuras; At vis, & metus non prohibent transferri dominium: ergo multò minus coactio ista, qua quis ob mutuum soluit vsurario vsuram, tollit voluntarium, & impedit translationem dominij. Maior est euidens: qui enim facit aliquid ob metum cadentem incõstantem virum, scilicet ad vitandum maius malum, vt dare pecuniam alicui, ne eũ occidat, vel ne aliqua graui iniuria eum afficiat, est minus voluntarium, quàm accipere mutuò ab vsurario, & soluere vsuras. Minor verò habetur expressè cap. *Abbas*. De his quæ vi metusve causa fiunt. Vbi Glosa, & Doctores asserunt, quæ vi, & metu fiunt non esse de iure irrita, & nulla, sed irritanda, & annullanda esse. Verba enim textus sunt hæc. *Quæ vi metusve causa fiunt de iure debent in irritum reuocari*. At quæ irritantur iam tenebant, sed per iudicis sententiam reuocantur, vt tenet Soto lib. 1. de iustitia, & iure, q. 7. ar. 3. & alij communiter.

Responsio aduersariorum.

35 Respondent Soto, Molina, & alij suprà illa iura, & Doctores non asserere donationes, & contractus metu, & vi factus irritandas esse; sed esse declarandum irritas, & nullas esse, & præcipiendum esse possidenti, vt statim rem traditam restituat. Quod confirmant, quia de iure prætorio est introductum, vt contractus per vim, & metum celebratus ipso iure sit nullus, & dominium rei ita traditæ persèueret apud dantem, vt patet l. *metum*, §. *volenti*, & §. *licet*, ff. *quod metus causa*. Iuncto, §. *sed prætor ait*. Et hæc est sententia Panormitani in cap. ad Audientiam, num. 1. de his, quæ vi metusve causa fiunt: atque hoc modo ait intelligenda, & limitanda esse quæ citato cap. *Abbas* tradi consueuerunt. Et sic hi Doctores aiunt, quod in foro conscientiæ vbi est aliqua coactio, metus, & vis non censetur transferri dominium.

Contradictio apparens in Scoto.

Præterea Scotus videtur sibi contrarius: quia vt vidimus cap. præcedenti dicit primò, quod aliqualis coactio impedit voluntariũ simpliciter; & quod ideò datio vsuræ non est donatio, quia non est libera datio: deinde inquit quod vsurarius accipit dominium pecuniæ vsurariæ solutæ. At si acciperet dominium esset donatio libera: ergo sibi contradicit.

Refellitur.

36 Cæterùm confutatio huius responsionis ex dictis in præcedenti argumento euidenter deducitur, & simul intellectus verus prædictorum iurium, & Doctorum cõciliatio, & solutio cõtradictionis Scoti haberi potest. Obseruandum est ergo discrimen illud assignatum à Scoto, scilicet, quod aliud est transferre dominium rei, & aliud transferre ius omne in rem, siue abdicare à se omne ius in re: hæc enim duo apertè distinguuntur, & vnum potest esse sinè alio, vt patet in contractu mutui: qui enim dat mutuò pecuniam, oleum, frumentum, & huiusmodi transfert dominium rei; non tamen, vt dictum est præcedenti argumento, transfert omne ius suum supra illam rem in mutuatarium. Modò ad propositum, hoc eodem modo, qui metu cadente incostantem virum tradit aliquam pecuniam alicui, vt puta latroni ne illum occidat, potest transferre dominium pecuniæ, & tamen non abdicare à se ius repetendi eandem pecuniam: quia ista sunt diuersa; sicuti dictum est in mutuante; & proinde non est necessarium, quod qui transfert dominium pecuniæ in latronem, transferat, seù potius abdicet à se ius eam repetendi. Et hæc distinctio innuitur in cap. *Abbas*. De his quæ vi, metusve causa fiunt. Et à Glosa ibidem, & à Doctoribus, scilicet, quod quæ metu fiunt, tenent, & obligant, sed tamen debent in irritum reuocari à iudice. Ratio enim est hæc: quia qui metu tradit pecuniam, vel facit aliquid, simpliciter vult illud, ideò transfert dominiũ: quia tamen hoc facit coactè, & non omnino voluntariè, vt requiritur ad donationem, & ad omnem contractum liberum, remanet ei ius, & actio ad repetendum, quod metu sic tradidit, vel promisit. Quod etiam innuitur cap. *ad audientiam*, eodem titulo, dum Pontifex dicit, quod N. ob iuramentũm metu præstitum tenetur ad resignandum, non autem ad non repetendum. Signum est ergo, quod metu facta tenetent; non tamen ob hoc aufertur passo, metum, ius repetendi, quod sic tradidit: quia ex traditione dominij non censetur abdicare à se omne ius in illam rem. Hoc ergo modo possunt concordari iura prædicta, & Doctores, qui dicunt facta per metum esse nulla: volunt enim dicere, quod etsi facta illa teneant: quia tamen habent annexam iniustitiam, & repugnant rectè rationi, debent irritari, & qui metum passus est, debet ab iniuria liberari.

Aliud est transferre dominiũ, & aliud transferre omne ius.

Solutio cõtradictionis Scoti.

37 Hæc doctrina est Scoti in hac quæstione art. 3. vt vidimus cap. præcedenti, & proinde sibi non contradicit, dum ait, quod aliqualis coactio excludit voluntarium simpliciter 3. Ethic. cap. 1. & inde, & quod ideò in vsuris dandis non est merè donatio liberalis, & quod ideò est iniusta datio; & deinde infrà dicit, quod licèt soluens vsuram transferat dominium; tamen vsurarius tenetur ad restitutionem. Scotus enim vult quod hæc stent simul, quod quis transferat dominium, & tamen non abdicet à se ius, quo res illa sibi reddi debet; quod, vt dictum est, videtur esse intentum supradictorum canonum, & Doctorum. Et certè hoc est valdè conforme rationi naturali & iuribus, quæ dicunt traditione rei dominium transferri: cum enim quis vult aliquid simpliciter, illa est volitio perfecta, licèt secundùm quid sit inuoluntaria. Vnde 15. q. 1. cap. *meritò quæritur*, ex D. Augustino statuitur, quod voluntas coacta, est voluntas, & quod ideò sufficit ad peccatum faciendum: ergo videtur sufficere ad faciendum contractum humanum validum, & consequenter est sufficiens ad transferendum dominium rei; tamen quia est coacta, & non omnino libera, non sufficit ad donationem, nec ad abdicandum à se quodcunque

ius

ius in r... ...m, quam contractat, & præsertim ius illud, quod sibi c... ... tali coactione in rem illam, & in alterum, cui fit tra... ...itio, insurgit. Et sic ad propositum cum metus ca... ...ens in constantem virum non impediat transferri do... ...minium, multò minus dicendum est coactionem, quã patitur soluens vsuram, impedire translationem dominij. Neque sequitur, quod qui trãsfert dominium ob id, abdicat à se ius repetendi pecuniam vsurariam, & quod vsurarius ad restitutionem non teneatur.

Metus impedit matrimoniũ. 38 Quod autem metus cadens in constantem virum impediat matrimonium, nobis non officit: quia hoc est peculiare, & proprium priuilegium contractus matrimonij, quod interueniente metu cadente in costantem virum non teneat.

3. Ratio. 39 Tertia confirmantur omnia supradicta, quia si non transferretur dominium pecuniæ vsurariæ in vsurarium, sequeretur, quod si illi pecunia vsuraria, vel res alia per vsuram accepta, periret absque culpa vsurarij, ipse vsurarius non teneretur ad restitutionem; consequẽs est falsum: Ergo. Consequentia probatur, quia res ammittitur domino: ergo si dominium pecuniæ vsurariæ remanet apud mutuatarium, illi ammittitur, non vsurario; & sic non teneretur ad restitutionem; at tenetur: ergo dicendũ est teneri ad restitutionem, quia etsi habeat dominium pecuniæ, & pecunia sit sua, non tamen habet omne ius in illa, sed remanet ius suum mutuatario, quod sibi competit ex iniustitia facti vsuræ, quæ est prohibita.

1. Confir. 40 Confirmatur, quia ius est quid latiùs, quàm dominium, Vnde suprà in diffinitione dominij dicebamus pro genere poni ius; non ergo sequitur, quòd qui transfert alicui dominiũ alicuius rei, cõferat omne ius, quod potest habere, vel habet, & sibi competit in illa re; & sic cum mutuatarius confert dominium pecuniæ vsurariæ ipsi vsurario, non sequitur, quod ei conferat omne suũ ius, vel renunciet omni iuri suo super illam rem; & propter hoc tenetur ad restitutionem.

2. Confir. 41 Præterea confirmatur, quia si vsurarius non haberet dominium pecuniæ vsurariæ, sequeretur, quod omnis contractus factus cum alio ex illa pecunia, vt si emeret vinum, panem, & alia huiusmodi, ille contractus esset nullus; consequens est falsum: ergo. Consequentia est euidens: quia si non habet dominium in illa pecunia, vel oleo, frumento &c. non potest illud transferre in alium. Falsitas consequentis probatur: quia auctores oppositæ sententiæ tenent vbi suprà, quod si vsurarius habeat alia bona, vt alias pecunias, aliud oleum, triticum &c. quibus restituat, contractus omnes, siuè gratuiti, siuè onerosi sint, tenent: si autem non habeat alias pecunias, non tenerent, & ij, qui secum contrahunt, tenentur ad restitutionem creditori eorum rerum, quæ ab vsurario acceperunt pro venditione panis, olei, frumenti, &c. At tunc sic arguo, si vsurarius non haberet dominium pecuniæ vsurariæ, & aliarum rerum per vsuram captarum quas pro pane, oleo &c. commutat, licèt haberet alias pecunias, & res eiusdem speciei, quibus posset fieri restitutio, non valeret contractus: quia licèt haberet dominium super alias res, non tamen haberet super illam pecuniam, & alias res vsurarias: ideò illas in specie, & numero teneretur restituere: sicut qui furatus est equum, licèt habeat alia bona, quibus restituere potest, tamen non potest vendere, nec alienare illum equũ particularem; sed illum in specie tenetur restituere domino: Vnde venditio est nulla propter defectum dominij. Cum ergo his non obstantibus, huiusmodi contractus valeant, dicendum est, vsurarium habere dominiũ illarum rerum, quæ per vsuram capit: licèt non habeat omne ius super illas res, sed maneant obligatæ domino, ratione iniustitiæ, quæ fit domino in traditione huiusmodi vsuraria, quæ est prohibita legibus diuinis, & humanis. Quapropter colligitur, quod ius naturale, & diuinum prohibens vsuram, non resistit voluntati liberæ mutuantis, ne possit transferre dominium rei, & rem ipsam, cui vult simpliciter tradere, sed resistit iniustitiæ talis traditionis, & vult vsurarium non obstante libera traditione rei vsurariæ, teneri ad restitutionem, ad tollendam iniuriam, quæ per huiusmodi solutionem insurgit in soluente vsuram. Sicuti lex non resistit patienti metum, ne possit voluntate sua valide aliquid contrahere: sed resistit iniustitiæ, quæ illi fit dum per talem metum inducitur ad huiusmodi contractum, & sic patet ad fundamenta aduersariorum.

42 Hinc ad rationes pro priori opinione, Ad primã respondetur ad maiorem, ad traditionem dominij rei requiri iustum titulum, non autem iustam causam, vt dictum est de traditione pecuniæ facta meretrici, quæ est ex causa iniusta, quia tamen fit ex pacto, & ex conuentione tenet. Ad minorem verò dicitur, quod adest in vsurario iustus titulus, scilicet pactio inita, licèt causa sit iniusta, & mala, quia est vsura. Ad exemplum de feudatario respondetur non esse simile: quia feudatarius non habet dominium directũ absolutum super feudum: at mutuatarius habet dominium directum, & absolutum super suam pecuniam, vt supponimus. Ad primã rõnem pro priori opinione.

44 Ad secundam respondetur vsurarium teneri ad restituendum fructus ei, qui soluit vsuram, non quia vsurarius non accipiat dominium rei fructiferæ vsurariæ; accipit enim illius dominium: quia si perit (vt si sint animalia, boues, serui, & huiusmodi) perit vsurario, non illi, qui dedit in vsuram, sed tenetur ad restitutionem; tum quia etsi accipiat dominium, tamen ratione iniustitiæ talis contractus remanet obligatus ad restitutionem eiusdem rei, si manet, & si non manet ad æquiualens, & ad omne lucrum cessans, & damnum emergens. Ad secundã rationem.

44 Ad tertiam dicitur, quod transfertur dominium voluntate tradentis vsuram, quæ apparet ex pacto, & conuentione facta cum vsurario; Voluntarium autem simpliciter, licèt habeat admixtum inuoluntarium secundùm quid, sufficit ad transferendum dominium, vt dictum est de projiciente merces in mari. Actus enim ille est voluntarius simpliciter, licèt sit inuoluntarius secundùm quid. Et cum dicitur, quòd qui projicit merces in mari non præsumitur transferre dominium eorum in eos, qui post naufragium illas receperint. Respondetur non esse parem rationem: quia qui sic projicit merces nõ intendit illas tradere alicui, sed tantùm ex earum proiectione liberare se à periculo vitæ: Quod si intenderet nõ solùm liberare se à periculo per illam proiectionem, sed verè eas alicui tradere, postquam videt se non posse illas saluare sibi, procul dubio transferret dominium, licèt esset actus voluntarius mixtus inuoluntario. In proposito autem tradens vsuram, simpliciter tradit, & intendit trãsferre dominium in vsurarium, licèt hic actus sit mixtus inuoluntario; & ideò transfert dominium. Ad tertiam rationem.

45 Ad quartam quod videtur esse fundamentũ principale Molinæ respondetur vt supra, quod aliud est trãsferre dominium, & aliud transferre omne ius: dominiũ enim est species iuris, quoniam in definitione dominij sumitur pro genere ius. Non est ergo necessarium, quòd qui tradit alicui dominium rei, transferat omne ius suum in illa re, vel ad illam rem, vt patet expressè in mutuo, in quo transfertur dominium in mutuatarium, & tamen retinet ius sibi repetendi eandem rem. Ad argumentum negatur maior: plus enim requiritur ad abdicandum à se omne ius, quàm dominium solum: quia dominium est vna species iuris: ius autem in communi est genus, & quid magis vniuersale. Ad probationem cum dicitur, quod transferre dominium est quid plus, quàm transferre ius in re. Respondetur quod dominium potest comparari ad vnamquamque speciem iuris, & sic verum est, quod conferre dominium est plus, quàm conferre ius, quia inter species iuris, principalior est dominium. Secundò potest comparari ius in cõmuni ad omnes species iuris; & sic conferre ius in communi est quid maius: quia comprehendit dominium, & quodcunque aliud ius in rem, Ad quartã rationem.

rem, & ad rem. Ideu nun eſt inconueniens, quod per aliquam actionem transferatur dominium alicuius rei in alium; & tamen ſibi reſeruetur aliquod ius in illa re, vt dictum eſt de mutuante. Et hoc modo accidit in tradente aliquid alicui metus cauſa, & actu volũtario mixto inuoluntario; & ſic dicimus accidere in mutuatario ſoluente vſuram: transfert enim dominium, tamen ſibi remanet ius in illa, quòd ſibi competit ex lege naturæ propter iniuriam talis traditionis, quæ eſt iniuſta, & prohibita.

Ad quintã rationem.

46 Ad quintam negatur conſequentia. Ratio eſt, quia pecunia, & res vſuraria eſt prius obligata mutuatario, quàm illis creditoribus: nam res vſuraria erat mutuatarij, eam transfert vſurario quò ad dominium, non autem quò ad omne ius, ſed reſeruat ſibi ius eam repetendi: ideo eſt anterior in iure alijs creditoribus; & ideo non poteſt de illa ſatisfieri alijs creditoribus. Tota ergo difficultas in hac re eſt, quia aduerſarij non diſtinguunt inter transferre dominium, & transferre ius; & hoc eſt cauſa deceptionis, quod Scotus acutè, ſed breuiter animaduertit, & docuit.

Tota difficultas ĩ hac queſtione.

2. Queſtio. An vſurarius habeat dominium eorum quæ per pecuniã vſurariã acquirit.

47 Huic eſt proxima altera quæſtio ſuperius propoſita. An vſurarius habeat dominium eorum, quæ ex pecunia vſuraria ſuo labore, & induſtria acquirit; in qua ſunt quoque duę opiniones. Prima eſt negatiua quam tenuit Altiſiodorenſis lib. 3. tract. 21. cap. 1. q. 7. principali. Ratio ipſius erat, quia ſi radix eſt infecta, rami quoque ſunt infecti: At pecunia vſuraria eſt malè accepta: ergo quid quid acquiritur ex re vſuraria eſt vſurarium, & iniuſtè acceptum D. Thomas etiam 2. 2. q. 78. ar. 3. ad ſecundum in eam inclinare videtur, quatenus inquit, non modò illa, quæ vſuraria pecunia empta ſunt, ſed omnia eſſe obligata ijs, qui ſoluerunt vſuras; tamen in reſponſione ad tertium patet eum eſſe oppoſitę ſententiæ. Secunda opinio eſt affirmatiua, quæ eſt communior, quam diſertè tradit Scotus hac q. 3. art. 4. verſiculo *De tertio*, vt videbimus explicando illum quartum articulum circa conditionem illam reſtitutionis, *Quid ſit reſtituendum*. Eandem habet Ricardus in 4. diſt. 15. art. 5. q. 5. quos deinde ſequuti ſunt Grabriel Biel, & Maior vbi ſupra, Soto eodem loco ad tertium, Silueſter verbo *vſura* 6. q. 2. & recentiores paſſim, vt eſt videre apud Azorium 3. par. lib. 5. cap. 12. & alios. Hæc ergo opinio diſtinguit in genere bona vſurarij, & idem dicendum eſt de bonis furis, raptoris, & ſimilium, iniuſtè rem alienam detinentium. Vel enim ſunt bona vſuraria, ideſt propter mutuum datum lucrata. Vel ſunt bona ex illa pecunia vſuraria, & malè acquiſita, empta, vel acquiſita. Vel denique ſunt bona nullo iniuſto titulo, ſed iuſtè acquiſita, vt iure hæreditario, vel honeſto labore.

Bona vſurari, triplicis generis ſunt: & quę ſint obnoxia reſtitutioni.

48 Bona primi generis manent obligata reſtitutioni. In hac aſſertione conueniunt ambæ opiniones ſuprà adductę, ſed diuerſo fundamento. Prima, quia inquit dominium non eſſe translatum in vſurarium. Secunda, quia etſi ſit translatum dominium, tamen illa bona remanent obligata priori domino ob ius naturale, quod diximus remanere in ea apud eum. Bona ſecundi generis, de quibus eſt in præſenti ſermo, poſſunt eſſe duplicis generis, quia ex duplici radice oriri poſſunt. Nam vel res vſuraria, quam accepit vſurarius, eſt fructifera, vt ſi vſurarius propter mutuum accipiat prædia, vel animalia, vel quid ſimile, quod eſt ex ſe fructiferum. Et tunc certum eſt illos fructus pertinere ad mutuatarium, neque vſurarium accipere dominium illorum. Vel ſi acquirit dominiũ, nõ acquirit ius illorum, quoniam cum vſurarius teneatur ad reſtitutionem illius rei vſurariæ, ſiue quia illius non habet dominium, vt dicit prima opinio; ſiue quia mutuatarius habet in illa ius, vt ſibi reſtituatur, non poteſt ſibi retinere, vel accipere fructus illius. Quod ſi vſurarius rem fructiferam vendat, mutuatarius poteſt ſemper illam per euictionem recuperare propter ius, quod ſuper illam habet; pecunia autem, quam ex venditione illius, vel fructuum, ſi illus vendat, nun eſt vſurarij, ſed mutuatarij: quia cum vendiderit rem, quam non poterat, tenetur reſtituere emptori prædictam pecuniam caſu quo per euictionem illam ammittat; quod ſi emptor rem non ammittat, vſurarius tenetur ad reſtituendam pecuniam prædictam mutuatario. Vel res vſuraria non eſt fructifera, ſed vſu conſumptibilis, vt pecunia, frumentum, vinum, oleum, & huiuſmodi; & tunc ſi vſurarius ſua induſtria, & labore, ex illa aliquod lucrum percipiat, in illud accipit dominium, & ius, & non tenetur ad reſtitutionem illius; ſed ſolùm pecuniæ, & rei, ex qua illud lucrum percepit. Et hoc ſi non fuit cauſa lucri ceſſantis, vel damni emergentis, mutuatarij, quia in tali caſu ex fructibus illis teneretur ad reſtaurationem illius damni. Bonorum vero tertij generis omnino accipit dominiũ, quia nulla adeſt iniuſtitia, neque tenetur ad reſtituendum alicui niſi in caſu, quo bona vſuraria perirent: tunc enim ex bonis tertij generis teneretur ipſe, & ſui hæredes ad reſtitutionem pro illa portione, quæ reſponderet vſuris acceptis, & damno dato, & lucro ceſſanti, ſi aliquod interfuiſſet.

DISPVTATIO L.

De reſtitutione in communi bonorum temporalium, & præſertim bonorum fortunæ; in qua explicatur quartus articulus quæſtionis ſecũdæ Scoti.

Quid ſit reſtitutio, & vnde eius obligatio oriatur, & an ad iuſtitiam commutatiuam ſpectet. Cap. I.

Quartus articulus ſecundæ queſtionis Scoti explicat.

1 PRopoſuit Scotus in principio quæſtionis huius ſecundæ quarto loco agere de modo, quo quis tenetur ad reſtitutionem rerũ alienarum occupatarum, & damnificationis cuiuſcunque, in rebus temporalibus. Ideo poſtquam explicauit quæ ſit iniuſta rerum occupatio, & damnificatio in quarto articulo huius quæſtionis, quem nunc præ manibus explicandum ſumimus, agit de reſtitutione; in quo breuiter ſed exactè materiam hanc totam egregiè explicat. Facit autem quinque in hoc articulo. Primò explicat, propter quam rationem reſtitutio ſit facienda. Secundò, quis tenetur ad reſtitutionem. Tertiò, quid tenetur reſtituere. Quartò cui fieri debeat reſtitutio. Quintò quando facienda eſt reſtitutio. Hæc omnia communiter tractatur à Doctoribus, quia in his conſiſtit tota ratio, & cognitio materiæ reſtitutionis.

Scotus facit quinque

Reſtitutio multis modis accipit. Variæ diffinitiones reſtitutionis.

2 Antequam autem primum aggrediamur, obſeruãdum eſt hoc nomen, Reſtitutio, multis modis accipi; præſertim à Iuriſperitis, quas acceptiones cum præſenti inſtituto non ſeruiant, eſt inutile adducere. Illis ergo dimiſſis à Theologis recentioribus variæ afferuntur definitiones. Aliqui eam definiunt ſic. Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ. Alij. Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ, quo cuique redditur, quod ab eo ablatum eſt, vel acceptum. Alij. Reſtitutio eſt actus quo redditur, quod ex iuſtitia debetur. Alij. Reſtitutio eſt actus, quo ex iuſtitia commutatiua redditur, ſeu exhibetur aliquid in recompenſationem eius, in quo aliquis formaliter, aut materialiter eſt leſus, aut defraudatus. Verùm licèt omnes iſtæ definitiones poſſint rectè explicari, & in idem coincidant; tamen faciliùs cum DD. antiquis D. Tho. & Scoto poſſimus aſſignare definitionem propriam Reſtitutionis ſtrictè acceptæ, de qua agunt Theologi. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod etſi ſumendo reſtitutionem, & ſatisfactionem in communi, pro eodem accipiantur: quia, vt dicebat Scotus hac diſt. 15. q. 1. ar. 2. ſatisfactio in communi eſt redditio ęquiualentis pro ęquiualenti aliàs indebiti: hæc enim diffinitio poteſt competere quibuſcumque contractibus, & obligationibus, ſeù liberalibus, ſeù obligatorijs, eo modo quo contingit in contractibus, ſiue ſit ex culpa, ſiue ſine culpa, & conſequen-

Reſtitutio & ſatisfactio in cõmuni pro eodem accipiuntur.

sequēter competit restitutioni, quia est quędā satisfactio. (Neque enim distinctio illa assignata à Soto, & Suarez, quod restitutio sit circa data, & accepta, & satisfactio circa actiones, & passiones, quibus homines, aut iniurijs, aut beneficijs se afficiunt, habet aliquid momenti, vt diximus suprà agendo de satisfactione c. 1.) Tamen accipiendo restitutionem strictè, restitutio differt à satisfactione. Quomodo autem differat, varij vario modo explicant. Soto lib. 4. de iustitia, q. 6. ar. 1. assignat septem differentias, sed illę ad duas reducuntur, quas breuiter assignauit Scotus, vt videbimus, & colliguntur etiam ex doctrina D. Thomæ, præsertim verò ex diffinitione allata ab eo, quæ est eadem, quam Scotus innuit, & supponit, & ex eius ratione esse veram diffinitionem restitutionis propriè dictæ elicitur, vt videbimus. D. Thomas ergo, 2. 2. q. 61. (dimissa diffinitione illa, quam habet eadem q. ar. 1. Restituere est aliquem in possessionem, vel dominium rei suæ iterum statuere, quæ est diffinitio, quid nominis restitutionis) art. 2. inquit, quod restitutio, seù restituere importat *redditionem illus rei, quæ iniustè ablata est*. Quo loco Caietanus ait, c[o]rruptum esse textū, quia D. Thomas dicit, quod iniustè ablatum est, esse obnoxium restitutioni; quòd autem iustè ablatum est nequaquam. Hoc tamen secundum videtur esse falsum: quia mutuatum, in depositum datum, &c. est restitutioni obnoxium, & tamen non est iniustè ablatum. Sed rectè Soto vbi suprà art. 2. & recentiores explicant D. Thomam, & asserunt nequaquam tex. esse corruptum, sed D. Thomam loqui propriè. Nam restituere differt à reddere: quia restituere est propriè rem ablatam reddere: quod autem in deposito, vel mutuò habetur, non potest dici ablatū, neque restitutioni obnoxium, donec mutuatarius, depositarius, & similes non sint in mora; & proinde depositarius, mutuatarius, & huiusmodi ante moram non sunt obligati ad restitutionem.

Restitutio, & satisfactio propriè differunt.

Diffinitio D. Thomę

3 Scotus autem in principio huius articuli 4. hāc diffinitionem restitutionis strictè acceptæ innuit, dum inquit, ex quinto præcepto Decalogi eum teneri ad restitutionem, qui tenet rem alienam inuito domino. Nam ex hoc elicitur, quòd restitutio strictè accepta, de qua est sermo nunc, est redditio rei alienæ, quam quis tenet inuito domino. Coincidūt ergo istæ duæ diffinitiones. Restitutio est redditio illius rei, quæ iniustè ablata est, quæ est D. Thomæ; & ista restitutio est redditio rei alienæ, quam quis retinet inuito domino. Vnde cum depositarius, mutuatarius, & similes ante moram non retineant rem alienam inuito domino, sequitur, quod ipsi non contineantur sub obligatione restitutionis, quæ est de præcepto.

Diffinitio restitutionis ex Scoto.

4 Quod autem hæc sit propria diffinitio restitutionis strictè acceptæ, de qua loquimur, probatur ex ratione Scoti ibidem. Illa est diffinitio propria restitutionis, quæ competit restitutioni, quæ præcipitur in septimo præcepto Decalogi, *non furtum facies*; sed restitutio, quæ ibi præcipitur, est redditio rei alienæ, non cuiuscunque, sed illius, quam quis inuito domino retinet, & occupat: ergo diffinitio restitutionis strictè acceptæ, est redditio rei alienæ, quam quis iniustè, seù inuito domino retinet. Manifestum est autem, quod in septimo præcepto Decalogi, *non furtum facies*, non solum prohibetur furtum, & rapinam, & damnum datum, sed detentio omnis boni, quæ est contra iustitiam; illa autem est omnis ea detentio, quæ est contra voluntatem domini, vt vidimus in præcedentibus.

Allata diffinitio probatur.

5 Quid autem sit illud, quod cadit sub restitutione in generali, ex prædicta diffinitione colligi potest. Est enim omne alienum contra iustitiam acceptum, vel retentum; ista autem ea sunt, quæ, vel iniusta acceptione ablata sunt, vt per rapinam, furtum, fraudem, & huiusmodi. Item ea omnia, quæ non iniusta acceptione, sed iusta, attamen debita, accepta sunt; vt omne debitum proximo ex contractu, vel quasi contractu (licèt hæc propriè non dicantur obligata ad restitutionem, vt dictum est suprà, sed nunc loquimur vniuersaliter.) Item omne illud, ad quod quis obligatur aliqua lege iustitiæ speciali, vt cum quis pro aliquo delicto punitur aliqua pœna: Vel cum Princeps pro bono publico aliquam mulctam imponit, & huiusmodi. Nauarrus in Man. cap. 17. num. 12. & sequentibus vsque ad 19. adducit quasdam alias regulas magis particulares, ex quibus oritur obligatio restitutionis, ex D. Antonino in secunda parte, titulo 2. cap. 2. 2. §. 2. & ex Siluestro verbo *Restitutio* secundo quæ in hac regula generali assignata cōtinentur: quæ hic non oportet adducere, cum ibi claré videri possint; & ea, quæ dicta sunt, pro hac cognitione in generali sufficiant.

Regula generalis cōplectēs omnia, quæ cadunt sub obligatione restitutionis.

6 Siluester tamen verbo *Restitutio* secundo (& idem alij Doctores varijs in locis, vel docent, vel supponunt) affert pulchram distinctionem, sub qua in generali continentur omnia, ex quibus quis obligatur ad restitutionē, quæ est valde vtilis ad cognoscendum breuiter ea, ex quibus oritur obligatio restitutionis in communi: Vel saltē ea, quæ potest quis dubitare, an aliquid sit restituendum, & deinde quęrere apud Doctores solutionem; est autem hæc in summa. Omnis qui tenetur ad restitutionem, Vel tenetur ratione acceptionis, seù acquisitionis iniustè, Vel ratione acceptionis & acquisitionis iustè, Vel nec ratione acceptionis, & acquisitionis iniustè, vel iustè, sed ratione damnificationis. Primum membrum adhuc subdiuiditur. Illicita acceptio, & acquisitio rei, vel est cum iniuria, & contra voluntatem proximi, vt in rapina, furto, fraude, & similibus. Vel est sine iniuria, immò cum voluntate proximi. Et hæc iterum subdiuiditur. Nam vel est illicita ratione causæ: quia scilicet causa, propter quam fit acceptio, & acquisitio rei, est turpis, Vel est illicita ratione personæ. Primum membrum subdiuiditur. Nam si acceptio est illicita ratione causæ turpis, Vel turpitudo est pènes personam accipientem tantùm; vt cum quis accipit ab aliquo pecuniam, vel aliquid aliud ne faciat aliquod malum; vt ne occidat, ne iniuria afficiat aliquem, & similia; aut accipit pecuniam, vt faciat quod debet; vt quod iudex rectam ferat sententiam, & similia. Vel turpitudo causæ est ex parte vtriusque scilicet accipientis, & dantis; vt cum quis accipit pecuniam, vel quid simile ab altero, vt occidat, damnificet &c. si verò acceptio est illicita ratione personæ, Vel est illicita ratione personę dantis, scilicet, quia persona dans dare non potest; vt si meretrix accipiat à Religioso pecuniam: quia Religiosus non potest donare, & idem de pupillo, & de alijs non potentibus donare. Vel est illicita ratione personæ accipientis, vt dare aliquid pupillo sine auctoritate tutoris; furioso, & huiusmodi, Vel aduocato partis contrariæ, & similibus, qui non possunt, vel prohibentur accipere.

Regula Siluestri pulchra.

Qui tenetur ad restitutionē in communi.

7 Secundum membrum principale scilicet ratione iustæ acceptionis extenditur ad omnes, qui ratione contractuum iustorum debēt aliquid proximo, vt contingit in mutuo, locatione, &c.

2. Mēbrū principale.

8 Tertium membrum principale ratione damnificationis subdiuiditur. Quia damnificatio, Vel est facta à proposito, vel non à proposito, sed tamen ex culpa aliqua. Primum membrum subdiuiditur, quia, vel damnum fit committendo, vel ommittendo. Si committendo tripliciter. Primò impediendo consequutionem alicuius boni proximo. Secundò accipiendo. Et tunc, vel fit contra omnem voluntatem domini, vt in rapina, furto, &c. Vel non contra omnem voluntatem proximi, sed solùm contra libertatem eius, vt per metum, aut per quasi vim compulsiuam; vt cum quis ob reuerentiam alicuius personæ non audet negare petitam rem: aut propter importunitatem, aut propter spem alicuius beneficij ab eo cui dat: aut ex errore dantis: quia scilicet putat dare Titio, & dat Caio. Tertiò deuastando; vt comburendo segetes, diruendo domum, &c. Et hæc damnificatio, vel est circa bona animæ, Vel corporis, Vel fortunæ. Si

3. Mēbrū principale.

verò

verò damnificatio fit omittendo, hoc fit dupliciter. Nam vel omittitur aliquid, quod quis debet alicui ratione charitatis, (sed hoc non obligat) vel ratione iustitiæ. Et hoc Vel est debitum ex lege naturæ, Vel ciuili, Vel vtraque simul. Vt negligentes curatores pupillorum, morosi in contractibus adimplendis, & huiusmodi. Si verò damnificatio non est facta à proposito, sed tamen ex culpa. Vel est facta ex culpa sua, Vel suorum, vt si ipse, vel eius seruus, vel animal nocuit alicui sua culpâ, vel negligentia, & similia. Omnes ergo qui hoc modo accipiunt, siue acquirunt, vel detinent rem alienam, tenentur ad restitutionem. Ideò à multis Doctoribus ponuntur sub, *Quis*, teneatur ad restitutionem. Tamen hæc tetigisse hic non est inutile. Quid verò omnes isti teneantur, restituere, & an semper omnes isti teneantur, sunt variæ difficultates, de quibus agemus explicando particulam, *Quid* sit restituendum.

Quemodo restitutio differat à satisfactione strictè loquendo.

Sed redeundo ad restitutionem propriè dictam, ex dictis suprà hoc cap. habetur quomodo restitutio strictè accepta differt à satisfactione longè accepta, & à satisfactione strictè accepta: quæ est tertia pars Sacramenti Pœnitẽtiæ: Differt enim ab vtraque. Et sic potest dici, quod differat à satisfactione duobus modis. Differt à satisfactione, generaliter accipiendo satisfactionem: quia vt diximus suprà satisfactio generaliter sumpta se extendit ad omnes contractus, & consequenter se extendit quoque ad eos contractus, in quibus aliquis obligatur ad restitutionem alicuius rei ob peccatum, & offensam factã in alium; tunc enim ille satisfacit, qui reddit ęquiualens pro ęquiualenti ei, in quem peccauit. At restitutio propriè, & strictè accepta quatenus se extẽdit ad res temporales, potest esse sine peccato prius facto. Nam quis potest esse obligatus ad restituendam rem alienam, quam detinet inuito domino absque peccato, vt cum mutuatarius peruenit ad tempus determinatum, & deductum in pactum cum damno pecuniæ, & tñ nullum adest pctm̃.

9 Differt etiam à satisfactione, quæ est tertia pars pœnitentiæ, quia satisfactio, quæ est pars pœnitentiæ, non requiritur ante alias duas partes pœnitentiæ, scilicet ante contritionem, & satisfactionem, sed subsequitur, quia iniungitur à sacerdote. At restitutio in re, vel in voto requiritur ante illas duas partes priores pęnitentiæ, nimirum ante contritionem, & satisfactionem, & hoc de lege diuina probatur. Quoniam ad conterrendum, & confitendũ dignè peccata in Sacramento Pœnitentiæ requiritur cessatio à peccato, vel saltem propositum cessandi à peccato; At qui detinet rem alienam inuito domino, est in peccato: ergo tenetur de facto, vel ex proposito restituere rem alienam, vt cesset à peccato.

10 Quòd declarat Scotus in simili de alijs peccatis. Nam sicut si quis teneret fornicariam, vel adulteram, non cessaret ab hoc peccato, & à trãsgressione huius præcepti, non męchaberis, nisi restitueret eam viro suo; & illud restituere eam viro suo, est cessare ab hoc peccato fornicationis, vel adulterij: & sicut hæc restitutio debet præcedere omnem partem pœnitentiæ; alioqui n esset incapax pœnitentiæ. Qui enim teneret adulteram, & veniret ad pœnitentiam, esset irrisor pęnitentiæ, & peccatum peccato adderet. Ita qui retinet rem alienam inuito domino, si non restituat actu, si potest; vel voto, si non potest actu, antequam accedat ad pœnitentiæ Sacramentum, nõ est capax pœnitentiæ, sed irrisor: ideò restitutio debet præcedere omnes partes pœnitentię, contritionem, confessionem, & satisfactionem; & sic restitutio strictè sumpta non est satisfactio, quæ est pars pœnitentiæ.

Alia differentia inter restitutionem, & satisfactioné

11 Assignant alij aliã differentiam inter satisfactionem, & restitutionem. Nimirum, quod restitutio propriè est actio, qua res aliena domino propriè redditur; Satisfactio verò est actio, qua damnum, vel iniuria compensatur, quæ in personam aliquam redũdauit. Sed vt suprà dixi fama est de numero bonorum temporalium principale post vitam, & non consistit in datis, & acceptis, sed tollitur per actionem humanã, scilicet per detractionẽ, & tamẽ pertinet ad restitutionem propriè dictam: quia ablatio illius non est irreparabilis, vt vita hominis: ideò potest eadem restitui ab eo, qui eam abstulit. Quando autem quis restituit famam alicui non dicimus eum satisfecisse illi, sed restituisse illi famam suam: pertinet ergo ad restitutionem strictè acceptã, & tamen consistit in actione. Attamen quia hæc est contentio de nomine, & parum refert hunc, vel illum modum sustinere, non insisto.

An sit necessariũ ad salutem restituere rẽ alienam.

12 An vero sit de necessitate salutis prædicta restitutio, inter catholicos nullus est, qui dubitet. Sunt qui tribuunt hunc errorem Græcis. Molina tract. 2. disp. 716. asserit Alfonsum de Castro de hæresibus verbo *Restitutio* hunc errorem tribuere Græcis; sed ego apud Alfonsum de Castro hoc non reperio, immò nullam hæresim sub verbo *Restitutio* ponit. Hanc tamen hæresim tribuit Græcis Guido Carmelita in lib. De erroribus Græcorum, apud Soto lib. 4. q. 6. art. 2. & apud Prateolũ lib. 7. tit. 15. *Græci*: inquiunt enim Sacerdotes Gręcos pro furto, vsura, rapina manifesta consueuisse nemini imponere onus, vt satisfaciat, siue restituat, sed inungere oleo simplici raptorem, & eum adstringere, vt aliquam eius pecuniæ portionem ipsis sacerdotibus distribuat, & pecunia accepta, eos absoluere. An verò hic error sit communis Græcis omnibus ignoro. Certũ est de hoc errore Gręcorum in Concilio Florentino nullam factam esse mentionem, in quo tamen de erroribus ipsorum fuit tractatum, & reconciliati fuerunt Ecclesiæ Romanæ; si tamen hanc hæresim peruersissimam tenerent, non fuissent admittendi, nisi illa abiurata. Hunc errorem autem tenuit aliquando Erasmus in annotationibus ad illud Lucę 11. *Veruntamen quod superest date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis.* dum dixit. *illud aduertendum cum prius fecerit mentionem rapinæ, in remedio non fieri mentionem restitutionis; sed tantum pollicetur eleemosina omnia fieri munda.* Sed in 5. editione id retractauit adiungens illa verba. *Sed qui iubetur dare quibus nihil debetur, multò magis iubetur reddere si quid cui debet.*

Restitutionem esse faciẽdam est de fide.

13 Sed quid quid sit de Græcis, & Erasmo, veritas catholica est restitutionem rei alienæ, quã quis detinet inuito domino, esse faciendam sub pęna peccati mortalis, & ad consequendam vitam æternam. Hæc assertio communiter à Theologis probatur, & ex Sacra Scriptura, & ex sanctis Patribus, & ratione. Scotus autem hoc ar. 4. in principio, sic eam probat. Idem est auferre alienum inuito domino, & tenere alienum inuito domino; sed sic est, quod septimo præcepto Decalogi præcepit Deus non esse furandum: ergo eodem præcepto præcipit non esse retinendam rem alienam inuito domino. Maior est euidens, & supponitur nota à Scoto; nam ita mihi facis iniuriam, & noces, si mihi inuito rapis, vel furaris rem meam, quàm si ego eam mutuaui, vel cõmodaui, vel alio modo tradidi ad certum tempus, & transacto illo eam mihi illam requirenti negas tradere; perinde enim est, ac si mihi modò illã rapias, vel fureris. Minor est clara, verba enim præcepti sunt. *Non furtũ facies.* Exodi 20. quod est præceptum negatiuum. Non tenere rem alienam, etiã est præceptum negatiuum: vnde est, ac si dicat, non rapias, non fureris, neque retineas rem alienam inuito domino. Omnia enim ista equipolent.

Pręceptum septimum Decalogi ẽ negatiuũ.

14 Nec obest, quod præceptum de restitutione videtur esse affirmatiuum: dicimus enim præceptũ esse à Deo alienam rem esse restituendam. Respondetur enim præceptum Decalogi formaliter esse negatiuum; in illo autẽ virtualiter includi hoc præceptum affirmatiuum: quia ex illo necessariò sequitur Adrianus, quæstio. 1. de restitut. & Medina, quæst. 2. adhibent exemplum de præcepto negatiuo, *non occides*, in eo enim, inquiunt, includitur præceptum affirmatiuum, subuenies proximo extremè indigenti: qui enim sic non succurrit, videtur occidere. Sed hoc exemplum non concludit, quia ad succurrendum proximo extremè indigenti non tenemur

ex præcepto, *non occides*, sed ex præcepto charitatis, *diliges proximum tuum*; Vnde qui non succurrit proximo extremè indigenti, non peccat contra iustitiam, nec ad aliquid obligatur, licèt peccet; at qui peccat contra præceptum, *non occides*, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, vt q. sequenti videbimus.

Exemplū aptius.

15 Exemplum ergo aptius est, quod frequenter accidit, nimirum cum aliquis amicus, mihi surripere aliquē librum, vel vestem, vel quid simile vult me inuito, dico illi, ne mihi surripias meum librum: ex hoc enim modo loquendi sequitur, vt dicam: sinas me frui, & possidere meum librum; ad hoc autem sequitur, vt etiam præcipiam sinere librum esse in potestate mea: quia non possum frui, & possidere librum meum, nisi sit in potestate, & dominio meo. Denique sicut, qui dat formam, dat consequentia formæ, & qui destruit formam, destruit consequentia formæ; ita qui præcipit aliquam operationem fieri, præcipit fieri omnia necessariò consequentia ad illam: & qui prohibet aliquam operationem, prohibet omnia necessariò consequentia ad illam operationem. At ad furtum sequitur detentio rei alienæ necessariò: ergo qui prohibet operationem furti prohibet detentionem rei alienæ ablatæ per furtum: prohibere autem detentionem rei alienæ acceptæ per furtum est idē quod præcipere restitutionem, ergo intrinsecè in prohibitione furti includitur præceptum restitutionis.

Restōnis pręceptum obligat ad semper, & pro sēpēr.

16 Cum autem hoc præceptum restitutionis includatur in præcepto negatiuo, non furtum facies, & præcepta negatiua obligent ad semper & pro semper, sequitur, quod qui detinet rem alienam semper, & pro semper, teneatur ad restitutionem: Vnde statim cum quis rem alienam abstulit, obligatur ad restitutionem, in voto, & etiam in re, exceptis his casibus, de quibus dicemus infrà agendo de circunstantia, *quando*, & hoc nisi adsit aliqua dispensatio diuina, vt fecit Deus in Aegiptijs, in quo casu neque furtum esset peccatum.

2. Ratio ex auctoritatibus sacræ scripturæ.

17 Secundò, probatur habentem rem alienam obligari ad restitutionem ex auctoritatibus clarissimus sacræ scripturæ. Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: & Paulus ad Rom. 13. *reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal* &c. *nemini quid quam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*. Tobiæ 2. Tobias audiens hædum balantem allatum domi suæ vxori, & filiis dixit. *Videte ne furtiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut cōtingere*: Ezechiel 33. inter necessaria ad salutem, seù iustificationem impii numerat restitutionem ablatorū, dicens. *Si dixero impio morte morietur, & ille egerit pęnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium, & iustitia, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet, & non morietur*.

3. Ratio ex Patribus.

18 Tertiò, hanc fuisse semper vnanimem, & perpetuam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ conspicitur ex D. Augustino Epistola 14. quæ est ad Macedonium, & refertur 14. q. 6. cap. 1. vbi sic ait *si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pęnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, si vt dictum est restitui potest*.

4. Ratio.

19 Quartò probatur ratione. De iure naturę vnusquisque tenetur seruare iustitiam commutatiuam; Sed restituere rem alienam detentam inuito domino, est actus iustitiæ commutatiuæ: ergo vnusquisque, qui habet rem alienam inuito domino, tenetur ad restituendum eā illi. Maior est euidens: fundatur enim iustitia commutatiua in primis principiis legis naturæ, vt suprà illud, *Vnicuique dandum est, quod suum est, & quod tibi vis alteri feceris: & quod tibi non vis alteri ne feceris*. Minor probatur: quia ad iustitiam commutatiuam pertinet reducere comercia, & contractus ad æqualitatem, vt diximus supra disp. 42. c. 2. agendo de iustitia: & consistit in proportione Arithmetica non Geometrica, idest requirit æqualitatem in quantitate, vt scilicet quantum quis lucratus est super alium tantum restituat. Restitutio autem est actus reddens alteri, id, quod lucratus erat super proximum per aliquod comercium; & quò constituitur æqualitas inter contrahentes, & comercium emendatur, in quo cōmissa fuerat iniustitia: ideo restitutio pertinet ad iustitiam commutatiuam, & est actus illius.

Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ. An restitutio ptineat ad iustitiā distributiuam.

20 Sed contra hoc sunt quædam obiectiones: videtur enim quòd restitutio pertineat quoque ad iustitiam distributiuam. Nam si in bello ex spoliis, & preda ex hostibus capta Dux belli sibi sumat, vel det plus, aut minus quàm debet vni militi, cogitur restituere de suo: ergo cū iustitia distributiua violatur, facienda est restitutio: ergo restitutio pertinet ad iustitiam distributiuam. Item cum iudex punit, vel præmiat citra æquitatem, tenetur ad restitutionem. Si quis in electione prætermisso digniori eligit minus dignum, restituere digniori tenetur, & tamen violat solùm iustitiam distributiuam.

Solutio.

21 Respondetur hæc argumenta concludere, quòd ex violatione iustitiæ distributiuæ oritur obligatio restitutionis in sic violante, nimirum in Principe, superiore, & iudice, quia non appropriat bonum commune particularibus, vt tenebatur: hæc autem non appropriatio est contra iustitiam commutatiuam quoque: quia illi particulari erat debitum tantum bonum ex publico, & illi alteri tantum &c. & tamen Princeps non dedit illi tantundem quantum debebatur, & sic illi abstulit, quod suum erat, & facta est inæqualitas etiam secundùm proportionem Arithmeticam: ideo ad iustitiam commutatiuam pertinet corrigere illam partitionem bonorum: & sic Princeps de suo, si non possit aliter ex publicis bonis, tenetur reducere ad æqualitatem illam distributionem, restituendo tantum quantū ab vnoquoque abstulit. Vbi est obseruandum, quod hæc quarta ratio probat restitutionem necessariam ad salutem esse non solùm eam, quæ pertinet ad bona fortunæ, de quibus in 7. præcepto expræsse fit mentio, sed de omnibus aliis bonis internis, & externis: quia damnificatio illorum, cum sint maiora bona, est contra iustitiam commutatiuam: ideò ratione præcepti naturæ de obseruanda iustitia commutatiua tenetur vnusquisque ad restitutionem illorum.

Non solū bona fortunæ, sed alia omnia bona cur sint obligatę restitutioni.

22 Argumenta, quæ probant restitutionē nō esse necessariam ad salutem, sunt præcipuè argumenta principalia Scoti: hæc autem adducemus infra explicato hoc quarto articulo cum aliis, & soluemus, vt dilucida hæc tota materia fiat.

Quis teneatur ad restitutionem, & quæ sint radices restitutionis. Cap. II.

23 SEcundo loco agit Scotus in hoc quarto articulo de eo, qui obligatur ad restitutionem; pro cuius, & totius istius materiæ intelligentia obseruandum est. Quòd, licèt omnes Theologi in principalibus fundamentis materiæ restitutionis conueniant; tamen vario modo ab illis explicantur; ex qua varia explicatione res hæc difficilis redditur potius, quàm explicetur. D. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 6. agens de eo, qui obligatur ad restitutionem, determinat cum communi sententia, quòd omnis, qui accipit rem alienam, tenetur ad restitutionem; quomodo autem obligetur, explicat distinguendo. Nam circa eum, qui accipit rem alienam, duo consideranda sunt, scilicet res accepta, & acceptio rei. Hæc vero acceptio rei alienæ potest tripliciter se habere. Nam vel est iniuriosa, idest, contra voluntatem domini rei, vt in rapina, & furto. Vel est sine iniuria domini, sed cum voluntate domini; & hoc duobus modis fieri potest. Vno modo in vtilitatem accipientis, vt contingit in mutuo. Alio modo in vtilitatem dantis, non accipientis, vt contingit in deposito. Tunc respondet per quatuor conclusiones.

Opinio D. Tho. quomodo quis obliget ad restitutionem.

Pri-

1. Concluſio D. Th.

24 Prima, ſi qui accipit rem alienam, conſideretur præcisè ratione rei acceptæ, tenetur ad reſtitutionem illius, quandiù illam rem habet apud ſe. Hæc concluſio patet, quia qui habet aliquid vltra id, quod ſuum eſt, ſecundùm regulam iuſtitiæ commutatiuæ tenetur ad reſtituendum eum ſuo domino.

2. Concl.

25 Secunda concluſio. Si conſideretur ratione iniuſtitiæ, ſeu iniurioſæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem non ſolùm ratione rei acceptæ, quam habeat apud ſe, ſed etiam ratione iniurioſæ acceptionis. Vndè licèt rem ipſam apud ſe non haberet, tamen tenetur ad reſtituendã illam. Probatur: quia ſicut qui percutit aliquem, tenetur recompenſare iniuriam paſſo, quamuis nihil apud ipſum maneat; ita ẽt qui furatur, vel rapit, tenetur ad recõpenſandum damnum illatum, etiam ſi nihil in ſe habeat.

3. Concl.

26 Tertia concluſio. Si cõſideretur ratione acceptionis iuſtæ, & abſque iniuria, ſed de conſenſu, & voluntate domini, ſed in vtilitatem propriam, vt in mutuo, tenetur reſtituere adhuc dupliciter, ſcilicet ratione rei acceptæ, & etiam ratione acceptionis, adeo quod ſi rem ipſam nõ habeat apud ſe, ſed ammiſerit, adhuc tenetur ad reſtitutionem. Probatur, quia qui accepit, tenetur recõpenſare ei, qui fecit gratiam ipſi, ne damnum incurrat; ſi autem non reſtitueret, qui fecit gratiam, iacturam pateretur, quod eſt contra iuſtitiam.

4. Concl.

27 Quarta concluſio. Si conſideretur adhuc ratione acceptionis iuſtæ, ſed quæ eſt in vtilitatem dantis, non accipientis, vt in depoſitis, tenetur ad reſtitutionem ſolũ ratione rei acceptæ, non autem ratione acceptionis. Probatur quò ad primam partem: quia habet rem alienam. Quò ad ſecundam partem quoque probatur: quia ſic accipiendo ipſe potius impendit beneficium danti, quàm accipiat gratiam à dante: ideo ratione acceptionis nihil debet danti. Quò fit, ſi res ſic accepta ammittatur, vel ſibi ſubtrahatur ſine ſua culpa, non teneatur ad reſtitutionem. Hanc diſtinctionem ſequuntur Thomiſtæ, Caiet. ibi, Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 7. art. 2. & alij multi. Deinde D. Tho. art. 7. explicat, quinam alij, præter eum, qui accipit rem alienam, teneantur ad reſtitutionem, qui ſunt illi nouem comprehenſi illis duobus verſibus.

Iuſſio conſilium &c.

Duæ radices reſtitutionis. ſ. res accepta, & iniuſta acceptio ſecundũ recẽtiores.

28 Recentiores verò multi diſtinctionem illam quadrimembrem D. Thomæ reducunt ad trimembrem, ſiue ad duas radices tantùm: nimirum ad rem acceptam, & ad iniuſtam acceptionem. Nam omnis, qui obligatur ad reſtitutionẽ, ideo obligatur, quia vel hẽt apud ſe rem alienã, ſiuè illã titulo iuſto, vel iniuſto acceperit. Vel quia etſi non habeat rẽ alienam apud ſe, tamẽ actione aliqua iniuſta illam vſurpauit, vel dedit damnum in rem alienam, propter quam actionem iniuſtam imputatur illi ad effectum, vt teneatur ad reſtitutionem, & compenſationem, ac ſi illud apud ſe iniuſtè teneret, & vſurparet. Et ſic duo vltima membra diuiſionis D. Thomæ ponunt ſub priori membro, ſcilicet ſub radice ratione rei acceptæ. Sic Molina diſp. 717. & aliqui alij.

Modus dicendi Scoti

Vnica radix, & fundamentum reſtitutionis ſecundum Scotum.

29 Scotus autem in hoc quarto articulo, verſu, *De ſecundo*, ponit vnam maximam, quæ comprehendit omnem radicem, & fundamentum obligationis ad reſtitutionem, & eſt hæc. *Quicunque abſtulit, vel detinet alienum tenetur ad reſtitutionem*. Vbi verbum illud *alienum* largè accipitur prout comprehendit omne lucrum, quod aliquis detinet, & accipit ſupra proximum contra iuſtitiam commutatiuam: ſiuè, vt alii loquuntur, quatenus extenditur ad omnem actum quo proximus minus habet de ſuo, quàm habere debeat, ſecundùm iuſtitiam. Et ſenſus eſt, quicunque accipit, vel detinet aliquid contra iuſtitiam commutatiuã, ſeù rem ipſam apud ſe tenendo, ſeù damnificãdo abſque rei alicuius retentione apud ſe tenetur ad reſtitutionem. Subiungit quoque ſimul, qui alij, præter ipſum accipientem, vel detinentem rem alienam, teneantur ad reſtitutionem, & ſunt illi nouem qui in illis tribus verſibus continentur.

Quilibet in ſolidum reddat prius iniuriato.
Iuſſio, conſilium conſenſus palpo, recurſus,
Participans, mutus non obſtans, non manifeſtans.

Qui tenẽtur ad reſtitutionẽ in ſolidum. Modus dicẽdi Scoti eſt facilior.

30 Et reuera illa diſtinctio D. Thomæ videtur potius difficultatem facere in hac materia, quàm rem declarare. Vnde Caietanus in Commentario illius articuli fatetur eſſe inſufficientem: quia omiſſa eſt acceptio rei, quæ fit pro vtilitate vtriuſque, quæ certè eſt principalis: quoniam locum habet in contractibus præcipuis, vt ſunt venditio, permutatio, & huiuſmodi. Præterea dicit eſſe aſſignatam non de quacunque acceptione rei alienæ, vt non de compoſita, ſed ſolùm de ſimplici acceptione rei alienæ habente annexum debitum reſtitutionis, & hanc tripliciter ſe habere poſſe, ſcilicet cum iniuria, & hoc eſt primum membrum; vel cum voluntate domini; & ſic vel in ſolam vtilitatem accipientis, & eſt ſecũdum membrum; vel non in vtilitatem accipientis, & hoc eſt tertium membrum. Et ſubiungit, quod non eſt loquutus de acceptione compoſita cum dare: quia acceptio compoſita ex ſimplici datione cognoſci poteſt. Quæ quantum ſint implicata patet diſcurrenti. Nam in venditionibus, permutationibus, locationibus, & ſimilibus acceptionibus, quę ſunt acceptiones mixtæ cum dare, regulæ prædictæ non inſeruient, vel ſaltem non niſi à longè, & valde remotè.

31 Sed quod caput eſt diſtinctio de radice ratione rei acceptæ, & ratione acceptionis videtur redundans, quia obligatio ad reſtituendum ratione acceptionis non eſt diuerſa à radice ratione rei acceptæ; neque enim qui accepit rem alienam iuſtè, vt mutuatarius, quem dicit D. Thomas in tertia concluſione teneri ad reſtitutionem ratione rei acceptæ, & ratione acceptionis, habet duas obligationes, ſeu duas radices diuerſas obligationis. Neque enim, qui mutuò accepit centum, tenetur duplici vinculo reſtitutionis, vno, quia habeat rem alienam, alio, quia accepit eam cum voluntate domini, quia ſequeretur, quòd etiam deberent eſſe duæ reſtitutiones, ſeù duæ ſatisfactiones, quarum altera correſponderet rei acceptę, altera acceptioni rei, quod eſt abſurdum euidens: quia cum quis reſtituit rem acceptam, ſatisfacit quoque acceptioni rei. Et certè vanum eſt diſtinguere obligationem reſtituendi ratione acceptionis, ab obligatione reſtituendi ratione rei acceptæ, quia eſt vna, & eadem obligatio: quia nemo poteſt eſſe obligatus ratione rei acceptæ, niſi accipiat rem ipſam.

D.Th 2. 2. q. 62. art. 3. idem ſupponunt Scotus, & alij.

32 Quod euidentius patet in acceptione iniuſta. Nam qui furatur centum, non tenetur ſoluere centum, eo quia habeat centum, deinde quia iniuſtè accepit centum; Sed facta reſtitutione centum, vel ęquiualentis ſi non habeat illa centum, perfectè reſtituit. Vbi eſt obſeruandum, vt rectè notauit Molina diſp. 715. & eſt doctrina communis, quod in actione mala, & iniuſta duo ſunt. Primum eſt damnum illatum, vt ablatio rei, mutilatio, infamatio, & huiuſmodi. Secundum eſt iniuria qua per actionẽ illam proximus afficitur, & ſimul Reſpublica, & bonum publicum offenditur: & hæc duo diuerſa ſunt. Nam poteſt contingere, quod quis iniuria afficiat proximum abſque lęſione, & acceptione bonorum proximi, vt qui facit iudicium temerarium de actione proximi, eum iniuria afficit, neque tamen bonum aliquod illius aufert. (ſuppono quod non procedat ad infamandum) Et graſſator è conuerſo rapiens centum proximo maiorem iniuriam facit, quàm qui occultè furatur centum, & ſic de aliis. Ad propoſitum eſt regula generalis, quod offendẽs proximũ actione iniuſta tenetur ad reſtitutionem ipſo facto, quò ad damnum illatum bonis proximi; nõ autem quantum ad iniuriam illatam; ſed quantum ad iſtam non tenetur, niſi poſt iudicis ſententiam. Et ratio eſt, quia emendare iniuriam pertinet non ad iuſtitiam commutatiuam propriè, ſed ad vindicatiuam, quæ pertinet ad Principem, & iudicem. Vnde qui offendit iniurioſa actione proximũ, fit reus ſeu obligatus ad pœnam, quàm iudex poteſt, & debet ad inſtantiam offenſi afficere reum; offenſus enim

habet solùm de iustitia ius agendi in reum. Non ergo reus tenetur ratione actionis iniuriosæ restituere aliquid offenso, sed solū ex charitate veniā petere, & se recōciliare, iuxtà illud Christi Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod proximus habet aliquid aduersum te &c. vade, & reconciliare prius fratri tuo &c.* Tenetur autem tantum ratione rei acceptæ, siue damni illati, & facta restitutione rei, & damni illati quantum ad bona, ad nihil amplius de iustitia commutatiua tenetur: ergo absurdum est dicere, quòd ratione actionis iniustè teneatur ad restitutionem distinguendo obligationē restitutionis à ratione actionis malę ab obligatione restitutionis, ratione rei acceptæ. Et hoc fortasse non cōsideratum, fuit causa, vt distingueretur ratio obligationis restituendi in rationē rei acceptæ, & in rationem acceptionis ab auctoribus prædictis.

Fundamentū D. Th. & Caietani soluitur.

33 Quòd autem dicunt D. Tho. eodem loco ad primum argumentum, & Caietanus ibi eum qui abstulit rē alicui, & illam non habet, sed transtulit in alium, obligari ad restitutionem ratione acceptionis, non rei acceptæ, quia illam non habet; alterum verò, qui rem habet, obligari ad restitutionem ratione rei acceptæ: ex quo colligit Caietanus esse differentem obligationem ratione acceptionis ab obligatione ratione rei acceptæ, nihil est. Nam neque in hoc casu sunt duæ obligationes distinctæ, sed vna, & eadem ratione rei acceptæ vario modo pertinens ad has duas personas. Vterque enim tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ: quia qui transtulit eam, primò eam acceperat; qui autem eam habet actu, secundò accepit eam: ideò facta vna restitutione illius rei omnes soluūtur ab obligatione restitutionis. Si enim qui habet rem alienam, eam restituat actu, qui primò eam abstulit, & transtulit, non tenetur amplius ad restitutionē; neque qui rem habebat. An verò qui rem habebat, & restituit, habeat actionem aduersus eum, qui ei rem illā dedit, vel non, pendet ex dicendis de possessore bonæ fidei, & malæ fidei, de quibus infrà.

Distinctio de obligatione ad restitutionē ratione rei acceptę, vel ratione acceptionis, potest habere bonū sensum.

34 Potest tamē distinctio hæc de obligatione ratione rei acceptæ, & ratione acceptionis iniustè habere bonum sensum scilicet si intelligatur, quòd qui habet, & detinet actu rem alienam dicatur obligatus ad restituendum ratione rei acceptæ: qui verò damnum dedit bonis proximi, nihil tamen vtile sibi accepit, nec detinet, dicatur obligatus ratione acceptionis: quia scilicet per actionem illam imputatur sibi obligatio restitutionis, ac si rem illā apud se haberet; & in hoc sensu conceditur; sed ipsi eam in hoc sensu non intelligunt: quia tunc ratio acceptionis iustæ non habet locum.

Radix restitutionis secundū Scotum.

35 Est ergo dicendum cum Scoto vnicā esse radicem restitutionis, & illam esse rationem rei acceptæ, vel detentæ, intelligendo per rem omne bonum proximi quocunque titulo iusto sibi debitum, & damnum huiusmodi bono illatum. Vel magis ad literam Scoti possumus dicere duas esse radices omnis obligationis ad restitutionem (quæ tamen ambę se tenent ex parte rei acceptæ) nimirum ablationem, & detentionem rei alienæ: omnis enim obligatio restitutionis reducitur ad hoc, quòd quis vel abstulit rem alienā, siue illā actu habeat, siue non: vel quia actu illā habet inuito domino. Et certè hic modus dicendi est facilis, & certus. Hęc opinio magis explicatur, & confirmatur explicādo, quis teneatur ad restitutionem. Hoc ergo explicans Scotus ponit hanc conclusionem.

Conclusio Scoti.

Differētia inter præceptum charitatis, & iustitiæ.

36 *Quicunque abstulit, vel detinet alienum, tenetur restituere.* Ex hac maxima elicitur differentia inter præceptum charitatis, & iustitiæ: potest enim aliquis debere aliquid proximo dupliciter; nimirum ratione charitatis. Alio modo ratione iustitiæ. Si non facit proximo, quod illi debet ratione charitatis peccat quidem, sed non tenetur ad restitutionem. Si verò non facit proximo, quod illi debet ratione iustitiæ peccat, & tenetur ad restitutionē. Ideo regula generalis adducta habet fundamentū in præcepto iustitię. In hac regula aūt per eum, qui abstulit, vel detinet, intelligitur non solùm principalis, qui rē abstulit, sed quicunque consensum præbuit, & operatus est ad ablationem, & detentionē illius rei, vel eiusdem damnificationē, & sunt illi, qui continentur in prædictis duobus versibus (qui enim ad quodcunque delictū aliquo illorum nouē modorū concurrunt, fiunt rei illius delicti.)

Qui cōcurrunt ad aliquod delicta nouem modis, fiūt rei illius.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans. Totū hoc declarat, & probat Scotus sic. Potest quis auferre rē alienā (& idē dic de detinere) Primò, vt causa superior, idest præcipiendo alicui, vt aliqoid furetur &c. Secūdò, vt causa proxima immediata, & hic est principalis, qui aufert rem alienam. Tertiò, vt causa coadiuuans, seu vt socius, & hoc cōtingit octo modis, scilicet consulendo, cōsentiendo, palpando, seu adulando aliquem quasi strenuum de hoc, quod aliena accipit; receptando personam eius, & aliquo modo præbendo recursum; participando rei alienæ, vt socius; tacendo, vt mutus cum verbis, vel consilio posset impedire; non impediendo cum posset sine discrimine suæ personæ, & status; & denique non manifestando rem alienam, cum similiter posset sine periculo personæ, & status sui. Hæc sunt quæ illis duobus versibus continentur, & intelliguntur tàm de auferente rem alienam, quàm de detinente inuito domino.

Regula breuis cognoscendi vndè oriatur obligatio ad restitutionem.

37 Breuiùs tamen Scotus assignat hanc regulam ad cognoscēdum quis teneatur ad restitutionem; & est hęc. Omnis obligatio ad restitutionem reducitur ad auferre, vel detinere, & hoc vel vt causa principalis, vel proxima, vel coadiuuans, vel inducens, vel non impediens, quando eius esset ad bonum Reipub. & sine periculo personæ, impedire. Omnes ergo concurrentes ad obligationem, vel detentionem rei alienæ modis prædictis tenentur ad restitutionem. Verùm circa omnes istos modos in communi, & secundùm vnumquemque modum in particulari sunt quædam obseruanda, vt cognoscatur quando, & quomodo vnusquisque teneatur ad restitutionem, quæ nunc infrà explicabuntur hac assertione probata.

Ratio Scoti pro asserta conclusione.

Agentes, & consentientes pari pęna puniuntur.

38 Probat ergo Scotus, quod omnes isti teneantur ad restitutionem per illud 2. q. 1. cap. *Notum sit*, vbi habetur hæc maxima. *Facientem, & consentientem par pœna constringit.* Quæ maxima est verissima, & desumitur ex dicto Pauli ad Romanos 1. in fine. *Qui talia agunt digni sunt morte non solùm, qui ea faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus.* Prædictis autem versibus contenti sunt consentientes cum eo, qui rem alienam accipit, vel detinet: ergo non solùm, qui immediatè, & proximè accipit rem alienam tenetur ad restitutionem; sed omnes comprehensi prædictis duobus versibus. Hæc est probatio communis, & doctrina omnium.

Consensus efficax expressus, vel interpretatiuus est necessarius.

39 Circa autem personas contentas in illis duobus versibus, quæ obligantur ad restitutionem ex cooperatione. Primò obseruandum est requiri consensum efficacem expressum, vel interpretatiuum: hoc patet, quia omnis actualis operatio ad extra oritur ex efficaci decreto voluntatis, nunquam autem ex inefficaci: ideo ex inefficaci volitione nunquam sequi potest ablatio, vel detentio rei alienæ, neque cooperatio ad illam. Hanc conditionem ponit expreśsè Scotus, & alij eam supponunt. Quis autem sit consensus expressus, patet. Est enim quando quis vltimata voluntate, & omnino determinatè vult, & expressè præcipit, consulit, &c. rapere, non soluere, damnum inferre &c. Consensus tacitus, seu interpretatiuus est, cū quis facit aliquam actionem, vel dicit aliqua verba, ex quibus intelligitur eum efficaciter velle, quod quis alteri rem auferat; non soluat, damnum det &c. Vt si dominus famulo, vel filio, aut alteri, qui eius subsit imperio, dicat, *non placebis mihi, nisi aliquid noui feceris*, vel, *coram me non appareas, donec noscam aliquid noui de te*, vel aliquid simile, quo illi occultam mentem suam significat. Quod dictum est de mandante, seu iubente, idem dicendum de alijs iis versibus contentis.

Consensus expressus, quis.

Consensus interpretatiuus quis.

40 Secundò obseruandum est ad hoc, vt isti teneantur ad

tur ad

1. Cōditio est, quod cōsensus sit verè causa ablationis rei.

tur ad restituendum non solùm requiri eorum consensum expressum, vel tacitum efficacem, sed esse necessariū, vt ille consensus sit causa vera, & realis ablationis, vel detentionis rei alienæ, ita quòd qui aufert, vel detinet rem alienam verè fuerit motus, & inductus ex illo mandato, consilio, adulatione &c. Nam licèt sequatur ablatio, & detentio rei, & isti consenserint; si tamen qui rem aufert, & detinet, non moueatur ex consensu illorum, vel illius, sed aliunde, vt ex odio particulari, vel ab aliqua alia re, illi, vel ille non tenetur ad restitutionem. Ratio est euidens: quia tunc non est causa, neque concausa ablationis, vel detentionis rei: & ideò non comprehenditur sub illa maxima, & sic non tenetur ad restitutionem. Hanc conditionem ponunt omnes, & hic est germanus eius sensus, quem optimè explicauit Scotus, nimirum illum teneri ad restitutionem, qui est causa vera, & influens in ablationem rei tanquam concausa vera; ita quod si ablatio non pendeat ab eius causalitate, vel concausalitate, sed aliunde, non tenetur ad restitutionem.

41 Neque puto aliquem ex antiquis dissentire. Sensus enim ille, quem Caietanus 2.2. quæst. 62. ar. 7. & Soto lib. 4. de iustitia, q. 7. art. 5. tribuit nonnullis, quod ille teneatur ad restitutionem, qui est causa sine qua non; ille autem qui est vera causa, licèt sine ipso fieri potuisset, non teneatur ad restitutionem; est adeo absurdus, vt non possim satis mirari in mentem virorum Doctorum venisse, quod perspiciens Azorius nititur omnes concordare; Vnde Doctores antiquos lib. 4. cap. 19. quæst. 1. dicit esse intelligendos in sensu nostro exposito; & hoc modo soluit obiectiones Caietani, & Soto. Sed quidquid sit de mente illorum Doctorum, quia Adrianus quæstiuncula de concurrentibus cum fure, & multi alii in eum sensum verè propendunt, certè illa opinio est aliena ab opinione Scoti, & communi. Vnde malè Molina disp. 736. citat Scotum pro illa opinione. Nam licèt dicat consilium &c. debere esse causa, propter quam fiat ablatio, sine qua non fieret ablatio, illud sine qua non fieret ablatio, non se tenet copulatiuè; ita quòd sit sensus, quod debeat esse non solùm causa, sed causa sine qua non; quasi quod esse causa solùm, non sufficiat, vt quis sit obligatus ad restitutionē insolidū; sed illa particula se tenet explicatiuè: Vult enim significare, quòd debet esse causa vera, & realis: causa enim vera, & realis est, qua posita ponitur effectus, & qua ablata aufertur effectus. Vult ergo dicere, quod debet esse causa vera, & realis; ita quod sine ipsa non fieret, idest ipsa ablata non poneretur effectus in esse per ipsam; ita quòd etsi poneretur in esse, non tamen poneretur in esse per ipsam: quia ablata causa vera aufertur eius verus effectus. Est ergo clarum, Scotum asserere, eum teneri ad restitutionem, cuius consilium, iussio &c. est causa vera ablationis; ita quòd realiter influat in ablationem, siue sine illa adhuc fieri posset, siuè non. Quod patet ex ratione adducta à Scoto, quæ est, quia agentes, & consentientes pari pœna puniuntur; sufficit ergo, quod consentiat, & eius consensus sit causa ablationis. Idem aperte habet Alexander Alensis, 4. p. q. 24. memb. 5. art. 3. §. 4. & D. Thomas, 2.2. q. 62. art. illo septimo eodem modo quo Scotus intelligendus est: Nam in fine apertè asserit, quod consiliator, & adulator tenentur ad restitutionem, solùm quãdo probabiliter estimari potest, quod ex eiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsecuta. Et licèt hoc dicat de consulente, & adulatore; tamen conspicitur idem intelligere de aliis.

Molina malè citat Scotum.

An ille cuius nomine res est ablata teneatur ad restitutionem.

42 Ex his soluitur dubium cogitatum à Doctoribus, An si quis existimans rem gratam facere domino suo, vel alicui alteri auferat, vel detineat rem alienam, vel aliquod damnum inferat alicui nomine domini sui, vel alterius, absque tamen expresso, vel tacito consensu domini sui, vel illius, cui existimat rem gratam facere ille cuius nomine res est ablata &c. teneatur ad restitutionem, saltem si postquam res est ablata, vel damnum est illatum, ratum habeat id, quod factum est. Siluester verbo *Restitutio* 3. q. 6. assertione secunda, Angelus verbo *furtum* §. 20. Paludanus in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. quem sequutus est Siluester, Nauarrus in Man. cap. 17. num. 133. & alij dicunt teneri ad restitutionem. Pro hac opinione adducit multa Nauarrus, præsertim quia ratihabitio secundùm ius ciuile, & canonicum æquiparatur mandato, vt habetur lib. 6. de regulis iuris, cap. Ratihabitionem in Glosa casu 3. Contrariam sententiam tenent Medina de restit. q. 7. ad quartum, Molina disp. 729. & quidam alij; & hæc secunda opinio proculdubio est vera, quoniam ratihabitio sequens nō fuit causa ablationis rei, vel damni, &c. cum causa necessariò debeat præcedere effectum, non subsequi. Regula autem iuris adducta in contrarium valet in contractibus primis cum alio celebratis nomine alicuius, vt loco citato optimè monuit Molina: ex ea enim, quod quis aliquem contractum celebrauit nomine vnius cum altero illo insciente; si tamen postea re scita, ille cuius nomine celebratus est contractus, illum ratum habeat, iura statuerunt, illam ratihabitionem habere locū mandati, & se habere perinde, ac si à principio mandasset: ideò ad præsentem casum non facit, neque nobis obest: Quia non sequitur ex hoc, quod ratihabitio sit vera causa actionis illius, sed solùm, quòd ius statuit vt pro tali habeatur: in casu autem nostro in foro conscientiæ non requiritur, vt pro causa habeatur, sed quòd vera causa sit.

Ad illum casum tertium ex Glosa respondetur ex illo haberi per ratihabitionem incidi in pœnam eandem, vt in excomm. in quam quis incideret, si esset causa vera, & propria; non autem facere, vt ille à principio quo actio mala est commissa, fuerit in culpa, & excommunicationem ex illo tunc inciderit; sed solùm quando ratam habet actionem, incipit culpa; & tunc iura volunt eum incidere in pœnam excommunicationis, & similes secundùm qualitatem delictorum.

43 Quod verò ait Molina eadem disp. 729. num. 6. si quis credat alterum nomine suo damnum alteri esse allaturum; neque impediat eum cohibendo cum possit, illi significando se nolle, vt illud damnum inferat, teneri ad restitutionem mihi non placet, propter ablatam causam: quia ille non est causa talis actionis iniustè cum in illam non consentiat.

44 Quòd verò dicit Molina teneri, quia non prohibet, cum possit, nihil est: quia ille, qui non prohibet tunc, solùm tenetur ad restitutionem quando ex officio illi incumbit prohibere, non autem quando ex officio publico illi non incumbit, vt omnes tenent, & nos infrà explicando tres vltimas particulas illorum duorum carminum dicemus. Neque quòd adducit ex Nauarro in Manu. c. 27. num. 231. quod ille fit irregularis, qui iniuria affectus scit amicos suos occidere, vel deformare iniuriantem, & non impedit cum possit; facit ad rem: Tum quia non credo eo casu aliquem incurrere irregularitatem; quoniam ille non est causa homicidij, nisi interpretatiuè cōsentiat; Nauarrus autem tenet incurrere, quia tenet, quod ratihabitio sufficiat ad obligandum ad restitutionem: illa autem non prohibitio videtur quædam ratihabitio; sed hanc opinionem reiecimus. Tum quia lata est differentia inter credere, quod aliquis sit allaturus damnum, & non moneat, & inter actualem illationem damni, & non prohibere; hoc enim secundum est quid maius: ideò si hoc casu incurreret, non sequitur tamen, quòd in priori. Denique aliud est loqui de incursu in pœnam irregularitatis, & de obligatione ad restitutionem, ex ablatione rei alienæ, vel damnificatione; nam ad hanc requiritur, vt qui obligatur sit vera causa, non ficta damnificationis; ad irregularitatem verò incurrendam sufficit fictio iuris, vel eius dispositio: ideò non est par ratio.

Qui credit & non prohibet nomine suo fieri malū, nō tenetur ad restitutionem.

45 Tertiò obseruandum est, quod etsi omnes comprehensi in illis duobus versibus, simul cum illo, qui principaliter abstulit rem alienam inuito domino, sint causa illius iniustæ acceptionis, tamen sunt causa differenter. Nam priores septem sunt causæ positiuę, & semper obli-

Omnes cōcurrētes ad ablationē rei alienæ qualiter peccant.

Tres vltimi solùm tenentur cùm obligantur ex officio.

gantur ad restitutionem; tres verò vltimi sunt causæ priuatiuè, & non obligant semper, sed solùm quando quis tenetur ex officio. Inter eos autem septem, qui positiuè sunt causa ablationis, vel detentionis iniustę rei alienæ, vnus magis peccat quàm alter. Nam iubens, qui est causa principalis, magis peccat: quia causa superior semper plus influit, quàm causa inferior: qui autem exequitur iussum superioris est causa inferior. Reliqui deinde etiam minus peccant: quia sunt concausæ, & coadiutores executoris, seu illius qui proximè, & immediatè est causa ablationis rei. Et denique tanto magis vnusquisque peccat, quanto magis influit, & concurrit ad causalitatem ablationis rei: potest enim aliquis suo consilio ita inducere aliquem ad actionem malam, vt possit dici causa principalis illius actionis malæ, vt si quis inductus consilio alterius ad actionem malam, ad quam egrè ipse concurrit; tamen vel vt placeat amico, vel stimulis inductus, illam facit.

Omnes tenentur ad restitutionem in solidum.

46 Quantum tamen ad restitutionem omnes in solidum tenentur secundùm communem sententiam Doctorum. Vnde Scotus adduxit tres versus communiter admissos. Quorum primus hanc obligationem apertè continet est enim iste. *Quilibet in solidum reddat prius iniuriato. Iussio consilium*, &c. Scotus autem rem hanc totam breuiter absoluit tribus dictis. Primum est istorum omnium quilibet tenetur ad restitutionem in solidum. Obligari autem ad restitutionem in solidum est vnumquemque obligari ad soluendum totum, si alij non soluant suas partes. Secundum vno restituente omnes alij liberantur à debito in comparatione ad illum damnificatum. Tertium tamen alij tenentur pro rata portionis, quæ eos contingit, illi, qui omnibus satisfecit. Primum assertum probatur ex illa ratione principali: quia agentes, & consentientes pari pœna puniuntur, & omnes conueniunt. Secundum etiam assertum omnibus est commune: & est euidens; cum enim illi, cui res ablata fuerat, facta est restitutio totius rei, & damni illati, nihil amplius illi debetur, neque enim ex illa actione iniuriosa debet fieri locupletior, & eius bona augeri; sed iustitiæ satisfactum est, cum sibi est restitutum totum, quod illi ablatum fuit. Tertium assertum quoque est verum; & ratio est, quia qui restituit, induit personam damnificati, & soluit, quod alij debent: ideò id, quod damnificato debebant, tunc tenentur dare ei, qui pro ipsis damnificato satisfecit.

1. Concl. Scoti.
Quid sit obligatio in solidum.
2. Concl.
3. Concl.
1. Assertũ Scoti probatur.
2. Assertũ probatur.

An vno restituente pro omnib. cæteri ipsi satisfacere teneantur.

47 Circa hoc tertium tamen est aliqualis difficultas. Angelus enim in Summa verbo *furtum*, §. 16. & alij citati à Medina, quæst. 8. de restitutione, tenent, vno restituente alios in conscientia non teneri illi aliquid restituere, sed debere partem suam dare pauperibus. Ratio primi est, quia causa est turpis, & ille fuit concausa talis damnificationis: ideò est indignus, vt illi satisfiat. Ratio secundi est, quia cum sit res aliena non possunt illam sibi retinere. Sed hæc opinio à Gabriel Biel in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. dubio 2. & ab alijs meritò reijcitur, quia tunc sequeretur, quòd qui solueret pro alijs satisfaciendo damnificato fieret peioris conditionis, quàm alij, qui non satisfecerunt damnificato, quòd est absurdum. Consequentia probatur: quia ille satisfecisset in totum; reliqui verò solùm satisfacerent pro parte sua eam erogando pauperibus.

An restituẽte principali, reliqui ei satisfacere teneantur.

48 Hac ergo opinione reiecta est difficultas ex alio cap. Nam quando restituit principalis, vt qui iussit, si est superior, & rem totam ipse accepit, reliqui non videntur esse obligati ad restituendum illi aliquid, quia nihil acceperunt neque aliquid lucri perceperunt ex illa ablatione. Similiter si aliquis, vel iubendo, vel alio modo induxit ad illam actionem malam faciendam, vt ad damnum dandum, e. g. ad diruendum domum, vel segetes comburendum, & quid simile, ex quo nihil vtilitatis eis accessit, si inducens restituit, non videntur alij obligati ad restituendum illi aliquid. Respondetur, consentiunt omnes, quando res ablata est diuisa inter socios, illas teneri pro rata parte rei acceptæ satisfacere ei, qui damnificato integrũ

Solutio.

damnum recompensauit. Si verò principalis, seu qui totam rem, & vtilitatem accepit, restituat, nullum alium teneri ad restituendum illi, si quidem nullam rem illius acceperunt, nec ipse ex hac restitutione nulla in re damnificatur.

49 At si res ablata non maneat, sed sit consumpta, vt contingit in damno dato, quando domus diruitur, vel segetes comburuntur est difficultas. Caietanus, 2. 2. q. 62. artic. 6. Molina disp. 337. eum sequutus, & aliqui alij dicunt esse distinguendum. Nam vel omnes æquè se excitauerũt ad illud malum faciendum, vel aliquis, aut aliqui fuerunt principales, qui induxerunt alios; & tunc dicunt, quod in primo casu omnes tenentur æquè, & si vnus satisfaciat damnificato, alios pro rata obligari ad restituendum illi. Secundo modo verò si principalis satisfecit, alios non teneri, quia ipsi non damnificauerunt illum, vel illos principales: sed potius ab illo, vel ab illis damnificati fuerunt, dum inducti sunt ad actionem illam malam: ideò illi nihil debent restituere.

Assertio Caietani, & quorũdam aliorum.

50 Tamen hæc sententia non videtur approbanda, sed etiam in hoc casu videntur teneri ad restitutionem principali pro rata parte damni dati. Ratio desumitur ex eodem fundamento: quia etsi inducti sint à principali, tamen voluntariè consenserunt in damnum illatum; agẽtes autem, & consentientes pari pœna puniuntur: At si non tenerentur ad satisfaciendum illi, non punirẽtur pari pœna. Præterea si principalis illis attulit damnum inducendo illos ad actionem illicitam; illi quoque attulerunt ei damnum consentiendo, & adiuuando eum ad rẽ malam. Quòd tetigit Soto loco citato ar. 3. in responsione ad secundum, & Azorius lib. 4. cap. 19. q. 4. licèt in resolutione deinde parum sibi constans senserit cum Caietano: cum ergo sibi inuicem sint causa mali, & damni, sunt enim socij; non debet istis suffragari, quod ab alio sint inducti: erant enim liberi, & tenebantur non consentire; proinde ad restitutionem pro rata parte tenentur. Verum est non teneri ad tantum restituendum, quantum ille principalis, quia non fuerunt tanta causa sicut principalis: quia tamen fuerunt aliqua causa, pro rata illius cõcausalitatis, quę secundùm prudentiam viri boni esset iudicanda, tenentur ad restituendum principali, qui pro omnibus damnificato satisfecit. Et licèt D. Thomas videatur fauere Caietano, & alijs eiusdem opinionis 2. 2. q. 62. ar. 7. in responsione ad secundum, dum dicit, quod *qui sunt principales in facto, & ad quos res peruenit, tenentur alijs restituere, qui restituerunt*. De restitutione verò facienda ab alijs principalibus nihil dicit: tamen euidenter hoc non colligitur ex D. Thoma, licèt enim ponat illam affirmatiuam, quod principales tenentur restituere minus principalibus si minus principales restituant totũ; non tamen ponit hanc negatiuam, quam Caietanus, & alij ponunt, quod minus principales non teneantur pro rata portione restituere principalibus, si principales totum restituant. Vnde in hac re videtur D. Thomam fuisse dubium, vel noluit de hoc ferre iudicium. Quare cum ratio faciat pro nobis, dicendum est cum Scoto, & alijs eum sequentibus, vt Gabriele loco citato, Hoc tertium assertum esse vniuersaliter verum.

Reijcitur.

51 Quartò circa eandem restitutionem faciendã in solidum obseruandum est Molinam prædicta disp. 737. & Azorium eodem lib. 4. cap. 19. q. 2. & 3. & quosdam alios asserere hunc ordinẽ esse seruãdum in restitutione. Si aliquid eorum quæ ablata fuerunt, remanet apud aliquem prædictorum decem, eũ, apud quem manet, ante alios teneri ad restitutionem; post hunc illum, qui iniustè alienauit eam rẽ; & si isti restituant, alios nõ teneri ad restitutionem. Tertiò quando res omnino deperijt, si fuit aliquis mandans, ille solus tenetur ad restitutionem; & si ille restituat, alij ad nihil ei satisfaciendum tenentur, vt diximus puncto præterito. Quãdo verò nullus fuit principalis mandator, ille, qui fuit executor, seù qui proximè, & immediatè damnum dedit, vel rem abstulit, tenetur

De ordine seruãdo inter complices in restituendo.
Opin. Molin. & Azo.

netur ante alios restituere totum damnum; & illo restituente liberati sunt alij ab onere restituendi, tam damnificato, quàm ipsi exequutori, iuxta suam opinionem puncto præcedenti allatam. Alij verò qui exequutori auxilium præstant instrumenta parando, vt scalas, arma, & similia ad actionem iniustam, non tenentur restituere, nisi in defectu illorum. Si verò exequutor principalis non vult restituere, vel non potest, aliæ concausæ omnes æqualiter non vna ante alteram contribuere tenentur ad restitutionem.

Reijcitur allata opinio, quò ad aliqua. Ordo restituendi inter socios criminis est quò ad grauitatem, & obligationem, non quò ad tēpus.

52 Verùm in hoc ordine primò illa omnia falsa sunt, in quibus dicunt principalem teneri ad restitutionē, non alios: & si principalis restituat, alios minus principales non teneri ad resarciendum ei damnum pro rata eorum parte, vt puncto præcedenti probauimus. Quò ad id verò quod aiunt hunc ordinem seruandum esse inter ipsos, si intelligant de ordine, & prioritate temporis, ita quod prius tempore teneatur restituere vnus, quàm alter, est falsum: quia vt infrà videbimus agendo de *quando*, quicunque habet rem alienam, tenetur statim restituere, exceptis casibus ibi explicandis: proinde omnes isti æquè immediatè tenentur ad restitutionem quantum ad tēpus. Si autem intelligant hunc ordinem, quò ad grauitatem peccati, & quò ad intentionem obligationis, verum dicunt: quia magis obligatur ille, qui habet rem alienam apud se depositam vel seruatam, quàm alij qui in eius ablationem consenserunt. Et ratio est, quia res vbicunque sit, est sui domini: & proinde qui illam habet tenetur ad illam reddendā domino suo magis, quàm alij. Et alij tenentur in defectum illius, qui nollet eam restituere. Idem dicendum si ille, qui sic rem alienam ablatam apud se habebat, eam consumpsit, ille enim magis obligatur: quia ipse magis peccauit, quàm alij. Nam cæteri solùm peccauerunt in actione mala, sed iste in actione mala, & in consumptione ipsius rei. Et idem dicendum de alijs proportionaliter: quia qui magis influit in ablationem rei, magis tenetur, & ad plus quàm alij, vt diximus suprà; quàm autem grauius, & quantum plus vnus alio, iudicio prudentis est discutiendum. Si autem ille, qui habet totam rem alienam ablatam apud se, illam restituit, omnes manent liberi, tàm à restitutione ad damnificatum, quàm ad eum, qui restituit hac restitutione: quia sic restituēs nullum patitur damnum, ad quod resarciendum teneantur alij. Quantum autem ad ordinem prædictum temporis, certè dicendum est omnes teneri statim restituere, & quod vnicuique imputatur mora; non enim concausæ debent expectare, an principalis restituat, sed vnusquisque debet alios promouere ad restitutionem, quàmprimum prudenter fieri potest, eo modo quo infra explicando, *Quando*, dicemus; & alijs non restituentibus vnusquisque tenetur restituere totum: quia ex non conuenientia inter illos non debet per moram damnificari ille, cui inuito res est ablata.

Vnicuique imputatur mora.

Regula cognoscendi quātum vnusquisque debeat restituere.

53 Quintò notandum est, quòd ad intelligendum quantum damnum quique istorum concausantium debeat restituere, est semper respiciendum ad rem ablatā, & damnum datum, & videndum quantum vnusquisque in illud sua causalitate influxerit. Nam si influxit in totū effectum, seu totum damnum sua causalitate partiali, tenetur ad totum damnum reficiendum, vt dictum est. Si autem ipse non cooperatus est ad totū damnum neque ad totam rem ablatam, sed ad partem tantùm, tenetur restituere illam partem tantùm, non totum. Exemplum. Si aliqui conueniant simul furari totam vuam vineæ, ita quòd vnus sit iubens, & alter exequens, alter consentiens &c. Vnusquisque tenetur restituere totam vuam in solidum, vt dictum est. Si verò non conueniant ex condicto ad furandam totam vuam, nec vnus inducat alium, nec consentiat cum eo, sed vnusquisque ex semetipso accedat ad accipiendam vuam ex illa vinea ex eo, quod videt alium, vel alios eam accipere, & sic vnusquisque accipit partem suam ex se: nemo tenetur ad restitutionem totius vuæ, sed solùm eius partis quam accepit. Ratio est: quia nullus eorum influxit damnificationem alterius, sed suæ partis tantùm: ideò ad restitutionem suæ partis tantùm tenetur.

Possessor bonę, & malę fidei obligantur ad restitutionē diuerso modo.

54 Sextò obseruandum est præter prædicta decem genera personarum superius explicata, qui sunt possessores malæ fidei, etiam possessores bonæ fidei, qui habent, vel detinent rem alienam, obligari quoque ad restitutionem, sed tamen diuerso modo, vt dicemus sequenti capite agendo de *Quid sit restituendum*. Possessor autem bonæ fidei est, qui putat se esse dominum rei, quam possidet: quia eam iusto titulo possidet. Iusti autem tituli sunt habere aliquid ab alio pro donato, pro empto, pro hærede, pro legato, pro suo, & similia, vt qui possidet rem alienam, quia sibi donata est, putans esse illius, qui ei illam donauit, vel emit rem furto sublatam ab aliquo fure, putans non esse non furatam, & sic de alijs. Possessor malæ fidei verò è conuerso est, qui possidet rem alienam, sciens esse alienam, & malo titulo, vt actione mala; nimirum furto, rapina, fraude, contractu vsurario, vel alio aliquo modo iniusto acquisitam. Sub his autem duobus membris continentur omnes illi, quos cap. 1. huius disputationis num. 4. adduximus. Scotus autem, & cæteri Theologi solùm mentionem faciunt de his, qui pertinent ad possessorem malæ fidei, cuiusmodi sunt, qui duobus versibus suprà adductis cum accipiente immediatè continentur: quia de his, qui bona fide, seu iustè, & scienter tenentur ad restitutionem, vt contingit in ijs, qui ex contractu, vel quasi contractu aliquid proximo debent, patet ex dictis de ipsis contractibus. Maior difficultas est de ijs, qui mala fide, seù actione mala aliquid retinent, vel debent proximo, & ideò de his præsertim loquuntur.

Possessor bonę fidei, quis sit. Iusti tituli, qui sint.

Possessor malæ fidei quis.

55 Obseruandum est tamen, quod etsi tàm possessor bonæ fidei, quàm malæ fidei teneātur ad restitutionem, diuerso tamen modo tenentur, de qua re cap. sequenti agendo de *quid sit restituendum* dicemus.

De iubēte. An si iubēs reuocet mādatū quid dicendum.

56 Quantum verò ad quemlibet eorum, qui sunt cōcausæ ablationis rei alienæ inuito domino, in particulari circa iubentem, præter dicta nunc suprà notandum est, quod si iubens deinde reuocet mandatum, antequam damnum sit illatum, & reuocet expresè verbis, scripto, per internuntium, aut alia ratione, vel tacitè, vt ineundo amicitiam, aut affinitatem cum eo, cui iusserat inferri dānum (longus enim decursus temporis non sufficit ad tacitam reuocationem) si deinde sequatur damnificatio, omnes tenent mandantem non teneri ad restitutionem: quia hæc damnificatio tunc non ratione mandantis, sed nequitia mandatarij existimatur facta: ideo solus mandatarius, non mandans tenetur ad restitutionem. Sic Siluester, & Angelus vterque verbo *Mandatum*, num. 5. sequuti Bartolum, & Innocentium, cap. *ad audientiam* de Homic. subiungit Molina disput. 731. quod si tamen in mandato includebatur aliquod consilium, per quod motus mandatarius, non obstante reuocatione mandantis inferat damnum, mandantem teneri ad restitutionem, quia qui dat consilium, secuto damno, tenetur ad restitutionem semper, licèt, qui consulit reuocet consilium secundùm Panot. cap. *ad audientiam* num. vltimo, & Nauarrum in Man. cap. 17. num. 233. ratio eorum est, quia consilium datur vt instrumentum ei cui datur, vt illo vtatur tanquam negotium suum agens: ideò cum quis operatur aliquod malum per illud consilium, imputatur consulenti, tanquam præbenti instrumentum ad illud malum faciendum.

Opin. Molinæ.

57 Verùm hęc opinio mihi non probatur, quò ad hoc vltimum subiunctum à Molina: quia tunc ille, qui præbet instrumentum ad aliquod opus malum, est in culpa, quādo præbet ad hoc, vt illo instrumento malum illud efficiat; simplex enim traditio instrumenti, vt gladij, sinè ordinatione ad malum, non est culpabilis. At in casu quo qui dat consilium illud, deinde reuocat ante malum patratum, non censetur ordinare amplius illud instrumentum

Allata opinio reijcit.

tum consilij ad malum; Vnde si sequatur malum, non sequitur ex causa consulentis, licèt sequatur ex consilio eius, sed sequitur ex voluntate eius, qui accepit consiliũ, & ex sua malitia. Quod si dicas, si non dedisset consilium illud, non fecisset illud malum. Respondetur hoc concludere tunc præbentem consilium esse causam per accidens illius mali, sicut artifex, qui vendit gladium emẽti, est causa homicidij deinde secuti, & tamen non imputatur illi: quia non est causa per se, sed per accidens:

Reuocans mandatum nõ tenetur ad restitutionem, etiamsi deinde malum sequatur.

ideò communis opinio, quod mandans, quando reuocat mandatum ante malum sequutum, non teneatur ad restitutionem, mihi retinenda videtur vniuersaliter, siue includat consilium, siue non, ea potissimum ratione: quia dictum est omnes illas concausas obligari ad restitutionem, quando sunt veræ causæ, & influunt in actionem malam; in casu autem reuocationis non influunt nisi per accidens, quòd non ponit obligationem. Quòd magis confirmabitur in sequenti puncto agendo de consulente. Si autem mandans non reuocet mandatum tenetur ad restitutionem omnis damni illati proximo huiusmodi mandato, etiam de damno illato casu fortuito, vt si Titius mandauit Caio, vt Seium occideret; Caius autem iusto errore ductus occidit Sempronium, non Seium. Similiter si mandauit, vt vulneraret, ipse verò occidit, præter voluntatem: quia non potuit ita prudenter cauere, vt

Mãdatorie net ad omnia damna secuta.

solùm vulneraret, & non occideret. Similiter si non potuit occidere Seium, nisi exurendo domum Pauli, in qua Seius erat, tenetur mandator ad omnia ista damna: quia potuit mandans cogitare hos casus accidere posse; & tamen mandauit: ideo sibi imputantur, licèt actu non cogitauerit: quia cogitare debebat. Sic Innocentius, & Abbas in cap. *Sicut de iure iurando*; & Io. Andreas regula *Damnum*. De regulis iuris in Mercurialibus in 6. & confirmatur ex illa regula dans operam rei illicitæ tenetur ad damnum datum.

De consulente.

58 Quò ad consilium notandum est sub consulente comprehendi eos, qui hortantur, instruunt, & dirigunt ad aliquod malum, damnum, & maleficium faciendum, & hoc est certum, & in hac significatione accipitur in præ-

De cõsilio in generali circa contractus.

senti. Nihilominus agendo de consilio in generali, etiam circa contractus notandum est, quòd potest contingere, quod aliquando dans huiusmodi consilium solus teneatur ad restitutionem totius damni ex illo sequuti non autem exequens, nec mandans, vt si quis consilium det alicui de damno inferendo, consulens esse iustum damnũ, & mandans, vel exequẽs inuincibiliter ignoret esse damnum illicitum; tunc sequuto damno, exequens, vel mandans, quia bona fide intulit damnum iniustum, non tenetur nisi ad id quo factus sit locupletior, consulens verò ad damnum ipsum. Hoc modo possunt esse causa damni iniusti, & teneri ad restitutionem Consiliarij Principum, si consulant aliquam legem iniustam cõdere, vel tributum aliquod exigere, vel bellum inferre, vel aliquod simile malum facere. Idem dicendum de Aduocatis, Medicis, Doctoribus, Confessarijs, quos alij consulunt de rebus dubijs, & hoc simpliciter est verum, quando culpabiliter dant huiusmodi consilia mala.

An dans cõsilium perniciosum, non tamen fraudulenter teneatur ad restitutionem.

59 Verùm est difficultas, An quando consilium non est fraudolentum, tamen est perniciosum, & causa damni, an consulens teneatur ad restitutionem damni illati. Nam aliqui distinguunt, quod vel consulens se sua sponte ingerit non vocatus; & tunc tenetur de colpa lata, leui, & leuissima: Vel consulens est rogatus, & tunc vel est talis cui ex munere, & officio competere solet dare consilium, vt Aduocatus, Doctor in Theologia, iure canonico, vel ciuili publicè docens, & hos dicunt teneri de culpa lata, & leui, non tamen leuissima, vt si ex ignorantia, negligentia, & huiusmodi; & hoc si ex illo consilio intendant commodum etiam suum: at quia stipendium accipiunt ex illo cõsilio; si verò non intendant stipendium, & commodum proprium, sed solùm illius cui consulunt, teneri ex culpa lata tantùm. Vel sunt personæ, quæ non profitentur circa huiusmodi res tantam peritiam, & isti tenentur solùm de

Solutio.

dolo. Mihi placet opinio Ioa. Andreæ in c. *Nullus*, de regulis iuris in 6. quam etiam sequitur Azorius lib. 4. c. 11. q. 6. & 7. qui asserit simpliciter dantem consilium non teneri ad restitutionem, nisi de dolo. Hæc enim opinio habet pro se expresè regulam illam 62. prædictã de regulis iuris. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, quod declarat aperte Glosa in eãdem regulam. Et ratio regulæ est clara: quia nemo ex consilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui dabitur, quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. Et hoc, vt dixi, est verum de consilijs citra maleficium: quia de illo nullum est dubium obligari ad restitutionẽ, vt dictum est suprà.

A a consulens, sed reuocans cõsilium teneatur.

60 Sed difficultas est, vt superiori puncto dicemus agendo de mandante; An si consilium dans ad maleficium, vel etiam fraudolentum reuocet consilium ante malum sequutum, consulens teneatur ad restitutionem. Aliqui enim dicunt etiam post reuocationem teneri, si malum subsequatur; quæ tamen opinio mihi non probatur: quia vt dixi pro tanto consulens tenetur ad restitutionem, pro quanto est causa efficax, & volens damnificare illo consilio; at cum reuocat consilium, cessat influxus ille efficax in damnum proximi: ideò non sibi, sed exequenti debet imputari in conscientia. Hanc sententiam apertè tradit Azorius lib. 4. cap. 11. q. 2. tamen q. 4. appositum sequitur; Vnde sibi non constat. Et confirmatur: quia tunc sequeretur, quod pœnitere de consilio dato nihil pœnitenti prodesset. Consequentia patet: quia exequens non obstante pœnitentia consulentis posset damnum inferre, in quo damno, vt concausa concurreret ipse consulens licèt inuitus, & sic inuitus peccaret, & teneretur ad restitutionem.

De consentiente.

61 Quò ad consentientem est difficultas quis intelligatur hic per consentientem. Azorius lib. 4. cap. 12. in principio inquit, quod per consentientem hic intelligitur qui ratum habet maleficium suo nomine factum, & hac ratione, quia ratum habet teneri ad restitutionem; sed hoc malè explicatur ab eo. Nam, vt supra diximus,

Opinio Azorij reijcitur.

omnes contenti in illis versibus pro tanto obligantur ad restitutionem, pro quanto sunt causa efficax, & verè influens in dationem damni; at qui ratam habet damnificationem facto iam subsequuto, non fuit causa talis damnificationis, ideò non tenetur hac ratione ad restitutionem. Verum est quidem, quod si illa ratihabitio est deinde causa, vt damnum non recompensetur, vel ablatum non restituatur: tunc hac ratione obligatur ad restitutionem, vt in progressu eiusdem capitis concedit ipse Azorius; & hoc modo intelliguntur auctores ab eo citati. Per consentientem ergo intelligitur ille, qui per consensum suum est causa damni influendo in illud positiuè, vt si quis vellet inferre aliquod damnum proximo, & non posset, vel non vellet sine consensu alterius, & ille alius præstaret consensum ad illud damnum, ille esset consentiens, vt loquimur in proposito: non autem omnis ille, qui quouis modo consentit, vt si quis videns aliquos damnificare aliquem, dicat facite quod vultis, ego per me tacebo, & similia, nisi ex officio teneatur impedire: quo casu pertineret ad particulam, *non obstãs*, de qua infrà.

De suffragijs ferẽdis

62 Consensus in damno dando, impediendo, vel ommittendo, locum habet maximè in ijs, quæ per suffragia decernuntur, vt in Collegijs, Vniuersitatibus, & Communitatibus: omnes enim qui suffragio suo consentiunt in damnificationem alicuius, tenentur ad restitutionem insolidum, vt dictum est de alijs. Sed hoc est verum, quando requiritur suffragium omnium; tunc enim omnes causam damni dant. Quando verò sufficit maior pars, si reliqui sciant iam expletum esse numerũ requisitum, vt contingit, quando suffragia publicè feruntur, consentiant, peccant quidem: tamen non tenentur ad restitutionem, nisi essent tantæ auctoritatis,

quod

quod possent irritam facere, vel reuocare deliberationē factam, vel ad ipsos spectaret confirmare decretum, ita quòd sine eorum consensu determinatio facta non haberet vim. Quo sensu intelligunt communiter Doctores: ex quo cessant obiectiones Molinæ disp. 73 a. contra Medinam: quia tunc non influunt in damnum. In suffragijs verò secretis vbi non potest sciri, An numerus requisitus sit expletus, vel non, omnis, qui consentit, siue sit primus, siue vltimus, tenetur; Quæ est doctrina Nauarri Man. cap. 17. nu. 21. & aliorum communiter, & nullam habet difficultatem.

De Palpante.

63 Quò ad Palpantem nihil aliud dicendum occurrit nisi quod nomen palpantis etsi propriè significet adulatorem, seù laudatorem malefactoris, vel maleficij, & damnificationis; tamen in præsenti significat quemcunque nedum laudantem, sed etiam irridentem, vel numerantem, vel exprobrantem alicui ignauiam, pusilanimitatē alicuius, & hoc modo promouet aliquem ad maleficium, & damnificationem proximi, vt e. g. si quis moneat aliquem ad vindictam proponendo ei nobilitatem familiæ, gesta suorum maiorum; vel illi exprobrando initriam illatam à proximo, vt adulterium vxoris, cędem patris, vel fratrum, aut alio aliquo modo excitet ad damnificationem, tenetur ad restitutionem insolidum, sicut dictum est de alijs.

De Recursu.

64 Quò ad Recursum. Notādum est, quod nomine recursus hic intelligitur quicunque refugium, vel securitatem, vel aliquod receptaculum præstat malefactori, ex qua securitate malefactor mouetur ad faciendū maleficium. Et hæc assecuratio potest fieri, vel receptando personam, vel rem ablatam; & hoc vel verbis, vt inseruiendo pro exploratore nutibus, signis, & huiusmodi, eū monendo quomodo euadere possit à iudice, & ministris eius, ne capiatur facto maleficio; vel promittendo eum coram iudice, vel parte lęsa defendere, & factis eum defendendo, & similibus modis, quibus mouetur ad faciendum maleficium, vel facto maleficio detinetur, ne faciat debitam restitutionem, & satisfactionem.

De Participante.

65 Quò ad Participantes. Notandum est, per participantem intelligi quēcunque socium, adiutorem, & quomodocunque adiuuantem malefactorem ad maleficiū; potest enim quis esse particeps, quia participat de re ablata, iniustè; vel quia participat in actione mala, vt si simul cum eo vulneret, vel asportet rem alienam, vel adiuuando aliqua actione, vt ianuam ciuitatis, vel domus custodiendo, ne qui maleficium faciunt, lædantur, & multis alijs modis; & tunc tenetur ad restitutionem insolidum, sicut dictum est de alijs. Secus de illis, qui non participant in actione mala per se, sed per accidens, vt serui, qui dominis suis inseruiunt ad aliquam actionem, quæ ex se non est mala, sed tamen à domino ordinatur ad actionem malam, vt serui, qui ex præcepto dominorum deferunt pecuniam, vel aliquid aliud sicarijs, suis meretricibus, & similia. Ad quod etiam potest reduci casus, quò Christiani captiui in triremibus Turcarum remigādo inseruiunt Turcis ad rapinas, & alia damna; neque enim peccant; & consequenter non tenentur ad restitutionem, vt Azorius rectè contra Nauarrum in Manual. cap. 27. nu. 63. tenet lib. 4. cap. 15. licèt alio fundamento; sed illud, quod nos adduximus, est principale, vt diximus suprà agendo de scandalo. Si enim licet seruo parare mensem domino nolenti ieiunare, vbi non est tanta coactio, quanta est in Christianis remigantibus in triremibus Turcarum: quanto minus peccant ipsi Christiani inseruiendo Turcis in officio remigandi, quod est ex se indifferens ad bonum, & malum, licèt Turcæ illo vtantur ad malum? Præterea si licèt accipere mutuum ab vsurario parato ad vsuram ad subleuandam aliquam necessitatem temporalem, quare nō licebit remigare Christiano captiuo, ad fugiendas verberationes, afflictiones, & crudelitates, immò & mortem, quibus afficerentur nisi remigarent? non enim sunt coadiutores, nec causæ voluntariæ, sed coactè; vtuntur enim iure suo: quia funguntur officio sibi imposito, quod ex se non est peccatum, licèt ex accidenti ad illud sequatur peccatum aliorum.

An Christiani captiui inseruiētes Turcis ad rapinas teneantur ad restitutionem.

De Muto.

66 Quantum ad reliqua tria Mutus, non Obstans, nō Manifestans. Notandum est, per mutum hic intelligi eū, qui obligatus est ex officio ad loquendum, vt sua locutione impediat damnum, vel ablationem rei alienæ. Huiusmodi sunt custodes nundinarum, & aliarum rerum deputati publica auctoritate, vel ex speciali obligatione, ne alicui damnum inferatur. Isti si videant aliquem furari, vel damnificare, debent clamare, & denūtiare, vt sic furtum, & damnum impediatur. Per non obstans, intelligitur ille, qui factis potest impedire damnificationem, & ablationem rei, vt ministri publici, & custodes qui deputati sunt, vt factis damna impediant. Per non manifestans, intelliguntur ij, qui postquàm dānum est illatum, tenentur manifestare delinquentem, & damnificantem, vt res ablata suo domino restitui possit: ideò qui tenetur denuntiare damnificantem, & non denūtiat, vel requisitus in iudicio non manifestat reum, vt cogatur restituere, & huiusmodi, omnes tenentur ad restitutionem, quia censentur causa damni illati, cum possint, & deberent impedire, & non impedierunt.

De nō obstante.

De non manifestante.

Omnes isti tenētur ad restitutionem cū illis ex officio incūbit

67 Obseruandum est inquam, istos obligari ad restitutionem tunc solùm, quando ex officio tenentur loqui, obstare, & manifestare, quia cum ex officio sic teneantur, obligatio illa oritur ex iustitia: ideò non loquendo, non obstando, nec manifestando peccant contra iustitiam, & sic obligantur ad restitutionem. Quando verò non obligantur ex officio, & possent vitare damnum modis prædictis, loquendo &c. & non vitant, peccant contra charitatem: quia ex charitate debemus vitare malum proximi cum possumus debito modo; & quia peccare contra charitatem nō obligat ad restitutionem; hinc est, quod isti, qui ex officio non tenentur, si tacent, non obstent, nec manifestant, non tenentur ad restitutionem, quæ est sententia communis D. Thomæ 2. 2. q. 62. ar. 7. ad tertium, Scoti hoc art. 4. Alensis, & aliorum antiquorum, & recētiorum, exceptis quibusdam paucis, inter quos citatur à Molina disput. 371. Richardus in 4. dist. 15. ar. 1. q. 4. qui tamen ibi oppositum dicit, & sentit cum communi de non obstante, & non manifestante; & proinde idem dicere habet de tacente, cum non faciat vllam exceptionem. Solus Caietanus in summa verbo *Restitutio* cum Maiore in 4. dist. 15. quæst. 26. in fine tenet, eum, qui tacet quocunque modo, teneri ad restitutionem: quòd probat; quia, inquit, qui tacet cum loqui teneatur, facit contra iustitiam: qui autem videt aliquem damnificari, & potest impedire, & non impedit, tacet cum debeat loqui: ergo. Sed rectè reijcitur à recentioribus, quia hæc ratio Caietani petit principium; nam qui tacet, & ei ex aliquo officio speciali publico, vel obligatione particulari non incumbit, facit quidem contra charitatem, non autem cōtra iustitiam: vnde negatur, quod ille teneatur tentione iustitiæ, quæ sola obligat ad restitutionem, quod Caietano erat probandum. Tunc autem qui tenetur ex iustitia, quando habet rem alienam inuito domino, aut ex aliquo contractu obligatur ad aliquid faciendum, vel dandum: vnde in proposito, qui ex officio ad loquendum, obstandum, & manifestandum tenentur, obligantur ex iustitia, quia sic conuenerunt. Nec refert, si qui non obligatur ex iustitia; sed ex sola charitate, potens loquendo impedire, non loquatur, nec impediat ex odio quo damnificatum prosequitur: quia vt dictum est, odium non est causa restitutionis, sed iustitia; peccat ergo, sed non tenetur ad restitutionem.

Opinio Caietani reijcitur.

Confessarius ex ignorantia non præcipiens restōnē, nō tenetur ad restōnem.

68 Ex hac regula sequitur, Veram esse opinionē eorum qui asserunt, Confessarium ex ignorantia, vel culpa lata non monentem pœnitentem, vt restituat, quod restituere tenetur, non obligari ad restitutionem: quia Confessarius ad hoc non tenetur aliqua lege iustitiæ, sed sola

lege

lege charitatis monere. Neque eadem ratione patrem alimenta filio indigenti denegantem; Prælatum subdito; dñum seruo teneri ad restitutionẽ: quia peccant solũ contra pietatem, & charitatem, non contra iustitiam.

Prædicti tres non tenẽtur cum periculo vitæ, vel aliquo alio graui.

69 Obseruandum est etiam, prædictos tres teneri ad restitutionem, quando loquendo, obstando, & manifestando possunt impedire damnum proximi absque periculo vitæ suæ, vel aliquo alio suo graui periculo, vel sine maiori damno Reip. sic innuit D. Thomas 2.2.q.62.ar.7.ad 3.& Scotus apertè, loco citato, & communiter tenent Doctores omnes. Obseruant tamen aliqui hoc esse intelligendum regulariter: nam in aliquo casu contingere potest, quòd potestas publica obliget huiusmodi custodes ad impediendum damnũ prædicto modo, etiam cum discrimine vitæ, quod iuxta qualitatem damni, & obligationis esset iudicandum.

An custodes teneantur restituere pœnam delinquentiũ non manifestando eos.

70 Verùm occurrit dubium valde exagitatum, An custodes, quibus ex officio incumbit custodire res publicas auctoritate publica, teneantur ad restitutionem, seù ad soluendam pœnam, ad quam tenerentur damnificantes, si qui custodes non denuncient huiusmodi damnificatores, de qua quæstione agunt Medina de rebus restituendis q.12.& 15. Nauarrus in Man. cap. 21. nu.34. & alij citati ab ipsis, Molina disp.739.& Azorius lib 4.cap. 16. quæst. 4. & 5. & alij. Atque conueniunt obligari ad restitutionem pœnæ illi, cui ex lege conuenit: quia ex officio eis incumbit manifestare, & denuntiare huiusmodi deliquentes, & non denuntiando, sunt causa, vt pœna soluenda non soluatur ei, cui conuenit. Differunt verò, An teneantur ad restitutionem ante condemnationẽ, & sententiam, vel tantùm post latam sententiam aliquibus sequentib. primum modum dicendi, aliquibus secundum. Ego hac in re, citra præiudiciũ melius sentiẽtiũ, puto dicendum, quòd si custodes considerentur in ordine ad damnum, quod patitur proximus circa sua bona, vt circa direptionem vineę, segetum, & huiusmodi ex hoc, qđ custodes tacent, non obstant, nec manifestant, ipsos custodes proculdubio teneri ad restitutionem: hic enim est sensus intentus à Doctoribus in duobus prædictis versibus. Si verò considerentur in ordine ad damnũ, quod patitur Princeps ex eo, quod delinquens per damnificationem non soluit pœnam impositam huiusmodi damnificantibus, dico, huiusmodi custodes non denunciantes non teneri ad restitutionem, sed solùm fieri reos, & obnoxios pœnæ, quæ vel à lege statuta sit contra eos si non denuncient, vel pęnæ arbitrariæ Principi, si iam nulla ex lege statuta est; ad illam autem soluendam non teneri nisi post latam sententiam. Probatur hæc secunda pars (nam de prima nulla est dubitatio) quia pro tanto custodes sunt obligati ad restitutionem, pro quanto eorum tacere, non obstare, & non manifestare est causa illationis damni effectiuè; dum enim tacent, & non impediunt aliquem efficientem damnum, effectiuè quoque ipsi virtualiter damnificant, & influunt in damnificationem. At dum non manifestant, nec detinent malefactorem, non causant effectiuè damnum Principis, vel illius cuius pœna malefactoris competit, sed solùm deficiunt in hoc, quod non præbent medium Principi ad lucrandam pœnam illam; vnde sunt causa damni Principis quasi ad modum illius, qui est causa lucri cessantis alicuius. Clarum est autem quod ad hoc, vt quis teneatur ad restituẽdum lucrum cessans alicui, necesse est, quod qui lucrum cessans patitur, habeat illud lucrum certum, & in proxima dispositione; modò ex eo, quod quis deliquit damnificando Princeps ex simplici denunciatione custodum non habet certò, vel proximè pœnam, sed requiritur probatio delicti per testes, & sententia iuridica, quæ fortasse haberi non poterit; & consequenter malefactor pœnam soluere non tenebitur. Cum ergo custodes per huiusmodi non manifestationem non inferant damnum certum, vel in proxima dispositione constitutum Principi, vel alicui alteri, cui pœna illa obueniat; sed tantùm remotè, non est dicendum illos obligari ad restitutionem illius. Quod autem per hanc non manifestationem obnoxij fiant pœnę legis, vel mandati Principis, patet: quia agunt contra præceptum Principis, & iustitiam vindicatiuam, non commutatiuam (pressè loquendo) & ideò ratione inobedientiæ, & infidelitatis possunt pœna plecti, & facta sententia tenentur huiusmodi pœnam soluere, sicut contingit de alijs pœnis.

Quid sit restituendum. Cap. III.

71 Tertio loco agit Scotus cum alijs Doctoribus de eo, quod est restituendum, & breuiter Scotus ponit hanc regulam. *Quicunque tenetur ad restituendum non solùm rem ablatam, & vsum eius, sed etiam interesse, & fructus eius.* Hæc regula est communis, & omnes re ipsa conueniunt, licèt alijs verbis rem explicent.

Regula Scoti.

Quid intelligatur per rem ablatã.

Per rem ablatam intelligitur quæcunque res aliena inuito domino accepta, vel retenta, siue sit ablata titulo iusto, & iusta acceptione, vt emptione, donatione, & huiusmodi, sed qui vendit, donauit, &c. non erat verus dominus, vt contingit in possessore bonę fidei: vnde cessante bona fide debet restituere; siue ex contractu, vel quasi contractu illa res sit debita; siue iniustè, vt furto, rapina, fraude sit ablata, vt contingit in acceptione iniusta. Item per rẽ ablatam intelligitur ipsa res acquisita, si extet; si verò nõ extet, sed sit consumpta, intelligitur pretium ęquiualens. Item per rem alienam intelligitur damnum illatum per actionem iniustam, licèt res ipsa non sit acquisita damnificanti, sed sit consumpta: quia imputatur illi, ac si rem illam sibi accepisset, & eam haberet in existẽtia. Per vsum intelligit Scotus vsum rei vtilis, vt qui vtitur equo, veste aliena, & similibus inuito domino tenetur ad restitutionem valoris vsus rei illius. Denique tenetur restituere omne interesse, idest damnũ emergẽs, & lucrũ cessans, & vltimo fructus perceptos ex re aliena. Hæc omnia ex dicendis manifesta fient. Ad horum ergo cognitionem notandum est, quod quis habere, & retinere potest rem alienam inuito domino duobus modis, scillicet bona fide, & mala fide. Primò agendum est de possessore rei alienæ bona fide, deinde de possessore rei alienæ mala fide.

Quid per vsum intelligatur.

Possessor bonæ fidei ad quid tenetur.

72 Quantum ergo ad possessorem bonæ fidei. Primò est sciendum, vt suprà diximus, possessorem bonæ fidei esse illum, qui putat se esse dominum rei, quam possidet bona fide, cum tamen non sit: ratio autem bonæ fidei est, quia aliqua iusta causa, & titulo illam rem acquisiuit, vt quia emit eam rem, vel dono accepit ab eo, quem putabat dominum, & tamen non erat; & sic existimat se iustè acquisiuisse dominium illius rei, quam possidet, & sic de alijs. Cum ergo possessor bonæ fidei habeat rem alienam inuito domino, cessante bona fide tenetur ad restitutionem. Verùm quia accepit illã rem iusto modo, nõ autem aliquo modo iniusto, difficultas est, quomodo teneatur ad restitutionem illius, an in totum, an in parte, an ad quid aliud, & ideò Doctores mouent varias quæstiones ad hoc declarandum.

73 Prima ergo, & principalis difficultas est, ad quid teneatur possessor bonæ fidei. Ad quam breuiter omnes respondent, Possessorem bonæ fidei teneri ad restituendam rem ipsam si ea extat tota, vel partem, si pars tantũ extat, & rursus fructus omnes illius si extant. Si verò non extant res, neque fructus, sed res, & fructus sunt consumpti, tenetur restituere id, in quo per illam rem factus est locupletior. Hæc Regula in virtute habetur à D. Thoma 2.2. quæst. 62. artic. 6. & à Scoto vbi suprà, dum dicunt, quòd qui habet rem alienam, tenetur illam restituere cũ fructibus suis. Ratio est, quia qui habet vltra id, quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest, secũdùm formam commutatiuæ iustitiæ. Cum ergo possessor bonæ fidei venit in cognitionem, quod res, quam possidet, non est sua; debet eam totam cum omni illo, quod ex illa pendet, restituere suo domino. Hæc autem regula ex-

Regula generalis.

Possessor bonę fidei tenetur ad id solũ, in quo factus est locupletior.

pressè

presſè colligitur ex *l. Item veniunt*, §. eos autem, ff. de pet. hæred. vbi Glosa ait; nullam veriorem regulam esse in iure, quàm quod possessor bonæ fidei ad nihil amplius teneatur, quàm quantum ex bona fide possessa factus sit locupletior. Colligitur etiam ex alijs iuribus; vnde Doctores tàm Legisperiti, quàm Theologi accipiũt eam, vt maximam in hac materia de restitutione, vt est videre apud Doctores passim agentes de possessore bonæ fidei.

Regula prędicta intelligitur de possessore bonæ fidei ante præscriptioné.

74 Obseruandum est tamen, hanc regulam intelligi de possessore bonæ fidei ante præscriptionem: nam, vt suprà diximus agendo de vsucapione, & præscriptione, possessor bonæ fidei transacto tempore requisito ad præscribēdum quantum ad rem stabilem, etiam cessante bona fide non tenetur in conscientia ad restitutionem rei immobilis; & transacto tempore requisito ad præscriptionem rei mobilis, vt fructuum non tenetur ad restitutionem fructuum. Quò fit, vt possessor bonæ fidei aliquando teneatur ad restitutionem rei immobilis, quia tempus requisitum ad præscriptionem eius non transiuit; non teneatur tamen ad restitutionem fructuum eiusdem rei, si fuerit fructifera: quia transiuit tempus requisitum ad præscriptionem fructuum, qui sunt res mobiles.

75 Possessor ergo bonæ fidei ante præscriptionem tenetur ad restituendam rem alienam totam, vel partem, & omne illud, quod illius extitit; si autem res perijt, tenetur tantùm ad id, quo factus est ditior seù locupletior. Et in hoc differt possessor bonæ fidei à possessore malæ fidei: quia possessor malæ fidei tenetur non solum ad restituendam rem alienam totam si extat, sed etiam si pereat, vel sit consumpta tenetur ad restituendũ pretium æquiualens rei; At possessor bonæ fidei non tenetur ad restituendam rem ipsam si perijt, sed solùm id, quo factus est locupletior ex illa. Ratio discriminis est, quia possessori malæ fidei imputatur, quod rem habeat eo, quia mala acceptione illam accepit; at possessori bonæ fidei non debet imputari, quòd illam habeat, sed debet excusari: quia eam non accepit iniustè, sed iustè: possessor ergo bonæ fidei tenetur solùm ad id, quo factus est locupletior, ita quòd debet restituere tantum, quantum ex re aliena cessit in suam vtilitatem, & est ditatus cum deterioratione domini rei ablatæ (quoniam nihil refert, si possessor bonæ fidei sit factus locupletior, dummodo dominus nõ sit factus pauperior) ita, vt restitutio adęquet illud, quod ex proximo cessit in suam vtilitatem, non autem excedat, neque excedatur. Exemplum vulgare est. Titius me inuitauit ad cœnam ex re aliena me ignorante; ego cessante bona fide teneor ad restituēdum tantũ, quantum de meo consumpsissem, si domi meæ cęnassē, esto apud Titium lautissimam cœnam habuerim, & longe superantem sumptum, quem in cœna mea priuata fecissem: quia ex cœna aliena non sum factus ditior, nisi pro eo quod insumpsissem in mea cœna: quia illud non insumpsi, sed seruaui.

Differentia inter possessorem bonæ, & malę fidei.

Quid si plus insumpsisset in cœna propria, q̃ acciperet ex cœna aliena?

76 Sed quid dicendum si ego domi meæ insumpsissē in cœna mea moltò plus, quàm sit illud, quod comedi in cœna Titij de re aliena? e. g. Cęna Titij rei alienæ fuit valoris vnius aurei, ego autem domi meæ insumpsissem in cœnam duos aureos: quia autem inuitatus fui à Titio eos non insumpsi: ergo videtur, quod tenear restituere duos aureos: quia factus sum locupletior quantum valent duo aurei. Respondetur non teneri ad restitutionē nisi tanti, quanti valebat id, quod insumpsi ex cœna aliena: quia, vt dixi suprà, nihil refert, si possessor bonæ fidei factus sit ditior, dummodo dominus rei non sit factus pauperior. Ratio enim hoc suadet: quia sicut ego ex re aliena non debeo secundùm rectam rationem fieri locupletior; sic alius non debet cum damno meo fieri locupletior; si autem restituerem tãtum, quantum insupsissem in cœna mea lautiori, ille fieret locupletior cum dãno meo: quia plus acciperet, quàm ego ex re sua accepissem. Aliud exemplum. Si quis bona fide accipiat equũ dono à fure, deinde vendat illum alteri, si pretium equi habet apud se, dum cognoscit equum fuisse furtiuum, tenetur totum pretium restituere domino equi, detractis expensis factis in equi educatione si aliquas fecit: quia tunc factus est locupletior, & hēt plus in bonis suis, (quãtum nimirum valet pretium equi) quàm habuisset illo tempore, quo amisit bonam fidem, si nõ habuisset equũ. Si verò consumpsit pretium equi; ita quòd tempore quo cessat bona fides non habeat plus in bonis, quàm habuisset si non habuisset pretium equi, ad nihil tenetur: quia in nullo factus est locupletior. Aliud exemplum. Si quis emit furtiuum equum 20. ducatos, & vendit deinde 25. tenetur ad restitutionem solum quinque ducatorũ quia illis solum factus est locupletior. Si vendit minus, vt 15. tantùm, ad nihil tenetur: quia in nullo est factus locupletior. Sufficit ergo si restituat tantum, quantum ex re sua cessit in vtilitatem suam: & hic est intellectus huius regulæ. Possessor bonæ fidei tenetur ad id, in quo factus est locupletior.

Aliud exēplum.

Aliud exēplum.

77 Verùm circa illud, quod dictum est, possessorem bonæ fidei teneri ad restitutionem rei alienæ, & omnis vtilitatis, quàm ex illa sumpsit, & qua factus est locupletior. Est difficultas primò, An si possessor bonę fidei sua magna culpa rem sic acceptam amittat, vel disperdat, teneatur ad restitutionem. Soto lib. 4. de iustitia, q. 7. ar. 2. & Nauarrus in Man. cap. 17. num. 7. videntur dicere, quòd teneatur ad restitutionem; sed iure confutantur à Molina disp. 720. quia esto possessor bonæ fidei sine culpa, & dolo putans se esse dominum rei alienæ illam voluntariè destrueret, vt rem suam, nullum committit peccatum, nec culpam in destructione illius rei, sicut nec cõmitteret in re sua, nisi fortè prodigalitatis: ideò cum non teneatur ratione iniustæ acceptionis, neque ratione rei acceptæ, quia non extat, non tenetur ad restitutionem.

An possessor bonæ fidei magna culpa rem acceptã destruens teneatur ad restitutionem.

78 Secundò est difficultas, An teneatur ad restitutionem fructuum, quos percepit ex re aliena; & eadem difficultas est de possessore malæ fidei, an similiter teneatur restituere non solùm rem alienam, sed fructus ex ea perceptos. De hac re non leuis est controuersia inter Iurisperitus, quò ad forum contentiosum, vt est videre apud Couarruuiam lib. 1. variarum resolutionum cap. 3. nu. 6. Azorium lib. 4. cap. 2. q. 1. & 2. & alios qui Iurisperitos cõcordare nituntur. Theologi quò ad conscientiam breuiter rem hanc explicant.

An possessor bonæ fidei teneatur ad restitutionē fructuũ ex re aliena.

79 Pro cuius intelligentia notandum est, quòd, vt ait Scotus, hoc loco fructus sunt in duplici discrimine, quidã proueniunt ex re fructifera, quidam ex industria eius, qui vtitur illa; primi dicuntur fructus rei; secundi dicuntur fructus industriales. Angelus autem verbo *Fructus* num. 1. Syluester eodem verbo, & nu. cum sequentibus, & alij magis hanc distinctionem fructuum declarant; distinguunt enim quod fructus alij sunt merè naturales, alij sunt industriales, & alij partim naturales, & partim industriales. Merè naturales sunt qui absque vllo labore, & industria, vel modica, ex re naturali proueniunt, vt herbæ in pratis, fructus arborum, vt poma, castaneæ, & similia. Merè industriales sunt, qui non ex natura rei oriuntur, cum ipsa sit infructifera, sed ex industria hominis circa rem illam oriũtur, vt fructus, seù lucrum ex pecunia exposita negotiationi, ex vino, oleo, frumento, & huiusmodi; cum enim res istæ de sua natura non sint fructiferæ; fructus, qui ex illis cum industria hominis proueniunt, dicuntur fructus merè industriales.

Fructus sūt tertij generis.

Fructus merè naturales qui.

Fructus merè industriales qui.

Fructus partim naturales, & partim industriales sunt qui proueniunt ex re quidem fructifera, sed tamen cum multa industria, & labore. Huiusmodi sunt segetes, vinum, lac, lana, caseus, & similia; licèt enim terra, vites, animalia sint ex natura sua fructifera; tamen nisi adhibeatur diligentia, nullum fructum afferrent; huiusmodi antè fructus dicuntur naturales, quando magis operatur natura, quàm industria; & industriales quando magis operatur industria, quàm natura. Quando autē debeant dici naturales, & quando industriales, & magis natura,

Fructus partim naturales, & partim industriales qui

quàm

quàm industria operetur, relinquitur iudicio boni viri. Ad fructus partim naturales, & partim industriales reducuntur fructus, quos appellant ciuiles, qui sunt, qui proueniunt non ex re naturali, vt naturalis est, sed ex ea, ratione prouisionis hominis, vt pensio, seu locatio domus, locatio pecuniæ, & huiusmodi.

Fructus ciuiles qui.

80 Ad propositum respondent, possessorem bonæ fidei (de possessore enim malæ fidei infrà agemus) teneri ad restitutionem fructuum naturalium, absolutè si extant; si verò non extant nequaquam; sicut dictum est de re ipsa. De fructibus verò merè industrialibus nequaquam tenetur ad restitutionem, sed sunt possessoris bonæ fidei: quia illi sunt fructus laborum operantis non rei alienæ. De fructibus verò partim naturalibus, partim industrialibus tenetur ad restitutionem ea ea parte qua sunt à natura; ex ea parte verò qua sunt ab industria nequaquam, sed debent sui labores, & industria compensari ad iudicium boni viri. Idem dicendum de fructibus naturalibus: semper enim excipiendæ sunt expensæ, & labores, si aliqui adhibiti sunt in illis conseruandis, & acquirendis. Similiter dicendum est de expensis, & laboribus adhibitis circa conseruationē, & meliorationem ipsius rei alienæ si qui adhibiti sunt. Vnde cum dicitur rem alienam, & fructus illius esse restituendos, semper intelligitur, detractis expensis, laboribus &c. Fructus enim rei illi dicuntur, qui supersunt detractis expensis, laboribus &c. Et res aliena dicitur illa, quæ similiter detractis expensis, & laboribus circa eius conseruationem, vel meliorationem remanet, secundùm communem sententiam Doctorum.

Fructus propriè qui dicuntur.

81 Quòd autem possessor bonæ fidei non teneatur ad restituendos fructus industriales, probat Scotus loco citato de possessore malæ fidei: ergo multò magis hoc verificabitur de possessore bonæ fidei. Quòd autem possessor malæ fidei nō teneatur ad restitutionem industrialem, probat in vsurario: probat enim loco citato, quod vsurarius non tenetur restituere fructus perceptos ex vsura, quod est communiter concessum, e. g. Caius ex mutuo lucratus est centum aureos, ex illis deinde negotiando iustè acquisiuit 40. non tenetur ad restitutionem illorum 40. sed solùm priorum centum. Hoc probat Scotus: quia si teneretur restituere mutuatario, sequeretur mutuatariū posse esse iustè vsurarium: probatur consequentia, quia licitum est accipere lucrum, quod ex pecunia propria prouenit per industriam alterius, vt dictū est suprà agendo de societate, in qua vnus ponit pecuniā, alter industriam: ergo si lucrum ex pecunia vsuraria, quæ reuera est mutuatarij, procuratū, & factum ex industria vsurarij, esset vsura, posset mutuatarius licitè facere vsuram; sed sic est, quod est absurdum, dicere esse licitum alicui facere vsuram: ergo est falsum, quòd fructus producti ex pecunia vsuraria industria vsurarij, sit vsura, & obligati sint ad restitutionem ipsi mutuatario.

Possessorē bonæ fidei non teneri ad restitutionem fructuum probat Scotus. Possessorē malæ fidei non teneri ad restitutionem fructuum.

82 Subiungit Scotus aliam rationem: quia si esset vsura lucrari aliquid ex industria de pecunia vsuraria, & non teneretur ad restitutionem, hoc magis alliceret homines ad dandum ad vsuram: quia licèt tenerentur ad restitutionem pecuniæ vsurariæ ex mutuo; non tamē tenerentur ad restitutionem lucri ex pecunia vsuraria, & industria acquisiti: quæ tamen esset vsura ex hyppotesi: ergo non est dicēdum lucrum, & fructus illos industriales esse vsurarios, seu alienos, & obnoxios restitutioni.

83 Verùm circa rem furtiuam emptam bona fide à latrone oriuntur varia dubia. Primò est dubium, An qui rem furtiuam emit à fure tuta conscientia possit eam restituere furi, postquam sciuit rem esse furtiuam, ne pretium suum amittat. Respondetur conueniunt omnes, si reddendo rem furi dominus rei nullum periculum incurrat, vt puta, quia credit, quod fur restituet domino spontè, vel nulla, aut parua difficultate dominus rem ipsam recuperabit, posse eam reddere furi, quando pretiū eius periclitaretur. Sed dubium est, quando si res restituatur latroni, res ipsa periclitetur domino; puta quia latro non restituet domino, vel in totum, vel partem. In hac re duæ sunt oppositæ sententiæ.

An qui à fure emit rē eidem possit restituere illam, & rem.

84 Aliqui affirmant, vt Io. Maior in 4. dist. 15. q. 26. Medina de rebus restituendis, quæst. 10. Soto in 4. de iustitia, q. 7. ar. 2. concl. 4. Couaruuias regula *peccatum*, p. 3. nu. 3. in initio. Azorius lib. 4. cap. 3. quæst. 1. Molina disp. 722. qui alios citant. Fundamenta sunt: quia res ablata, quando extat, domino est restituenda, vt dictum est suprà: ergo in proposito cum equus extet, & sit domini non furis, reddendus est domino, non furi. Præterea inquit Molina, qui rem alienam deductam ad statum meliorem, ex illo extraheret ad peiorem, faceret iniuriam domino rei; sed res furata, quæ peruenit ad possessorem bonæ fidei peruenit ad statum meliorem, quàm si esset in manu furis: ergo reddere illam furi, est eam extrahere à statu meliori ad peiorem: ideo non potest reddi furi. Præterea fortius si fur dispatuisset, vel dominus sciret rē suam esse apud possessorem bonæ fidei, posset illam repetere, & ille teneretur reddere, etiam pretio suo ammisso: ergo licèt adsit fur, tenetur eam restituere domino, ne periclitetur domino.

1. Opinio. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

85 Contrariam sententiam tenēt aliqui alij. Alexander Alensis 4. p. q. 24. m. 5. ar. 3. §. 5. prope finem. Gabriel eum sequutus in 4. dist. 15. quæst. 3. ar. 3. dub. 5. propositione 1. Syluester verbo *Restitutio* 3. quæst. 7. Nauarrus in Man. cap. 17. n. 9. & quidam alij. Fundamentum Alexandri, quod alij sequuti sunt, est: quia vnusquisque magis sibi prodesse debet, quàm alij, neque cogitur restituere alienum cum maiori, vel æquali detrimento suorum bonorum; in casu autem isto si restitueret domino, prodesset alteri, sed sibi noceret æqualiter: ergo. Respondet Molina ad hoc argumentum, quòd aliud est rem alienā cum proprio damno meliorare, & aliud eam deducere ad peiorem statum, & deteriorem; Verum est, neminem teneri ad meliorandum rem proximi cum suo damno; at nemo potest ob vitandum suum damnum rem alterius deteriorare: in proposito autem restituens rem furi, deteriorat rem alienam, vt suum proprium damnum vitet: ideo argumentum non concludit.

Contraria opinio. Fundamentum Alexandri. Responsio Molinæ.

86 Res hæc certè difficilis est. Nihilominus hæc secūda sententia mihi rationabilior videtur. Nam mihi nimis durum, & iniustum videtur, quòd ego absque mea culpa tenear consulere magis indemnitate proximi, quā meæ. Si autem esset vera opinio prior, teneretur vnusquisque magis consulere indemnitati proximi, quàm suæ. Consequentia est euidens. Antecedens patet: quæ iustitia non destruit ordinem charitatis; sicut ergo teneor magis diligere bona mea, quàm proximi: ita teneor magis vitare indemnitatem meam, quam proximi. Præterea ex iustitia ita teneor seruare me indemnem, sicut teneor seruare indemnem proximum, immò magis teneor seruare me ipsum indemnē, quàm proximum: quia vltra vinculum iustitiæ, quæ vult paritatem, adest vinculum charitatis, qua mea magis diligere debeo: ergo.

2. Opi. probatur.

87 Tota difficultas est in solutione rationum aduersariorum. Videtur tamen posse dici. Verum esse rem semper esse reddendam domino; tamen non esse necessariò, ꝙ semper immediatè restituatur domino: sufficit quandoque quòd mediatè restituatur, siue non impediatur eius restitutio domino.

Quando res non restitueretur domino simpliciter nisi restitueretur immediatè domino; tunc habēs rem alienam teneretur eam restituere domino; at quando non est certum omninò, si res restituatur alicui alteri à domino, quod domino non restituetur, tunc ad se seruandum indemnem pôt alteri dare: quia sic restituit quoque domino, seu non impedit, quin restituatur domino, vnde quod non restituatur deinde, est per accidens, quod non obest, quia, quæ sunt per accidens, non veniunt in considerationem.

88 Hinc ad primum respondetur rem esse restituendam

Ad primū.

dam

dam domino mediatè, vel immediatè; in proposito restitueretur mediatè: quia nō impediretur eius restitutio, quantum est ex possessore bonæ fidei: ideo periculum ex iustitia debet magis stare ex parte illius, cui res est ablata, quàm ex parte possessoris bonæ fidei; quoniam ille, cui res est ablata, non debet fieri melioris conditionis, quàm sit possessor bonæ fidei.

Ad secūdū.

Ad secundum respondeint possessorem bonæ fidei non extrahere rem de statu meliori ad deteriorem, sed eum relinquere in statu suo, in quo est, circumscripto interesse suo atque solum consulere indemnitati suæ.

Ad tertiū.

Ad tertium respondetur quod in illo casu res non posset reddi domino suo mediatè: ideò necesse esset illam immediatè restituere domino suo; neque esset locus possessori bonæ fidei consulendi indemnitati suæ in eo casu: ideò non excusaretur, si non restitueret domino.

Quid si possessor bonæ fidei vēdat rem plusquā emit?

89 Secundò quæritur, An qui bona fide rem furtiuā emit à fure, postea vendidit maiori pretio, quàm emerit, teneatur ad restitutionem incremēti pretij domino rei. Aliqui asserunt teneri, quia dicunt eo incremento factus est locupletior, vt Nauarrus, Sotus, Couarruuias vbi supra. Alij negant quia dicunt illud incrementum esse fructum industriæ, non rei; & deinde quia etsi possessor bonæ fidei per illud incrementum factus est ditior; tamen dominus non est factus pauperior. Recentiores rectè respondent, si illud incrementum est fructus industriæ, non rei, quia scilicet possessor bonæ fidei, rem illam meliorem reddidit, vel aliquo artificio immutauit, vel de loco ad alium locum detulit, & huiusmodi, illud incrementum non debet restitui, quia est fructus industriæ. Si autem est fructus rei, scilicet, quia re eodem modo se habente crescit in pretio, vel quid simile, tenetur ad restitutionem iuxta, dicta nunc suprà de fructibus rei.

An qui vendidit rem furtiuā nesciens esse furtiuā teneatur rescindere cōtractum.

Opi. Soto.

Opin. Nauarri, & aliorum.

90 Tertiò quæritur, An qui bona fide emit rem furtiuam à fure, & postea durante bona fide vendit eam alteri æquali pretio, quo emit, & deinde nescit esse furtiuā, debeat contractum rescindere reddito pretio ei, cui vendidit. Soto lib. 4. de iustitia q. 7. ar. 2. quem sequitur Azorius lib. 4. cap. 3. q. 3. tenet obligari ad rescindēdum, quia aiunt, vendidit rem non suam, & ideò non transtulit dominium, sicut qui venderet vitrum pro gemma, teneretur ad rescindendum contractum, & ad restituendum suum pretium emptori; & sic de alijs vsque ad primum venditorem malæ fidei. Nauarrus e contra in Man. cap. 17. nume. 8. & Molina disp. 721. tertia conclusione asserunt non teneri ad rescindendum contractum. Ratio est, quia non est factus locupletior ex illa venditione, & Molina disp. 327. num. 8. probat contractum illum, etsi per illum non transferatur dominium rei, esse tamen verum contractum, & ratio est, quia vēditor etsi non trāsferat dominium, tenetur tamen emptori de euictione, atque adeo de valore rei, quam habet iam apud emptorem, & de omnibus damnis inde sequutis emptori, non autem de pretio, quod emptor pro illa re vēdita accepit; ex quo sequitur, quod contractus inter venditorem, & emptorem bonæ fidei sit validus, & proinde non sit rescindendus; & si vēditor ex pretio illius rei emat aliquid, est verus contractus, nec est rescindendus. Non tenetur ergo, ad dissoluendum contractum, & ad restituendam rem venditam domino, sed tenetur solùm de euictione, & damnis inde sequutis emptori. Ex quibus satisfit rationibus Azorij loco citato tenentis opinionem Soto. Ad argumentum Soto respondent non esse parem rationē de vitro vendito pro gemma, & de reuera, & non apparenti: quia prior contractus est nullus ratione fraudis rei; hic verò secundus est validus: quia res vendita est realis, & vera.

Ad rationes Azorij.

Ad argumētū Soto.

2. Opinio probatur.

91 Et hæc secūda opinio mihi rationabilior videtur; iniustum est enim, quod qui non habet rem alienam, neque est causa iniustæ acceptionis, subijciatur damno restituendi rē alienam domino, & quod contractus omnes intermedij facti bona fide, & res emptæ illis varijs pretijs, sint malè emptæ, & contractus rescindi debeant. Est enim dicendum in hoc casu quātum est ex parte possessoris bonæ fidei, ac si res ipsa ablata non extet, sed sit consumpta: se enim habet, ac si nunquam rem illam habuisset; solùm in hoc deterioraretur, quòd si emptori res illa euinceretur, teneretur ad seruandum ipsum indemnem, & ipse haberet ius in furem, à quo illam emit, si ille reperiretur; quòd si ille non reperiretur, licèt in foro exteriori cogeretur ad restituendum, tamen in conscientia, vt supra dicebamus, non teneretur ad restitutionem domino: quia nec ratione rei, nec ratione malæ acceptionis, nec in aliquo esset factus locupletior.

De possessore malæ fidei.

92 De possessore verò malæ fidei multò magis verificatur regula assignata suprà à Scoto, & communiter ab omnibus, nimirum, quod tenetur ad restitutionem rei alienæ, vsus illius, omnis interesse, & damni, & fructuū. Si res ipsa extstat, nulli dubium est teneri ad eam restituendam integrè, perfectè absque vlla diminutione; si verò perijt, & est consumpta quomodocumque tenetur ad restituendum pretium, & valorem ipsius; Si vsurpauit vsum rei alienæ, vt domus, vestes, & similia tenetur ad restituendum prædictum vsum, & lucrum, quod ex illo vsu percepit: quia emolumentum ex illo vsu est domini rei, non ipsius possessoris malæ fidei. Tenetur etiam ad omne damnum tàm lucri cessantis, quàm damni emergentis. Et denique ad restitutionem omnium fructuū illius rei; si est fructifera. Si fructus extent, vel si non extent, valoris ipsorum vt suprà diximus.

Quale pretiū possessor malæ fidei teneat restituere, quando res non extat.

93 Verùm est non leue dubium, quale pretium teneatur restituere, quando res, vel fructus non extant; potest enim contingere, quod illa res, postquam fur eam abstulit, crescat, vel decrescat in valore, ita quod ad mensem, postquam eam abstulit, valeat decem, deinde octo, deinde nouē, & sic varietur: quæritur ergo secundùm quem valorem debeat eam restituere domino.

Solutio.

94 Respondetur considerandas esse circūstantias dāni emergentis, & lucri cessantis futuras, probabiles, & secundùm illas esse iudicandum, vt puta si fur abstulit frumentum tempore quo parum valebat; sed dominus erat reseruaturus illud in tempus quo plus erat valiturum, debet restituere eo maiori pretio, detractis expensis, periculis, &c. Si erat reseruaturus tempore quo erat minoris valiturum, debet eo minori pretio soluere. Similiter si creuit in pretio in manu furis, deinde decreuit, tenetur restituere maius pretium: quia dominus si illud apud se habuisset, potuisset illud vendere in maiori pretio, quod quia fur sint in mora non habuit apud se, nec potuit eo maiori pretio vendere. Si res erat in maiori pretio quādo illam abstulit, deinde in manu furis est deteriorata, debet restitui in maiori pretio: quia si in manu domini fuisset, forsā illam distraxisset, vel non deteriorata fuisset, & dato, quod eam deteriorasset, hoc nō debet suffragari furi; sed debet imputari furi, quoniā debebat illam suo domino relinquere: ideò hac iniusta acceptione tenetur ad maius pretium. Et denique semper habenda est ratio ne dominus damnificetur; sed sequatur æqualitas. Idem dicendum de fructibus, quòd tamen est intelligēdum de fructibus naturalibus, nō de fructibus industrialibus, seù de fructibus prouenientibus non ex re ipsa, vt si sit infructifera, sed ex laboribus, & industria ipsius possessoris malæ fidei, sicut dictum est suprà de possessore bonæ fidei; nam quò ad hoc non differunt possessor bonæ fidei, & malæ fidei. Tenetur autem ad restituendum illius rei fructus, qui ex illa emanant, donec res illa fructifera durat, vel probabiliter durasset apud dominum, non autem, qui ex ea prouenirēt, ea consumpta, si incorrupta mansisset: quia res solùm fructificat domino quandiù est. Et cum redditur valor eius, eo qđ ipsa nō pōt reddi, quia iā est destructa, valor eius iustus æstimatur secundùm fructus, & vtilitatem, quam afferre potuisset, & quos in potentia continebat, vt in potentia: ideò valor fructuum, qui potuisset extare si corrupta non esset, vt

actu existentes non debent reddi seorsum à valore rei, cuius sũt fructus. Et hoc siue illa res maneat apud primũ possessorem malæ fidei, siue ad alium transiuerit voluntate possessoris malæ fidei, siue casu, siue ipso inuito: quia ipse possessor malæ fidei est causa, quod dominus omnibus illis fructibus priuetur. Debent tamen excipi expẽsæ, quas possessor malæ fidei iustè fecit circa collectionẽ, & c. illorum fructuum, sicut dictum est de possessore bonæ fidei; & quod dictum est de fructibus, verum est tã de fructibus extantibus, quàm de consumptis: quia eadẽ est ratio de illis, & de re aliena consumpta, quia ẽt illi pertinebant ad dominium rei, sicut res ipsa, quidquid dicat Couarruuias regula *Peccatum* p. 2. §. 6. nu. vltimo.

Quid si quis torquẽ aureum à fure emat?

95 Sed quid dicendum, si quis emit torquem aureũ à fure, & sępè illam locauit, tenetur restituere lucrum illud? Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 25. negat, sed recẽtiores oppositum iurè tenent, quia illud lucrum est fructus rei: est enim locatio vsus illius torquis, sicut domus, & similium. Sed quid si dominus rei nullos esset percepturus fructus sua negligentia ex illa re? Respondeo, aliqui tenent non obligari ad restitutionem horum fructuum. Alij affirmant eos fructus esse restituẽdos, qui communi diligentia ex illa re prouenissent, quod mihi quoque placet: quia negligentia domini non debet suffragari possessori malæ fidei.

Possessor malæ fidei quis sit, & ĩ dubio quo modo se gerere debet.

96 Possessor autem malæ fidei est, qui sciẽter possidet rem alienam, & insuper qui possidet rem alienam ignoranter ignorantia crassa, supina & culpabili culpa Theologica, de qua suprà suis locis dictum est: insuper qui à principio possessionis dubitabat, an res, quam emebat, vel accipiebat, esset furata, & aliena: & demum qui eam iusto titulo non acquisiuit, vt diximus disp. 43. ca. 1. Nam tunc si deinde comperiatur rem esse alienam, debet totã illam rem cum fructibus &c. restituere domino (si tamẽ à principio dubitans esse rem alienam eo animo acciperet, vt inuestigaret cuius sit, et illam restituendi, tunc non esset possessor malę, sed bonę fidei, & teneretur solùm ad id, in quo factus esset locupletior.) Si verò deinde comperiret rem non esse alienam, ad nullam restitutionẽ teneretur, sed solùm peccasset eam cum dubio sibi accipiendo. Si verò nunquam comperiatur cuius sit, sed dubium perseueret, debet diligentiam adhibere, vt reperiat cuius sit; si autem adhibita diligentia adhuc permaneret dubium, si dubitatur, an vnius alterius solum sit, debet fieri illi restitutio non totius rei, sed pro qualitate dubitationis; ita quod si dubium sit æquale pro vtraque parte, debet rei dimidia pars restitui, & alia retineri, vel plus minus pro qualitate dubij. Si item dubitatur de pluribus in particulari, ad quem illorum pertineat, vel an ad omnes pro qualitate dubij est diuidenda inter illos. Tandem si permaneat dubium, quòd sit aliena, & ignoretur cuius, vel quorum sit, erit diuidenda inter possidentem, & pauperes pro qualitate dubij proportionaliter.

97 Possessor etiã malæ fidei est ille, qui prius bona fide, & iusto titulo rem accepit, sed deinde venit in cognitionem esse rem alienam; ab eo enim tẽpore incipit esse sub mala fide. Similiter, qui ex contractu, vel quasi cõtractu est debitor alicui alicuius rei ad certum tempus, finito illo tpe, si sit in mora, est possessor malæ fidei: quia retinet alienum inuito domino: tenetur enim ex illo tunc ad rem ipsam restituendam, si extet, vel ad restituendũ pretium, si non extet, & ad damna inde sequuta, tam emergentia, quàm lucri cessantis eo modo, quo infrà dicam, vt si ea mora iniusta res sit deteriorata, vel pretio excreuit, vel quia tempore moræ rem illam maiori pretio vendidisset, & similia.

Quid dicẽdum de eo, qui emit rẽ alienam, vt eam restituat domino?

98 Sed quid dicendum si aliquis sciens furem habere rem alienam, eam emit paruo pretio, vt eam restituat domino, estne possessor malæ fidei? peccat ne in tali emptione? Respondetur non esse possessorem malæ fidei: quia non facit illam rem suam, sed est gestor vtilis negotij domini: ideo non solùm non peccat, sed opus bonum charitatis facit: & ideo licet. Vnde D. Augustinus citatus cap. *rapinam*, 14. quæst. 5. inquit *rapinam emere non licet, nisi ea intentione, vt cui est ablata, restituatur*. Et in hoc casu dominus rei tenetur soluere pretium quo emptor illam rem emit, licèt res sua sit; & hoc in foro conscientiæ, & etiam in foro exteriori, si constet hunc emptorem habuisse intentionem emendi, vt domino restitueret.

Damnum dans tenetur ad restitutionem, & quomodo.

99 Non solùm autem possessor rei alienæ bona, vel mala fide obligatur ad restitutionem, vt dictum est; sed etiam ille, qui damnificauit proximum in rebus externis (de his nunc solùm agimus) tenetur ad restitutionem totius damni. Quia, vt dictum est suprà, imputatur illi propter iniustam actionem, ac si rem illam totam, quæ per damnum perijt, habeat, ac possideat. Neque obest, quod alius esset allaturus illud damnum: quia sicut si ille alius daret damnum, teneretur ad restitutionem, ita qui præuenit eum, tenetur ad restitutionem. Neque obest, quòd res, quæ damnificatur alia via domino, esset peritura, saltem si eo tempore damnificationis ignorabatur hoc futurum damnum. Ratio est: quia dum non constat de interitu futuro, res illa in ęstimatione tantum valet, quantum si non esset peritura. Si autem constabat de periculo interitus, vel rationabilis timor aderat, ille timor minuit valorẽ rei, vt si quis destruat segetes, quas breui credebatur hostes esse direpturos, non debet restituere valorẽ integrum speratum absque illo timore, sed solùm valorem pretij quo estimaretur cõmuniter cum illo timore. Hinc sequitur, quod qui semina, satave destruit non tenetur ad restituendum quantũ dominus sperabat inde percipere, sed quantũ ęstimabantur in statu quo destructa fuerunt. Idem dicendum de pullo equino, qui nunc valet 30. & speratur ad duos annos valiturus centum. Si enim quis eum occidat, quando valet 30. non tenetur restituere nisi 30. quia quo res remotior est à fructibus, & pluribus periculis subiacet, eò minus valet.

Obiectio ex Soto.

100 Sed Soto lib. 4. de iustitia q. 6. ar. 5. obijcit hoc esse verum, quando damnum casu infertur, non autem quã data opera renuente domino res destruitur: quia dominus, vt puta miser agricola potius vellet expectare euentũ fortunæ circa sua sata, quam vendere illa pretio, quo tũc valẽt: ergo videtur, quod plus illi sit restituendum, quàm tunc valeant. Præterea si destruantur sata alicuius populi, qui inde præmatur ægestate, multo plus illi est restituẽdum, quàm tunc valeant sata propter damnum quod inde illi sequitur.

Responsio Molinæ.

101 Respondet Molina disp. 726. hæc dua argumenta concludere delinquentem maiori pœna esse puniendum: quia inferre illud damnum contra voluntatem domini est iniuria magna, ideò debent huiusmodi damnificantes vltra restitutionem valoris rei soluere pœnam, qua tenentur, non tamen concludere, quod secundùm iustitiam commutatiuam debeat illi plus reddi, quàm tunc illa sata valent, & consequenter illam doctrinam, quæ est D. Thomæ, 2. 2. q. 62. art. 4. esse vniuersaliter veram, non autem solùm in casu fortuito.

Obiectio Soto refellitur.

102 Et reuera opinio Soto, quòd debeat reddi huiusmodi damnificato non solùm quantum res valebat in spe, sed quantum esset valitura in re, est contra rationẽ: quia non valet tantum res in spe, quantum in re: poterãt enim perire tempestate, vel aliquo cœli infortunio: soluendo autem quantum res esset valitura in re, esset ponere eum in tuto, & meliorare statum ipsius: in restitutione autem debet seruari ęqualitas, & damnificatus debet accipere, quod suum est, non diuitem fieri per restitutionem rei ablatæ. Sufficit ergo restituere quantum res illa valebat in spe, computando damnum emergens, & lucrum cessans ipsius damnificati ex ipsa damnificatione probabiliter futurum.

An debitor existens in mora teneatur ad lucrũ cessãs.

103 Aliud obseruat Molina eadem disp. nimirum cũ diximus suprà cum D. Thoma 2. 2. q. 62. ar. 4. ad 2. & cõmuni sententia, quòd qui retinet alienum inuito domino,

vt de-

vt debitores existentes in mora soluendi creditori tenentur ad restitutionem damni emergentis, & lucri cessantis, quod patiuntur propter prædictam dilationem solutionis, esse excipiendum casum illum quo aliqui nobiles detinẽt iniustè longo tẽpore pecunias mercatorum quas illis debent pro mercibus. Isti enim non tenentur, ait Molina, ad restitutionem lucri cessantis extrinseci, quod est illud, quod mercatores negotiando illa pecunia acquirere possent. Ratio eius est: quia illa pecunia ex sua natura non est fructifera, & sic lucrum illud ex pecunia illa non est intrinsecum, & ex natura rei, sed extrinsecè prouenit ex industria mercatoris; cautum est enim iure ciuili, vt in huiusmodi casu emptor teneatur solum ad lucrum cessans intrinsecum, quòd dicit se probasse disp. 368. & 724. disp. autem 368. 2. conclusione probat ex l. *curabit*, C. de actio. empt. & l. vltim. ff. de peric. & commod. rei vend. quo iure vltimo asseritur teneri solùm ad vsuras, non verò ad lucrum, idcirco venditori cessans. Fatetur tamen disp. 724. num. 3. stando in solo iure naturali, debitorem teneri ad restitutionem lucri cessantis intrinseci, & extrinseci. Subiungit, quòd si hoc caput non esset sufficientissimum, adsunt alia cap. quibus huiusmodi nobiles excusantur, nimirum quia vendendo nobilibus dilata solutione, carius vendunt, quàm si soluerent actu pecuniam; & intelligunt in termino solutionis eos nõ esse soluturos statim, etiam multo plus lucrantur vendendo illis in magna quantitate, quàm si eis non venderent. Ledesma autem 2. 4. q. 18. art. 4. citatus à Molina asserit indifferenter nobiles teneri ad restitutionem etiam lucri cessantis, quando dilatio est notabilis.

Opi. Mol.

Opinio opposita Ledesmæ.

Opinio auctoris.

104 Ego quidem puto nobiles, & quoscunque teneri ad omne lucrum cessans, siue intrinsecum, siue extrinsecum: nam hoc est de lege naturæ, etiam ex ipso Molina; ius autem ciuile non potest derogare iuri naturali: ideò licèt in foro exteriori non cogantur nisi ad lucrum internum, hoc non facit, quod in conscientia non cogantur: illud enim ius ciuile decreuit ad tollẽdam lites. Vnde iura allegata decernunt restituendum esse lucrum cessans internum, tñ non prohibent reddi lucrum externum: ideo ex illo capite non habet vim ratio Molinæ. Et certè si nõ tenerentur ad lucrum cessans mercatoribus externũ, sequeretur, quod non tenerentur vllo modo ad restitutionem lucri cessantis ipsis mercatoribus: qm̃ omne lucrum mercatorum saltem vt plurimum, est externũ, scilicet ex eorũ negotiatione; merces enim ex se non sunt fructiferæ; sed solùm ex industria mercatorũ; Et casu quod aliqñ plus, aliqñ minus valeant; in quo tñ casu sæpissimè locũ habet industria, vel malitia humana. Quod autẽ ait ex alijs capitibus fateor, quod si mercator cum vendit credito merces, plùs vendit, q̃ faceret numerata pecunia, intelligens hoc facere: quia probabiliter scit emptorem non soluturum esse tempore debito solutionis, eo casu nõ teneretur ad soluendum lucrum cessans: quia iam illud intelligitur solui in solutione sortis principalis: quia in illa clauditur. Quò sit esse vniuersaliter verum, quod habet idem Ledesma ibidem, nimirum si debitor possit soluere (si enim sit impotens, non peccat, nec consequenter tenetur ad restitutionẽ) aliquo modo, vt vendendo domum, vel alia bona sua, et cum maiori iactura sua, q̃ sit lucrum cessans creditori, teneri ad soluendum: quia non potest se velle seruare indemnem cum iactura alterius; quod si tamen se vult seruare indemnem debet hoc facere cum proposito restituendi lucrum cessans alteri, quod ex tali dilatione illi cessauit. Et hoc siue sit lucrum intrinsecum, siue extrinsecum; siue sit debitum ex mutuo, vel ex aliquo alio contractu; siue ex debito contracto cum mercatoribus de mercibus ipsis; neque enim video quænam hic differentia assignari possit, nisi ea, quæ suprà est assignata; quod vẽdendo credito carius vendunt includendo in pretio damnũ illud lucri cessantis, quod timeo probabiliter.

105 Obseruandum est vltimò circa restitutionẽ damni illati, quod damnum alicui potest inferri duobus modis. Vno modo auferẽdo illi id, quod habet actu, vel virtute, seù in potentia, de quo dictum est hucusque. Secundo modo impediendo eum ne aliquod bonum cõsequatur, hoc enim etiam est dãnificare. De hoc agemus infrà adducendo argumenta principalia Scoti huius quæstionis; nam hęc materia tractatur ab eo vltimo argumẽto principali.

De restitutione acquisitorum ob turpem causam.
Caput IIII.

106 EGimus hucusque de restitutione eorum, quæ cõtra voluntatem domini accipiuntur, vel detinentur. Quædam alia sunt, quæ sunt obnoxia restitutioni, licèt nõ sint accepta, neque detenta contra voluntatem domini; sunt autem quæ dantur, vel accipiuntur ob turpem causam. Contingit enim, quod aliquis acquirat aliquid cum consensu domini, & tamẽ sit illicita acquisitio; & hoc tribus modis contingere potest. Primo modo, quia acceptio est illicita, licèt datio non sit illicita, vt cum quis dat alicui pecuniam, vt faciat id, ad quod tenetur, vt si quis dat alicui pecuniam alicui, vt ieiunet tẽpore quo obligatur; vel det iudici, vt iustum iudicium faciat, & sic de alijs. Secundo, quia tã acceptio, quàm datio est illicita, nimirũ quia est prohibita datio, & acceptio lege diuina pro tali re, vt contingit in simonia; nam & dans, & accipiens pro ordine sacro, illicitè dat, & accipit: quia lege diuina prohibitũ est dari, & accipi aliquid pro rebus sacris. Tertio modo datio, & acceptio est illicita, non quia ipsa datio, & acceptio pro huiusmodi re sit prohibita, vt in simonia; sed quia datio, & acceptio fit pro causa illicita, vt datio propter peccatum aliquod faciendum; sicut est dare pecuniam meretrici pro actu venereo. In omnibus his modis, datio, & acceptio dicitur datio, & acceptio pro re turpi. De vnoquoque membro videndum est.

Acquisitio rei cum cõsẽsu domini potest esse illicita tribus modis.

107 Quantum ergo ad primum membrum, scilicet, quãdo turpitudo est respectu dationis, & est solùm ex parte accipientis, communis sententia asserit, accipientẽ teneri ad restitutionem danti; quæ sententia probatur apertè ex lege 1. 2. 3. & finali, ff. de condit. *ob turpem*: quia datur repetitio de eo, quod sic accipitur; in iure canonico verò, & apud Theologos probatur ex auctoritate D. Aug. in epistol. 54. quæ est ad Macedonium relata 14. q. 5. cap. *Non sanè*, quo loco D. Aug. habet hæc verba. *Ille tamen solet tanquam sibi malè oblatam pecuniam repetere, qui iniustum emit; quoniam venale esse non debuit.* Quod autem dicitur de acceptione pecuniæ pro iusto iudicio, dicendum est de acceptione pro quocunque alio opere bono; ad quod ex lege diuina tenetur, vt sunt actus præceptorum Dei, Ecclesiæ, & superiorum.

De turpitudine solum ex parte accipiẽtis.

108 Soto tamen lib. 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 1. ad 2. & nonnulli alij, quos sequitur Azor. 3. p. lib. 4. c. 21. & alij ex recentioribus ab hac opinione communi recedunt eã limitando, quod solùm habeat veritatem, quãdo quis accipit aliquid ab aliquo ne aliquid iniuriosum illi faciat. e. g. Caius vellet occidere Seium: Seius illi dat pecuniam ne ipsum occidat. Inquiunt Seiũ posse repetere pecuniã, & Caium teneri ad restitutionem (solùm tamen post latam sententiam) quia hanc pecuniam accepit contra iustitiam, quia ex iustitia tenebatur non occidere Seium. At verò inquit Azorius, si quis accipiat pecuniam ne inferat iniuriam alicui tertio, vt puta, accipit Caius pecuniam à Seio, ne occidat Meuium, qui est amicus ipsius Seij, tunc Caius non tenetur ad restitutionẽ ipsi Seio: quia etsi Caius ex iustitia teneretur non occidere Meuium: tamen ex iustitia non tenetur nõ occidere Meuium in gratiam Seij: ideo non tenetur ad restitutionem pecuniæ Seio.

Opi. Soto, Azorius, & quorũdam aliorum.

109 Hanc opinionem in vniuersali iurè reijcit Nauarrus in Man. cap. 17. num. 33. tum quia sine ratione firma recedit à communi; tum quia multæ leges concedunt repetitionem dati contra alias virtutes à iustitia. Nam l. 2. de condict. *ob turpem causam* habetur posse repeti, quod datur alicui ne faciat sacrilegium; & tamen sacrile-

Reijcitur à Nauarro.

sacrilegium non est proximè contra iustitiam, neque est iniuriosum in personam dantis: ergo. Alia similia ibi hēt.

Opinio au ctoris.

110 Ego autem puto sententiam communem esse veram de acceptione rei pro quacunque actione contra legem Dei, non autem solùm contra virtutem iustitiæ commutatiuæ, quæ redundat in iniuriam proximi, & fundamentum est istud. Omnis creatura humana iure creationis, reparationis, & conseruationis, & supremi dominij est subdita Deo, & secundùm iustitiam tenetur obedire Deo, & facere quæcunque ipse præcipit, & cauere quæcunque ordinauit; Adeò quòd homo est debitor omnium actuum, qui radunt sub præcepto ipsi Deo, ex hoc sequitur, quòd ipse non sit dominus horum actuum, vt possit eos commutare pro aliqua alia retendendo, vel locando: quia quod est debitum vno iusto titulo vni, non potest iustè alteri tradi: ergo qui accipit pecuniam, vel aliquid pro opere bono, ad quod ex lege diuina tenetur, commutat id quod non potest: & ideo contractus est nullus, & proinde tenetur ad restitutionem danti.

Cur qui accepit aliqd vt restituat rem perditam nō tenetur ad restitutionē.

111 Sed quis dicet. Si hæc sententia est vera: ergo qui inuenit rem perditam, & pro restitutione accipit aliquid, teneretur ad restitutionem. Consequentia patet: quia ex iustitia, & secundùm legem diuinam tenebatur ad restitutionem. Respondetur ex iustitia non posse petere, nec retinere aliquid: quia est obligatus ad restituendum rem alienam ex iustitia: tamen si quid accipit pro restitutione rei perditæ, ad restitutionem non teneri: quia quod datur pro restitutione (nisi facta sit prius promissio, quo casu ex iustitia ratione promissionis teneretur ille ad dandum, & ille repetere posset) datur propter bonum nuntium, & propter actionem vtilem, & honestam factam sibi, vnde est quædam donatio remuneratiua actionis sibi vtilis, & gratæ. Aliud autem est donare aliquid alicui, vt faciat bonum, & vitet malum, vel in remunerationem operi, boni, & vtilis, & aliud est facere contractum non omninò liberalem, sed cum retributione de re mala, cuiusmodi est in quæstione proposita, in qua acceptio pro re turpi & illicita, est venditio, & emptio, vel locatio, & conductio, vt patet.

Quādo turpitudo est ex parte dātis, & accipientis.

112 Quantum ad secundum, nimirum quando turpitudo est ex parte acceptionis, & dationis: quia scilicet nedum acceptio, sed etiam datio est prohibita, vt contingit in simonia, omnes conueniunt, accipientem teneri ad restitutionem, non tamen danti, sed Ecclesiæ, vel pauperibus, & ipsi Deo, in cuius iniuriam illud est datum. Dans enim contra ordinationem Dei priuat se iure recipiendi rem sic datam. Idem dicendum de iudice accipiente pro ferenda sententia iniusta: quia in speciali iure diuino est prohibitum, ne iudex ex munere accepto ferat iniustam sententiam. Deuteronomio nu. 16. dicitur *non accipies personam, nec munera &c.* quòd alijs pluribus locis Sacræ scripturæ habetur. Quòad ius Canonicum autem habetur cap. *cum ab omni*, De vita, & honestate clericorum, *Nec iustum iudicium vendere licet, & venales sententia etiam ab ipsis sæcularibus legibus reprobantur*. Idem habetur cap. *statum*, de rescriptis in 6. & alibi, præsertim verò capite *Non sanè* 14. quæst. 5. At respondet Nauarrus in Man. cap. 17. num. 30. & alij, quos sequitur Azorius 3. par. lib. 4. cap. 21. quæst. 5. in cap. *Non sanè*, solùm dari repetitionem iniustè dati in iudicio; non autem dationem esse irritam. At contra hoc est, quia in eo cap. vt vidimus suprà, eius verba referendo, dicitur, quod iudicium iudicis non debet esse venale: & ideò quod pro eo accipitur est restituendum. At replicat Azorius, si datum pro iusto iudicio est restituendum, non sequitur, quòd datum pro iniusto iudicio sit restituendum, quia hoc non habetur ex illo cap. At hoc esse apertè falsum conuincitur ex verbis D. Aug. eodem cap. adductis paulò superiùs, quæ sunt. *Cum autem iudici, & testimonia, quæ nec iusta, nec vera vendenda sunt, iniqua, & falsa venduntur multo sceleratius vtique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam, quamuis à volentibus datur.*

Responsio Nauarri.

Refellitur.

Nedum ergo prohibitum est vendere iustam sententiā, sed multo magis vendere iniustam ex illo capite, & secundùm D. Augustinum.

113 Quantum ad tertium nimirum quando turpitudo est ex parte vtriusque non ratione prohibitionis acceptionis, vel dationis, sed ratione causæ propter quam datur, & accipitur, vt cum datur pecunia meretrici pro actu meretricio, vel alicui, vt alium interficiat, & similia. Primò conueniunt omnes, quando actus, pro quo pecunia datur, est peccatum non ex obiecto, sed ex circunstantia, vt qui emit rem loco prohibito, vt in loco sacro, vel contra iuramentum datum, & similia, quamuis sit peccatum, non tamen esse obligationem ad restitutionem, quia res est materia vendibilis, & nulla est prohibitio commutationis rei; sed solùm modi commutandi.

Quādo turpitudo est ex parte vtriusque ratione causę

114 Quando verò actus est peccatum ex obiecto, siuè ex genere, sunt diuersæ opiniones. Aliqui dicunt in vniuersum omne pretium receptum pro actu huiusmodi esse restituendum, & hæc est opinio cōmunis, quam D. Thomas apertè tradit 2. 2. quæst. 32. ar. 7. Gabriel in 4. dist. 16. dub. 2. quæst. 6. art. 2. concl. 4. Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 5. art. 5. concl. 3. & 4. & alij citati à Couaruuia regula *Peccatum*, par. 2. num. 5. & ab alijs; fundamentum est regula illa. Quando turpitudo est ex parte vtriusque dantis, & accipientis in vniuersum faciendam esse restitutionem, non illi, qui dedit, sed Deo, in pauperibus, & Ecclesiæ. Cum hoc tamen dicunt meretricem non obligari ad restitutionem eius, quod pro actu meretricio accepit. Secunda sententia dicit esse distinguendum. Quando actus, qui est peccatum, est contra iustitiā alteri debitam, est restituendum illi, in cuius iniuriam fit; sed quando est contra alias virtutes, nequaquam, vt Soto, Azorius, & alij superius adducti. Tertia sententia distinguit. Quando in opere peccati est aliqua industria, vel labor, vel periculum; tunc licitè potest retineri pretium acceptum. e. g. quis accipit pecuniam pro occidendo homine, vel pro faciendo Idolo Idolatris; in his enim actionibus malis est labor, industria, & alia, quæ sunt vendibilia: ideò pretium acceptum pro his peccatis non est obnoxiū restitutioni. Et huius opinionis est Couaruuias regula *Peccatum* par. 2. num. 1. & sequentibus, & hæc mihi verior videtur; & si rectè declaretur, cum communi conuenit.

1. Opinio.

2. Opinio.

3. Opinio.

115 Pro cuius intelligentia notandum est, quòd, vt ait Scotus in 4. dist. 5. quæst. 2. in responsione ad tertium principale, & D. Thomas 2. 2. quæst. 32. ar. 2. insinuat, & alij communiter consentiunt in materia de simonia, sicut in quacunque actione sacra duo sunt, scilicet res sacra, seù consecratio, & materia, seù labor, & industria; Vt in Missa est sacrificium ipsum; & labor sacerdotis, seù actio ipsa celebrandi Missam; in baptismo est ipsum Sacramētum, & actus baptizandi, qui est labor. Et licèt ista sint inseparabilia: quia Missæ labor non est distinctus à Missa; neque Sacramentum baptismi est distinctum ab actu illo, & labore baptizandi; tamen vnum potest vendi, & pro illo potest accipi pecunia; non tamen aliud, neque pro ipso potest accipi pecunia. Vnde quotidie accipiunt sacerdotes pecuniā pro Missis celebrandis, & pro baptizandis, seu pro administratione Sacramentorū; neque tñ tenentur ad restitutionem. Ita in actu peccati duo sunt; nimirum ratio ipsa peccati, & labor, seu actus, & operatio ipsa peccati. Potest ergo vendi, & locari vnum, sine alio; licèt ab inuicem sint inseparabilia. Et sic quis accipiendo pecuniam pro actu peccati, inquantum est peccatum præcisè, teneretur ad restitutionem; sicut qui acciperet pecuniam præcisè pro Missa, inquantum est res sacra, esset simoniacus, & teneretur ad restitutionem. At qui accipit pecuniam ex peccato, non inquantum est peccatum, sed inquantum est labor, & industria, & talis actus, non tenetur ad restitutionem: quia actus ille est vendibilis, neque est contra legem Dei pro illo, vt sic accipere pecuniā, vel aliquod aliud. Ex quo sequitur, quod

3. Opinio probatur.

In quacunque actione sacra sūt duæ res sacra, & labor.

In actu peccati duo sūt peccatum, & labor.

si sit

si sit aliquod peccatum, in quo nullus labor, industria, & similia insint, accipiens pecuniam pro tali peccato, teneretur ad restitutionem, quia est præcisè malum, vt est fortasse peccatum omissionis. Accipiens verò pecuniam pro peccato tali, vt est labor quidam, vel quid tale, nequaquam.

116 Vnde idem mihi videtur dicendum de actu meretricio, siue cum coniugata, siue cum virgine, siue alterius conditionis, & de actibus contra alias virtutes. Sicut enim actus meretricis est vendibilis, vel locabilis, inquantum est actus delectabilis; ita peccatorum actus contra alias virtutes habent suum laborem, & industriã, & alias conditiones, quibus sunt vendibiles, vel locabiles: & sic licèt huiusmodi actus sint peccata; tamen inquantum aliquid pro illis accipitur ratione prædicta, nõ sunt illiciti, nec prohibiti: quia nullibi prohibita est datio, & acceptio pecuniæ, vel alicuius alterius rei pro illis: & hoc modo puto intelligendam esse communem opinionem, cum enim dicunt acceptum pro causa turpi esse restituendum, intelligunt acceptum pro causa turpi quatenus est turpis, & prohibita: sic enim omne prohibitum à Deo, & contra legem ipsius est inuendibile, vt suprà dicebamus propter obligationem actuum bonorũ creaturæ ad Deum. Inquantum verò sunt actus humani laboriosi, & industriosi possunt vendi, & locari: quia sic nõ sunt obligati Deo, nec prohibitum est vendere vel locare illos alijs hominibus.

Promissio ob turpem causã quomodo obseruanda.

117 Ex dictis sequitur, quod qui promisit, vel deduxit in pactum dare aliquid alicui ob turpem causam, scilicet vt aliquod malum faciat, subsequuto malo tenetur dare: quia in soluendo non peccat propter prædictam causam; actus enim ille peccati, licèt sit turpis, tamen ratione actus laboris, &c. vendi potest, & eadem ratione, qui perpetrauit huiusmodi peccatum potest petere pretium promissum pro huiusmodi re turpi. Antequam verò perpetretur delictum, vterque tenetur promissionem, & pactionem rescindere, quia sunt vtraque mala, & in malè promissis rescindenda est fides, iuxta regulam iuris in 6. 58. *Non est obligatorium contra bonos mores iuramentum præstitum*; & secundùm Theologos omnes in 3. distin. 38.

Obiectio Nauarri.

118 Verùm contra id, quod dictum est, promissionem, & pactionem ob turpem causam esse seruandam facto sequuto, arguit Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 38. Nam qui soluit promissionem, vel pactionem factam pro re turpi, soluendo ratificat actum illum peccati: ergo peccaret soluendo; nemo autem tenetur ad id, quod est peccatum. Verùm hæc obiectio est nulla: quia vt Adrianus ait in 4. de restitutione q. quæ incipit, *Oritur alia quæstio*, Azorius vbi supra q. 9. Couarruuias, & alij communiter, falsum est, eum, qui soluit promissum, ratificare peccatum: soluere enim est actus fidelitatis, qui est bonus in se, licèt sit de re mala: potest enim quis soluere, quod promisit pro actu peccati, & tamen sibi displicere, quod actus ille sit perpetratus: soluere ergo tenetur, vt fidem seruet solùm, non vt ratificet peccatum: vnde quod ipsa solutio rei promissæ pro re turpi sit ratificare actum rei turpis, est omninò accidentarium, & valde remotum, quod non facit impedimentum.

Solutio.

De obligatione restituendi accepta ob simulationẽ, & hypocrisim.

119 Non leuis difficultas quoque est inter Doctores, an accepta per simulationem, & hypocrisim sit obnoxia restitutioni. Quidam enim quandoque se fingunt pauperes, vt acquirant eleemosinas, & tamen reuera non sunt pauperes, qui autem dant eleemosinas, si scirent eos non esse pauperes, eas illis non darent: similiter quidam se fingunt viros probos, vt habeant aliquod beneficium, & tamen reuera sunt homines peruersi, & mali; si autem, vt tales cognoscerentur beneficia illis non conferrentur: quæritur, An isti, qui sic per simulationem, & hypocrisim eleemosinas, vel beneficia, & quid simile acquirunt, teneantur ad restitutionem.

Recipiens eleemosinã

120 Ad primum dubium de simulatione respondent

simulans se pauperem, tenetur ad restitutionem.

communiter Theologi, & Canonistæ accipientes hoc modo aliquid, vt eleemosinam obligari ad restitutionẽ: sic Scotus in hoc 4. dist. 15. quæst. 2. ar. 3. vt vidimus suprà. Alensis 4. p. q. 24. Gabriel in 4. dist. 15. q. 9. ar. 2. concl. 7. qui adducit Alensem, Syluester verbo *Restitutio*, 3. q. 10. Canonistæ in cap. *quia plerique* de immunitate Ecclesiæ. Nauarrus in Man. cap. 17. num. 107. qui dicit hanc opinionem esse communem Theologorum, & Canonistarum, & recentiores. Ratio huius opinionis est, quia, vt dicit Scotus loco citato, qui decipitur circa conditionem, propter quam donat, nõ liberaliter omninò donat: ideò qui donat alicui, quia putat illum esse pauperem, & tamẽ reuera non est pauper, non verè liberaliter donat, sicut qui donat alicui, quem putat propinquum, si non est propinquus, donatio est nulla.

Opi. Soto.

121 Soto tamen lib. 9. de iustitia, q. 7. ar. 3. ad 4. hanc opinionem Alensis, & communem dicit non habere locum in eleemosinis quotidianis; hoc enim est nimis durum, sed solùm quando aliquis impostor magnus ex industria magnam necessitatem, vel sanctitatem effingeret ad extrahendam aliquam magnam eleemosinam: quia in hoc casu eleemosina esset fraude extorta. Ratio autem ipsius est: quia qui faciunt eleemosinam, non faciunt illam præcisè sub hac conditione, si reuera sit pauper, sed ratio præcipua est propter Deum; licèt causa motiua sit paupertas personæ, cui fit eleemosina. Quod confirmat ex Adriano: quia quando causa finalis est vera, licèt motiua sit falsa, contractus est legitimus, & transfertur dominium, vt contingit in alijs contractibus.

122 Nauarrus in Man. cap. 17. num. 107. hanc opinionem Soto reijcit: quia parum refert, quod eleemosina sit parua, vel magna. Nam quod est alienum, siue magnum sit, siue paruum dummodo non sit adeò modica quantitas, quæ spernatur, est obnoxium restitutioni. Adiungit tamen distinctionem, quam idem Soto ibi ex Adriano sumit, & acceptant Medina, q. 23. de rebus restituendis. Azorius lib. 4. cap. 21. q. 8. quòd si simulatio paupertatis sit causa finalis, tenetur ad restitutionem. Si verò sit causa motiua, siue impulsiua tantùm, non tenetur ad restitutionem. Causam autem finalem in proposito explicat Azorius esse eam, quæ est simpliciter causa, vt sequatur effectus, adeò quòd ea circumscripta effectus non sequeretur: causa autem impulsiua est, quæ mouet quidẽ, sed tamen non mouet ad simpliciter dandum, sed solùm ad promptius, & faciliùs dandum.

Reijcitur allata opinio.

123 Hæc distinctio de causa finali, & impulsiua mihi vana videtur, quia secundùm Philosophos, & Theologos solus finis est causa motiua, & impulsiua agentis ad opus: ideo distinctio hæc est vana, nisi accipiatur in hoc sensu, quod causa finalis sit duplex, principalis, & minus principalis, sicut finis alicuius actionis, potest esse duplex, scilicet principalis, & minus principalis, in quo sensu videtur eam exponere Azorius. Sed tunc est difficultas, An in eleemosina facienda causa finalis principalis sit paupertas ficta, & certè dicendum est esse paupertatem. Quòd probatur, quia charitas, & amor Dei est causa finalis faciendæ eleemosinæ in communi; at causa finalis, propter quam huic personæ particulari determinatæ fiat, non est charitas Dei, sed paupertas ipsa ficta: qui enim vult facere eleemosinam propter Deum, quærit pauperem, & facit eleemosinam ei regulariter, quem putat pauperem: neque enim videmus erogari regulariter eleemosinas diuitibus, & non egenis: his enim dona dantur, non eleemosinæ, sed pauperibus: ergo ratio, & causa principalis, propter quam huic personæ donantur eleemosinæ est paupertas: si ergo quis decipiatur circa hanc conditionem, & rationem, propter quam illi facit eleemosinam, vt dicebat Scotus non est voluntaria donatio, & sic tenetur ad restitutionem. Ideò huiusmodi simulatores obnoxij sunt iudicandi ad restitutionem. Neque est recedendum à communi sententia.

124 Et per dicta patet ad fundamenta Soto, & alio-

 rum.

rum. Dicendum est enim quod causa finalis principalis faciendi eleemosinam huic personæ particulari est paupertas simulata; charitas autem Dei est finis faciẽdi eleemosinam in cõmuni, non huic particulari, vt particulare est. Patet etiam ex Adriano, & ex simili in contractibus: dicimus enim quòd sicut in contractibus causa finali deficiente (admissa eius distinctione) contractus est nullus; sic in largitione eleemosinæ. At paupertas est causa finalis, non impulsiua tantùm, vt est probatum: ergo. Neque hoc est durum asserere in eleemosinis quotidianis: quia maxima est fraus simulare paupertatem, & eleemosinas veris pauperibus hac simulatione iniqua auferre, & fraudare mentem facientium eleemosinas.

Quid de bñficio accepto per simoniam. Opinio Soto, & quorundã aliorum.

125 Ad aliud dubium de beneficio accepto per simoniam tenent Soto, & alij Doctores cum eo in superiori casu sentientes, quòd non teneatur ad restitutionem: quia inquiunt, prælati in conferendis beneficijs, vel officijs vti non debent ea conditione, quòd conferant beneficium illi personæ, si verè non sit hypocrita, sed absolutè conferre debent. Immò addit Soto, quod prælatus, qui conferret beneficium ea conditione, nõ conferret ad intentionem Ecclesiæ; quia sacramenta, & collationes dignitatum Ecclesiasticarum non debent conferri sub conditione, sed absolutè; alioquin sequerentur multa absurda in Ecclesia: quia multi mala fide possiderent præbendas, & officia Ecclesiastica; hoc autem concesso multæ functiones Ecclesiasticæ redderentur suspectæ. Azor. autem loco citato dicit, Hanc esse opinionem cõmunem.

Opinio Alensis, & aliorum approbatur.

126 Nihilominus Alex. Alẽsis loco citato, Altisiodorensis lib. 4. c. de restitutione, & multi alij teste ipso Soto, vt sunt Gabriel loco citato corrollario 2. Syluester verbo *Restitutio* 3. q. 10. in principio, & alij quos omitto, tenent eum, qui ex hypocrisi accipit beneficium, teneri ad restitutionem. Et ratio est, quia qui confert beneficium decipitur secundùm eam rationem, secundùm quam beneficium illi confert; vbi autem est deceptio est inuoluntarium; vbi inuoluntarium nullus est contractus, nec traditio rei valida. Nec obest, quod si Episcopus conferat beneficium alicui viro malæ vitæ, quem tamen putat esse bonæ vitæ valet collatio: quia, vt optimè inquit Syluester loco citato, iuxtà ipsum Alensem, ille non dr̃ hypocrita qui abscondit fragilitatem suã nihil bonitatis ex hac fictione prætendens vltra cõem statum suæ religionis, vel professionis; sed qui fingit sanctitatem talem, qua prætendit aliquid bonitatis vltra statũ suæ religionis, & cõdictionis; hic enim est verè hypocrita ideò qui hac fictione specialis bonitatis obtineat aliquod beneficium, propriè decipit prælatum: quia specialiter prælatus mouetur hac speciali sanctitate ad dandum illi beneficium; vnde cum secundùm hanc rationem decipiatur, sequitur actũ esse inuoluntarium, & consequenter nullum. Ille verò, qui non vtitur simili fictione prætendens specialem bonitatem super alios sui status; sed tamen occultat fragilitatem suam, non decipit prælatum, licèt non sit eius bonitatis, cuius existimat prælatus: quia nullo artificio neque industria speciali vsus est ad decipiendum prælatum sicut hypocrita. Et ideò ab hac opinione Alexandri non mihi videtur esse recedendum.

Hypocrita quis.

Ad fundamẽtum aduersariorũ.

127 Quod autẽ dicebat Soto hoc admisso sequi magna inconuenientia, quia redderentur suspectæ multæ functiones in Ecclesia. Respõdeo non credo multos esse, qui sic per hypocrisim affectent, & consequantur beneficia; quoniam, vt dixi, etsi multi occultent fragilitatem suã vt debent; non tamen multi sunt, qui speciali simulatione sanctitatis id affectent; quod si aliqui adsint, meritò obligantur ad restitutionem. Quia nihil peius est, quàm sub pelle ouina esse lupum: possunt enim sub specie sanctitatis specialis magna mala facere, quod autem spectat ad functiones, dicitur illud non nocere simplicibus bona fide accedentibus; sicut Ministri Sacramentorum mala fide ministrantes, vt non intendentes conferre Sacramenta debita intentione, si qui sint, non nocent suscipientibus simplicibus, vt diximus suprà agendo de intẽtione Ministrorum Sacramentorum. Et sic patet ad fundamentum aduersariorum; dicimus enim quod prælatus non debet concedere sub illa conditione, sed absolutè; dicimus tamen non debere decipi in ratione, per quã facit illam collationem; cum autem confert beneficium hypocritæ, confert propter illam sãctitatem, quæ reuera nulla est: ideò non valet, sicut non valeret donatio facta alicui, quem quis putaret esse suum propinquum, & tamẽ non esset. In collatione autem ordinariè licèt prælatus existimet dare beneficium viro probo; & non sit, non decipitur: quia nulla speciali fictione vel fraude adducitur ad conferendum illi illud beneficium: ideò est volũtaria collatio.

Ad fundamentũ aduersariorũ.

Quid de fictè ingredietib. Collegia.

128 Ex dictis sequitur eos peccare, & teneri ad restitutionem, qui, vt admittantur ad aliquod Collegium, vel Hospitales se fingunt esse nationis, gentis, cõditionis, & gradus, ætatis &c. quæ requiruntur ad eos, qui ad huiusmodi collegia, hospitales &c. admittuntur. Ratio est, quia si sciretur, quod non haberent reuera tales cõditiones non admitterentur, est ergo inuoluntaria collatio, & ideò nulla, quod etiam admittunt Nauarrus in Manuali cap. 18. num. 8. & Azorius vbi supra.

Quid de fictè obtinẽte beneficia legatorum.

129 Idem dicendum quando in aliquo oppido, vel loco sunt legata pia, vel montes pro nubendis pauperibus fœminis, vel virginibus requirentia certas conditiones, aliquæ fœminæ fingunt habere illas conditiones, & reuera non habent; peccant enim, & tenentur ad restitutionem propter eandem causam. Nedum autem illæ, sed qui illas adiuuant ad hæc obtinenda, iuxtà dicta superiùs de consentientibus in ablatione rei alienæ. Idem dicendum, quando in templis, oratorijs, & similibus fiũt eleemosinæ pro certis pauperibus, & illæ deinde applicentur alijs vsibus, vel alijs pauperibus, nisi fiat ex consensu dantium. Verum est, quod si datæ sunt intuitu paupertatis simpliciter, & studio pietatis, & misericordiæ, sed non intuitu certorum pauperum, vel certi operis pij faciendi, possunt dispensari ad opus pium, quod magis placuerit disponenti de huiusmodi eleemosinis.

Quid de eleemosinis datis vni, & aplicatis alteri.

De restitutione acquisitorũ per errorem.

130 Ex eodem fundamento sequitur ea omnia esse obligata ad restitutionem quæ acquisita sunt per errorẽ; quoniam error ex Theologis, vt ex Scoto loco citato, D. Thoma 2. 2. q. 6. ar. 8. & alijs, & Iurisperitis, tollit voluntarium: error autem potest esse vel in persona, vt cum dono rẽ Caio, & puto me donare Meuio; Vel est in substantia rei, vt est quando dono rem alienam, & puto donare meam; Vel dono aurum, & puto donare auricalcũ, vel argentum, & sic de alijs. Vel est circa qualitatem personæ, vel rei, vt cum puto donare Petro Clerico, & dono Petro Laico, vel amico, & dono inimico; Vel puto donare vestem veterem & laceram, & dono nouam. Quãdo error est in persona, & re, omnes conueniunt donationem, & dationem esse nullam, & consequenter qui sic acquisiuit rem, tenetur ad restitutionem: quia contractus est inuoluntarius.

Quid dicẽdum quando error est circa qualitate rei, & personæ. Solutio.

131 Quando verò error est circa qualitatem personæ, vel rei. Aliqui dicunt non esse restitutioni obnoxiũ. Quod probant à simili. Quia si quis ducit vxorem deformem putans esse pulchram, valet matrimonium. Alij verò vtuntur distinctionibus superius adductis. Sed est respondendum ex eodem fundamento, quòd si conditio illa, & qualitas in re, vel persona est ratio dationis, si illa non adest, vel est ficta, donatio est nulla, vt patet expressè de eo qui legauit suam hæreditatem Petro, quia putabat esse suum propinquum: & de eo qui donauit vestem nouam putans esse veterem: & consequenter qui sic accepit rem obligatur ad restitutionem. Ad rationem illam in oppositum respondetur non esse parem rationẽ de pulchritudine, & deformitate mulieris in matrimonio: quia illa qualitas non potest esse causa consensus in matrimonium; quoniam qui contrahit, tam scit, quòd error in tali conditione non impedit matrimonium; &

hoc

hnc ex legibus communibus matrimonij, sed solùm error personæ. In proposito autem qualitas personæ, vel rei potest esse ratio donationis, vel contractus: ideo cũ adest error in tali qualitate, quæ est ratio contrahendi, vel donandi, contractus, & donatio est nulla.

An extorta per metum sint obnoxia restitutioni.

132 Demum est dubitatio, An acquisita, seu potius extorta per vim, & metum obnoxia sint restitutioni. Ad quam breuiter est respondendum affirmatiuè, quia vt diximus suprà disp. 48. cap. 2. ratione secunda principali, licèt per actionem aliqualiter coactam, vt est ea, quæ fit metu, transferatur dominium in extorqueotem, sicut & in vsurarium transfertur dominium vsuræ per dationem aliqualiter coactam: tamen qui sic accipit aliquid tenetur ad restitutionem, & datur repetitio, vt ibi diximus: quia vbi est metus, & aliqualis coactio, licèt sit voluntarium simpliciter, tamen est inuoluntarium secundùm quid, & mixtum inuoluntario. Ad donationem autem, & ad hoc vt donans dominium transferat, & abdicet à se omne ius in re commutata, vel donata, requiritur, vt actio sit omninò, & simpliciter voluntaria: & proinde cum actio facta metu præsertim cadente incostantem virum sit inuoluntaria saltem secundùm quid, & non simpliciter voluntaria, sequitur, quòd sic acquirens aliquid teneatur ad restitutionem. Immò hoc idem dicendum est etiam de metu qualicunque: quia metus qualiscunque cum est causa donationis, vel commutationis, semper facit actum inuoluntarium secundùm quid, & tollit voluntarium simpliciter, quod requiritur ad omnẽ contractum, & commutationem, vt ibidem cum Scoto vidimus: ideò extorium per talem metum est obnoxium restitutioni. Idem dicendum de metu reuerentiali in foro conscientiæ, quidquid dicant leges ciuiles; quia illæ procedunt solùm in foro exteriori, quod in specie etiam asseruit Syluester verbo *metus*. q. 12. Hostiensis, Innocentius, cap. finali. De his quæ vi, metusvè causa fiunt, & alij. Nec dissentit Azo. lib. 4. c. 23. q. 5. licèt aliter hoc explicet.

Metus qualiscũque obligat ad restitutionẽ.

Metus reuerentialis facit inuoluntarium.

133 Ex quo sequitur contra Azorium lib. 4. cap. 23. q. 3. venditionem rei metu factam, etiam iusto pretio, non esse validam: quia metus fuit inuoluntarium secundùm quid, vnde licèt transferatur dominium, quia actio est voluntaria simpliciter: tamen remanet ius repetendi rem suam: Et idem dicendum de alijs similibus contractibus; quia in his requiritur voluntarium omninò absque mixtione inuoluntarij.

Cui facienda sit restitutio. Cap. IIII.

Regula Scoti.

134 AGit quarto loco Scotus de eo, cui facienda est restitutio, & ponit hãc regulam, & assertionem. Restitutio facienda est damnificato, si est possibila; & si non est possibile fieri illi, debet fieri propinquis, exceptis solis duobus casibus. Primus est, quando hic, qui est damnificatus, & sui parentes ignorantur. Secundus si maiores sumptus essent ponendi in mittendo rem ablatam, quàm res ablata valeat, illi cui mittitur. In casu autem illo, quod damnificatus non reperiatur, restitutio facienda est pauperibus pro illo per manum ipsius, qui rem abstulit potius quàm alterius, consilio tamen adhibito confessarij, vel alicuius alterius personæ prudentis. Hæc est regula Scoti breuis, & dilucida, in qua continentur septem dicta. Primum quod res ablata est restituenda damnificato. Secundum, si hoc est possibile. Tertium, si non est possibile restituendam esse propinquis. Quartum, quod hinc fallit, & restituens excusatur, quando damnificatus ignoratur: quia vel est mortuus, vel absens, & similiter ignorantur sui propinqui. Quintum similiter excusatur, quando maiores sumptus efficiuntur in mittendo, & restituendo, quàm res valeat damnificato. Sextum in hoc casu esse restituendum pauperibus. Septimum esse restituendum per manus ipsius restituentis potius, quàm per manum alterius.

In regula Scoti continentur septem dicta.

Restituendũ est damnificato.

135. Quantum ad primum nulla est dubitatio. Nam sępè contingit, quòd res non possit immediatè restitui domino suo, nisi cum detrimento alterius: ideò in tali casu ne alteri damnum inferatur non est immediatè restituẽda domino, sed illi à quo ablata est, & damnificaretur nisi illi restitueretur. Vnde omnes conueniunt rem ablatam esse restituendam quidem domino, sed per dominum intelligunt illum, qui habet rei dominium: & qui proinde ex ablatione illius rei, licèt non sit illius verus dominus, dãnificaretur. Vnde si res auferatur administratori, procuratori, dispensatori, custodi, depositario, curatori, tutori, & cuicunque iusto titulo possidenti aliquam rem, licèt non sit eius dominus, est restituenda non domino, sed isti, qui possidet eam iusto titulo. Ratio est, quia ex non restitutione illius rei illi, ei accideret damnum. Teneretur enim ille eam restituere domino. Vnde quod Scotus hic breuiter tradidit, explicauit Nauarrus in Manual. cap. 17. nu. 28. & sequentibus fusè. Vbi obseruat, quod etiam res potest restitui domino, & non damnificato, quando ei, qui dãnificaretur, consuleretur ita, quod nullum damnum, neque in rebus, neque in fama, & honore pateretur, neque alicui scandalum esset: & hoc maximè ait fieri posse, quando esset suspicio, qood illi non essent restituturi vero domino. Adeò quòd hæc est regula certa, restitutionem faciendam esse damnificato.

136 Ex quo deducitur, quod qui habet, vel emit rem furatam, tenetur restituere furi, vt ipse fur possit eam restituere, si tamen speratur eam restituturum, & verum dominum nullum esse passurum damnum. Et ratio est, quia nisi res furata non restituatur furi, fur ipse non poterit restituere, & sic ipse damnificabitur. Hæc ergo regula est præ oculis habenda, & innumeri casus ex ea poterunt solui: & hoc est intelligendum de his rebus, & dãnis, quæ essent restituenda dominis, & possessoribus, non autem de ijs, quæ non ipsis, sed Ecclesiæ, vel Deo in pauperibus, vt sunt, quæ sunt restituenda ex causa turpi, & similia, de quibus infrà.

137 Secundum, quod asserit Scotus, est, restitutionẽ esse faciendam damnificato, si est possibile huiusmodi restitutionem facere illi: erit autem possibile si damnificatus sit notus, & sit præsens, ita quod commodè fieri possit restitutio. Si autem dominus ignoratur, vel sit absens, ita quòd nõ possit mitti sine maiori sumptu q̃ res valeat, erit impossibile facere resĩonem domino prout nũc possibile, & impossibile accipimus. Si dãnificatus sit ignotus tunc bona restituenda dicuntur incerta: quia incertum est, cui sint restituenda. Quando ergo dominus, seu dãnificatus est ignotus, debet is, qui obligatur ad restitutionẽ, vti omni diligentia ad inueniendum damnificatum, quę secundùm prudentiam adhibenda esse videtur: Quod si adhibita diligentia huiusmodi non reperiatur dominus, est distribuenda pauperibus, vel Ecclesiæ, vt infrà dicemus; & quamuis deinde inueniatur damnificatus, excusatur à restitutione illi. Si autem non adhibeat hanc prudentem diligentiam, licèt eam distribuat pauperibus, si deinde dominus, & damnificatus reperiatur, restituenda est illi; & sibi imputetur, quod iterum debeat restituere: quia debebat adhibere debitam diligentiam.

Secundam assertu Scoti probatur

Bona incerta cui restituenda.

Quę diligẽtia adhibẽda sit ad reperiendũ dominum rei incertæ ablatæ.

138 Si autem certò sciatur rem esse alicuius ex certis personis, vt puta sciatur rem esse, vel Caij, vel Titij, vel Meuij certò; tamen ignoretur cuiusnam illorum certò sit, tunc res est diuidenda inter illos tres: quia certum est esse illorum rem, vel damnum; non autem danda est pauperibus.

139 Si verò sit impossibile restituere damnificato propter absentiam, vel propter aliquod aliud impedimẽtum, quęrendum est, an hæc impossibilitas possit tolli, & sit cessatura. Et si commodè mitti poterit, ita quòd sumptus in mittendo non excedat valorem rei missæ, vel nõ afferat aliquod graue detrimentum debitori, tenetur mittere; sed si sumptus excedat, tenetur dare pauperibus, vel in aliud opus pium insumere, vt dicam infra agendo de *Quando sit restituendum.*

Quando teneatur quis mittere rẽ ablatam proprijs expensis.

Verùm

Obiectio contra doctrinam allatam.

Opin. Scoti, D. Thomæ, & plurium aliorum.

Opi. Caietani, & aliorum cōtraria.

140 Verùm circa hoc assertum Scoti, quòd quando damnificatus est absens, & in mittendo rem, maior sit sumptus, quàm res valeat creditori, debitor nō teneatur ad restitutionem est dubium. Nam licèt D. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 5. ad tertium sentiat idem, quod Scotus, & hæc sit communior opinio, quam sequuntur Richardus, Gabriel, & multi ex veteribus; tamen Caietanus loco citato circa tertium argumentum quem postea sequuti sunt Soto, Nauarrus, Couarruuias, & alij, quos Azorius adducit, & sequitur lib. 4. cap. 32. distinguunt. Vel enim est sermo de re aliena accepta iustè, vel de re aliena accepta iniustè. Tunc Caietanus dicit, quod si restitutio est facienda ratione acceptionis iustè, vt ratione contractus, vel quasi contractus, restitutio debet fieri impensis creditoris, non debitoris. Ratio eius est, quia qui possidet iustè, vel est possessor bonæ fidei: quia scilicet accepit per hæreditatem, vel per legatum, & huiusmodi, & tunc non est cur patiatur damnum in restituenda re; sed sufficit si rem alienam ipsam restituat eo loco vbi sita est; neque tenetur mittere eam ad dominum si distet ab eo. Si etiam debet restituere ratione contractus, adhuc debet mitti impensis creditoris; siue debitor fuerit qui longè profectus est, siue creditor. Et ratio ipsius est: quia creditor sibi imputare debuit, quod non deduxit in pactū, vt restitueretur impensis debitoris si aliò migraret. Alij tamen tenent in hac re, eum teneri expensis suis mittere, qui prius à loco vbi res restituenda erat, discessit (sermo est quando non est conuentum inter partes de loco vbi restituenda sit res) siue ille sit debitor, siue creditor. Alij tamen, vt Nauarrus, tenent in hoc vltimo casu restituendam esse eo in loco, in quo coram iudice competenti petita fuerit. Sed quò ad hanc partem mihi videtur dicendum cum recentioribus eo loco faciendam esse restitutionem vbi res est: cum enim quis habet rem alienam iusto titulo, satis est, quod eam restituat. Vnde sicut non debet fieri locupletior, ita nec deterior, & proinde æqualitas seruatur cum restituit rem alienam, quam habet. Et in hoc sensu maximè vera est opin. D. Th. Scoti, & aliorum, & de hoc non est dubiū, licèt D. Th. Scotus, & alij de hoc mēbro non loquantur; supponūt enim in restōne rei alienæ acceptæ iustè, debitorē ad nullas expensas teneri.

De loco vbi res est restituenda.

Opi. Caietani, & aliorum in quo discrepet à Scoto & D. Tho.

Fundamētum huius opinionis.

141 Verùm loquendo de re accepta iniustè Caietanus, Soto, Azorius vbi suprà cap. 32. & 33. & alij ab eis citati, tenent opinionem D. Thomæ, Scoti, & aliorum esse falsam; tenent enim debere mitti ipsi creditori quantumcunque distanti expensis debitoris, siue id acciderit, quia vel creditor prius migrauerit ex eo loco, siue debitori, etiam si maiores sint impensæ, quàm res ipsa valeat, & sit vtilis domino. Ratio eorum est, quia possessor malæ fidei, vel morosus debitor, eo quia non restituit quādo debuit, vel quia abstulit rem alienam inuito domino, sibi debet imputare, quod huiusmodi expensas facere cogatur. Neque enim dominus rei, vel damnificatus debet damnum pati, ex hoc quod impensæ in mittendo rem suam sibi ipsi maiores sint, quàm valeat res, & sibi commodum afferat. Adiungunt tamen debere extrahi expensas, quas ipse creditor fecisset in transferendo secum rem illam, si ex eo loco, quo ei ablata fuit, esset aliàs migraturus. Ratio est, quia sicut creditor non debet damnificari, ita nec debet locupletari ex actione illa iniusta. Locupletaretur autem, si expensæ, quas ipse esset facturus, non eximerentur.

Reijcitur allata opinio Caietani, & sectatorum.

142 Hæc opinio Caietani, & sectatorum mihi videtur irrationabilis, quò ad hoc membrum de iniusta acceptione, de qua loquuntur D. Thomas, Scotus, & alij veteres; neque puto esse recedendum ab eorum opinione. Nam ad hanc opinionem Caietani, & sectatorum, sequitur quod si, verbi gratia, Caius furatus sit Meuio centum aureos (& idem dicendum multo magis de minori quantitate; vt decem aureis, & huiusmodi) qui quidem mercator Meuius sit ditissimus, & ex Italia proficiscatur in Indiam cum sua familia ibi commoraturus semper, Caius teneatur mittere in Indiam suis expēsis illos 100. aureos, etiam si deberet expendere bis mille aureos in huiusmodi missione. Quis autem non videt hoc esse irrationabile, nec vllo modo consulendum Caio pœnitenti? Nam, vt dicam infrà cum Scoto explicando particulam, *Quando* facienda est restitutio, dominus seu damnificatus in tali casu non potest rationabiliter velle, vt sibi hæc pecunia reddatur cum tanto damno proximi, & adeo paruo suo commodo, vel nullo: licèt enim ex iustitia teneatur Caius restituere Meuio illos 100. aureos tamē hoc præceptum iustitiæ non obligat cum tanto detrimento damnificantis: sicut nec obligat cū periculo ammissionis famæ, vel vitæ. Charitas enim, qua tenemur diligere proximum, non patitur, vt dominus seù damnificator pro tā modico damno, velit tam magnum detrimentum proximi, vt infra agendo de particula, *Quando*, dicemus. Et per hoc satisfit rationi Caietani: licitè enim dominus rei, vel damnificatus non potest velle non pati damnum: ideò debitor inuito domino tunc non habet illam, rem alienam: neque præceptum iustitiæ obligat eum ad restituendum cum tanto detrimento; esset enim restitutio cum maxima inæqualitate restituentis, & pœnitentis. In hoc ergo casu esset facienda restitutio creditori in pauperibus, vel in aliquod opus pium erogando, vt suprà diximus.

Ad fundamētum Caietani.

Quid si debitor mittens rē ablatam domino pereat?

143 Sed quid dicendum, si debitor mittens rem ablatam damnificato, res fortuitò, vel malitia nuntij, vel latoris perit? Respondetur quod cum res est ablata inuito domino, & iniusto titulo, semper debitor tenetur ad restituendum, siue casu fortuito, siue malitia nuntij, vel latoris pereat, nec ad manus damnificati perueniat. Et hæc est ratio, propter quam Scotus asserit melius facere eum qui obligatur ad restitutionem, restituendo per se ipsum, quam per alium: quia, etsi de fidelitate alterius speret, potest tamen decipi. Si verò rem alienam accepit iusto titulo, nec est in mora si accepit rem alienam tali titulo, quod dominium non sit traslatum, vt in deposito, commodato, & huiusmodi, & nuntius reputatur fidelis, si perit fortuitò, vel malitia nuntij, perit Domino, & excusatur debitor à restitutione. Sic Abbas in cap. *Significasti*, & reliqui. Sed quando res transiuit in dominium possidentis, vt si fuit pecunia, granum, vinum, & huiusmodi, quod non idem numero, sed in æquiualenti est restituendum, tunc si perit fortuitò, vel malitia nuntij, perit debitori. Ita idem Abbas, & alij. Ratio vtriusque assertionis est: quia semper res ammittitur domino: in priori casu creditor erat dominus: in secundo debitor est dominus. Ideò in priori debitor excusatur, non in secundo.

Tertiū assertum Scoti probatur Restituendū est propiquis mortuo principali.

144 Tertium, quod ait Scotus, est, restitutionem esse faciendam propinquis, quando ipsi principali damnificato fieri non potest, vt quia est mortuus, vel adest aliquod aliud impedimentum, vt quia est absens, & non potest, nisi cum magno dispendio ei res, vel damnum restitui, & resarciri, de qua re infrà. Probat Scotus hoc assertum: quia de lege naturæ præsumitur, quòd ille, qui est damnificatus, magis velit restitutionem fieri propinquis suis, quàm alijs: & de hoc non est dubium. Consentiunt enim omnes Theologi, & Iuristæ. Et hoc multò fortiùs dicendum est de hæredibus, quos constituit, si non mortuus est ab intestato; costituendo enim hæredem patefecit cuius vellet esse sua bona relicta.

Quartū assertū Scoti Facta diligentia debita excusatur.

Quintū assertū Scoti

145 Quartum scilicet quod facta diligentia debita, nec inuento damnificato, nec propinquis excusetur à restōne illi, vel illis, ex dictis sequitur, & est clarum. Quia nemo ad impossibile, seù ad tam difficilem diligentiam obligatur. De quinto patebit similiter infra agendo de *Quando* facienda sit restitutio.

Sextū assertum Scoti. Quod restitutio fieri debeat pauperibus bonorū incertorum.

146 Quantum ad sextum, scilicet, quod res restituenda domino stante ignorantia veri domini, siue damnificati, etiam facta diligentia, & prudenti, ac bona fide, sit restituenda Deo in pauperibus, probat Scotus hac ratione. Cui nō potest fieri restitutio temporaliter, debet fieri

spiritua-

spiritualiter; at restitutio spiritualis maximè fit restituendo pauperibus pro eo cui temporaliter restitui non poterat: ergo huiusmodi bona incerta eroganda sunt pauperibus pro eo cuius sunt. Hoc idem dicendum est de rebus perditis, & inuentis, & ignoratur dominus.

De rebus perditis q̃d agendum.

An bona incerta restituẽda sint pauperibus iure naturę. Opi. Soto, Azorij, & aliorum.

147 Verùm hic Soto in 4. lib. de iustitia, & iure, q. 7. art. 1. ad tertium excitat dubium, An hęc obligatio, quod huiusmodi bona incerta restituantur pauperibus, sit de iure naturæ, an de iure positiuo, vel aliquo alio iure, & asserit non iure naturali, sed tantùm iure canonico oriri hanc obligationem, quam opinionem iudicat probabilem Azorius lib. 4. c. 26. eorum rationes sunt.

1. Ratio. Confirmatur.

148 Primò, quia potest accidere, quod res perdita sit alicuius Turcę, vel Pagani, qui sit in infidelitate mortuus, cui nihil prodest erogare illam pauperibus: ergo. Possumus idem dicere de Christiano, quem ego cognoui, sed tamen mortuus est, & nullum reliquit hæredem, nec per testamentum, nec naturali successione: potuit enim contingere, quod iste mortuus sit in peccato mortali, & quod proinde restitutio spiritualis facta ei nullo modo prosit.

2. Ratio.

Secundò, si iure naturali bona incerta essent debita pauperibus, difficile esset saluare, quomodo Papa, & Respublica, seu Princeps possit ea alijs vsibus applicare; & tamen videmus Pontifices, & Principes huiusmodi bona incerta alijs vsibus præterquam pauperibus applicare.

3. Ratio.

149 Tertiò, quia ius naturale solum dictat huiusmodi bona restitui debere; non tamen dictat, cui restituenda sint: sicut etiam ius naturale dictat homicidas puniri debere, non tamen dictat in particulari hæc, vel illa pęna esse puniendos, sed hoc relinquit Principi. Ex his concludit Soto, quod bona ista incerta erogantur pauperibus solùm ex iure Canonico. Vnde Alexander, inquit, Papa fuit, qui Anno Domini 1170. hoc faciendum Archiepiscopo Salernitano præcepit, vt habetur cap. *Cum tu de Vsuris*: licèt id fecerit ad imitationem sanctorum antiquorum, atque Euangelij iuxtà illud, *quod superest, date pauperibus*: sed stando præcisè in iure naturali, inquit, illa bona incerta veniunt in vsum publicum; vnde a Principibus, & à Republica possent applicari alijs vsibus, & etiam fisco.

150 Quod si obijcias, si nulla esset constitutio Pontificis, vel Reip. qua decernerent, in quos vsus huiusmodi bona essent applicanda, quibus essent illa bona dispensanda? Soto iuxtà hoc suum principium habet dicere, fore iudicandum de illis bonis, ac si essent vacantia, & nullum haberẽt dominum, & proinde esse primi occupantis, scilicet illius, qui primò occupat illa. Idem enim iudicium est faciendum de rebus perditis, & inuentis ignoto domino peracta debita diligentia, & de rebus ablatis certo domino, qui deinde mortuus fuerit, & eius hæredes non inueniantur peracta eadem debita diligentia. Ratio enim eius est, quòd sicut in prima rerum diuisione, quæ erant communia facta sunt primi occupantis, ita cum huiusmodi bona, cuius dominus ignoratur (loquimur enim de bonis, quæ aliquando habuerunt certum dominum; non de bonis communibus, quæ nunquam vllum certum dominum habuerunt, vt sunt lapilli prætiosi in litore maris concreati, & similia) sint vacantia, videntur esse primi occupantis de iure naturæ, & consequenter ipsius inuentoris.

Refellitur opinio allata.

151 Verùm hæc opinio efficaciter refellitur per rationem adductam à Scoto: quia res aliena, & valor damni dati semper debet restitui domino, seu damnificato, si est possibile, & hoc de iure naturæ; ex hoc autem sequitur, quod si non possit illi restitui temporaliter, restituatur spiritualiter, quia hic modus est possibilis, & est ipsi damnificato valde vtilis, & præsumendum est esse de voluntate ipsius quàm maximè. Hæc opinio videtur esse communis, eam enim implicitè tradunt D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 5. ad 3. & alij Thomistæ ibidem. Gabriel in 4. d. 15. q. 2. art. 3. dub. 3. Nauarrus in Man. cap 17. num. 92. Couaruuias Regula *peccatum* p. 3. §. 1. num. 3. & alij ab eis citati, dum absolutè dicunt restitutionem harum rerum faciendam esse pauperibus. Sed tunc est difficile saluare, quomodo licitè Principes, & Papa possint hęc bona alijs applicare, cum non possunt dispensare super ius naturale. Hæc obiectio diluetur in responsione ad secundum pro Soto, & Azorio.

Ad primã rationẽ pro opinione Soto.

152 Ad primam ergo rationem pro Soto respondetur in eadem ratione in confirmatione adductam esse solutionem. Nam eadem est ratio de infideli mortuo in infidelitate, & de Christiano mortuo in peccato mortali: quia sicut erogatio suorum bonorũ pauperibus non prodest Turcæ, & infideli in infidelitate mortuo; ita nõ prodest Christiano mortuo in peccato mortali. Sed sic est, quod hoc non obstante bona Christianorum erogantur pauperibus: ergo bona illa etiam si essent infidelium debent pauperibus erogare. Quòd verò dicitur, quod illis talis erogatio non prodest. Respondeo, quod sicuti eleemosinæ, & reliqua bona non prosunt Christianis mortuis damnatis, sed Deus benedictus illa applicat alijs defunctis, quibus valere possunt; vel aliquod aliud bonum capacibus, intuitu illorum præbet: quia nullum bonum irremuneratum: Ita si bona sint infidelis in infidelitate mortui, etsi illi non prosint, proderunt alijs capacibus; vel Deus aliquod aliud bonum Ecclesiæ suæ, vel infidelibus alijs viuis faciet intuitu erogationis pauperibus illorum bonorum: adeò quod erogatio illa non erit frustra: est enim de se opus bonum: ideò remunerabile aliquo modo.

Ad secundam.

153 Ad secundam respõdetur, quod sicuti Principes propter bonum publicum possunt ipsis particularibus viuis, & præsentibus imponere collectiones & contributiones, & ipsi tenentur illas soluere; ita multo magis cũ sint defuncti, vel habent sua pro derelictis quia ignoratur, an illarum sint domini, possunt illa bona bono publico applicare quando opus est; & hoc multo magis Pontifex, qui est Pastor ipsius Ecclesiæ, & habet prospicere bono publico ipsius: & proinde iustè retinentur huiusmodi bona ab ijs, qui a Camera Apostolica per compositionem aliquam obtinuerunt, vel vi alicuius Bullæ eiusdem cameræ: quia Papa habet authoritatem huiusmodi bona expendendi in alios vsus pios, & necessarios Ecclesiæ, vel Reipublicæ.

Differentia inter bona vacantia, & incerta.

154 Obseruandum est autem hæc vera esse de bonis incertis, quæ sunt ea, quæ quidem habent dominum, sed ignoratur quis ille sit. Hæc enim pauperibus erogari debent, vt dictum est, nisi aliter à Summo Pontifice disponatur. Non autem verum est de bonis vacantibus.

Res vacãs, & derelicta q̃ dicatur.

155 Vacantia autem bona dicuntur, quæ à domino abijciuntur, & deserantur sinè animo ea repetendi: hæc enim tunc vacant domino. Huiusmodi sunt bona morientium ab intestato, & non habentium hæredes naturales, ad quos legitimè perueniant: cum enim non habeant propinquos, ad quos iurè perueniant, neque ipsi de eis disponant, videntur ea derelinquere, & proinde applicantur fisco. Similiter si quis habeat ius, & dominium in aliqua re mobili, vel immobili, & ob difficultatẽ eam colendi, vel conseruandi, derelinquat eam animo non repetendi, dicitur derelicta, & vacans, & ideò fit primi occupantis, vt qui iactat merces in mari propter naufragium. Si tamen illas ita compositas iactaret, vt speraret eas aliquando recuperare; vel si quis ferens pondus graue in via ita partem deponeret, vt haberet voluntatem redeundi ad illam accipiendam, illa pars non diceretur derelicta, nec vacans: vnde qui illam inueniret, teneretur restituere domino. Adest tamẽ nunc excommunicatio contra eos, qui capiunt res Christianorum ex naufragio perditas, & eas non restituunt domino. Cap. excom. de Raptoribus. Et ratio est, quia qui in naufragio abijcit bona, non omnino voluntariè illa bona abijcit, sed voluntariè mixto cũ inuoluntario. Secus quando abijcit illam rem omnino volũtariè, idest animo simpliciter non amplius illam repetendi.

Proiecta in naufragiũ debẽt restitui sub pęna excõmunicationis.

Ad

Ad tertiũ.

156 Ad tertiam respondetur, ius naturale etiam dictare in particulari, quibus pœnis malefactores debeāt puniri: quia ius naturale dictat pœnam debere respondere delicto, ideo grauiori delicto ex iure naturali debetur maior pœna: lumine etiam naturali cognoscitur, quæ sit grauior pœna, sed ad Principē solùm spectat applicare maiorem pœnam maiori delicto, & minorem minori.

An per pauperes intelligantur alia opera pia.

157 Sed est dubium, An per pauperes debeant intelligi solùm pauperes, ita quod non possint bona incerta à debitore erogari in alia opera pia. Respondetur communiter per pauperes intelligi etiam alia opera pia. Et per pauperes non intelliguntur solùm pauperes mendicantes, sed etiam alij egentes rebus ad congruam, & decentem eorum vitæ sustentationem, vt optimè docent Nauarrus in Apologia de redditibus q. 1. Mon. 27. nu. 2. & alij ab eo citati ibidem, & in Man. cap. 17. num. 93. Non est autem necessarium quærere, qui pauperes in oppido vel ciuitate sint meliores, & illis bona ista erogare quantum est ex vi præcepti: quia nullus textus, nec ratio ad hoc cogit. Magis pium est tamen melioribus erogare, vt habetur ea cap. *est probanda*. & cap. *Non satis* dist. 86.

Non est necessariũ quærere, q. pauperes sint meliores.

Septimũ assertũ Scoti Ad septimam.

An per manus confessoris, vel alterius sit restituendũ. Op. D. Th.

158 Quantum ad septimum assertum Scoti scilicet restitutionem esse faciendam per se ipsum potius, quam per alium, adducit Scotus sententiam D. Thomæ, quam habet in 4. d. 15. ar. 5. soluendo tertium argumentum, quartæ quæstionculæ, qui ibi asserit restitutionem debere fieri per Confessarium, & ad arbitrium illorum, quorũ est iura ciuitatis, vt Episcopi, administrare, & similium. De hac re tamen nihil dicit in summa, vt notauit Soto loco supra citato. Eandem sententiam sequuntur Hostiensis, Io. Andreas, & alij tàm canonici, quàm iuris ciuilis interpretes, quos refert Syluester verbo *Restitutio* 8. q. 5. quòd probant ex capite *quamquam de Vsuris in 6*.

Opi. Scoti, & aliorum.

159 Scotus tamen, quem deinde sequuti sunt alij, asserit hoc non pertinere ad Confessarium, neque ad alios, sed eum, qui restituere tenetur, melius facere, si per se ipsum restituat; consilio tamen adhibito boni, & prudentis viri. Ratio, quam adducit, est: quia contingere posset, quod sic restituens, hæc bona traderet confessori, vel mediatori tali de cuius fidelitate præsumeret, qui tamen illa damnificato, vel domino non restitueret; sed sibi applicaret, vel alijs vsibus, quàm deberet, in hoc autem casu sic restituens non satisfaceret. Confirmat, quia quando lex Diuina, & Ecclesiastica non obligat personam ad faciendam restitutionem per aliam certam personam, tunc sequenda est lex naturæ; lex autem naturæ magis dictat, vt persona quæ tenetur restituere pauperibus per se ipsam restituat, quàm per aliam; non tamen excludendo consilium alterius boni viri, sed includendo. Quæ ratio certè est efficax. Vnde hæc est communis sententia nunc, quam etiam Soto eodem loco sequitur, & alij posteriores, vt est videre apud Azorium vbi supra.

1. Ratio.

2. Ratio.

An pauperes sibi bona incerta retinere possint.

160 Sed dubium est, An si obligatus ad restitutionē, quia inuenit rem perditam, vel damnificauit aliquem, qui nō reperitur, nec hēt hæredes, vt dictũ est, & sit pauper, possit sibi bona illa attribuere tanquam vni ex pauperibus, & suis consanguineis. Respondetur communiter posse, si egentia, & necessitas est euidens omnino: quia ipse non est peioris conditionis, quam sint alij pauperes. Verùm in hac re dolus, & fraus est vitanda: ideò cum egentia non est euidens omninò, hæc applicatio ad se ipsum debet fieri cum consilio confessarij, vel viri prudentis, & boni; & si res sit magni momenti, etiam fieri poterit cum ipsius Episcopi consilio. Facta autem applicatione in hac necessitate si veniat deinde ad pinguiorem fortunam, non tenetur restituere, sicut nec alij pauperes: quia eo casu acquirit dominium, & sic verus dominus illius rei: ideò non tenetur amplius ad restitutionem.

Ad fundamentũ contrariæ opinionis.

161 Ad illud caput, *Quamquam*, de Vsuris, quod pro se alij alterius opinionis adducunt, & similia, respondetur communiter eo capite *Quamquam* ordinari, quod restitutio fiat per Episcopum, quia dubium erat, An Iudæus illa restitueret per vsuras malè accepta: Ideò eo casu statuitur, quod restitutio fiat per Episcopum. At illud decretum non est extendendum extra illum casum, quò ad vim præcepti. In casu autem quò timeretur de fideli dispensatione bonorum incertorum, & maximè quando in aliqua magna quantitate existerent, posset Episcopus inuigilare, & ea prudenter adhibere remedia, quæ opportuna essent.

162 Illud est maximè aduertendum in applicatione bonorũ incertorũ sibimetipsi respiciendũ esse, An qui sic hēt aliena bona incerta malè, & iniusto titulo, sibi acquisiuit, vel iusto titulo, quando enim acquisiuerit iniusto titulo, nisi sit magna, & euidens necessitas, non debet facilè sibi retinere, ne hoc modo aperiatur via ad aliena bona furandum, spe, vt domino, vel damnificato non inuento, in eius vtilitatem cederent.

Quando restitutio est facienda. Cap. V.

163 Quinto loco agit Scotus de tempore, quo faciēda est restitutio: atque ponit hanc assertionē. Restitutio regulariter est statim facienda actu, vel saltem proposito, si actu non possit: exceptis illis casibus, qui continentur in hac maxima. *Licet detinere rem alienam, quando ille, cuius est, debet rationabiliter velle eam detineri*. Hæc assertio habet tres partes. Prima est, quòd restitutio regulariter statim debet fieri actu absque vlla dilatione temporis. Secunda est, quod si fieri non potest actu, debet fieri proposito, & voluntate. Tertia est, quòd excipiuntur illi casus contenti in illa maxima. Primam partē probat hac ratione. Quicunque est in peccato, statim tenetur ad cessandum à quocunque actu peccati tam exteriori, quàm interiori; sed sic est, quòd qui detinet rem alienam contra voluntatem domini, est in peccato mortali, quia est fur, vel raptor: ergo tenetur statim restituere. Maior est euidens: quia per nullum quantumcumque minimum tempus licet alicui morari in peccato, sed tenetur cessare semper à quocũque actu peccati. Minor quoque est euidens, quia cum quis scit se habere rem alienā inuito domino, & nō restituit illam, peccat: quia consentit in furtum rei alienæ: ergo qui non statim restituit rem alienam, cum possit, peccat: & sic sequitur restitutionem esse statim faciendam. Hanc eandem rationem adducit D. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 8. sub hac forma quæ reddit in idem; sicut qui aufert rem alienam, peccat contra iustitiam, ita detinens eam: quia impedit dominum ab vsu rei illius; sed sic est, quòd pro minimo tempus non licet morari alicui in peccato, iuxta illud Ecclesiastici 21. *quasi a facie colubri fuge peccatum*: ergo habēs rem alienam inuito domino, statim restituere tenetur. Et hæc est ratio communis omnium.

Regula, seu assertio Scoti.

Assertio Scoti habet tres partes.

1. Pars probatur.

164 Obseruandum est tamen, cum dicitur statim restitutionem esse faciendam, hoc debere intelligi consideratis omnibus circunstantijs rectæ rationis; neque enim statim cum alicui existenti in lecto venit in mentem esse obligatum ad restituendum, debet surgere è lecto; vel si legit, aut cenat, inchoatam lectionem, vel mēsam derelinquere, & alia huiusmodi, vt statim restituat; sed debet tunc animo, & proposito statim disponere, & determinare facere actualem restitutionem quamprimum poterit commodè, adhibita prudenti, & sedula diligentia. Quod scriptura indicat illis verbis *quasi à facie colubri fuge peccatum*. Non debet ergo esse in mora notabili, & dolosa, seu culpabili. Mora enim modica, vt puta vnius horæ, vel dimidiæ non facit illam omissionem restitutionis esse nouum peccatum; vel si est vnum, & idē peccatum, non aggrauat mortaliter. Quòd dico propter eos qui contendunt, An peccatum ablationis rei, & propositum non restituendi, sint diuersa peccata; & an quoties quis rem alienam non restituit, & sæpius continuat eam deliberationem non restituendi sint plura peccata,

Quomodo intelligatur statim esse restituendum.

cata, vel vnum continuatum. De qua re superiùs in hac materia de pœnitentia agendo de peccato dixi. Satis sit, vt facit ad propositum, quod vel sint plura peccata, vel vnum, sed grauius æquiualens pluribus illis. Certum est ergo quandiù est in mora culpabili, nimirum, quod possit restituere, & non restituit; neque voluntate proponit restituere, nec diligentiam debitam ad restituendum adhibet, vel de nouo peccare, vel pct͞m prius aggrauare mortaliter toties, quoties recordatur huius restitutionis faciédæ; siue quia creditor petit debitũ, quia debitũ est patẽs, vt contingit in cõtractibus; siuè quia etsi creditor non petat, quia debitum est occultum; tamen videt eum, & recordatur se esse illi debitorem; vel videt ipsum egente re sua, & similibus. Quando ergo mora est modica, nouum peccatum nõ facit; nec aggrauatur, mortaliter si est vnum, & idem peccatum; & maximè si creditor non est indigens, vel non petit si agnoscat debitorem, sed volens expectat. Nam hora, vel dimidia regulariter est modicũ tempus, & reputatur leuis materia, quæ facit de peccato mortali, veniale, vt suprà diximus. Secus si in illa parua mora vnius horæ, vel dimidiæ creditor pateretur aliquod damnum magnum, vel incommodum, vt quia conuentum est tali hora facere solutionem, & quia defecit, aliquam iacturam, vel damnum creditor passus est, vt suprà diximus agendo de mora respectu mutui.

Aliter est in mora iniustè accipiens, & iustè accipiẽs

165 Hoc loco quò ad hanc moram est obseruandum illud, quod suprà sæpius tetigimus, quòd alio modo ille est in mora qui tenetur restituere aliquid alicui ex delicto, seù ex iniusta acceptione, & alio modo, qui tenetur restituere aliquid ex iusta acceptione, seù iusto titulo. Nam qui tenetur ex delicto restituere, statim, & semper est in mora, donec restituat, & de hoc procedunt quæ dicta sunt hucusque de restitutione faciéda statim. Qui verò est debitor ex iusta acceptione, seù titulo iusto, vt ex contractu aliquo, vel quasi contractu, solum incipit esse in mora ab eo tempore quo statutum est eum debere soluere, si dies aliquis, vel tempus certum est statutum, quo solutio fieri debeat.

166 Si verò certum tempus non est statutum ad soluendum, nunquam debitor est in mora, donec creditor petat, & admoneat ipsum debitorem de solutione facienda: quia præsupponitur, quòd creditor voluntariè sinat debitorem tenere rem suam, & sic non est retentio rei alienæ inuito domino (quod tamen est limitandum, dummodo creditor ob timorem etiam reuerentialem nõ petat: quia in hoc casu debitor esset in mora si id probabiliter suspicaretur) facta verò admonitione, tunc incipit esse in mora, & tenetur statim restituere eo modo, quo suprà dictum est; & procedunt omnia, quæ suprà dicta sunt de restitutione statim facienda. Quæ est doctrina communis secundùm Baldum, Angelum, Abbatem citatos à Syluestro verbo *Mora*. q. 1.

Quo confessarius se gerere debet cũ nolente restituere totũ.

167 Ex dictis patet, quid sit dicendum ad quædam dubia pertinentia ad modum, quo confessarius se gerere debet cum pœnitente obligato ad restitutionem. Potest enim contingere, quod pœnitens obligatus ad restitutionem alicuius magnæ summæ pecuniæ, quam quidẽ proponit soluere, & restituere, sed vult solũ restituere per partes, vt puta dẽt mille aureos, non vult soluere nisi quolibet mense, vel anno, centum, quid agere debet hic cõfessarius? Respondent, quod si potest commodè, non est absoluendus: quia obligatus est statim cum potest ad restituendum totum: ideò non restituendo totum non exit ex peccato, sed adhuc est in mora. Sed si debitor obstinatus sit, nec velit aliter soluere nisi per partes, & dominus parum damnum patitur ex hac dilatione, & non restituendo hoc modo nunquam restituet, quid agere debet confessor? Syluester verbo *Restitutio*, 5. q. 5. refert Hostiensem, Angelum, & quosdam alios asserentes cõfessarium posse huiusmodi debitorem absoluere: quia confessarius saluatur per hoc: quia sic absoluendo vtiliter gerit negotium creditoris, qui nunquam aliquid ha-

Cõsentiũt Nauarrus, Syluester, Angelus, & Azorius.

bebit, nisi debitorem, solùm sub hac conditione soluere volentem, absoluat. Et Soto lib. 4. de iustitia & iure q. 7. ar. 4. dicit Syluestrum esse huius opinionis. Quòd tamen falsum est; cum apertè Syluester dicat in foro Dei non posse absoluere, quam deinde sententiam ipse Soto sequitur, & mihi verissima quoque videtur. Quia reuera quando debitor potest restituere commodè totum debitum, & non vult restituere contra voluntatem domini, vel damnificati, qui vellet totam summam sibi solui simul, non est contritus de peccato furti; neque cessat à peccato, quia non cessat à detentione rei alienæ inuito domino: ideo non est dispositus ad restituendum: & proinde qui in hoc statu reperitur, debet procurare, vt ait D. Thomas, obtinere consensum dilationis in tali restitutione: (si debitum non sit occultum: quia tunc non debet se prodere) ideo non excusarem eum à peccato, neque iudicarem capacem absolutionis. Secus quando adsit impotentia, vt infrà dicam.

Sed quid si sæpius promisit restituere confessario, neque vnquam restituit? Varij varia dicunt. Ego cum cõmuniori censeo non esse absoluendum donec restituerit si commodè potuit, & potest; apparet enim non habere veram contritionem, vel negligentiam culpabilem in desistendo à peccato.

Quid si sæpius promisit confessario, & nunquam restituit.

168 Ex dictis deducitur in magno periculo esse eos, qui procrastinant vsque ad articulum mortis in restituẽdo, cum tamen possint; licèt cum aliqualis suo incõmodo, & maximè in rebus aliqualis momenti. Et Soto quidem apertè lib. 4. de iustitia, & iure, q. 7. ar. 4. ait, eum, qui certè scit se esse obligatum ad restitutionem, & determinat nolle restituere vsque ad mortem, licèt habeat firmum propositum restituendi tunc, vel in testamento præcipiendi restitutionem, continuò manere in peccato mortali. Et certè est sententia verissima: quia, vt dictũ est quicunque habet rem alienam inuito domino, debet statim, cum debet opportunitatem, restituere, & non esse in mora: ideo cum determinat nolle restituere nisi in morte, vel per testamentum, determinat manere in peccato mortali: ergo est in statu damnationis, nec est absoluendus à confessario. Si etiam vicinus morti possit restituere; & tamen per se non vult restituere, sed vult hoc cõmittere hæredi suo per testamentum, adhuc manet in peccato: quia ipse tenetur satisfacere, non procrastinare, neque committere hæredi, & maximè cum sit notum hæredes esse negligentes in solutione debitorum suorum prædecessorum, & maximè occultorum, de quibus non possunt cogi à foro seculari. Hoc tenent communiter omnes, licèt Nauarrus cap. 17. nu. 67. & quidam alij citati ab eo, & ab Azo. lib. 4. cap. 54. q. 4. dicant posse excusari si probabiliter credat, quod sui hæredes satisfacient. Sed hoc effugium reijcitur à Soto vbi supra hoc argumento: quia qui potest restituere prope mortem, & non restituit, ostendit se non habere absolutam intentionem restituendi, sed solùm conditionalem scilicet si moriretur, adeo quòd si viuat, ostendit se non habere intentionem restituendi. Modò hæc intentio conditionalis restituendi, si moriatur, non sufficit ad veram pœnitentiam: ideo huiusmodi non esset absoluendus; & si pereat subita morte, moritur in peccato mortali. Ideo hoc est multum inculcandum à prædicatoribus, & confessarijs. Quis autem ordo sit seruandus dicam in solutione 3. argumenti principalis eiusdem quæstionis Scoti.

Qui procrastinant vsque ad mortem restituere sunt in magno periculo.

Quis ordo seruandus.

169 Diximus hucusque statim restitutionem esse faciendam actu exteriori: subiungebat tamen Scotus hãc regulam pati exceptionem atque excipi omnes illos casus, qui continentur in illa maxima. *Licet detinere rem alienam, quando ille, cuius est, debet velle rationabiliter detineri*. Qui ergo habet rem alienam, tenetur statim habere voluntatem prõptam ad restituendum, tamen in casibus contentis sub illa maxima nõ tenetur venire ad actualem restitutionem exteriorem, licèt commodè possit, & sit promptus: inter casus autem, qui continentur

Casus in quibus quis non tenetur statim ad restitutionẽ.

sub illa

sub illa maxima, enumerat Scotus quinque: quorum
1. Casus. Primus est, quando actualis restitutio esset in præiudiciũ
2. Casus. Reip. seu communitatis, vel ipsius damnificati. Secundus est, quando restitutio esset in diffamationem restituentis.
3. Casus. Tertius casus est, quando restitutio cederet in magnum incommodum restituentis, & in paruum, vel nullum commodum damnificati. Adiungit Scotus in fine illius §. alios duos casus, qui possunt etiam reduci ad particulam *quis*.
4. Casus. Quorum Primus est, quando ablatio fuit occulta; tunc enim non tenetur statim quis restituere actu, licèt commodè possit, si hoc non potest facere sine sui infamia; sed debet differre vsque ad opportunum tempus, quo sine in-
5. Casus. famia, vel per se, vel per alium satisfacere possit. Alter casus est, quando quis est impotens: pro illo enim tunc excusatur, donec veniat ad pinguiorem fortunã; tunc enim ad restitutionem actualem tenebitur.

1. Casus explicatur. 170 Quò ad primum casum, quòd nemo teneatur ad restitutionem eo tempore, quo restitutio esset damnosa Reip. vel ipsi damnificato, nulla est dubitatio inter Doctores. Solet afferri exemplum de eo, qui depositum ensem apud aliquem, deinde deponens factus est insanus, vel vult occidere inimicum suum, vel nocere Principi, & similia, & repetit suum ensem; depositarius, (& idem dicendum de quocunque detinente rem alienam quouis modo) non tenetur, nec debet tunc restituere: quia restitutio esset in damnum ipsius domini malè vtendo illa re, vel boni communis. Ratio, pp quam excusatur ab obligatione restitutionis, est: quia dominus, vel damnificatus tenetur ad volendum publicũ bonum, & suum bonũ particulare, & hoc ratione recta, & hęc obligatio est principalior; & ideò cum repetit rem suam, vt eniem, vt bonũ destruat, irrationabiliter petit, & proinde qui habet eius rem contra eius voluntatem potest eam detinere: quia tunc eius voluntas est irrationabilis. Idem dicendum si illa re vti vellet ad damnificandum proximum, vt si peteret pecuniam, vt ea mediante interficeret proximum: charitas enim superat legem iustitiæ. Secus si illam pecuniam vellet prodigere luxuriando, & huiusmodi, solùm seipsum damnificando, & non proximum. Si autem possemus aliquo modo obuiare huic damno esset retinenda; si tamen ipse absolutè eam vellit, non esset restituenda: quia sua est, & forsam pœnitere posset eum, neque facere illud malum.

2. Casus. 171 Quantum ad secundum casum est aliquod dubium; sed ratio Scoti est: quia secundùm rectam rationem quis tenetur magis velle famam, & honorẽ proximi, quàm suum commodum temporale, bona enim superioris ordinis sunt præponenda bonis inferioris ordinis; fama autem est ordinis superioris, bona fortunæ inferioris, & hoc præsertim quando dilatio restitutionis est modica: de hoc agemus casu quarto, quia coincidunt.

3. Casus. 172 Quantum ad tertium casum est difficultas. Exemplum. Si creditor esset in loco valde distanti à debitore, & debitor teneretur restituere paruam summam pecuniæ, & creditor esset valde diues, mittendo autem illam paruam summam plus impenderet sumptus in mittendo, quàm res valeret, & vtilis esset creditori, hæc restitutio esset in magno restituentis damno. Alius casus. Aliquis nobilis, q succedit patri in hæreditate, & scit omnia bona patris esse malè acquisita, vt puta per vsuras, & contractus illicitos, si restituit cadit à statu suo: est ergo dubium, An talis hæres cum tanta sua iactura teneatur restituere statim, vel possit differre restitutionem. Scotus tenet posse differre restitutionem, & probat in tali casu quando restitutio cederet in magnum incommodum restituentis, & modicum, vel nullum commodum recipientis, tunc esse licitum differre restitutionem hac ratione. Quia ille, cui fieri debet restitutio, debet secundùm rectam rationem magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quàm modicum, vel nullum incommodum sui ex modica dilatione.

Obiectio ex Caietano, Soto, & alijs. 173 Verùm hæc ratio Scoti non placet Caietano 2.2. q.62.ar.8. neque Soto lib.4. de iustitia, & iure q.7.ar.4. & plures ex antiquis etiam in sententia discrepant à Scoto, & tenent absolutè vnũquemque teneri ad restitutionem præterquam in extrema necessitate, vt Richardus in 4. d.15.ar.5.q.4. ad quartum. Item Hostiensis, Innocentius, & alij quos citant B. Antoninus 2.p. tit.11. cap. 8. Sylvester verbo *Restitutio* 5.num.1. & 3. Ratio Caietani, & Soto est, quia nemo tenetur iuri suo renunciare ad euitandum alterius damnum; neque fieri debet deterioris conditionis, quia res sua apud alium detinetur, quàm si esset apud se ipsum dominum; si autem esset apud se ipsum posset vti ad placitum: ergo non tenetur magis velle indemnitatem eius, qui rem abstulit, quàm vti iure suo. Ratio autem, differendi restitutionem si qua adest, est solum, quia tunc debitor est impotens: quoniam moraliter quod non potest fieri, nisi cum magno detrimento impossibile reputatur, sed hæc ratio nuda non sufficit. Distinguit ergo Soto secundùm doctrinam Caietani q. 62. art. 5. ad tertium quam suprà adduximus, quod qui est obligatus ad restitutionem, vel est obligatus ratione iniquæ acceptionis, vel iustæ; si primo modo tunc, inquit, tenetur statim ad restitutionem quantumcunque detrimentum afferat huiusmodi restitutio citra extremam necessitatem, nec vlla est habenda ratio qd statũ perdet: quia, inquit, hoc non est de suo statu cadere, sed ab eo statu, qui suus non erat, descendere ad eum, qui suus erat. Si verò acceptio fuit iusta, debet adhuc considerari, An in huiusmodi impotẽtiam deuenerit citra suam culpam, vt puta propter aduersam fortunam, & tunc facilius est indulgenda prorogatio; si tamen creditor æquali indigentia laboraret, non deberet differre: quia potior est conditio creditoris citra extremam necessitatem. Si verò sua culpa in huiusmodi indigentiam deuenit, videtur dicere teneri ad restituendum quantumcumque detrimentum accidat citra extremam necessitatem.

174 Nihilominus ex aduerso conclusio hæc, quam Scotus sustinet, nimirum restitutionem cum magno detrimento restituentis posse differri, est D. Thomæ 2.2. q. 62. art. 5. ad tertium, vt superiori capite vidimus, & eam sequuntur D. Antoninus 2. p. titulo 11. Sylvester verbo *Restitutio* 5.nu.1. & 3. Henricus quolib.6.q.24. Gabriel Biel in 4.d.15.q.2.art.2. concl.2. Nauarrus in Man. cap. 17.num.62. Azorius lib. 4. cap. 39. & alij citati ab ipsis. Quantum ad rationem etiam videntur conuenire: assignant enim pro ratione præceptum charitatis, quo tenemur subuenire proximo in graui necessitate: ergo creditor in tali casu non potest aggrauare debitorem ad soluendum. Ratio autem Scoti videtur hoc præcepto charitatis inniti. Verùm quia hæc ratio desumpta ex charitate videtur pati aliquam difficultatem: quia ex charitate non tenemur subuenire indigẽti, qui sua malitia indigentiam, & necessitatem causat: quia esset fouere malitiã, vt e.g. si quis dicat. Solue meum debitũ alioquin me interficiã; vel si proijciat bona sua in flumen, vel in ignẽ, vt extorqueat bona alterius, non tenetur ille alter ei subuenire in hac necessitate, quia illam sibi facit sua culpa. Et licèt regulariter qui deuenit in grauem aliquam necessitatem, nõ deueniat ex malitia tali affectante subuentionem, sed potius ex culpa fragilitate humana commissa, vt cum quis ex ebrietate, vel adeo deuenit in pauperiem. Tamen etiam in hoc casu non videmur teneri, nisi in extrema necessitate, qui enim peccando bona sua sic cõsumit, videtur indignus, vt à tali miseria subleuetur.

Opi. Scoti est D. Th. & aliorum multorũ, & defenditur

Non tenemur ex charitate subuenire indigenti causãti sibi indigẽtiã malitia sua.

175 Mihi ergo videtur, quod ratio Scoti nedum charitate innitatur, sed etiam iustitia; quoniam, vt diximus superiori cap. si vniuersaliter qui habet rem alienam teneretur cum quantocumque detrimento suo restituere domino, sequeretur, quod qui fraude decepisset valore decem aureorum Genuæ mercatorem ditissimum, qui mercator postmodum cum tota sua familia migrasset in Indiam ibi commoraturus, teneretur mittere illos decem aureos in Indiam, etiam si millionis sumptus esset

mille

mille aureorum, quod certè aborret ipsa iustitia, & æquitas. Iustitia enim debet facere æqualitatem inter debitorem, & creditorem, in hac autem satisfactione esset maxima inæqualitas, & nimium detrimentum ex parte satisfacientis. Licèt ergo teneatur restituere decem aureos illi mercatori, ratio recta dictat, vt non teneatur restituere cum tanto detrimento, sed cum detrimento, & expensis conuenientibus delicto, & culpæ ablationis rei alienæ. Proinde Scotus prudenter dixit, tunc restitutionem differri posse, quando restitutio esset in magno detrimento restituentis, & paruum, vel nullum commodũ creditoris. Et in tali casu res aliena debet reponi in aliquo loco tuto, vt si creditori commodè restitui possit, restituatur: quod si non speratur vnquam posse restitui commodè, vt in exemplo allato, certè pauperibus pro anima illius, vel in aliquid aliud opus bonum est erogandum id, quod ad restitutionem obligatur. Ex hoc sequitur è conuerso, quòd si non restituere cedit in magnum detrimentum creditoris, vt si sit quantitas magna pecuniæ, & malè accepta, vt contingit in rapina, & furto magno, debitor teneatur restituere non obstante, quod mendicare cogatur.

Quid de eo qui succedit vsurario in hæreditatem.

176 Ex hoc patet ad alium casum de eo, qui successit in hæreditatem patris, cuius bona scit esse vsuraria, & contractibus illicitis acquisita, siue successerit bona fide, sed deinde scit esse ex vsura acquisita, siue mala fide; non tenetur enim statim omnia restituere, ita quòd ad extremam paupertatem reducatur, sed paulatim restituere tenetur non expendendo nisi in præcisè necessarijs ad decentem statum suum modestè, & parcè, & tenetur laborare quanto citiùs potest, vt restituat. Et quidem quando succedit bona fide, omnes consentiunt, quando autem succedit mala fide, est magna difficultas: quia videtur, quod non deberet ad hæreditatem accidere. Nihiluminus cũ tàm pater, quàm filius mala fide accipiant, & sint eiusdẽ status mihi videtur, quod si licet patri paulatim, & modo prædicto restituere, hoc etiam liceat filio. Quod semper est verum ea conditione, vt dictum est, quòd restitutio in magnum damnum restituentis, & in paruum, vel nullum commodum creditoris cedat, quòd expresè videtur tradere Scotus in responsione ad quintum argumentum principale huius secundæ quæstionis, dum dicit, quod non licet viro multum necessario Reip. saluare statum suum solemnem de bonis alienis, vt videbimus infra, ea argumenta adducendo, & soluendo.

De nobili coacto mẽdicare si restituat.
De debitore qui nõ possit restituere si nõ vẽdat instrumẽta artis suæ.

177 Ex eodem principio sequitur, quod si debitor est nobilis, & illi esset ignominiosum mendicare, non teneatur restituere id, quo restituto mendicare cogeretur, sed sufficit si affectu restituat, & laboret, vt paulatim sine dolo, & fraude restituat. Similiter si debitor teneatur restituere instrumenta, quibus victum sibi, & suæ familiæ acquirit, si restitutio instrumentorum in magnum detrimẽtum suum cedit, vt puta, quia victum sibi, & suæ familiæ acquirere non poterit; & creditori hæc restitutio instrumentorum paruum, vel nullum commodum affert, siue instrumenta sint in substantia ea, quæ sublata sunt, siue ea in substantia nõ sint, sed ad restitutionẽ faciẽdam ea vendere cogatur (illa enim distinctio Caietani, & Soto de instrumentis, An extent in substantia, vel non extent, parum valet) quia nihil aliud habet, quod vendat, & satisfaciat, non tenetur statim restituere; Sufficit, si affectu restituat, & deinde paulatim laboret restituere effectu.

Corrolariũ Scoti ex ratione adducta.

178 Ex tribus casibus adductis, & ex rationibus, quibus innititur eorum solutio, deducit Scotus hoc corrolarium. Quòd quando restitutio esset damnosa Reip. vel ei cui fit; vel est nimis notabiliter damnosa restituenti, debitorem non teneri ad restituendum effectu; sed sufficit, quod tunc affectu, & proposito firmo proponat restituere; deinde cessantibus illis inconuenientibus, actu restituere tenetur.

Obiectio Scoti contra se.

179 Verùm Scotus contra hoc facit obiectionem. Quia restituere est actus præcepti negatiui: nimirum nõ tenendi rem alienam; At præceptum negatiuum obligat ad obseruandum semper, & pro semper, ita quòd nullo vnquam tempore licet alicui illud transgredi: ergo statim, & pro quocunque tempore tenetur restituere, qui habet rem alienam; ergo non potest restitutionem differre.

Præceptũ restituendi est negatiuum.

180 Respondet Scotus concludendo, quod præceptũ restituendi est negatiuum, & obligat ad semper, & pro semper; sed negat quod ille qui affectu est dispositus ad restituendum; & tamen differt restitutionem, non obseruet illud præceptum. Ratio est, quia ille trãsgreditur hoc præceptũ, qui nec re, nec affectu vult restituere; hic enim tenet rem alienam inuito domino. At qui affectu restituit, & differt effectu restituere propter inconuenientia adducta; non tenet rem alienam inuito domino; quoniã in tali casu dominus rationabiliter non debet velle sibi restitui, sed differri restitutionem. Et si velit, est voluntas inordinata, quæ non obligat.

181 Ex quo colligitur, quod præceptum restitutionis non est præceptum affirmatiuum distinctum à præcepto negatiuo, *non furtum facies*. Nam tàm auferre alienum, quàm detinere alienum inuito domino, est actus malus, & ideo vterque cadit sub præcepto illo negatiuo, *furtum non facies*. Proinde non rectè dicit Soto lib. 4. de iustitia, & iure, q. 6. art. 2. quod præceptum restituendi sit præceptum affirmatiuum distinctum à negatiuo, licèt explicetur à Paulo Apostolo per affirmationem, & negationẽ, dum dicit, *reddite omnibus debita, & nemini quidquam debeatis*. Affirmatio enim reducitur ad negationem, ac in illo includitur. Si autem esset affirmatiuum, non teneretur quis statim affectu restituere, sicut nec tenetur effectu ad restitutionem: quia præcepta affirmatiua obligãt solùm, quando occurrit opportunitas, quæ semper non occurrit. At opportunitas negatiui præcepti semper adest: ideo qui habet rem alienam tenetur semper, & pro semper, idest pro quocunque tempore ad restituere. Rectè ergo dicitur à Scoto pro eo tempore, quo quis non potest restituere, non agere contra præceptum: quia tunc non retinet rem alienam inuito domino, vt dictum est.

Soto reijcitur.

De quarto casu, an quis cum iactura famæ restituere teneatur.
1. Opinio.

182 Quantum ad quartum casum est difficultas. Duæ nãque sunt opiniones oppositæ. Aliqui enim distinguunt. Vel res restituenda est valoris ingẽtis, & debitoris fama est parui valoris, e.g. Res restituenda est ingens patrimonium, quale esset Regnum, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Maioratus, & huiusmodi. Debitor verò non est alicuius magnæ dignitatis: & tunc inquiunt teneri ad restitutionem neglecta fama. Hanc sententiam sequuntur Adrianus in 4. de restitut. q. 1. §. *incipienti*. Maior in 4. d. 15. q. 17. quos sequutus est Soto lib. 4. de iustitia, & iure, q. 6. ar. 3. Fundamenta huius opinionis præsertim ex Soto sunt ista. Primò, quia distinctio illa bonorum in tres ordines in quorum primo sunt bona vitæ, in secundo fama, & honor, in tertio pecunia, etsi sit admittenda, quia ex natura rei desumitur; tamen in rebus moralibus non debet ita extendi, vt regula generalis esse debeat, quod nemo rem inferioris ordinis restituere debeat cum detrimento rei superioris ordinis: ita quòd cum fama sit ordinis superioris, quàm pecunia, & bona fortunæ, nemo teneatur restituere pecuniam ablatam cum detrimento famæ. Quoniam magna res pecuniaria plus valet, quàm exigua fama; sicut licèt aurum sit pretiosius plumbo, tamen viginti pondus plumbi magis æstimantur, quàm vnus gradus auri: Ideo qui furatus est maximam quantitatem pecuniæ, si non possit aliter restituere, quàm famam suam ammittendo, tenetur restituere neglecta fama propria: maximè quando damnum creditoris est graue. Præterea posset contingere casus, quod aliquis infamaret aliquam familiam nobilem de crimine hæresis, vel læsæ maiestatis, in hoc casu putat Soto restituendã esse ei famam etiam cum discrimine vitæ: ergo regula illa, quod bona inferioris ordinis non debẽt restitui cũ detrimento bonorũ superioris ordinis, non valet semper.

Fundamenta huius opinionis.

2. Ratio.

Opi. Scoti, & commu. nior.

183 Ex altera parte Scotus hoc locu apertè tenet, qd vbi eſt periculum proditionis propriæ famæ, reſtitutio eſt differēda in aliud tempus, niſi per tertiam perſonam ſecretam, & fidelem, vt per confeſſarium, ex eo, quod iā illi in confeſſione crimen eſt detectum, & poteſt talis de fide litate eius confidere, fieri poſſit. Scotū ſecutus eſt Caiet. 2.2.q.62.ar.2. Nauar. in Man. c.17.nu.89. qui contra Soto pro Caiet. hanc opinionem fusè defendit. Azor. lib.4. c.39.q.4. qui dicit eſſe opinionem cōem. Scotus quidem

Fundamenta opinionis Scoti.

nullā adducit rōnem, ſed ſupponit diſtinctionē illā cōem eſſe veram: quod bona hoīs ipalia ſunt in triplici genere, ſcilicet fortunæ, famæ, & corporis, & qd bona corporis ſunt ppponēda bonis famæ, & honoris; & fama, & honor

Bona hominis quæ, & quo ordine diligenda,

eſt præponendus bonis tpalibus fortunę. Quæ diſtinctio, & ordo in ordine charitatis hēt fundamentum. Tenetur enim cōiter, φ magis diligenda ſunt bona animæ, q̄ corporis; deinde magis bona corporis, q̄ famæ; deinde magis ſama q̄ bona fortunę. Vnde Ariſt. 4. Ethic. ait honorē eſſe maximum bonorum externorum. Et Eccleſ. 41. dicit *curā habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille pretioſi Theſauri, & magni.* & Prouer. 22. *Melius eſt bonum nomen quàm diuitiæ multæ.* Ideo ab hac ſnīa cōior, quæ innititur fundō naturali, & diuino nō eſt recedendū. Multa alia adducit Nau. q ibi videri poſſunt.

Ad Fundamētum Soto.

184 Ex dictis ruit fundamentum Soto; quonā diſtinctio, & ordo illorū bonorum eſt omninò ſeruādus, cū & iure naturali, & diuino ſit conditus: Vnde ſicut nimirum ſuperioris ordinis, vt vnus Angelus eſt nobilior ſupremo indiuiduo inferioris ordinis, vt homine præſtantiſſimo; ſic fama cuiuſcunque perſonæ plus valet, quàm quæcunque pondera pecuniæ, quia eſt inferioris ordinis: ideo exigua fama plus valet, quàm tota pecunia mundi. Vnde ſi huiuſmodi ordo præuerteretur, certè magna confuſio in rebus nedum naturalibus, ſed morum conſequeretur.

185 Nec valet, ſi quis obijciat, vt optimè Nauar. loco citato obſeruat, φ fama redimitur pretio; qm̄ hoc fit, non quia ſit æqualis reſtitutio; ſed quia alia compenſatio fieri nequit. Sicut & redimitum damnum corporis per pecuniā, & tn̄ non æquiualet pecunia bonis corporis; ſed hoc fit, quia alia recompenſatio haberi non pōt. Vnde illa pecunia potius datur pro damno illato, q pro pretio famæ, vel bonorū corporis, quæ pecunia nō ſunt vendibilia. Cū ergo dicit Soto, quod viginti pōdus plūbi plus æſtimaſſet, quàm vnus gradus auri. Reſpōdetur ſimilitudinē non valere: quia etſi aurū, & plumbū ſint diuerſæ ſpeciei, in quātum ſunt res naturales, & metalla; tn̄ ſunt eiuſdem generis, in quantum ſunt res pretio æſtimabiles, & vendibiles; ideo maior quantitas vnius poteſt ſuperare pretio minorem quantitatem alterius ſecundùm ſe pretioſioris.

Ad ſecūdū

Ad aliud exemplum de familia infamata Reſpondetur, eius ſententiam in hoc repugnare cōi ſententiæ, & prædicto fundamento: iden cum eo in hac parte non eſſe ſentiendum, ſed aſſerendum non teneri ad reſtitutionem famæ cum iactura vitæ, vt dictum eſt.

De quinto caſu, an impotens teneatur ad reſtōnem,

186 Quantum ad quintū caſum reſpondit Scotus breuiter, φ qui eſt impotens ad reſtituendum, nimirum quia non habet vnde reſtituat, pro tunc nō tenetur ad actualē reſtitutionem: tenetur tamen habere propoſitum reſtituendi, ſi deuenerit in pinguiorem fortunā. Quod probat Scotus extra de ſolutionibus c. *Odoardus.* & ex gloſa in illo capite, quæ ait, quod actio creditoris per inopiā debitoris, non expirat, ſed ſopitur. Vnde habetur illud aſſertū cōe, inanis eſt actio, quā debitoris inopia excludit. In creditore tamen manet ius agendi, & in ipſo debitore manet obligatio reſtituendi. Vnde ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit, tenebitur ad reſtitutionem.

187 In hoc conueniūt omnes & D.Th. 2.2.q.62.ar.8. ad 2. qui tn̄ adiūgit debitorē in tali caſu dēe petere remiſſionē, vel dilationē debiti à creditore, aut p ſe, aut p aliū. Sed hoc eſt conſiliū, vt eū interpretatur Soto loco citato; quia quādoque impoſſibilitas reſtituendi non eſt ita clara: ideo tutius eſt remiſſionem, vel dilationem petere.

Per remiſſionē credi toris libera tur debitor

188 Si aūt remiſſio fiat à creditore dūmodo ſit liberaliter facta, non coacta, & nulla ſit vis, vel fraus; ita φ debitor non decipiat creditorē fingendo ſe pauperiorē, & magis egentem q̄ ſit, vel cominando, vel ſubſignificando aliquod incōmodum, niſi remittat debitum (quod contingere ſolet in quibuſdā magnatibus contra pauperes creditores) tunc debitor eſt ſolutus à debito; neque & ſi veniret ad pinguiorē fortunam amplius tenetur ad reſtōnem. Secus ſi ſolùm concederet dilationem ſolutionis. Ad hoc autē, vt remiſſio debiti intelligatur verè facta, & valida, nō eſt neceſſe, vt debitor ſit paratus ſoluere, nec vt habeat animum ſatiſfaciendi: quia etſi non haberet animū reſtituendi, dūmodo creditor, qui eos nō intuetur, remitteret liberè, manet ſolutus ab obligatione (licèt peccet non habendo animū ſatiſfaciēdi, vt dictū eſt ſuprà,) neque ſi aliqn̄ veniret ad pinguiorem fortunam, reſtituere tenetur.

Aliæ cauſæ ob quas debitor libera tur ab onere reſtituēdi.

189 Præter aūt remiſſionem factam à creditore, per alias cauſas ſupra tactas debitor liberatur ab eodē onere. Vt ſi reſtitutio vergat in dānum Reip. vel Principis. Et per damnū intelligitur periculū vitę, ſalutis, vel libertatis. Similiter ſi vergat in damnum ipſius reſtituentis, vel proximi eodem modo, quo ſuprà explicatum eſt. Item ſi facta eſt legitima præſcriptio rerum alienarum. Item ſi bona fide poſſidet, donec durat bona fides.

Quid de extremè egēnbus.

190 Verùm circa hanc impotentiā occurrunt adhuc tria dubia. Pōt enim hæc impotentia trib. modis occurrere. Primò, φ tā creditor, q̄ debitor ſint in extrema neceſſitate, & tunc q̄ritur, An in hoc caſu debitor teneatur ad reſtitutionē. De hoc dubio agemus ad ducēdo, & ſoluendo quintū argm̄ principale Scoti huius 2.q.c. ſequenti. Secūdò contingere pōt, qd debitor tm̄ ſit in extrema neceſſitate, non aūt creditor. Et tunc quæritur, An ſic exiſtēs in extrema neceſſitate, & accipiens rē alienam ad ſe ſuſtentandum teneatur ad reſtitutionem ei, à quo rem illam abſtulit. De hac re agit Scotus in ſolutione eiuſdem argumenti quinti principalis, & de hac tunc ibi agemus.

De ceſſione bonorū

191 Tertiò pōt contingere, φ debitor acceperit rem alienā antequam fieret impotens ad reſtitutionē, deinde deuenerit ad extremam neceſſitatē, & de hoc agemus cū Scoto vbi ſuprà. Tandē cōtingere pōt, φ deueniat ad ſtatum valde pauperem, non tn̄ extremæ neceſſitatis, ſed tn̄ à deo infelicem, vt non poſſit reſtituere, in quo caſu ſolet debitor cedere ſuis bonis, & ſecundùm decreta ciuilia liberatur ab obligatione reſtitutionis. Tunc quæritur, An liceat hoc caſu cedere bona; & actus ille à Republica permiſſus licitè poſſit; & An ſic cedens bona ſua poſſit aliquid ſibi retinere; & An pœnitus liberetur per actum illum ignominioſum ab obligatione reſtōnis in foro cōſciētiæ.

Qui pleno marſupio fingūt ſe pauperem & cedūt bona eſt latro.

192 Ad hoc reſpondemr, non eſſe dubiū in conſciētia licere hunc actum, qn̄ ſine dolo, & fraude fit, φ ſi dolo, & fraude fiat, vt contingere ſolet de quibuſdā, qui hinc inde colligunt multā pecuniam, & pleno marſupio, fingunt ſe impotentes, & offerunt creditoribus ceſſionē bonorū, vel cōpoſitionē cum diminutione non leui debitorum, profectò iſti ſunt latrones, & ſi iuſtificati poſſent hæ eorum fraudes, deberent vt latrones puniri. Si verò viuendo luxurioſè &c. paratā pecuniā ex hmōi ære alieno abſumerent, & deueniret reuera ad infelicem, & flebilem ſtatū, vt cedere cogerētur bona, etſi multū peccauerint, nihilominus actus ceſſionis eſt licitus, & iuſte permiſſus: qa etſi prius peccauerint; In hoc actu tn̄ ceſſionis non peccāt, qa in eo nulla eſt fraus, nec dolus; ſed ignominia ex illo eis eueniēs eſt pęna quędā vitę prauæ ante actæ, & ſtatus ille infelix licèt culpa ſua procuratus, eſt dignus miſericordia.

Quæ bona retinere liceat cedēti.

193 Quantū aūt ad bona, quæ retinere licet, cauerūt leges ciuiles veſtes, viles tn̄, retinere poſſe, & inſtrumenta artis ſuæ, ſi q̄ habet, & quotidiana alimenta, licèt in hoc ſeruanda ſint ſtatuta Regionum præſcribentium formā ceſſionis. Cauendū eſt tn̄, vt poſſit viuere. Vnde (quod eſt obſeruādū) ſi acquireret deinde poſt ceſſionē bonorum ſuo labore, & induſtria aliqua bona, & perueniret ad pinguiorem fortunā, teneretur quidem reſtituere, vt ſuprà diximus:

diximus: quia per cessionem sopitur actio creditoris, non extinguitur; tñ non cogeretur spoliari oibus bonis acquisitis, sicut fit in cessione; sed teneretur restituere commodè. Vnde semper ex bonis acquisitis debet tñ sibi relinqui quantum sufficit ad congruã, & pauperé sustentationẽ vitæ, & familiæ ad iudicis arbitriũ. Et hoc licet in foro conscientiæ, vt tradunt Couar. lib. 2. variar. resol. c. 1. nu. 6. & Molina disp. 572. nu. 9. quidquid dicant aliqui alij: quia hoc est cõmodũ, quod debitor ex cessione bonorũ priuilegio legis consequitur vltra liberationẽ à carcere. Vnde illa ignominia cessionis, etsi nõ liberet à solutione debiti; facit tñ, vt totũ cõmodè prædicto modo restituere possit.

Argumenta principalia Scoti huius secundæ quæstionis, & quædam alia probantia restitutionem non esse faciendam adducuntur. Cap. VI.

194 NVnc adducenda sunt argumẽta principalia Scoti, quæ in hac 2. quæst. d. 15. facit ad probandũ restõnem nõ esse necessariã ad salutem: quia in solutione illorum quædã pulchræ difficultates explicantur, & materia hæc magis dilucidatur. Adducemus hoc c. argumenta prædicta, & quædam alia habentia aliquam difficultatem, in capite sequenti deinde illa soluemus.

Primũ argumẽtum principale Scoti.

195 Primum ergo argm̃ principale Scoti est. Si restitutio esset necessaria ad salutem hoc esset eò præsertim, quia sit pars pœnitentiæ; sed sic est, quod restitutio nõ est pars, nec aliquid pœnitentiæ: ergo restitutio non est ne-
196 cessaria ad salutem. Maior videtur manifesta: quia pœnitẽtia est sufficiens remediũ ad salutẽ consequendã homini lapso post baptismũ. Minor probatur: qa restitutio nõ est cõtritio, nec confessio, vt patet. Neque est satisfactio: quia satisfactio est redditio æquiualentis pro æquiualẽti aliàs indebiti, vt diximus q. 1. huius dist. 15. cum Scoto: Restitutio autẽ est redditio aliàs debiti. Hoc assumptum probatur, quia si homo non peccasset auferendo rẽ alienam, & non haberet ipsam rem alienam, non teneretur ad restitutionem. Hoc idem assumptum patet ex partibus satisfactionis propriæ dictæ, quæ sunt tres, oratio, ieiunium, & eleemosina; modò patet, quod sub nulla illarum continetur restitutio.

Secundũ argumentũ.

197 Secundò. Nemo ad impossibile tenetur; sed qñque est impossibile rem ablatam restituere illi, cuius est: ergo restitutio non est necessaria ad salutẽ. Maior est euidens secundũ illud D. Hieron. in epist. de explicatione fidei ad Damasũ Papã, qui dicit Deum impossibilia præcepisse anathema sit. Minor probatur. Primò, quia quãdoque nescitur cuius sit res aliena, q̃ quis possidet, vt puta si ille, cuius est res, sit absens, & ignoratur in quo loco sit, & simul ignorãtur, qui sint eius propinqui, & hæredes, quibus vice illius restitui res aliena possit. Secundò, quia quis põt inuenire rẽ aliquã deperditã, & ignorare quis sit dñs eius; quando autem ignoratur dominus rei est impossibile facere restõnem ei: ergo restõ est qñque impossibilis.

De rebus perditis, & inuẽtis.

Tertium.

198 Tertiò. Nullus tenetur ad restitutionẽ faciendã, qñ restitutio est magis damnosa sibi, q̃ sit vtilis illi cui est restituenda; sed sic est, q quandoque contingit, q si quis velit restituere rẽ alienam, illa restitutio cederet magis in dãnum restituentis, q̃ in vtilitatem illius cui fit restitutio: ergo tunc restitutio non est facienda. Maior supponitur vera, & põt probari: quia iustitia non destruit charitatẽ; ordine aũt charitatis tenemur magis diligere bona nr̃a, q̃ bona proximi: ergo restitutio non est ex necessitate facienda cũ detrimento maiori, q̃ sit vtilitas illius, cui fit restitutio. Minor probatur: quia contingere põt, q ille, cui faciẽda est restitutio, degat in partibus remotissimis; nec possit mitti res ablata nisi maiori sumptu in mittendo, quàm res in se valeat, vel sit vtilis illi, cui mittitur: ergo in hoc casu non tenetur quis ad restitutionem.

Quartum.

199 Quartò. Primo Ethic. dr̃, q bonum cõe est referendum bono particulari; sed possibile est restitutionem faciendam Petro esse damnosam Reipublicæ: ergo in illo casu non tenetur ad restitutionem. Minor probatur, quia potest contingere, quod restitutio facienda Petro sit damnosa Paulo: potest autem contingere, quod Paulus sit magis necessarius Reipublicæ, quàm Petrus: ergo in tali casu Pauli restitutio esset damnosa Reipublicæ, & consequenter non est facienda à Paulo ipsi Petro.

Quintum.

200 Quintò. Quilibet tenetur magis diligere se, quã proximum; sed sic est, q potest contingere casus quo si qs habens rem alienã eam restituat, ipse pereat: ergo in tali casu nõ tenetur ad restõnem. Maior probatur, præsertim ex illo Cãticorũ c. 2. *ordinauit in me charitatẽ*. Minor probatur: quia in casu extremæ necessitatis, si qui hẽt panem furatũ restitueret dño, damnificaretur maximè, quia fame periret: ergo in tali casu non tenetur ad restitutionẽ.

Sextum.

201 Sextò. Restitutio facienda est in fauorem illius, cui fit; sed sic est, q aliquando restitutio potest cedere in damnum illius, cui fit, & in damnum Reipublicæ: ergo restitutio non est facienda in tali casu: ergo nõ est necessaria ad salutẽ. Maior est euidens: quia restitutio est actus iustitiæ quo redditur, quod suum est, alteri. Minor probatur: quia reddere gladium suum furioso esset in damnũ ipsi furioso: quia eo malè vteretur; esset etiam in damnũ Reipublicæ: quia eo lęderet pacem ciuitatis.

Confirmatio.

202 Confirmatur: quia aliquãdo restitutio habet dãnum annexum illi, cui fit restitutio, vt puta infamiã: quia furtum est occultũ, & si restituit infamat se, vel habet annexum dãnum Reipublicæ; vt puta quia est persona excellens, quæ inseruit Reip. ideo in statu solemni, & eminenti viuere debet; si autem restituat non poterit seruire Principi, & Reip. quia in ita solemni statu non poterit se conseruare, & sic restitutio cedet in dãnum Reipublicæ.

Septimũ.

203 Septimò. Est casus celebris de adultera, quæ concepit filium ex adulterio; ista est causa, quod filius ex adulterio natus, qui non est legitimus filius patris, sed putatiuus, defraudet veros filios legitimos hæreditate paterna: quia hic capit partem hæreditatis, q̃ de iure obtinere nõ potest, cum non sit legitimus, & tamen in hoc casu adultera non tenetur restituere hæreditatem filijs legitimis: ergo restitutio in hoc casu non est facienda. Assumptum probatur, scilicet, quod non teneatur restituere hæreditatem filijs legitimis: quia hoc non posset facere, nisi manifestando se illum filium concepisse ex adulterio: At non tenetur ad hanc manifestationem: quia illa fieri non potest, nisi cum sui diffamatione, ad quam nullus tenetur: immò ad oppositum. Se etiam subijceret periculo mortis, quod esset maius malum: quia si maritus sciret mulierem esse adulteram illam occideret: ergo.

Octauum.

204 Octauò. Contingere potest, quod aliquis acquirat sibi aliquod beneficiũ Ecclesiasticum illud per procurationẽ alteri auferendo; sed sic est, quod in hoc casu sic procurans damnificat proximum, & tamen non tenetur ad restitutionem: ergo falsum est, quod restitutio rei alienæ, vel damni dati, sit necessaria ad salutem.

Prædictorum argumentorum solutio, & de ordine restitutionis faciendæ. Cap. VII.

Ad primũ.

205 SCotus ipse ad hæc argumenta dat solutionem ad primum. Conceditur Minor. explicatum est enim suprà, qũo restitutio est distincta à satisfactione propriè dicta. Ad Maiorem vero respondetur pœnitentiam quidem esse Sacramentum, per quod remittitur peccatum omne post baptismum commissum; sed dicimus pęnitentiam supponere, & prærequirere cessationẽ à peccato facto, vel propositum, cessandi, & cum debitis circũstantijs, alioquin dignè non suscipitur: restitutio autẽ est cessatio à peccato actu, vel affectu, & cum debitis circũstãtijs; & hac ratione est necessaria ad salutem, vt explicando quartum articulum huius secundæ quæstionis in principio diximus. Est ergo necessaria ad salutem, tanquam aliquid necessario prærequisitum ad dignam pœnitentiam, sine qua digna pœnitentia haberi non potest.

Ad secundũ.

206 Ad secundum conceditur Maior, & negatur Minor. Ad probationem. Respondetur, quòd, vt dictum est suprà explicando, cui facienda sit restitutio in casu quo ignorentur dominus rei, & propinqui, seù hæredes illius; restitutio debet fieri illi erogando rem illam pauperibus, vel in operibus pijs pro anima illius; & ita licèt sit impossibile facere restitutionem domino temporaliter, fieri tamẽ potest particulariter, & hoc sufficit. Dubia occurrentia circa hoc ibi sunt explicata.

Ad tertiũ.

207 Ad tertiũ respondetur iuxta dicta superius explicando cui faciẽda sit restitutio. Quod quãdo creditor est absens, nec res põt mitti ei cõmodè, & moderato sũptu, sed sũptus esset magnus, ita ꝙ esset maius detrimẽtũ mittẽtis, q̃ valor rei missæ, & vtilitas illius cui mittitur. Tũc restitutio est differenda donec opportunè restitui possit; & casu quo non speretur posse commodè restitui, debet fieri restitutio spiritualis dãdo pauperibus. Si verò sit res magni momenti, & maius sit detrimẽtum, quod patitur creditor, tũc tenetur mittere suis sũptibus, vt dictũ est ibi.

Ad id de rebus inuentis, & perditis.

208 Ad id, quod tactum est de rebus perditis, & inuẽtis. Respondit Scotus, ꝙ res inuenta debet tradi alicui personæ publicè custodiẽda, & in locis publicis proclamari, vt sic dominus, qui amisit, possit ad eã pertingere. Sed si post talem proclamationem nullus appareat dominus, faciendum est sicut de restitutione vaga, idest de rebus incertis, quas diximus restituendas esse spiritualiter, postquam restitui non possunt temporaliter, nimirum erogando eas pauperibus, vel in opus aliquod pium.

Quo ordine restitutio fieri debeat.

209 Sed est dubium quo ordine restitutio rerũ ablatarum fieri debeat. In qua re aliqua sunt certa, aliqua dubia. Ista certa sunt. Primò quod si debitor habeat sufficiẽtia bona quibus omnibus creditoribus satisfacere possit, non esse multũ curandum de ordine: quia oĩbus æqualiter satisfacere põt, ita vt nullus illorũ detrimẽtũ patiatur.

210 Secundò, quando debitor non potest omnibus satisfacere, sed aliquibus tantùm, prius debita certa esse soluenda, quàm incerta, idest prius esse satisfaciendum creditoribus certis per temporalem satisfactionem, quã creditoribus incertis, & incognitis per spiritualem satisfactionem, quæ est erogatio in pauperes. Quo iure autem hoc sit licitum Varij varia dicunt. Ego puto hanc esse rationem ex natura rei ductam. Præceptum restitutionis faciendæ est de iure naturæ, diuino, & humano, vt suprà diximus, & intelligitur de restitutione temporali propriè: in defectum enim illius, quæ fieri non possit, natura dictat, faciendã esse restitutionem spiritualem. Ergo quando restitutio temporalis fieri potest, semper illa est præponenda spirituali, & consequenter in defectu, quod quis non possit restituere temporaliter, & spiritualiter debet præponere restitutionem temporalem spirituali; & sic debet prius restituere creditoribus certis, quibus temporaliter potest restituere, quàm creditoribus incertis, quibus non potest restituere nisi spiritualiter in pauperibus.

Debita certa prius soluenda, quã incerta.

Cũ res extat ante omnia est restituenda domino.

211 Tertiò, quando res ablata eadem numero, & specie, seù substantia permanet, eam ante alia esse restituendam domino. Adeo ꝙ si Caius abstulit multas res alienas, quas consumpsit, & vltimo abstulit equum, qui constat apud eum, ante omnia debet restituere equum illum domino suo, licèt nõ habeat vnde creditoribus aliquorum satisfaciat. Ratio est, quia illius equi dominiũ semper remansit apud dominum, nec trãsiuit in debitorem; ideo maius ius habet dominus equi super illum equum, quàm priores creditores Caij. Et eadem ratione si inueniatur aliqua res Ecclesiastica in substantia eadem existens, & ignoretur cuius Ecclesiæ sit, debet Ecclesiæ restitui, idest in pios vsus distribui: quia dominus eius certus est Ecclesia. Et eadem ratione res perdita inuenta debet restitui pauperibus, non inuento domino certo: quia pauperes in eo casu succedũt domino certo, iuxta dicta: quia cessante possibilitate restitutionis temporalis, succedit spiritualis.

An creditor, qui credito vendidit alijs præferri debeat.

212 Dubia verò multa sunt, præsertim ista. Primò, An ille, qui vendidit prædium alteri credito, & tradidit dominiũ eius, sed pecuniã nõ accepit, debeat præferri alijs creditoribus illius, qui emit. Varij varia dicunt, vt est videre apud Nauarrum in Man. c. 17. nu. 49. Couaruuiam lib. 1. variarum resolut. c. 7. nu. 3. Azorium lib. 4. c. 36. q. 1. & alios ab eis citatos. Communior est debere præferri. Et ratio est eadem quæ in præcedẽti: quia res illa adhuc extat eadem in substantia, & numero; Et ratio recta dictat, quod etsi transtulerit dominium in emptorem, tamẽ maneat hippotheca donec pretium sit solutum; licèt de iure ciuili nullibi habeatur hæc prælatio. Nec est par ratio de alijs rebus debitis: quia illę non extant; si autem extarent esset eadem ratio de illis. Vnde Couaruuias, & Azorius, qui conueniunt cum cõmuni in tertio dicto nunc suprà, nõ video quomodo ab illa in hoc casu discrepare possint.

An debitũ ex delicto sit prius soluendũ, quã debitũ ex contractu.

1. Opinio.

213 Secundò, An debitũ ex delicto sit prius soluendum, quàm debitum ex contractu. In hac re varij varia dicunt. Aliqui dicunt prius soluendum esse debitũ ex delicto, quàm ex contractu, quæ tribuitur D. Thomæ Opusculo 73. c. 10. D. Bonauen. Medinæ de restitutione, q. 2. d. 2. Tabiensi verbo *Restitutio*, q. 25. & alijs. Fundamentum est, quia recedendum est à maiori iniuria, quàm minori; sed maior iniuria est, quæ prouenit ex delicto, quã quæ prouenit ex contractu: ergo. Qui etiam aufert rem alienam delicto, peccat duplici peccato, scilicet retentione rei alienæ, & iniuria facta proximo: ergo.

2. Opinio.

214 Alij dicunt è conuerso restituendum esse prius debitum ex contractu, quàm ex delicto, quam tenent Caietanus in summa verbo *Restitutio*, c. 8. Nauarrus in Manual. c. 17. nu. 12. & alij. Fundamentum est, quia non sunt accipienda, seù restituenda aliena inuito domino, vt restituantur male accepta: neque enim facienda sunt mala, vt inde eueniant bona, secundùm Apostolum Roma. 3. At non restituere accepta ex contractibus, vt restituantur furto accepta, perinde est, ac si accipiantur aliena, vt restituantur ablata.

3. Opinio.

215 Alij supponunt nullum esse seruandum ordinem in conscientia inter debita ex delicto, vel ex contractu contracta, vt Gabriel in 4. d. 15. q. 2. ar. 3. dist. 6. Syluester verbo *Restitutio*, 5. q. vltima. Azorius lib. 4. c. 36. q. 2. sed illud esse prius restituendum, quod ex aliqua lege ciuili habet hyppothecam priorem.

Opi. auctoris.

216 In hac re difficili mihi placet opinio Gabrielis loco citato, nimirum in debitis certis siue ex contractu, siue ex delicto standum esse dispositioni iurium ciuilium; & hoc etiam secundùm conscientiam. Neque Gabriel negat leges ciuiles obligare in conscientia, vt ei imponit Azorius, sed solum dicit, quod leges ciuiles magis respiciunt forum iudicij, quàm conscientiæ, & vult dicere, quod magis respiciunt quietem publicam, quàm ordinem naturalem: Et cum dicit restitutionem esse faciendam secundùm illas leges, necessariò habet dicere, quòd obligẽt in conscientia, alioquin qui seruaret ordinem dispositũ ab illis, peccaret, nec satisfaceret conscientiæ suæ, quod est contra eius decisionem. Dicendum est ergo ordinem legum ciuilium obligare in conscientia propter eas rationes, quas adduximus ad probandum leges præscriptionis, & vsucapionis esse iustas. Hoc ergo iacto fundamento mihi dicendum videtur prius esse restituendum illi, qui habet hyppothecam super rem, quàm illi qui non habet hyppothecam; & inter illos qui habent hyppothecã prius illi, qui fauorabiliorem hyppothecam habet (fauorabiles autem hyppothecæ sunt, vel expressè, idest verbo, vel scripto factę, vel tacitè ex dispositione legis inductæ, licèt nullo pacto, nec verbo expressę fuerint) huiusmodi sunt hyppotheca quam dos vxoris habet super omnia bona mariti. Hæc enim præfertur omnibus alijs hyppothecis secundùm aliquos, licèt sint variæ opiniones de quib. Syluester verbo *Dos*, q. 12. & verbo *Restitutio*, 6. q. 5. & alij. Item quando quis dedit pecuniam ad reficiendam domum ne rueret; ad nauim resarciendam, armandam, ad prouidendum illi de rebus necessarijs ad nauigandũ;

Præferẽdi sunt creditores potiores in iure.

De creditoribus hyppothecarijs.

Hyppotheca fauorabilior quę sit.

ille

ille habet hyppothecam, ſiue expreſſam (ſi verbo, & pacto conuenit) vel tacitam (ſi non fecit pactum) ex diſpoſitione legis ante omnes alias hyppothecas (excepta dotali ſecundùm aliquos) ideo huiuſmodi præfertur omnibus creditoribus etiam anterioribus tempore habẽtibus hyppothecas tacitas, vel expreſſas in illa domo, naui, & ſimilibus l. huius, ff. qui potiores in pigno. habeantur. Itẽ qui mutuò dedit pecuniam ad portandum merces horreorum, vel Areæ, vel vecturæ, vel ad conducendum domum pro mercibus reponendis, habet hyppothecã anteriorem in illis rebus ad quas dedit pecuniam mutuò, Eadem lege. Item quando quis dedit pecuniam ad conſeruandam quamlibet rem, habet hyppothecã in illa re præferenda quibuſcunque aliis anterioribus, Eadem lege. Item quicunque debet aliquid fiſco ex contractu aliquo vel quacunque cauſa: Hæc tamen hyppothcca non præfertur anterioribus hyppothecis priuatis expreſſis, l. ſi pignus, ff. qui potior. in pignoribus. De his variæ extant cõſtitutiones Regnorum, & Ciuitatum particularium, & varia dicunt Doctores, ad quos lectores remitto.

De creditoribus priuilegiatis.

217 Poſt creditores hyppothecarios ſequuntur creditores priuilegiati, de quibus agunt Iuriſtæ in titulo de priuilegijs creditorum, vt qui dedit aliquam pecuniam, vel aliquid aliud pro funere defuncti, præfertur omnibus alijs creditoribus, immò hyppothecarius dicitur: immò eſt magna quæſtio, An præferatur hypothecæ dotali. De qua re plura Doctores Iuris, & multi alij, quos referre longum eſſet.

Priores tẽpore præferendi ſunt poſterioribus creditoribus.

218 Poſt creditores priuilegiatos inter omnes alios creditores, tam ex cõtractibus, quàm ex delicto, mihi videtur dicendum præferendos eſſe eos, qui ſunt tempore antiquiores, & priores, quam opinionem ſequuntur Medina vbi ſupra, & alij citati ab eo. Et ratio eſt, quia eſt regula iuris in 6. qui prior eſt tempore, potior eſt in iure. Et confirmatur ratione naturali. Nam eo ipſo, quod creditor eſt antiquior tempore, bona debitoris illi prius ſunt obligata: obligata autem vni non poſſunt obligari alteri. Nec video quomodo auctores contrarium ſentientes, & dicentes regulam illam iuris habere locum quidem in multis alijs, non autem in caſu hoc reſtitutionis, vt Azorius, huic rationi ſatisfacere poſſint. Quando verò creditores ſimul tempore, & iure concurrunt, bona debitoris diuidenda ſunt æquis portionibus iuxta ratam crediti.

Ad rationẽ pro prima opinione.

219 Ratio autem pro prima opinione, quòd prius debeant reſtitui debita ex delicto, non concludit: quia potius maior iniuria videretur fieri creditori ex contractu: quoniam vltra iniuſtitiam retinendi rem alienam, etiam ageret contra virtutem fidelitatis: quia promiſit in contractu ſoluere, deinde non ſolueret. Vnde ex illa deceptione ipſi creditoris aliquod damnum accidere poſſet ex ſpe fruſtrata in illo credito. Præterea maior iniuria, quæ eſt debita ex delicto vltra retentionem rei alienæ, & damni inde ſequentis, non pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, ſed ad vindicatiuam; debet enim pro iniuria illata puniri, ideo hæc non facit, vt teneatur maiori vinculo ad reſtituendum debitum ex delicto.

Ad rationẽ pro ſecũda opinione.

220 Ratio etiam pro ſecunda opinione non concludit. Nam qui teneret oppoſitam ſententiam à pari poſſet dicere, quod non reſtituere creditori ex delicto, vt reſtituat creditori ex contractu, perinde eſt, ac furari, & rapere, vt ſatisfaciat pro re aliena, quod eſt facere malum, vt inde veniat bonum. Dicendum eſt ergo prius eſſe ſatisfaciendum ei, qui eſt potior in iure: ille autem eſt potior in iure, qui eſt prior, & antiquior creditor. Vnde ſi prius tẽpore furatus eſt rem Titio, quàm contraxerit debitum ex cõtractu cum Meuio, ratio expoſtulat, vt prius ſatisfaciat Titio, quàm Meuio; & è conuerſo, ſi prius contraxit debitum cum Meuio ex contractu, quàm ſit furatus rem Titio, prius debet reſtituere Meuio, quàm Titio.

An prius pauperi vel diuiti ſit reſtituendũ.

221 Tertiò dubitatur, An quando creditor eſt pauperior altero illi ſit prius reſtituendum, quàm ditiori. Auctores prioris opinionis affirmant eadem ratione: quia nimirum maior iniuria fit auferendo rem pauperi, qui illa maximè indiget, quàm ditiori, qui non ita illa indiget; in reſtitutione autem facienda neceſſe eſt recedere prius à maiori iniuria. Sed multò melius alij hanc aſſertionem probant diſtinguendo, quod vel pauper eſt ita pauper, quod lege charitatis, & miſericordiæ obligetur ad eius inopiam ſubleuandam (quod intelligo non ſolũ quando pauper eſt in extrema neceſſitate, ſed quãdo eſt in graui, & alius habet multa ſuperflua, quo caſu habet locum illud D. Baſilij ſerm. 12. in Lucam. *Eſt panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclaui conſeruas: diſcalciati calceus, qui pœnes te marceſcit: indigentis argentum, quod tu poſſides inhumanum. Quocirca tot iniuriaris, quot dare valens es.* Hanc adducit D. Thomas 2.2.q.32. art.6.) & tunc tenetur reſtituere prius pauperiori, & maximè ſi hæc reſtitutio afferat illi magnum commodum, & ſubleuationem, & non reſtitutio, magnum damnum: tunc enim obligatur duplici vinculo iuſtitiæ, & miſericordiæ. Neque in hoc caſu facit iniuriam creditori ditiori: quia ille in tali caſu tenetur aſſentire, vt reſtituat pauperiori: Si autem pauper non eſt in ſtatu tali, tenetur reſtituere ditiori, ſi creditum eius eſt antiquius.

222 Quartò dubitatur, An debitor intuitu amicitiæ, vel gratitudinis licitè poſſit reſtituere vni, potius quàm alteri, & reſtituere poſteriori, omiſſo priori, etiam ſi creditor non petat debitum. Reſpondetur, aliqui videntur dicere licitè debitorem hoc facere non poſſe, ſi tamẽ ſiat tenere. Et hæc opinio tribuitur Medinæ vbi ſupra. Alij dicunt non ſolum debitorem peccare, ſed etiam creditorem obligari ad reſtitutionem caſu quo debitor ex illa reſtitutione fiat impotens ad ſoluendum priori creditori: quæ eſt opinio Nauarri cap. 17. nu. 53. & eam amplectitur Azorius, & alij vbi ſupra. Et mihi quoque probatur: quia in hoc caſu debitor adimit ſuum ius priori creditori, & tribuit alteri, quod eſt violare iuſtitiam commutatiuam. Deinde creditor poſterior non habet ius ſuper debitum priori creditori: ergo dum accipit, quod competit priori creditori aufert alienum, & ſic tenetur ad reſtitutionem. Et ſi debitores ſint æquales in iure, & omnibus ſatisfacere integrè non poſſit, bona debitoris debent diuidi per æquas portiones: ergo cum totum redditur vni, adimitur pars ſua debita alijs: ergo qui accipit totum, accipit partem alienam, & ſic tenetur illam reſtituere priori creditori. Nec obſtat quod ille etiam ſit creditor: quia ex quo alius eſt prior ipſo, ceſſat ſuum ius, quod eſt poſterius.

An debitor poſſit reſtituere pro libito vni nõ alteri.

223 Denique dubium eſt, An quando plures ſunt creditores, qui prius petierit habeat prælationẽ ſuper alios priores, qui tamen non ſunt priuilegiati, nec habent hyppothecam. Nauarrus vbi ſupra, & alij dicunt, præferri. Alij dicunt niſi ſit alicubi ſtatuto particulari decretum, vt qui primus petijt in iudicio habeat prælationem, ex ipſa ſola petitione non acquirere hoc ius: quia ex iure communi hoc non colligitur; ſed ſolùm habetur, quod ſoluente debitore primo creditori petenti, & obtinente creditore non reuocetur ſolutio, id eſt in iuditio non detur actio creditori priori petenti debitum ſolutum, quæ opinio eſt rationabilis: quia ex quo eſt creditor legitimus, & fuit ſolicitus ad exigendum ſuum, negligentia prioris creditoris non debet ei præiudicare. Et hoc eſt, quod ſentit quoque Nauarrus, ſi attentè conſideretur.

Quãdo plures ſunt creditores, an q. prius petierit habeat prælationem.

224 Ad quartum argumentum principale Scoti. Reſpondet ipſemet Scotus concedendo bonum publicum eſſe præferendum priuato: & ideo cum perſona neceſſaria Reipublicę eſſet in ſtatu tali, quod eius reſtitutio præiudicaret bono publico, ille non teneretur ad reſtitutionem; Si autem eſſet in ſtatu tali, quod eius reſtitutio non præiudicaret Reip. tunc deberet facere reſtitutionem. Vnde ad hoc cognoſcendum diſtinguendum eſt de neceſſitate illius perſonæ publicæ. Vel enim eſt neceſſitas arcta, vel non arcta. Si eſt arcta, & extrema, de hoc caſu dicetur in ſolutione ſequentis arg. Si non eſt neceſſitas arcta;

Ad quartũ principale Scoti.

Duplex neceſſitas arcta, & non arcta.

arcta; sed solùm ratione status, tūc etiā distinguendū est. Vel nō est necessitas talis, quod si restituat nō poterit seruare statū solemnē. Vel est talis, quod non poterit saluare statum simpliciter. Si est necessitas primo modo, hæc non excusat à restitutioni: quia non licet alicui tenere statum solēne de bonis alienis; & est magis vtile Reip. quod hæc persona necessaria Reip. seruet iustitiam communem, & fidelitatem, quàm quod seruet statum solemnem contra iustitiam. Si autem illud, quod tenetur restituere, sit ei necessarium ad seruandum statum simpliciter, non tenetur restituere. Adeo quod vt supra agendo de quando casu 3. dicebamus, debet seruare statum mediocrem, & decentem, non tamen pomparicum, & solemnem, sed modestum.

Ad quintū principale.

Quid dicēdū de extremè egētibus quo ad restitutionem.

225 Ad quintum respondet Scotus, quod aut detinēs rem alienam est in extrema necessitate, & ille cuius est res nō est in extrema necessitate, sed habet aliq̄ aliam rē extra extremam necessitatem. In primo casu dicendum est, debitorem, seù detinentem rem alienam non obligari ad restitutionem. Ratio est, quia in illo euentu illa res fit detinentis, iure poli, seù naturæ: quia de lege naturæ concessum est vnicuique, vt in extremæ necessitatis articulo sibi prouideat de necessarijs ad sustentādam vitam suam: ideo in eo casu quicunque occupans vel detinens sic aliquid necessarium, fit dominus illius rei; neque amplius tenetur ad restitutionem. Quam rationem probat per Extrauagantem *Exijt*, de verborum significatione §. *Nec quicquam*. Quæ hodie habetur in 6. Decretalium.

226 In secundo verò euentù, nimirum quando vterque, & detinens rem alienam, & ille, qui eius est dominus, est in extrema necessitate, est distinguēdum adhuc. Nam vel dominus rei prius deuenit ad extremam necessitatem, quàm detinens rem alienam. Vel detinens prius venit in extremam necessitatem. Vel vterque simul. In primo euentu inquit Scotus rem esse restituendam domino: quoniam in tali euentu habet duplex ius super illam. Primò, quia est dominus illius. Secundò, quia in huiusmodi casu necessitatis iure poli, & naturæ fit dominus iterum illius rei. In secundo euentu inquit detinentē rem alienam non teneri ad restitutionem. Ratio est, quia propter euentum extremæ necessitatis fit dominus illius rei iure poli, & naturæ, & dominus amittit dominium illius rei: Adeo quòd amplius non tenetur illā restituere domino, esto ille deueniat deinde ad extremam necessitatem: quia iure poli detinens factus fuit dominus illius rei. Circa primum casum nulla est discrepātia, & omnes conueniunt. Sed circa secundum est aliqua difficultas, de qua infra post explicationē tertij casus.

Quid dicēdū quando vterque in extrema necessitate simul fiunt. Opi. Scoti.

227 In tertio verò euentu, nimirum quando dominus rei, & detinens rem alienam simul tempore deueniūt in extremam necessitatem, ait, Rem alienam esse restituendam à detinente ipsi domino. Ratio Scoti est, quia res illa nunquam cecidit à domino, neque vnquam peruenit in dominium iustum detinentis: proinde in illo casu nō restituere, est iniustè detinere, ac veluti de nouo auferre rem alienam inuito domino. Cum Scoto sentiunt Richardus eodem lib. & dist. 1. ar. 5. q. 4. ad quintū. Gabriel eodem lib. & dist. q. 2. ar. 2. conclus. 2. Syluester verbo *Restitutio*, 5. nu. 2. Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 61. citatur in hanc sententiam, sed ille procedit alio principio. Refutat enim communem sententiam, quod existens in extrema necessitate fiat dominus illius rei, qua in illo casu se in vita seruat, nisi illa res sit modica, vel adsint aliæ coniecturę, quod dominus rei illā ei donet. Quę opinio quò ad hoc non probatur, vt infra dicam; tamen in quantum asserit dominium rei manere apud dominum, & non transire ad detinentem, maximè fauet opinioni Scoti. Alij multi eandem opinionem Scoti sustinent.

Opinio opposita Caietani, Soto, & quorundam aliorum.

228 Caietanus autem 2. 2. quæst. 62. art. 5. ad quartum, Soto lib. 6. de iustitia, & iure q. 7. ar. 1. quos quidam alij sequuntur, tenēt oppositum his rationibus. In extrema necessitate omnia sunt communia lege naturæ, & cessat ius gentium, quo dominia rerum sunt distincta. Ergo non habet maius ius dominus tunc super rem illam, quæ erat sua, quàm detinens; & proinde non est iudicādum in hac re secundùm ius gentium, sed secundùm ius naturæ, quo omnia sunt communia, & vnumquodque est occupantis: ideo cum detinens rem illam occupet, ipsius est.

1. Ratio.

2. Ratio.

229 Secundò in æquali necessitate potior est conditio possidentis. At in hoc casu detinens rem, est illius possessor: ergo ius magis fauet detinenti quàm domino. Vnde si non restituat, & dominus pereat, nō est reus homicidij: quia in tali casu non tenetur: ius enim naturale præponderat iuri gentium, & ciuili. Azorius, & recentiores lib. 4. cap. 39. iudicant vtranque opinionem probabilem, sed probabiliorem opinionem Thomistarum propter allatas rationes. Nimirum quia in extrema necessitate debitor plurimum iuris habet, tum ratione possessionis, tum ratione vsus, qui eo casu est omnium cōis.

Azorius, & recentiores

3. Ratio.

230 Tertiò possumus adducere pro opinione Caietani rationem Scoti, quam contra se facit, ex qua rationes suas desumpserunt Caietanus, & Soto. Quilibet tenetur diligere magis se, quàm proximum. Hoc patet ex ordine charitatis, & ex iure naturæ. Ex hoc autem sequitur, quod quilibet tenetur magis diligere suā vitam corporalem, quàm vitam corporalem proximi: ergo rem istam simpliciter sibi necessariam ad vitam corporalem debet sibi magis retinere, quàm alteri dare.

Defēditur opinio.

231 Cæterùm ratio Scoti manet insoluta, & est efficax, & rationes aduersariorum ex illa ruunt. Difficultas tota est, An detinens rem alienam in hoc caso, quo dominus, & detinens simul incipiunt descendere in extremam necessitatem, iustè detineat, & consumet illam ad sui sustentationem; an verò sit contra iustitiam. Et quidē si sit contra iustitiam non est dubium obligari ad restitutionem domino, etiam ex aduersarijs. Si autem secus nequaquam. At quod sit iniusta detentio, probatur per rationem Scoti, quod ostenditur sic. Ille non possidet iustè aliquam rem cuius dominium semper fuit, & manet apud alterum; sed sic est quod dominium plenum rei alienę in casu nostro semper fuit, & manet penes dominum, à quo inuito res est ablata, neque per vllum instans illud ab se abdicauit, nec abdicat: ergo detinens semper & pro quocunque instanti illam rem iniustè detinet: ergo semper, & in quocunque instanti tenetur ad restitutionem, etiam in illo instanti vltimo quo illam consumit pro vita sua conseruanda. Maior est euidens: quia eiusdem rei simul, & semel non possunt esse duo domini totales, & diuersi: neque enim Titius potest esse totalis, & absolutus dominus eiusdem panis, & simul, & semel Meuius eiusdem panis: quia implicat contradictionem. Minor autem probatur: quia creditor, antequam deueniat ad extremam necessitatem, iam habebat iustum dominium super rem illam, detinens autem nullum, sed iniustè illam rem possidebat. In casu autem quo ambo deueniunt in extremam necessitatem, detinens iure naturæ non potest acquirere ius in illam rem: quia eodem instanti iure naturæ creditor dominium illius rei retinet: creditor enim potitur eodem iure naturæ quo debitor in illo caso, & instanti; & sic quantum ad ius naturæ sunt æquales. At præter ius naturæ, quo sunt æquales pro illo instanti quo cadunt in extremam necessitatem, & quo sunt æquales, creditor habet prælationem ratione iuris gentium, & dominij prioris, quod habebat, & per euentum extremæ necessitatis illud nō amisit, sed acquirit ex iure naturę, sicut acquireret detinens; nisi ipse creditor iam illud præhaberet: ergo nulla ratio suadet, quod creditor ab illo iure cadere debeat, & detinens debeat ius naturæ in illam rem acquirere: quia iam in iure naturæ sunt æquales, & deinde creditor superat debitorē ratione prioris dominij, & proinde non debet esse deterioris

con-

conditionis, quàm detinẽs, sed melioris, cum habeat plus iuris in ea re, & sic sequitur apertè, quod detentio illa in detinente sit iniusta, & consequenter teneatur ad restitutionem domino, qui habet maius ius.

Ad fundamentũ Caietani, & Soto.

232 Et per hoc, fundamẽtum Caietani, & Soto ruit. Respondetur enim esse verum in extrema necessitate iure naturæ omnia esse communia, sed hoc est verum cæteris paribus; sed hic est disparitas. Nam ambo quò ad ius naturæ sunt quidem æquales: quia vterque simul cadit in extremam necessitatem: & ideo æqualiter possunt occupare rem sibi necessariam; sed hoc est verum de re aliena, in qua adhuc nullus alius habet ius ex lege naturæ, sed solùm ex iure gentium: nimirum rei quæ est alicuius, qui non est in extrema necessitate: At quando res aliena iam est alterius ratione legis naturæ, nõ potest alter iure naturæ eodem illam sibi occupare: quia iam eodem iure alter, vt creditor, habet dominium; & quod est vnius non potest eodem iure pertinere, vel transferri in alium. In proposito autem creditor habet æqualiter ius in re sua ex lege naturæ sicut debitor: quia simul tempore cadit in extremam necessitatem cum detinente, & antea habebat ius in eadem re iore gentium: ergo habet idem ius naturæ, quod detinens, & vlterius ex iure gentium habet illud dominium; & prius habet dominium istud, quàm detinens: ergo haber maius ius, quàm detinens, & ideo detinens in hoc casu rem alienam iniustè eam detinet; & sic ruit fundamentum Caietani, & Soto.

233 Hinc etiam ruit illud aliud fundamentum Caietani, hic esse iudicandum secundùm statum, quo res sunt communes, non secundùm statum quo sunt propriæ. Nam hoc esset verum, si solùm ius naturæ hic interueniret, quo res sunt communea: at quando concurrunt ius legis naturæ, & ius gẽtium, debet iudicium fieri de re secundùm vtrunque ius; cum ergo creditor iure naturæ sit æqualis debitori, & deinde illam superet ratione iuris gẽtium, & prioris acquisitionis dominij, debet iudicari præferendum esse ipsum dominum rei illius, & detentorem iniustè detinere, & possidere rem illam.

Ad primã rationẽ Caietani i forma.

234 Ad primam ergo rationem dicitur, quòd etsi cesset ius gentium; tamen præfuit, & per illud iam habuit verum dominium rei, non autem iniustè detinens; cum autem desinit ius gentium, & sequitur ius naturæ, creditor simol succedit in dominium eiusdem rei eodem iure naturæ. Vnde nunquam cadit à dominio illius rei, & ideo retentor nunquam iustè possidet, nec acquirit ius illius rei.

Ad secũdã rationem.

235 Ad secundam, vera est illa maior in dubijs, quãdo ignoratur, quinam duorum habeat maius ius in re, de qua contenditur; tunc enim potior est conditio possidentis. At in proposito non est dubium, An res sit domini, vel possidentis, seù detinentis, sed visum est, certum esse dominũ habere maius ius; immò ipsum solũ habere dominium, & verum ius; detentorem verò nequaquam. Secus autem esset, si prius detentor deuenisset ad extremã paupertatem; nam eo casu, vt dixit Scotus, detentor fieret verus dominus, & acquireret dominium. Vnde etiam si deuenit et ad pinguiorem fortunam, nõ teneretur ad restitutionem: At in casu nostro quo ambo simul cadant in extremam necessitatem, opinio Caietani nullam habet probabilitatem.

Ad tertiã.

236 Ad tertiam respondet Scotus, præceptum charitatis, & naturæ, quo quis debet magis diligere se, quàm proximum, & consequenter magis vitam suam, quam proximi, debet esse ordinatum ad vitam ęternam: & proinde debet esse iustum, non autem iniustum; & ideo debet magis diligere iustam conseruationem vitæ suæ, quã iniustam conseruationem vitæ alterius; sed non debet magis diligere iniustam conseruationem vitæ suæ, quàm iustam conseruationem vitæ proximi. Vnde latro hac ratione debet magis sustinere suspendium, quàm occidere suspendentem, vt euadat: quia conseruatio vitæ suæ est iniusta; conseruatio autem vitæ suspendentis est iusta. In

Latro cur potius debet sustinere suspendium, quã occidere suspendentẽ.

nostro autem euentu conseruare vitam suam in detinente rem alienam est iniusta; conseruatio autem vitæ domini est iusta: quia dominus habet ius, & dominium super illam rem, quam non habet detentor. Vnde infert Scotus, quod in hoc casu nõ solùm detentor peccat: quia detinet rem alienam inuito domino, sed quia esset homicida: quia detrahendo illi, quod sibi iustè obuenit eum interficit. Quæ vltima cõsequentia est euidens: qui enim detrahit alicui alimenta necessaria ad vitã, sine quib. viuere non potest, est homicida illius. Quod autem iste detinens alianum in hoc casu iniustè detineat, patet ex ratione adducta suprà, & corroborata contra Caietanum.

237 Post solutionem allatam mouet Scotus dubium agitatum deinde ab alijs diffusè, quod iam suprà secundo casu soluerat, & est, An qui accepit rem alienam, & deuenit in extremam necessitatem antequam creditor, & dominus illius rei veniat ad eandem extremam necessitatem, & deinde ipse detentor venit ad pinguiorem fortunam, teneatur ad restituendum domino rem illam, vel æquiualens. In hoc dubio sunt duæ opiniones, & Scotus pro vtraque arguit, & deinde soluit dubium. Primò asserit teneri ad restitutionem, hanc sequitur Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 61. & ante ipsum Panormitanus in cap. *si quis* de furtis, Adrianus in 4. de restitut. q. quæ incipit, *quia dictum est de lucro*. Couaruuias in regula peccatum p. 2. §. 1. num. 4.

An extremè indigens redactus ad pinguiorẽ fortunam teneatur ad restitutionem.

238 Pro hac opinione adducit Scotus regulam illam extra de solutionibus cap. *Odoardus*. qua dicitur, quod actio creditoris non expirat per inopiam debitoris, sed sopitur: ideo cum ad pinguiorem fortunam deuenerit tenetur ad restitutionem. Secundò alij arguunt, quia nemo tenetur extremè egẽti succurrere gratis dando, sed satis est succurrere mutuando: quia satis per mutuum leuatur extrema necessitas, & hanc rationem multum inculcat Nauarrus. Tertiò quia fundamentum oppositæ sententię, quod est res fieri communes per necessitatem, non habetur per vllam legem. Nam lex illa celebris, quæ est secunda §. *cum in eandem*. ff. ad l. Rohd. de iact. non dicit per necessitatem res fieri communes, sed esse communicandas. Præterea repugnat etiam intellectus ille rationi, quia est repugnantia, quod plures in solidum sint domini eiusdem rei.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

239 Secunda opinio tenet non teneri ad restitutionẽ, pro hac opinione arguit Scotus sic: Res illa facta est detinentis per extremam necessitatem, & per consequens desijt esse prioris domini: ergo non est sibi reddenda.

2. Opinio.

240 Respondet Scotus, quod res simpliciter necessaria in extrema necessitate non videtur esse nisi aliquid cõsumptibile, vt puta aliquid pertinens ad victũ, quod tũc in illa necessitate extrema iustè consumit ad conseruandam vitam suam, (vbi nota, quod difficultas præsens est maximè de re huiusmodi cõsumptibili per vsum, ex quo cessat obiectio de vestimentis collatis alicui in casu necessitatis ad vitandum aliquod frigus quo absumeretur, & similia exempla, quæ adducit Nauarrus, quia cum illæ res per vsum non consumentur non videntur in extrema necessitate transire in dominium vtentis) Et tunc est distinguendum. Vel acceperat illam rem à creditore, siue domino ante casum extremæ necessitatis. Vel accepit illam solùm in casu extremè necessitatis. Si primo modo ait Scotus teneri ad restitutionem æquiualentis, quod probant rationes adductæ præcedenti cap. de eo qui cedit bonis, & rationes pro priori opinione adductæ. Si secundo modo non tenetur ad restitutionem. Et hoc concludit ratio facta pro secunda opinione.

Opi. Scoti.

241 Cum Scoto sentiunt in hac secunda parte (quia de prima parte nulla est difficultas: Auctores enim secũdæ opinionis illam intelligunt in sensu hoc secundo) Syluester verbo *furtum*. q. 5. & alij, quos Azorius lib. 4. cap. 39. citat, & hæc est opinio communis. Et verum fundamẽtum est lex naturæ, & positiua diuina, quæ habet hãc maximam, quod in extrema necessitate omnia sint cõmunia,

Qui cũ Scoto sentiũt.

munia, quam Scotus in primo articulo huius secundę q. explicauit, & D. Thomas 2.2.q.66.ar.7. & alij suis locis. Nam ex iure naturæ seù ex prouidentia Dei in creatione Mundi res inferiores huius Mundi sunt ordinatæ ad seruitium, & sustentationem hominis; illa enim propter hominem creata sunt. Et sic iure naturæ omnia sunt communia: At ius humanum, & positiuum non potest derogare iuri naturæ, & diuino; ius autem humanum est, quod diuisit dominia rerum. In casu ergo extremæ necessitatis quo debeat conseruari in vita homo ex aliqua re, non impeditur per dominium alterius super illam rē, quia in tali casu cessat illud dominium legis humanæ, & habet locum lex naturæ, quæ concedit rem quancunque cuique indigenti illa, & eius vsum, & dominium.

Ad primā rationē pro prima opinione.

242 Ad rationes ergo prioris opinionis in quantum militent contra hoc secundum membrum patet. Ad primam manifestum est illam cōcludere pro prima parte huius opinionis Scoti, quam concedimus.

Ad secūdā.

Ad secundam respondetur quod etsi per mutuum possit succurri, hoc non facit, quin etiam lege naturæ non acquirat dominium illius rei. Ideo si nolit mutuò accipere, sed vt suum consumere, potest propter rationem adductā.

Ad tertiā.

Ad tertiam varij varia dicunt, ego dico opinionem communem non fundari in illa lege, licèt illa lex quoque iudicet eas fieri cōmunes ex necessitate extrema quò ad dominium: quia quando res consumitur vsu, nō potest cōsumari sine dominio secundùm aliquos. Sed hoc dimitto, quia est dubium, vt dixi agendo de contentione inter Nicolaum III. & Ioannem XXII. circa regulā D. Francisci, dico fundari in iure naturæ, quo res illæ ordinis inferioris ordinantur ad sustentantionem naturæ humanæ, quæ lex non potest per ius humanum impediri, vt dictum est.

Ad sextū argumētū principale Scoti.

243 Ad sextum argumentum principale Scoti respōdetur ex dictis suprà explicando particulam, *Quando*, dictum est enim in tali casu restitutionem non esse faciēdam ipsi domino statim, sed esse differendam donec cessent illa inconuenientia, & interim rem reponendam esse in aliquo loco tuto, vt ipse, vel sui hæredes, cessantibus illis impedimentis possint illam rem accipere. Quod si impedimenta sint perpetua, vel res non potest seruari, nec commutari pro alia re, quæ permanere possit restituenda est illi spiritualiter in pauperibus, vt dictum est in particula, *Cui facienda sit Restitutio*.

Ad confirmationem.

244 Ad confirmationem iam dictum est suprà explicando particulam *Quando* casu secundo quod nemo tenetur restituere cum diffamatione sui. Ad aliud etiam de inseruiente Principi, quem necesse est seruare statum solemnem, dictum est suprà ad quartum quod non licet de re aliena seruare statum solemnem: ideo in tali casu facienda est restitutio modo explicato suprà agendo de *Quando* facienda est restitutio casu 3.

Ad septimum argumētū principale Scoti, de adultera.

245 Ad septimum argumentum principale Scoti, quod est de celebri adulteræ casu, est difficultas: sūt enim varij modi dicendi qui ad duo capita reducuntur. Aliqui enim affirmant adulteram debere reuelare filium esse spurium. Alij negant. Qui affirmant diuisi sunt.

1. Opinio asserens adulterā debere reuelare adulterium filio.

Aliqui enim dñt adulterā hoc reuelare debere filio spurio, & inducere eum ad dimittendam hæreditatem vero hæredi. Et hæc est opinio Richardi in hoc 4.d.15.ar.5.q.4.ad quartum.

2. Opinio.

Alij vero dixerunt adulteram debere reuelare hoc marito, vt assignet hæreditatem vero hæredi. Et hæc tribuitur Hostiensi in summa, quæ dicitur copiosa lib.5.tit.de pœnis, & remiss. atque communiter Maior in 4.d.15.q.17. Adria. q.1. de rest. ad 5. dicunt cum discrimine vitæ, & famæ teneri ad reuelationem suæ culpæ.

3. Opinio.

Alij dicunt quando hæreditas est ampla, & copiosa e.g. Marchionatus, Ducatus, Regnum, Comitatus, & huiusmodi teneri ad reuelationem sui criminis non obstāte periculo vitæ, & famæ. Hanc tenent Soto in lib.4. de iustitia, & iure q.7.ar.2.ad secundum, Couaruuias regula peccatum p.1.num.6.

Prædictæ opiniones secundū omnes modos impugnantur.

246 Omnes istæ opiniones sunt falsæ, quia conueniūt in hoc, quod mulier huiusmodi adultera cum discrimine vitæ, & famæ teneatur ad reuelationē sui delicti, licèt deinde in modo reuelandi, & causa discrepent. Scotus ergo has opiniōnes in particulari impugnat ex fundō generali. Et Primò modum dicendi Henrici, qui dicebat reuelari debere hoc crimen filio spurio sic; Aut filius credet matri, aut non; Si credet non est probabile, quod propter hoc velit hæreditatem dimittere: quia pauci inueniuntur, qui ita perfecti sint, vt propter iustitiam seruandam in foro cōscientiæ dimittant magnas possessiones, quas in foro exteriori tenere possunt. Neque mater potest præsumere filium hoc facturum, nisi multum experta esset voluntatem filij. Cum ergo incertum sit ex hac reuelatione facta filio, sequuturam fore correctionem filij, & restitutionem habituram esse effectum, non debet se exponere periculo certo diffamationis apud suū filiū. Si verò filius nō crederet, tunc sequerentur duo mala. Primum diffamatio ipsius mulieris. Secundum quia ille filius teneret hæreditatem, vt prius, & tamen haberet aliquam cognitionem, quod ad ipsum non pertinet, & quod est res aliena.

Secundus modus dicendi rejcitur.

247 Contra secundum modum dicendi verò scilicet quod teneatur reuelare marito, arguit: quia ex hac reuelatione sequeretur. Primò, quod mulier se diffamaret apud maritum; deinde ex hoc exponeret se periculo mortis ꝓpriè; deinde exponeret maritū periculo vxoricidij: quia talis posset esse adeo zelator sui honoris, quod illam occideret, vt multi faciunt; vel saltem illam perpetuo odio haberet, & à se, & ab actu coniugij expelleret. Præterea si maritus crederet vxori, non posset à spurio auferre hæreditatem, nisi in foro publico probaret filium esse spurium, & tunc mulier diffamaretur etiā coram tota patria. Ad ista autem omnia mala quæ probabiliter euentura essent: quia vt in pluribus eueniunt, non debet se mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis restituendæ.

Contra omnes modos in generali

248 Contra omnes autem in Generali tenentes illā opinionem, siue hæreditas sit magna, siue exigua, siue mulier sit valde nobilis, siuè non, facit ratio ista. Quod bona superioris ordinis plus valent, quàm bona inferioris ordinis, vt suprà agendo *de, quādo restitutio est faciēda* casu 4. ostendimus; Vita corporalis autem, & fama sunt bona superioris ordinis, vt patet: ergo vita, & fama non sunt commutanda pro quantumcumque magnis bonis fortunæ.

Bona superioris ordinis plus valent quā bona inferioris ordinis.

Hæc est sententia communis, quam cum Scoto tenent Gabriel in 4.d.15.q.2.ar.2.cōcl.2. D. Antoninus p.2.titulo 2.cap.7.§.4. Caietanus in summa verbo *Adultera*, Angelus, Syluester eodem verbo q. 1. Medina de rest.q.3.concl.2.causa 4. Azorius lib.5.cap.6.q.2. & Canonistæ in cap.offic.de pœnit.& remiss. Hæc assertio præter rationem efficacem adductam confirmatur apertè cap.officij citato: nam ibi Papa decernit, quod mulieri q̄ supposuit partum marito non habenti filios, ne possessio alio diuolueretur nolenti detegere hoc facinus marito, non debet denegari pœnitentia, & absolutio, sicut non debet denegari mulieri, quæ concepit ex adulterio, nec volenti detegere suum crimen, non est deneganda pœnitentia, & absolutio. Est ergo hæc sententia absque dubio vera.

249 Nec obstat, quod mulier peccando se ipsam fecerit obnoxiam restitutioni, & ideo debeat sibi imputare. Quoniam etiam mulier, quæ finxit se grauidā, & supposuit falsum partū marito, ne hæreditas mariti ad alios deuolueretur fecit se obnoxiam restitutioni illorum bonorum veris hæredibus; & tamen Papa decernit non teneri ad manifestandum suum crimen: ergo neque adultera. Accedit, quod cōis opinio asserit, confessionem, in qua quis crimen suum detegendo infamaret aliū, posse dimidiari omittendo confessionem illius peccati: quia ius diuinum integritatis confessionis in tali casu non obligat: quia præponderat præceptum naturæ de non auferendo

rendo bonum famæ proximo. At ex ordine charitatis vnusquisque magis tenetur diligere famam suam, quàm proximi: ergo multo magis quando non potest seruari præceptum de restituendo bona temporalia proximo sine amissione bonorum corporis, & famæ propriæ, non tenet præceptum de restituendo bona temporalia proximo propter præceptum naturæ de fama propria seruanda.

Quid adultera in casu isto agere debeat.

250 Est ergo dicendum cum Scoto, quem communis sententia sequitur, quod in tali casu adultera nullo modo, neque in articulo mortis, neque post obitum mariti, neque per confessarium debet reuelare huiusmodi crimen, sed debet laborare quantum potest, vt inducat filiũ adulterinum ad renuntiandum hæreditati ex causis honestis, vt puta suadendo ei, vt religionem aliquam ingrediatur; vel quod fiat clericus, & beneficium Ecclesiasticũ obtineat, & eius prouentibus contentus, hæreditatem dimittat alijs filijs legitimis. Si autem hoc non possit persuadere filio spurio, debet curare ex dote sua quantum iura permittunt, vel alijs suis bonis proprijs vltra dotem, vel ex laboribus proprijs augere bona filiorum legitimorum in ea parte, quæ ex diuisione cum filio spurio de iure eis obueniet. Quod si hoc non potest facere commodè, sufficit, vt eam sui peccati pœniteat; atque habeat intentionem, si quando deueniret ad aliquam pinguiorem fortunam, nimirum, quòd si aliquando aliqua bona propria haberet, quibus posset recompensare damnum illatum legitimis hæredibus, ipsa resarciet damnum illatũ.

Quid de adultero. Opi. Soto.

251 Sed quid dicendum de viro adultero, tenetur ne ipse ad restitutionẽ huiusmodi bonorum filijs legitimis? hoc dubium excitat Soto loco suprà citato, & post multa videtur concludere, quod etiam si sit certissimus; quod sit eius filius non teneatur de iustitia eum alere, & damna alijs illata resarcire, sed solum teneri ex honestate, & decentia. Ratio eius est, quia adulter non tenetur credere, quod eius sit filius, quia absque iniuria credi potest, quòd mulier, quæ vnum hominem recipit, pariter, & alium admittat. Secundò quia etsi sit causa damni illius propter adulterium, tamen est causa remota, non autem proxima: quia ipse non supponit filium illũ marito, & proinde non est causa proxima damni illati. Ideo dato casu, quòd esset certus suum esse filium, de iustitia non teneri, sed solùm ex honestate.

2. Ratio.

Opin. communis, & vera.

252 Alij verò è contra communiter tenent obligari. Et reuera non est dubium teneri; cum enim ipse cũ adultera perpetrauerit adulterium, siue ipse induxerit adulteram, siue è conuerso adultera induxerit adulterum, siue ambo æquè cõsenserint, vterque tenetur in solidum, iuxta ea, quæ suprà diximus, de obligatione eorum qui continentur in illis duobus carminibus. *Iussio consilium &c.* quidquid dicat Azorius vbi supra q. 7. Sed difficultas est, An credere debeat, quod ille spurius sit suus filius. Nam certum est, quòd si non sit suus filius, non tenetur; si autẽ sit, & credat esse suum, tenetur, sed si ignoret, excusatur: dubium est ergo, An credere teneatur adulteræ dicenti esse suum filium: quia ratio prima Soto facit difficultatem. Et reuera si eodem tempore adultera habitabat cũ marito, vel cum alio adultero, nulli dubium est non teneri; si etiam non habitabat cum marito, neque cum adultero apertè quantumcunque contestetur se nullum alium virum cognouisse, puto illi non esse credẽdum propter primam rationem Soto; Quantumcunque etiam filius adultero assimiletur: quia illa assimilatio non est causa necessariò concludens adulterum esse patrem illius, cũ aliquando ex imaginatione mulieris vehementi in concipiendo illa assimilatio procedat. Potest tamen contingere casus talis, quòd adulter certus sit certitudine humana esse suum filium, vt si tempore quo adultera concepit, certus erat nõ habitare cum marito: quia erat absens; neque cum alio, quia erat clausa in aliquo loco cum custodia mulierum, & ipse solus pro illo tempore in eodẽ loco manebat, & nullus alius vir, & similia, certò certitudine humana scit, esse filium suum, & tunc non excusatur à restitutione damni illati. Si etiam sit dubius, eo modo quo supra diximus agendo de peccato, & formãda conscientia, tenetur ad restitutionem: quia in dubijs tutior pars est eligenda. Secunda ratio Soto nullius est momenti: quia adulter est causa nedum proxima, sed principalis, ex qua sequitur suppositio falsi partus: ideo cum adulter sit causa adulterij simul cum adultera, est cõsequenter causa omnium effectuum, qui ex adulterio pendent, & consequenter ipsius suppositionis partus.

Ad secundam rationem Soto.

Solutio octaui argumenti, in quo agitur de impedientibus alium ne rem aliquam, vel beneficium consequatur. Cap. VIII.

Ad octauũ argumẽtũ principale Scoti.

253 Ad Doctauum argumentũ principale Scoti soluẽdum, occurrit tractare de obligatione restituendi eorum qui alicui damnum inferunt impediendo eum à consequutione alicuius rei, vel beneficij. Nam de dãno dato in re iam acquisita, & obtenta, ac eius restitutione, egimus suprà disp. 47. cap. 1. in fine. Pro intelligentia autem eorum quæ Scotus, & alij Doctores dicunt in hac materia notandum est; quod ille, qui impeditur ab aliqua re obtinẽda, vel beneficio consequendo, non aũt obtento, & consequuto, tribus modis se hẽre põt. Vno modo, quod nondum vllum ius acquisiuerit in re illa, nec pfectũ; nec imperfectũ, vt quicũque est capax alicuius boni, vt eleemosinæ, vel doni alicuius gratis dati, sed nõdũ illi hoc donum, vel hæc res est, vel data, vel promissa, vel facta est aliqua actio, per quam secundùm iustitiam habeat ipse maius ius in illa re alijs. Secundo modo ita se potest habere, quod iam acquisiuerit aliquod ius in illa re, sed imperfectum; quod appellant ius ad rem, vt si quis sit præsentatus ad beneficium aliquod, nondum tamen illud sit consequutus; & si et aliquod donum est promissum à domino, vel ab amico, sed nondum est exibitum actu, & similia. Tertio modo ita se potest habere, quod iam acquisiuerit in ea re ius perfectum; tamen nondũ executioni sit mandatum, vt si iam beneficium est ei collatum ab Episcopo, vel Prælato, sed nondum dominiũ, & possessionem illius est adeptus. Item si aliquod prædium est alicui donatum inter viuos, vel ex testamento relictum, vel emit pecunia soluta, sed nondum possessionem illius acquisiuit, de quibus terminis egimus suprà disp. 43. agendo de his terminis, ius, dominium, & huiusmodi. Adidi illam particulam *nondum executioni mandatum*: quia cum est executioni mandatum non est amplius impedibile; sed si quis faceret, vt ille non haberet illud beneficium, non diceretur impedire illum à consequutione beneficij, sed auferre illi beneficium, quia auferret illi id, quod est eius propriè.

Qui impeditur ab aliquo officio & beneficio obtinendo tribus modis se habere potest. 1. Modus. 2. Modus.

3. Modus.

254 Secundò notandum est, quod aliquis potest impediri ab hac re consequenda duobus modis. Vno modo, solis precibus, vt puta suadendo eum, ad quem stat conferre beneficium, ne ille conferrat. Alio modo dolo, metu, fraudibus, & per iniuriam aliquam efficiendo, ne ille consequatur illud bonum.

Duob. modis potest quis impedire à consecutione rei.

255 Tertiò notandum est, quod ille, qui impeditur ab assequutione alicuius boni, præsertim beneficij, vel officij, potest esse duplicis generis. Vel enim est dignus, vel indignus. Alia enim ratio habenda est de digno, & alia de indigno.

Qui impedit vel est dignus, vel indignus.

256 His notatis obseruandum est aliqua in hac materia esse certa, & aliqua dubia. Certa primò sunt. Si quis impediat aliquem à consequenda aliqua re, in quam nullum ius, nec perfectum, nec imperfectum acquisiuit, solis precibus, & suasione aliqua, nõ autem, dolo, metu, odiovè, vel alia iniuriosa actione nõ teneri ad restitutionem, e.g. Caius vult ex legato relinquere aliquid Meuio gratis Seius autem solis precibus suadet Caio, ne illi illud bonũ relinquat, sed aliquid aliud faciat de illa pecunia, vel alicui alteri illam donet; non tenetur ad restitutionẽ, nec ad

Qui impedit aliquẽ non habentem ius in re, non tenetur ad restitutionẽ.

recom-

recompensationem alicuius rei Meuio: quia non abstulit ei aliquod ius, quod in illa re haberet; neque dolo mutauit mentem Caij, ita quòd mutatio voluntatis Caij fuerit inuoluntaria, cuiusmodi esset, si dolo, vel aliqua actione iniuriosa Meuio, mutasset voluntatem Caij.

Qui impedit minus dignum vt detur digniori non tenetur ad restitutionem.

257 Secundò certum est, quòd si aliquis impediat aliquem à beneficio aliquo consequendo, in quod non habet vllum ius, sed tamē est dignus, vt detur alteri digniori, & hoc precibus non autem dolo, fraude, vel aliquo alio modo iniurioso minus digno, & hoc propter honorem Dei; non teneri ad restitutionem, nec ad recompensationem aliquam. Hæc assertio est D. Thomæ, 2. 2. q. 62. ar. 2. ad quartum, & eam supponit Scotus vt veram, nec video aliquem contradicere: quia, qui impeditur, nō habet ius vllum acquisitum; & ille, ad quem spectat cōferre beneficiū, non decipitur, & qui hoc procurat, nō facit ex odio, sed pp honorē Dei: ideo nulla est dubitatio.

Qui impedit aliquē à consequendo rem in quā habet ius tenetur ad restitutionem.

258 Tertiò certum est, quando quis impedit aliquē à consequendo aliquod beneficium, in quo habet aliquod ius acquisitum, siue perfectum, siue imperfectum, dolo, fraudibus, aut aliqua iniuriosa actione, & impositur a teneri ad restitutionem, e. g. Si quis dolo, fraude vel alia actione impediat artificem aliquem ab opere suo diurno, quo erat aliquid lucraturus; vel aliquem à beneficio, ad quod fuerat præsentatus, vel approbatus, & similia, tenetur ad restitutionem: quia dolo priuat eum iure suo, & lucro futuro.

An qui impedit aliquē habentem ius acquisitum, sed nondū possessionē teneatur ad restitutionem.

Opi. Scoti.

259 Quædam verò sunt dubia. Primò, An qui impedit aliquem, qui habet ius acquisitum ad rem, & in re, non tamen est executioni mandatum, sed potest reuocari, teneatur ad restitutionem totius beneficij, vel partis tantùm secundùm proportionem iuris acquisiti. Hic sunt duæ opiniones. Prima est Scoti in solutione huius argumenti asserens teneri ad restitutionem, non totius, sed solummodo partis. Ratio est, quia habere, & propè esse, multum differunt; at, qui habet ius in re, & ad rem, sed nondum executioni est mandatum, non habet rem, sed est propè habere rem: ideo qui impedit eū à cōsequutione rei non tenetur ad restitutionem in totum, sed in parte. Propositio autem illa habere rem, & propè esse multum differre, est verissima: quòd enim nondum actu est, sed est in via, siue in spe, aut in potentia, licèt proxima, pōt semper impediri; & proinde sic impediens numquā tenetur restituere totum valorem beneficij, & rei, sed partem. Et quia quis potest habere magis, & minus ius, & spem in bonum, & beneficium, pensanda est spes illa, & beneficium, & ad iudiciū boni, & prudentis viri facienda est restitutio secundùm quantitatem iuris acquisiti.

Opinio D. Thomæ.

260 Alia est opinio D. Thomæ: nam 2. 2. q. 62. art. 2. ad quartum distinguit sic. Vel est firmatum, quòd beneficium detur illi, qui impeditur, vel non est firmatum. Si sit firmatum, inquit, est ac si habeat iam beneficium: quia quod modicum deest, nihil deesse videtur, exemplo ex Philosopho 2. Physicorum text. 56. & proinde, qui impedit habentem huiusmodi ius, tenetur ad restitutionem totius. Si verò non est firmatum, quod beneficium detur illi, tunc, inquit D. Thomas, non est restituendum totū, sed facienda est aliqua recompensatio pensatis conditionibus personarum, & negotij secundùm arbitrium prudentis; propter eandem rationem, quam adducit Scotus, scilicet, quia antequam consequatur, potest impediri multipliciter. Patet ergo D. Thomam, & Scotum differre quò ad hoc, quod quādo aliquis propè est, idest qñ firmatum est dare beneficium alicui, & impeditur, D. Thomas tenet impeditorem teneri ad restitutionem totius, beneficij: Scotus verò negat teneri ad restitutionē totius, etiam to illo casu; sed dicit obligari solùm ad partem, & ratio eius est: quia etsi sit firmatum, & determinatum à Prælato dare beneficium illi; tamen donec actu non est collatum, ille potest impediri: quia aliud est habere, & aliud est propè esse ad habere: & ideo in tali casu impediens tenetur ad restituendum, etiam solum partem, ad iudicium prudentis, secundùm quod magis, vel minus propè est ad habere.

Caietanus sententiam D. Thomæ explicat.

261 Caietanus in commentario illius art. circa quartum argumentum ad quartum dubium declarans mentem D. Thomæ in hac re facit tres gradus in processu distributionis beneficij. Primus est ante firmitatem, hoc est antequam sit decreta distributio beneficij huic. Secundus quando iam est decreta distributio, sed nondum executioni mandata. Tertius quando est executioni mendata. D. Thomas, inquit Caietanus, nihil dicit de tertio statu. Ratio est: quia vt suprà diximus, consequutio non est impedibilis, sed est in termino. D. Thomas autem loquitur de distributione impedibili, vt omnes loquuntur. Quò ad primum autem statum, seù gradum nulla est dissensio inter Scotum, & D. Thomam: quia Scotus dicit, quod restitutio debet fieri non secundùm totum, sed secundùm partem ad arbitrium viri prudentis, in quo omnes conueniunt. De secundo gradu ergo intelligit. In eo autem opinio D. Thomæ non videtur vera propter rationem Scoti: quia propè esse non est habere; Patet autē quod in eo statu, qui impeditur non habet beneficium, nec est eius proprium: quia potest impediri, sed solum propè est: ergo qui impedit illum à consequutione non tenetur ad restitutionem totius, sed partis ad arbitrium prudentis, vt dicebat Scotus. Et reuera opinio D. Thomæ non est sustinenda, vt tandem conuincit obiectio facta ibi à Caietano: (licèt in alio statu) quia nimirum si in illo secundo statu aliquis dignior accedat, & aliquis procuret, quod detur digniori reuocando decretum dandi priori, non tenetur ad restitutionem beneficij. Si autem distributio exequutioni mandata fuisset, nō posset illi auferri, & dari digniori sine iniuria: quia tam suum proprium factum esset, & non esset in via ad consequutionem, sed consequutus iam esset.

Ad fundamētum D. Thomæ.

262 Fundamentum autem D. Thomæ, quod est illa propositio Aristotelis, quod modicum distat, nihil distare videtur etiam ipse Caietanus in Commentario asserit non habere locum in materia de iustitia: non enim valet, trāsit rex iuxta paratas insidias, & parum deficit quin capiatur: ergo Princeps est captus, vel damnificatus ex hoc, quod parum absuit, quin caperetur, vel damnificaretur, non valet. Sic in proposito parum absuit, quin aliquis haberet beneficium: ergo est idem ac si habuisset, non valet. Propositio ergo illa Philosophi est vera in actionibus moralibus quò ad consecutionem boni, vel vitationem mali: qui enim propè fuit ad incurrendum aliquod malum, vt Princeps, qui ex insidijs ferè fuit occisus, dicitur fortunatus: quia intellectus apprehendit Principem, ac si fuisset in illis insidijs obstrictus, & euasisset: ideo pro eodem habet parum distare fuisse propè insidias, & actu esse in insidijs, & illas vitare. Et propter hoc dicitur benè fortunatus. Et ille malè fortunatus dicitur, qui propè erat ad acquirendum aliquod magnum bonum, & illud non obtinuit: nam intellectus apprehendit illum, ac si habuisset illud bonum actu, & ammisisset. Vnde dicitur infortunatus. Ideo illa propositio non facit nobis difficultatem.

Opinio Soto reijcitur.

263 At Soto lib. 4. de iustitia, q. 6. art. 3. ad 6. inquit, Caietanum non intellexisse D. Thomam. Nam inquit, D. Thomas non dicit, quòd idem sit damnificare, & propè esse vt damnifices. Sed inquit si impediuisti eum, qui propè erat, vt assequeretur beneficium, & fructus rei, & qui à consecutione parum distabat, est ac si abstulisses beneficium, & fructus, quos iam haberet: quia tunc parum distare fructus maturos vindemiæ, est idem, quod habere; vt qui haber, est ac si eos actu habeat. Sed hæc responsio Soto nihil valet: quia Caietanus optimè intellexit mentem D. Thom. & fatetur eam esse, quam ait Soto; sed inquit eam assertionem non habere vim ex illa propositione Aristotelis, in qua tamen D. Tho. se totum fundat. Quare in hac re ab opinione Scoti non esse recedendum mihi videtur.

Secun-

An qui dolo &c. impedit eum, qui nullũ ius habebat, teneatur ad restitutionem.

264 Secundò, dubium est, An qui dolo, metu, vi, & alio iniurioso actu impedit aliquem ab aliquo beneficio, & bono, in quo quidem nullum habebat ius acquisitum, nec perfectum, nec imperfectum sed solùm ex grata voluntate dãtis erat accepturus, teneatur ad restitutionem e. g. Titius decernit donare Caio librũ, quia putat esse idoneum ad studendũ, vel relinquere eũ suũ hæredem: quia putat esse suum affinẽ, vel consanguineum, vel cõciuem; vel vult illi conferre beneficium Ecclesiasticum: quia putat esse idoneum. Meuius verò dolo, vel fraude, vel vi, aut metu, vel mendacio remouet Titium ab hac volũtate, & impedit Caiũ à consequutione huius boni; puta dicẽdo, quod non est idoneus, vel quod non est eius propinquus, & aliquid simile. Quæritur, An teneatur ad restitutionẽ.

1. Opinio, quæ est negatiua.

265 Hic sunt duæ opiniones. Aliqui asserunt nõ teneri ad restitutionem. Et hæc opinio communiter tribuitur Adriano in 4. de restitutione q. quæ incipit. *Consequenter quæro Vtrùm impediens*, & nonnullis alijs, qui tenent hanc propositionem. Qui impedit aliquem à cõsequutione alicuius boni, quod nondum erat sui iuris nõ tenetur ad restitutionem. Quæ vt ait Soto lib. 4. de iustitia q. 6. ar. 3. ad sextum fuit Geraldi Odonis. Inquiũt enim huiusmodi impeditorem peccare quidem contra charitatem, non tamen peccare contra iustitiam; quia damnificatus nondum ius aliquod in re illa acquisiuerat, sed erat habiturus rẽ illam solũ ex voluntate dantis.

Opi. Scoti cõmunior, & vera.

266 Altera opinio, & communior ac vera est, huiusmodi impeditorem nedum peccare, sed etiam teneri ad restitutionem, quam nedũ Caietanus 2. 2. q. 62. art. 2. Soto vbi supra, Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 69. & nonnulli alij ex recentioribus tenent, sed prius fuit Scoti in solutione huius argumenti, & D. Thomæ vbi suprà ad quartum, & aliorum. Nam Scotus apertè ait, eum, qui directè abstulit beneficium alicui intentione damnificandi eum, teneri ad restitutionem quò ad aliquam partem, non quò ad totum: quia multum interest inter habere, & propè esse, vt suprà diximus. At clarum est, quòd qui vi, dolo, fraude, & similibus aufert bonum alicui, aufert illud directè intentione damnificandi: ergo secundùm

1. Ratio.

Scotum tenetur ad restitutionem. Idem colligitur ex D. Thoma. Ratio autem, propter quam hic impeditor teneatur ad restitutionem, est, quia licèt ille non habeat ius acquisitum in illa re, tamen nõ habet impedimentũ: qui autem vi, dolo, fraude &c. impedit, ponit impedimẽtum contra iustitiam; actio enim illa dolosa est impedimentum iniustum, & contra æquitatem; & proinde facit

2. Ratio.

eum reum restitutionis. Confirmatur, quia, quod fit per vim, metum, dolum, fraudem, & huiusmodi, est inuoluntarium: ergo dum quis decipitur fraude, vel vi, & similibus, remouetur à voluntate priori; illa remotio est inuoluntaria; & proinde est ac si voluntas conferendi illud bonum permaneat, & actu id illi damnificato conferat, & proinde cum actu non consequatur illud, est ac si dãnificans actu illud surripuerit. Denique confirmatur il-

3. Ratio.

la regula iuris. *Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur*: sicut ergo in contractibus dolus, fraus, & huiusmodi obligant ad restitutionem; ita in hac actione.

Ad fundamentũ aduersariorũ.

267 Fundamentum autem aduersæ opinionis nihil obest: quia etsi damnificatus non habebat ius aliquod acquisitum, non tamen habebat impedimentum; damnificans autem apposuit impedimentum, & causam dãni, ideo ad restitutionem tenetur.

An qui impedit aliũ non habentem aliqđ ius odio &c. teneatur ad restitutionem.

Opinio D. Tho. Scoti, & aliorum.

268 Tertiò, dubium est, An quando aliquis impedit alium à consequutione alicuius boni, in quod non habet aliquod ius odio, vel in vindictam, & denique voluntate nocendi, teneatur ad restitutionem. In hoc dubio sunt duæ sententiæ. Prima est D. Thomæ loco citato ad quartum, & Scoti in responsione ad hoc argumentum vltimum. Richard. in 4. dist. 15. art. 5. quæst. 4. ad septimum, & nonum. Neque dissentit Caietanus eo art. 2. ad secundum dubium Angel. Tabiensis verbo *Restitutio*, q. 10. & multorum aliorum, qui asserunt, huiusmodi impeditorem teneri ad restitutionem. D. Thomas nullam adducit rationem, sed solùm videtur innuere, hanc actionem odio, & intentione nocendi factam esse iniustam, & proinde esse causam, vt obligetur ad restitutionem. Scotus etiam videtur supponere causam restitutionis esse, quia actio illa cum intentione nocendi est vitiosa, & iniusta, & ideo obligat ad restitutionem. Quod confirmat ex lege prima, §. *denique* 1. ff. de aqua pluu. arcend. (in qua allegatione est error in tex. Scoti: quia citat legem secundam ff. de noui operis nuntia. quæ tamen hoc non dicit) Nam ea lege decernitur, si præscindo venas in fundo meo, per quas deriuabatur aqua ad puteum alterius intentione nocendi sibi, teneor ad restitutionem damni. Sed si hoc facio sine fraude intendens consulere vtilitati meæ propriæ, vt quia mihi est vtile facere murum, qui non potest conuenienter fundari sine præcessione illarum venarum non damnifico alium: quia habeo ius faciendi, quod mihi placet in vtilitatem meam in fundo meo. Et ff. de regulis iuris. Nemo damnum facit, nisi qui illud facit, ad quod facere ius non habet; iste autem habet ius procurandi sibi beneficium seruatis circunstantijs iustis, & honestis. Hæc Scotus.

2. Opinio Soto, & aliorum.

269 Soto eo articulo tertio in responsione ad sextum, quem sequutus est Nauarrus in Man. cap. 17. num. 71. & alij contra hanc sententiam insurgunt tenentes oppositum, scilicet non teneri ad restitutionem, fundamentum eorum est: quia animus, & voluntas nocendi alteri non obligat in conscientia ad restitutionem; dummodo quis vtatur iure suo: ergo si quis odio impediat aliquem ab aliquo bono, vel beneficio consequendo, dummodo vtatur iure suo, neque aliquid faciat contra iustitiam auferendo ius suum alteri, etsi peccet, non tamen tenetur ad restitutionem. Antecedens probatur: quia ad oppositum sequetur, quod iudex, qui reos punit odio, vel vindicta, tamen nil contra iustitiam facit, teneretur ad restitutionem, quod est omnino absurdum. Ideo ad legem illam ex ff. Respondent esse penalem, & ipsam dare actionem solùm de dolo contra eum, qui præscidit venas in fundo suo animo nocendi vicino, ne aqua ad puteum eius defluat: Ideo non facere ad rem.

270 Azorius lib. 4. cap. 9. q. 2. primam opinionem tueri nititur contra hanc secundam, & fundamentum eius est. Quia lex adducta, & similes non sunt præcisè pœnales, quæ non obligent, nisi post iudicis sententiam; sed dicit esse leges iustas, quæ obligant in conscientia etiam ante iudicis latam sententiam, & proinde qui agit contra has leges obligatur ad restitutionem. Neque vtitur iure suo: quia licèt habeat ius faciendi in fundo suo, quod sibi est vtile, non tamen habet ius, vt id faciat ad nocendum vicino: ideo, qui præcidit venas in fundo suo, vt noceat vicino, non vtitur iure suo, sed facit contra ius: ideo tenetur ad restitutionem. Quod vero adducitur de iudice ex odio puniente reum, non est ad rem: quia iudex tunc facit iuxta iura, & leges, non contra leges; licèt faciat ex odio, & in vindictam; In casu nostro autem facit contra leges, & iura: ideo non est par ratio. Vnde propter hanc rationem ipse tenet opinionem primam.

Opinio auctoris.

271 Verùm etsi hæc defensio non improbabilis mihi videatur, ego tamen puto nullum esse discrimen inter duas priores opiniones. Nam prima opinio non dicit, eum, qui impedit alium ab adipiscendo aliquo bono solo odio, & vindicta, teneri ad restitutionem; sed dicit eũ, qui odio, & vindicta, & insuper actione mala, vt fraude, dolo &c. impedit à consequutione alicuius boni, teneri ad restitutionem. Vnde Soto, Nauarrus, & alij sequentes Sotum non intellexerunt opinionem D. Thomæ, Scoti, & aliorum eos sequentium. Et licèt D. Thomas non ita apertè se declarauerit, tamen suam intentionem insinuauit, dũ dixit, eum, qui iniustè impediuit. Impedire enim iniustè est impedire actione contra iustitiam cuiusmodi est dolus, fraus &c. Scotus autem apertè se declarauit dum adducens probationem ex lege illa de ff. præscindo

venas,

venas,&c. dixit, quòd si præscindo venas in fundo meo intentione nocendi vicino teneor ad restitutionem damni; sed si hoc facio *sine fraude*, intendens consulere vtilitati meæ non teneor ad restitutionem. Tenet ergo Scotus, quod impediens aliquem à consequutione alicuius boni odio,& in vindictam, & simul opere exteriori iniusto, vi fraude &c. id efficit, tenetur ad restitutionem. Quare si non adsit opus externum iniuriosum ex eius intentione non tenetur ad restitutionem.

Confirmatur.

272 Et confirmatur ex auctoritate adducta à Scoto ex ff. de regulis iuris. Nemo damnum facit, nisi qui illud facit, quod facere non habet ius. Ad quod subiungit Scotus. Iste autem procurans sibi beneficium, vel bonum,& impediens, ex hac procuratione bonum alterius habet ius procurandi sibi beneficium,& bonum, *seruatis circunstantijs iustis, & honestis.* Ergo intelligit Scotus, quod qui impedit alium odio, & vindicta à consequutione alicuius beneficij non teneri ad restitutionem, quando non seruat iustas, & honestas circunstantias. Ex quo sequitur, leges illas de ff. de aqua pluuia arcen. esse iustas,& intelligi quando sic impediens intentione nocendi, etiam actione externa iniusta, scilicet dolo, fraude, vel vi, metu &c. id efficit.

An impediens indirectè sibi, vel amico procurando teneatur ad restitutionem.

273 Quartò dubium est, An si quis impedit aliquem à cõsequutione alicuius boni indirectè, scilicet quia illud sibi procurat propriè propter suam vtilitatem, non intẽdens damnificare alium, nec dolo, nec fraude vtitur, teneatur ad restitutionem.

1. Opinio.

Aliqui dicunt, si qui impeditur habet aliquòd ius acquisitum qui impedit teneri ad restitutionem. Ratio est, quia cõtra iustitiam agit, cum alter iam acquisiuerit ius. Et hanc opinionem Azorius vbi suprà dicit esse communem.

2. Opinio, quæ est vera.

Ego autem puto nequaquam teneri; & hæc mihi videtur esse expressa sententia Scoti in solutione huius argumenti. Nam apertè inquit, quod si quis tantummodo propriæ vtilitati suæ intendebat prouidere,& ex consequenti alius præter intentionem eius damnificaretur, ad nihil illi teneri:& ratio eius est, quia licèt cuicũque prouidere sibi neglecto alio. Et ad hoc confirmandum valet lex adducta ex ff. de aqua pluu. arcen. Nam quãdo quis impeditur à receptione aquarũ in suo puteo: quia alius in fundo suo præscindit venas, eo quod ædificat murum sibi necessarium in illo fundo, priuat vicinum iure, quod habebat in illis venis aquæ; tamen quia licet domino fundi prouidere,& procurare suum commodum, via iusta,& honesta, alio neglecto, lex decernit eum non teneri ad restitutionem: ergo à pari, licèt alius habeat aliquod ius in aliquod bonum, vel aliquod beneficium, nõ propter hoc impeditur alius, ne propter suam vtilitatem possit illud bonum,& beneficium sibi procurare,& si obtineat non possit iustè possidere absque obligatione ad restitutionem. Et per hoc satisfit fundamento opinionis oppositæ: quia licet alius habeat ius acquisitum, non ob hoc quis impeditur, ne possit vti iure suo,& vtilitatem suam procurare honestè, & iustè, alio neglecto.

An impediens magis dignũ, vt detur minus digno teneatur ad restitutionem.

274 Quintò, dubium est, An impediens magis dignum, ne habeat beneficium vel officium, vt detur minus digno, teneatur ad restitutionem magis digno,& intelligitur de actione iusta non de iniusta: quia loquendo de actione iniusta idest dolo, fraude &c. omnes conueniunt teneri ad restitutionem, vt patet ex Nauarro loco infra citando. In hac re sunt duæ opiniones.

1. Opinio, quæ est negatiua.

Prima asserit non teneri ad restitutionem, quam enixè deffendit Soto lib. 4. de iustitia, & iure q. 6. ar. 3. in responsione ad sextũ quem deinde sequuti sunt Nauarrus in Man. cap. 17. num. 72. & nonnulli alij. Fundamentum huius sententiæ est, quia beneficia Ecclesiastica nõ sunt bona, quæ per solam distributiuam iustitiam debeant dispensari, sicut bona Reipublicæ communia, quæ debent distribui ciuibus in præmium pro meritis,& bonitate ipsorum, sed sunt instituta, vt stipendia pro laboribus ministrorum Ecclesiæ. Quod probant, quia si non essent necessaria Ecclesiæ,& ministris earum nunquam institutæ essent decimæ a Christianis. Præterea beneficia ista dantur illis, quibus dantur non propter eorum bonitatem, sed quia bene præsunt, iuxta verbum Christi *dignus est operarius mercede sua*, & illud Pauli. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus.* 1. Corinth. 9. Ex hoc deducitur in hac distributione beneficiorum solum intercedere iustitiam commutatiuam;& consequenter sequitur, quod si beneficium detur digno talis beneficij pro ministerio suo, licèt alius dignior prætereatur, non fieri contra iustitiam commutatiuam: quia licèt alius sit dignior; tamen ille quoque pro illo suo labore est dignus, & sic de iustitia non debet illi auferri, & dari alteri digniori. Exemplum posset esse in artificialibus. Aliquis elegit Seium ad ædificandam sibi domum, prætermisso Meuio; & tamen Meuius est dignior, idest aptior,& magis peritus ad ædificandam domum (ille enim dr̃ dignior ad beneficia obtinenda, qui est aptior; ille autẽ est aptior, qui est doctior,& moribus probatior.) non tamen propter hoc quia Seius est minus dignus, seu minus aptus tenetur ad restitutionem sui stipendij Meuio. Ita in Ecclesiasticis beneficijs. Non enim quia Seius præficitur vni Episcopatui, & non Meuius; & tamen Meuius est dignior, idest aptior ad illud: ideo Seius tenetur ad restitutionem beneficij Meuio: quia satis est, quod sit dignus; nam pro laboribus suis accipit illud beneficium. Denique Nauarrus confirmat,& ratione communi: quia vbi non est ablatio rei, ibi nulla est restitutio facienda; at ei, qui non habet aliquod ius in re, nihil aufertur rem illam non dando; dignior autem non ex hoc, quod dignior habet aliquod ius acquisitum nec ad rem, nec in re: ergo nihil ei aufertur, dum datur indigniori, si iam aliquod ius non acquisiuerit. Cõcludunt ergo, quod etsi sit magnum peccatum in Prælatis in præferendo minus dignos magis dignis: quia ex hoc multa mala oriuntur in Ecclesia; tamen minus dignus non tenetur ad restitutionem. Secus si sit indignus; tunc enim omnes asserunt teneri ad restitutionem, cui autem teneantur, an magis digno, an Ecclesiæ damnificatæ infra dicam.

275 Alia est opinio asserentium teneri ad restitutionem, quam tenent Paludanus lib. 4. dist. 15. quæst. 2. ar. 2. conclus. 4. in eandem sententiam citatur Caietanus; sed reuera quæst. illa 62. ar. 2. ad quartum, dubio 2. id tenet solùm, quando impediens impedit iniustè dolo, & fraude, vt diximus in præcedenti dubio. Fundamentum tamen illius opinionis admittitur à Caietano, vnde consequenter non videtur loqui. Fundamentum autẽ istius secundæ opinionis est, quod beneficium, & officium publicum est distribuendum secundùm iustitiam distributiuam, secundùm quam dignior est præponendus minus digno. Qui ergo impedit digniorem,& est causa, vt detur minus digno, peccat contra iustitiam distributiuam, & consequenter contra iustitiam commutatiuam: quia qđ secundùm iustitiam distributiuam debetur alicui, si illud ei auferatur peccatur contra iustitiam commutatiuam: quia ius sibi acquisitum ex iustitia distributiua, eo quia est dignior illi aufertur. 2. Opinio.

276 In hac re difficili quidẽ, prima opinio mihi probabilior videtur quò ad hoc, quod qui impedit digniorem, vt detur minus digno, sed sine dolo, fraude &c. non teneatur ad restitutionem: quia reuera fundamentum secundæ opinionis non est validum, nimirum quòd bona Ecclesiastica per solam distributiuam iustitiam sint conferenda: patet enim reuera est instituta propter stipendia ministrorum. Ideo magis dignus non habet maius ius in illis, quàm minus dignus: neque dum vni aufertur honesto modo, non fit iniuria alteri contra iustitiam, ita quòd illi aliquod ius suum auferatur. Sicut si iconomus domini adsistat ad fabricandum domum Artificem minus peritum, dimisso peritiori, ille artifex minus peritus non tenetur ad restituendam pecuniam, quam acquisiuit suis laboribus, artifici magis apto. 1. Opinio probatur, & est Scoti.

Accedit,

277 Accedit, quòd ſicut diximus ſuperiori dubio, dato quod etiam haberet aliquod ius ſecundùm commutatiuam iuſtitiam, hoc non impedit alium, quin ſibi illud beneficium, & officium via honeſta procurare poſſit, alio neglecto, quod etiam ibi confirmauimus lege illa 2. *Denique*, ff. de aqua pluu. arcen. quæ quò ad hoc habet vim vt ibi diximus. Cum autem hoc liceat vnicuique in ſuam vtilitatem abſque violatione iuſtitiæ, videtur quoque licere procurare idem bonum, & vtile amico abſque violatione iuſtitiæ commutatiuæ.

278 Præterea, dato quod dignior habeat maius ius in illo beneficio, tamen etiam minus dignus habet aliquod ius in illud, quatenus ipſe quoque eſt aptus, licèt non tantum quantum dignior; nemo autem tenetur tueri, vel ſaluare ius alienum neglecto ſuo iure, ſed vnuſquiſque poteſt, & debet ius ſuum tueri iuſto modo; pertinet autem ad iudicem diiudicare, quis illorum habeat maius ius, & illud ei ſeruare. Quod ſi iudex adiudicet rem habenti minus ius, illud nihilominus iuſtè poſſidet. Ex hoc habetur minus dignum, ſiuè ſciat ſuum cõpetitorem eſſe digniorem, ſiuè ignoret, non peccare

Nauarrus reijcitur cũ Caietano. petẽdo, neque iniuſtè tenere ſi obtineat; licèt Nauarrus de Oratione miſcelanea 45. nume. 89. & 97. id neget de eo, qui euidenter ſciat alterum eſſe digniorem; & hoc idem videatur ſenſiſſe Caietanus in Summa. Nam ratio iſta Scoti eſt efficax, quod licet vnicuique ſibi ipſi prouidere alio neglecto, dummodo id procuret modo iuſto: quia hoc non eſt communicare peccato electorum, ſi peccent, ſed ius ſuum proſequi. Quam ſententiam multi ex recentioribus tenent, vt eſt videre apud Azorium 2. par. lib. 6. cap. 15. q. 13. & 14. qui hanc eandem ſequitur.

Confirmatur. 279 Confirmatur, quia eſſe dignum magis, vel minus non ſpectat ad ſe ipſum iudicare, ſed ad Prælatum; contingere enim poteſt, quod aliquis iudicet ſe minus dignum altero, & tamen ſit dignior; & è conuerſo, quod aliquis iudicet ſe digniorem alio, & ſit minus dignus. Et quod dicitur de ſe ipſo, dicendum eſt de tertio. Pertinet ergo ad Prælatum iudicare quis ſit dignior, & aptior, & qui non; & proinde licèt quis iudicet alium digniorem ſe ad aliquod beneficium, vel officium, non tamen propter hoc eſt ei illicitum petere, & procurare ſibi illud beneficium: quia hac ſua procuratione, cum eſt iuſta, & ſine fraude, & dolo facta, non præiudicat alteri petendo, neque ſi obtinet tenetur reſtitutioni: quia Prælatus iudicauit ipſum dignum, & ipſe tenetur ſequi iudiciũ, & voluntatem Prælati, cuius iudicium non debet iudicare falſum, nec obliquum: quia de proximo, & maximè de ſuperiore tenemur habere bonam opinionem, niſi euidenter conſtet oppoſitum.

An qui eligit dignũ omiſſo digniori teneatur ad reſtitutionem. 280 Ex hoc poteſt haberi, quid ſit dicendum ad dubium illud. Vtrùm qui dignum elegit omiſſo digniore, teneatur ad reſtituendum aliquid ipſi digniori, vel Eccleſiæ, cuius eſt illud beneficium, vel officium: In qua re duæ ſunt opiniones. Aliqui dicunt teneri, &

1. Opinio. ſunt auctores ſuprà citati pro ſecunda opinione, præſertim Caietanus 2. 2. quæſt. 62. artic. 2. ad quartum verſiculo *Ad confirmationem*, & fundamentum eorum eſt illud idem ibi adductum: quia talis diſpenſator facit contra iuſtitiam diſtributiuam: ideo violat etiam iuſtitiam commutatiuam, vt diximus ſuprà.

2. Opinio. 281 Alia opinio negat teneri ad reſtitutionem, & eam tenent auctores primæ opinionis propter fundamentum ibi adductum: quia dignior non habet aliquod ius acquiſitum in illud beneficium: quia bona Eccleſiaſtica non ſunt bona Reipub. diſtribuenda pro premio, & meritis, ſed ſunt ſtipendia operariorum, vt dictum eſt. Inſuper quia qui in conferendo beneficium elegit dignum, & aptum illi beneficio non facit iniuriam Eccleſiæ, nec digniori, quem omittit; Non Eccleſiæ: quia in ea idoneum miniſtrum conſtituit; non digniori: quia ante electionem ille, nec ius ad rem, nec in re acquiſiuit. Adiungit Nauarrus hunc vſum nunquam fuiſſe in Eccleſia, & Reipub. Chriſtiana, vt eligens minus dignum teneatur ad reſtitutionem digniori. Denique ſi dominus vineæ Economo præcepiſſet, vt operarios meliores, quos habere poſſet, conduceret ad laborandum in vinea, ſi conduceret dignos, & idoneos, omiſſis præſtantioribus non feciſſet contra iuſtitiam, neque teneretur ad iuſtitiam quamuis non fuiſſet fidelis domino. Ita in propoſito. Prælatus, dum conducit in Eccleſia miniſtros dignos omiſſis præſtantioribus, eſt quidem infidelis domino, quia ordinauit, vt digniores eligerentur; non tamen facit contra iuſtitiam.

282 In hac re primùm ego puto Prælatos peccare lęthaliter, præferendo minus dignum digniori; ſi exceſſus ſit notabilis, quia hic eſt acceptio perſonarum, tribuitur enim tunc beneficium ratione perſonæ, non ratione dignitatis, & valoris, & idoneitatis eius; quod cum ſit peccatum in rebus temporalibus, multò maius eſt in rebus ſpiritualibus; & præſertim hoc verum eſt in beneficijs, & officijs maioribus, vt ſunt qui pertinent ad curam animarum, & regimen ſpirituale Eccleſiæ. Quæ eſt ſententia communior Alexãdri de Ales ſecunda parte, quæſt. 119. memb. 2. artic. 3. D. Thomæ, 2. 2. quæſt. 63. ar. 2. per totum, & maximè ad tertium, Gabriel Biel in 4. diſtinct. 15. quæſt. 7. artic. 3. diſtinct. 1. concluſ. 2. Soto lib. 3. de iuſtitia, & iure, quæſt. 6. artic. 2. concluſ. 9. qui in hanc ſententiam præter D. Thomam multos alios citat, & plures rationes adducit. Azorius 2. par. lib. 6. cap. 15. & alij recentiores plures. Opinio auctoris. Prælatus peccat lethaliter pręferendo dignum magis digno.

283 Et licèt aliqui, vt Gloſa in cap. licèt verbo *Præſtantior*, 8. quæſt. 1. teneat oppoſitum multis rationibus, præſertim, quia electio digni eſt iuſta; nihil ergo refert ſi dignior omittatur; & quia deinde ſequeretur, quod aliquis benefaciendo peccaret, & ſic Doctor, qui docet, & legit, peccaret: quia poſſet melius docere, & legere: poſſet etiam melius facere, ſcilicet orare, & ſimilia, quæ ſunt abſurda. Ea quibus colligit, quod cum Prælatus eligendo dignum benè faciat, non eſt dicendum peccare omittendo meliorem, & digniorem. Illæ tamen parui momenti ſunt: quia quod ſpectat ad primum, falſum eſt, quia collatio facta digno omiſſo magis digno ſit iuſta: quia in iure diuino habemus meliorem, & digniorem eſſe eligendum; cum ergo eligitur minus dignus omiſſo digniori fit contra ius diuinum. Antecedens probatur in cap. illo *licet*, ex D. Hieronymo in lib. Leuitici (quamuis auctoritas illa ſit Origenis, ſed citatur, & aſcribitur D. Hieronymo: quia D. Hieronymus interpretatus eſt librum illum Leuitici Origenis erroribus, & noxijs detruncans, vt ait ipſemet D. Hieronymus epiſtola 62. ad Theophilum, & epiſtola 75. ad Vigilantium, & alibi) inquit ergo D. Hieronymus ex Sacra Scriptura 1. Timoth. 3. & Leuit. 1. in ordinatione Sacerdotis vigilare debere *omnes animi virtutes, & intentas eſſe, vt ei nihil ſapientiæ, nihil ſcientiæ, nihil deſit induſtriæ, ſed adſit omnis multitudo ſenſuum, adſit omnis congregatio ſanctarum cogitationum, vt quid ſit Pontifex, quid vnctio, quid indumenta eius conferens intra ſacrarium cordis ſui poſſit aduertere*. Et Leo Papa ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum epiſtola 82. aliàs 84. cap. 6. & refertur diſtin. 63. cap. *Metropolitano*, decernit, quod mortuo Metropolitano Epiſcopi conuenire debebunt ad ciuitatem Metropolim, *vt omnium clericorum atque ciuium voluntate diſcuſſa ex præsbyteris Eccleſiæ, vel Diaconis optimus ordinetur*. Et hæc omnia colliguntur apertè ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 3. *oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigoſum, non cupidum, non neophitum* &c. certum eſt autem ex his dicti Apoſtolum voluiſſe Opin. contraria refellitur.

luisse eum eligi in Episcopum, qui sit eminens in omnibus virtutibus; hæc enim omnia, quæ requirit Apostolus non nisi in optimo, & dignissimo inueniri possunt: ergo eligere dignum, omisso digniori, est agere contra textum, & mentem Apostoli. Falsum est ergo, quod collatio facta digno, omisso digniori sit iusta. In hac re tamen prudentia, & diligentia adhibenda est; & sufficit ad vitandum peccatum mortale, quod conferens beneficium non conferat scienter minus digno; & minus idoneo, vt ait Gabriel Biel loco citato.

Ad alias obiectiões.

284 Per hoc idem satisfit obiectioni factæ secundo loco; negatur enim tunc sequi, quod qui faceret benè, peccaret: quia iam dictum est, quod qui eligit dignum, omisso digniori, non facit benè, nec iustè, sed iniustè, & contra ius diuinum, & canonicum. Ad exempla de Doctore legente, & docente respondetur, quod si Doctor notabiliter deficiat à suo debito peccat proportionaliter, vt patet. Præterea non est par ratio de docere, & eligere ad Ecclesiasticum beneficium: quia præponderat multo magis præceptum de eligendo digniori ad beneficium, quam præceptum obligans Doctorem ad legendum rectè: ideo non est tantum peccatum in Doctore non adhibente diligentiam in suo munere obeundo, sicut in eligente ad beneficium. Quod verò dicitur, quod peccaret legendo, & non orando, quia melius est orare, quàm legere. Respondetur, quod peccatum non fit omittendo opera superogationis, sed opera præcepti. Modò cũ quis legit non obligatur aliquo præcepto; ad orandum, non orando non peccat. At in electione ad beneficium est præceptum, quod melior eligatur, vt visum est: ergo peccat in hoc, non in illo.

An Canonistæ præferendi sint Theologis in Episcopatu.

285 Ego adhibui solutionem ad hæc duo argumenta Glosæ: quia illa præterijt Soto, qui tamen est prolixus in hac re, & recentiores, fortasse autem prætereriunt: quia ex ignorantia Theologiæ procedunt: ideo illa spreuerunt.

Abbas in cap. 1. de consang. & affinit.

286 Quò fit vt Canonistarum sententia, quòd ad Episcopatum in terris, vbi non sunt hæreses, debeant præferri Canonistæ Theologis; vbi vero hæreses grassantur, debeant præferri Theologi, non sit approbanda: clarum est enim scientiam propriam Episcopi debere esse sacrã Theologiam; nimirum cognitionem Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, ex quibus Canones ipsi desumpti sunt, & instructio vitæ Christianæ tota habetur; in qua Episcopi suum populum instruere tenentur, quam cognitionem Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum Theologi Scolastici collegerunt, vt facilius disci, & sciri possit.

Prælatus nõ tenetur ad restituẽdum magis digno, sed Ecclesiæ.

287 Secundò, ego existimo Prælatum quidem non teneri ad restitutionem alicuius rei magis digno, dũ confert minus digno, sed tamen teneri ad restitutionem Ecclesiæ si damnum sit momenti. Prima pars patet ex dictis supra; quia magis dignus ex eo, quod præcisè est dignior, non habet aliquod ius acquisitum in beneficium, quo contra iustitiam commutatiuam priuetur, sed solùm habet conuenientiam, & habilitatem maiorem, quæ obligat Prælatum ad illum eligendum ratione præcepti, & fidelitatis erga dominum, vt dictum est; sed dato, quòd haberet maius ius, hoc non impedit, quin habens minus ius non possit illud idem petere, & sibi procurare vule altero neglecto, & si obtinet, tuta conscientia possidere. Et hoc probant rationes pro secunda opinione nunc suprà adducta Nauarri, Soto, & aliorum. Secunda pars verò probatur, quia infidelis Economus, qui scienter res domini non vtiliter gerit, tenetur de damno illato domino, & maximè quando est notabile damnum. Prælatus autẽ præferens minus dignum, & minus aptum, idest minus doctum, & minus moratum, & denique minus idoneũ ad bonum illius Ecclesiæ promouendum cæteris omnibus consideratis, damnificat illam Ecclesiam, & populũ in bonis spiritualibus, quæ illa ex digniori ministro consequuta fuisset. Dixi autem cæteris consideratis, quia aliquando minus doctus, & minus pius potest esse prudentior, & aptior ad bonum promouendum illius Ecclesiæ: & ideo talis tunc erit præferendus: quia erit dignior; sed in hoc est adhibenda magna diligentia, & cauendum est quantum prudentia humana potest à deceptoribus fraudibus, mendacijs, & huiusmodi, quæ in similibus beneficijs obtinendis homines adhibere solent.

Quomodo Electores, & Prælatus recompensent damnum Ecclesiæ datum per electionem indigni, vel minus digni.

288 Sed quomodo Electores Ecclesiæ reficient damnum datum per electionem indigni, vel minus digni omisso digniori? Respondetur, quod electus si est indignus (licet electio teneat si non adsit aliquod impedimẽtum Canonicum, vt alias diximus) debet ipse per se in cõscientia renuntiare beneficium, vel saltem adiutorem adhibere secum idoneum ad munus illud efficiendum; & tunc Electores, & Prælatus excusabuntur. Quod si ille hoc non faceret debent curare, vt faciat. Quod si non obtineant, tenentur de suis bonis ipsi curare, vt huiusmodi damna Ecclesiæ compensentur; & denique tenentur eo modo quo infrà dicemus eum ad restitutionem teneri, qui proximum damnificauit in bonis spiritualibus: Verùm cum indignus est electus, difficile admodum est dãna Ecclesiæ resarcire, vt patet ex difficultate adhibendi prædicta remedia. Proinde cauendum est quàm maximè ab electione indigni, & acceptione personarum, sed digniores semper, & magis idonei sunt præferendi.

DISTINCTIO XV.

Quæstio Tertia.

DISPVTATIO LI.

De damnificatione bonorum animæ, & restitutione eorundem.

Vtrum damnificans alium in bonis animæ teneatur illi ad restitutionem. Cap. I.

1 AGIT Scotus in 3. q. illius dist. 15. de damnificatione in bonis animæ, & corporis, & proinde de his est etiã agendum à nobis. Bona enim hominis sunt in quadruplici discrimine, scilicet bona animæ, bona corporis, bona famæ, & bona fortunæ. Egit hucusque Scotus de damnificatione, & restitutione in bonis fortunæ: quia damnificatio, & obligatio restitutionis est frequentior, & communior in illis quàm in reliquis: agit ergo in hac q. de damnificatione in bonis animæ, & corporis. Prius autem agit de bonis animæ, & breuiter; deinde de bonis corporis.

Bona hominis sunt in quadruplici discrimine.

2 Quantum ergo ad bona animę quæritur, An damnificans in bonis animæ teneatur ad restitutionem. Pro intelligentia huius difficultatis notandum est, quod bona animæ, seù spiritualia sunt in duplici discrimine; quædam enim sunt naturalia, & interna; quædam verò sunt acquisita, & externa: primi generis sunt potentiæ ipsius, vt intellectus, voluntas, & huiusmodi, quæ in ipsa anima sunt. De his in præsenti non est disputatio, quia loquendo de intellectu, voluntate, & similibus, cum sit idem realiter quod anima naturalis, sunt incorruptibilia in se, & ideo nemo potest alium in his damnificare, licèt possit impedire eorum operationes lædendo partes, & organa corporis, & tunc de his est eadem ratio, quæ de damno dato in bonis corporis. Qui enim aliquem lęderet, & damnificaret circa operationes intellectus, & voluntatis, vt qui præstigijs potionibus, & arte dæmonum damentaret hominem, vel quid simile faceret, tenetur ad restituendum eo modo, quo damnificans alium in bonis corporis tenetur ad restitutionem illorum. Qui autem damnificat

Bona animæ sunt in duplici discrimine.

nificat aliquem in bonis acquisitis internis, vt impediens aliquem à studio, ab arte discenda, vel ab vsu illius post quam eam acquisiuit; vel fuit negligens in docendo, instruendo, vel malè instruit, docuit, & huiusmodi, tenetur restituere, sicut qui rem pecuniariam abstulit ad iudiciū prudentis, & boni viri.

De bonis animæ spiritualib. ordinatis ad vitam æternam est sermo.

3 Quædam verò sunt bona moralia animæ interna acquisita, vel acquirenda quæ propriè spiritualia dicuntur, seu supernaturalia: quia à Deo supernaturali agente solùm producuntur, vt gratia, & virtutes infusæ. Vel simul à Deo, & à nobis producuntur, vt sunt opera meritoria vitæ æternæ, quibus virtutes generantur, & de his in præsenti est disputatio. An scilicet aliquis damnificans alium in virtutibus, & in bonis spiritualibus ordinatis ad vitam æternam, vt puta inducendo ad peccatum, vel impediendo, ne bonum quis meritorium faciat, teneatur ad restitutionem.

Opi. Scoti, & multorū aliorum.

4 In hac re Scotus in hac quæst. apertè sustinet partem affirmatiuam. Et hanc sententiam concorditer tenent Ricardus in eadem distinct. 15. artic. 5. quæst. 2. quos sequuti sunt Adrianus quæst. de restitutione bonorum animæ, Paludanus in 4. distinct. 15. quæstio. 2. articul. 2. Gabriel Biel eadem distinct. 15. quæstio. 17. artic. 2. conclusione prima, & secunda. Angelus verbo *Restitutio* 1. numer. 1. Maior in 4. distinct. 15. quæst. 17. dub. vltimo, & nonnulli alij.

Opinio opposita Soto, & aliorum.

Tamen Syluester verbo *Restitutio* 9. quem deinde acriter sequutus est Soto libro quarto de iustitia, & iure, quæstione sexta, artic. 3. ad primum, & recentiores Azorius, tertia parte, libro quinto, cap. 1. Molina tract. 3. disput. 50. oppositam sententiam tenent. Et quia puto opinionem Scoti, & eam sequentium esse veram, Adducam primò opinionem recentiorum cum suis fundamentis, & eam ex fundamentis pro opinione Scoti, & aliorum reijciam, quibus opinio Scoti comprobabitur.

5 Soto ergo loco citato conclusione secunda tenet eum, qui dolo, fraude, vi, metuve aliquem damnificat in bonis spiritualibus, teneri ad restitutionem, vt si quis induxit aliquem in hæresim docendo falsitatem, vt hæresiarca tenetur docere veritatem, & laborare quantum potest, vt reducat deceptum ad veritatem, & retrahat à malo, & de hoc nulla est dubitatio. At conclusione tertia, quem alij sequuti sunt, distinguit. Vel enim qui inducit alium ad peccandum hoc facit, vt inducat eum in inimicitiam Dei, odio, & dedita opera, & hoc facit malis artibus, scilicet fraude, dolo, vi, metuve, mendacijs, vel decipiendo, vel quid simile agendo, & tunc concedit quod magis peccat, quàm qui occidit hominem. Vel inducit ad peccandum non odio, neque intentione sic acriter nocendi proximo, sed vt suum commodum, vel voluptatem assequatur, non peccat ita grauiter, ac si magnam copiam bonorum illius temporalium diriperet; Tamen vtroque modo inducens ad peccatum non tenetur ad restitutionem.

1. Ratio pro Soto.

Quod probat, & primò sic. Scienti, & volenti non fit iniuria, de reg. iur. in 6. & proinde furtum, & rapina est peccatum contra iustitiam: quia est ablatio rei alienæ inuito domino; & quanto magis inuito domino aliquis rem alienam surripit, tanto magis peccat. At cum quis inducit alium ad peccandum nullam infert ei vim aut necessitatem: quia liberè ille peccato consentit, vt cum quis dono, vel precibus inducit mulierem ad peccandum ipsum non cogit; ipsa enim scit, quod malum facit, & posset vitare, tamen non vitat: ergo non inuita facit hoc peccatum: ergo eam inducens non facit illi iniuriam: ergo non tenetur ad restitutionem illius damni spiritualis, in quod incurrit propter peccatum illud.

Responsio Scoti.

6 Quod si quis dicat cum Scoto, argumentum hoc concludere inducentem ad peccatum non posse directè damnificare aliquem in bono animæ, seù inducentem non posse directè auferre alicui bonum animæ, idest ipso inuito: quia peccatum ideo peccatum est: quia est voluntarium: ideo necessè esse, quod consentiat liberè in peccatum; tamen non concludere, quod sic inducens non auferat indirectè illi illud bonum, scilicet consulendo, suadendo, rogando, & alio simili modo, & consequenter, quod non sit aliquo modo causa damni illati per illud peccatum; neque enim commisisset illud peccatum, nisi alter induxisset modo dicto: qui autem est aliquo modo causa damni alicuius tenetur pro illa portione ad restitutionem.

Replica Soto, & aliorum.

7 Contrà, arguit Soto, quem alij sequuntur: hæc responsio non satisfacit; solum enim probat, quod sic inducens peccat: quod conceditur. At non probat, quod teneatur ad restitutionem: quia semper stat ratio, quod iste consentiens in peccatum liberè consentit non inuitus: ideo licèt alter sit causa illius damni, tamen ille videtur remittere debitum inducenti

Exemplū Soto.

Exemplo res declaratur. Qui precibus extorsit aliquod bonum ab aliquo citra vim, & dolum, quamuis habeat rem alienam, non tenetur de iustitia amplius ei illam restituere: quia ex eo, quod ille illam ei liberè dedit, est absolutus ab obligatione restitutionis. Ita qui prece, vel dono extorsit consensum mulieris in peccatum luxuriæ, non habet aliquid illius mulieris ea renitente, & inuita: ergo non tenetur ad restituendum ei damnum passum ob actum illum, quia illud condonauit.

8 Secundò, nemo ex consilio, quod fraudolenter non sit datum, tenetur ad restitutionem, vt habetur cap. *Nullus*, de regulis iuris in 6. ergo qui inducit, consilium dando, aliquem ad peccatum non tenetur ad restitutionem damni illati per peccatum: quia non inducit dolosè, & fraudolenter, sed apertè, & clarè. 2. Ratio.

9 Tertiò. Nemo tenetur restituere alteri, quod in eius potestate non est; sed sic est, quod in potestate damnificantis aliquem spiritualiter non est restituere damnificato damnum illatum per peccatum: ergo damnificans in bonis spiritualibus non tenetur ad restitutionem. Maior est euidens. Minor probatur: quia non est in manu hominis conferre gratiam ei, qui per peccatum eam perdidit: Deus enim solus est causa gratiæ, & eam producit in anima hominis pro voluntate sua. 3. Ratio.

10 Quod si quis dicat, licèt non teneatur ad restituendam gratiam: quia illam solùm Deus confert; tamen tenetur ad illud, quod est in potestate sua, vt gratiam perditam recuperet.

11 Contrà arguit Soto. Quando ille, qui rem alienam abstulit, eam ponit in potestate illius, cui est ablata; ita quod in potestate ipsius est eam sibi recuperare sine ope alicuius alterius, si illam non sibi recuperet, videtur eam renuere, & nolle; neque qui eam abstulit amplius ad restitutionem tenetur; neque enim damnificans obligatur rogare damnificatum, vt rem suam accipiat: satis est, quod eam ponat in aliquo loco, è quo sine impedimento possit sibi illam sumere. At in proposito, qui passus est damnum spirituale, & ammisit gratiam Dei, eam habet in potestate sua: quia cum Dei adiutorio potest illam recuperare, quando voluerit: ergo si non recuperet, sibi imputandum est, non damnificanti: Est enim ac si renuet, & illam nolit: ideo damnificans soluitur ab obligatione restitutionis.

12 Quartò, stante opinione Scoti, & sectatorum, sequeretur, quod qui inducit mulierem sordidam, seu meretricem ad actum peccati pretio teneretur ad emendandam eam, ac ad extraendam eam ab illo peccato. At consequens communiter reputatur falsum. Non enim videmus in Ecclesia esse vsum, vt huiusmodi peccator obligetur ad huiusmodi restitutionem. 4. Ratio.

5. Ratio. 13 Quintò, sequeretur, quod qui non potest in viam reuocare eum, quem corrupit, teneretur pecunia eius damnum resarcire; sed hoc est falsum: ergo. Consequentia probatur, quia qui damnificat alium in honore, & fama, nec potest illam ei restituere, facere solet recompensationem in pecunia proportionaliter. Falsitas consequentis est euidens: quia gratia pecunia non est pensanda.

6. Ratio. 14 Sextò, sequeretur, quod qui publicè peccat singulis eorum, quibus fuit occasio ruinæ, teneretur ad restitutionem. Consequens est falsum, & potest probari, licèt ipse Soto non probet: tum quia est impossibile: tum quia non est in vsu tot particularibus facere restitutionem.

7. Ratio. 15 Septimò, D. Thomas de hac restitutione nullam facit mentionem; & tamen non est dicendum, inquit Syluester, eum esse diminutum: & Soto ait esse solertissimum: ergo dicendum est, quod non tenetur ad restitutionem.

8. Ratio. 16 Octauò, Exodi 22. sancitur, vt qui dormierit cum virgine, dotet eam, ducatque in vxorem; quod autem procuret eam emendare ibi non præcipitur: ergo.

Ex his concludunt obligari solùm ex præcepto charitatis, & correctionis fraternæ ad quærendum emendationem proximi; atque tanto maiori vinculo charitatis, quanto magis vicinus est periculo mortis æternæ.

Axorius. 17 Addit Axorius, quod si quis consulendo inducit proximum ad peccandum, sed tamen nondum peccatum commisit, non tenetur ad impediendum ratione iustitiæ, sed solùm ratione charitatis, & præceptis correctionis fraternæ. Ratio ipsius est, quia proximus semper remanet liber ad sequendum, vel ad repellendum consilium: ideo si peccet debet sibi imputare. Concludunt ergo auctores isti, eum, qui inducit alium ad peccandum, & damnificat in bonis spiritualibus corrumpendo virtutes, & inducendo vitia, magis peccare, quam qui furatur res temporales, & alia bona temporalia, & obligari ad corripiendum sic inductum ex præcepto charitatis, & correctionis fraternæ, de qua re nullus dubitat; non tamen teneri, & obligari ex iustitia ad restitutionem, nisi dolo, fraude, & huiusmodi induxerit, sed precibus, dono, & huiusmodi, in quibus nulla est fraus. Cum enim est fraus, fatentur ad restitutionem teneri.

Allata opinio refellitur. 18 Hæc opinio Soto, & sequacium nullo modo est approbanda, neque est recedendum à priori opinione Scoti, & antiquorum cum eo consentientium. Nam præterquam quod habet pro se grauiores, & plures Theologos, est etiam firmissimis innixa fundamẽtis, ex quibus aduersa expugnatur, & ipsa solidissimè confirmatur.

1. Rõ pro opin. Scoti. 19 Et primò quidem hæc ratio est inuicta. Ille peccat contra iustitiam commutatiuam, & ad restitutionem tenetur qui damnificat proximum in bonis suis; & tanto magis peccat, & obligatur ad restitutionem, quanto maius est bonum, in quo damnificat; sed sic est quod qui inducit alium ad peccandum, priuat eum gratia Dei, & damnificat eum in spiritualibus bonis pertinentibus ad vitam æternam, quæ est summum bonum: ergo qui inducit proximum ad peccandum, peccat contra iustitiam commutatiuam, & maximè peccat, & tenetur ad restitutionem eo modo quo potest. Maior in hoc argumento est euidens. Neque enim vlla ratio vult, quod extendatur solum ad bona corporis, famæ, & fortunæ; sed ratio ipsa maximè dictat extendi ad bona animę spiritualia. Quod adhuc ostenditur sic. Ratio commutatiuæ iustitiæ cõsistit in hoc, vt cõmertia hominum corrigantur, ita quod vnusquisque habeat, quod suum est: Ideo qui habet rem alienam, tenetur illam restituere domino, ne habens rem alienam plus habeat, & lucretur aliquid supra proximum: & qui damnificat alium licèt nihil sibi acquirat, vt qui deijcit rem proximi in flumen, tenetur ad restituẽdum: quia illi imputatur, ac si rem damnificatam sibi acquisiuisset: & eadem ratione, qui impedit aliquem à consequendo aliquod bonum, vel beneficium, tenetur ad restitutionem: quia reputatur, ac si illud damnum illatum sibi acquisiuisset, vt suprà diximus. At in contrahendo peccatum, qui inducit proximum ad peccatum aufert aliquid proximo, & sibi assumit; vel saltem damnificat proximum in bono spirituali, licèt sibi nihil acquirat, & sibi imputatur, ac si aliquod lucrum ex eo actu sibi accepisset; & sic lucratur aliquid supra proximum, nimirum actum illum delectabilem peccati, quem extorsit à proximo, qui ei non competit iustè; vel saltem intulit proximo damnum boni spiritualis, vnde ei imputatur, ac si illud damnum in suum aliquod bonum resultasset, & proinde reputatur plus habere quàm sibi competat secundùm iustitiam; & consequenter tenetur ad restituere, & compensare actum illum malum aliquo actu bono æquiualenti illi actui malo. Exempli gratia sicut qui percutit, vel vulnerat proximum corporaliter agit contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem: quia actus illos vulnerationis lucratur, & habet supra proximum quos habere non debet secundùm iustitiam; vnde dicitur plus habere quàm proximus: & ideo teneri ad actus, qui æquiualeant illis percussionibus, & vulnerationibus, vt reducantur ad æqualitatem, & nihil lucri, nec plus habeat quàm alter; Ita qui inducit alium ad peccandum lucratur, seù habet actum peccati perpetratum à proximo, quem habere non debet iustè, & ideo plus habet quàm proximus, & inter illos per hunc contractum peccati facta est inæqualitas; proinde, qui induxit ad peccatum, tenetur ad restitutionem actus, qui æquiualeat actui illi peccati, vt reducatur ad æqualitatem, & qui commisit actum peccati resarciatur alijs actibus aptis ad reparandum damnum, quod passus fuit per actum peccati.

20 Minor propositio non eget probatione est enim nimis clarum, eum, qui inducit proximum ad peccandum, damnificare eum in bonis maximis spiritualibus. Minor probatur. Pro cuius clara intelligentia, & detractione erroris opinionis contrariæ est notandum, quod aliud est esse paratum ad peccandum, & aliud induci ad peccandum. Nam qui paratus est ad peccandum, dum actu peccat actu exteriori, non facit nouum peccatum, sed peccato interiori addit actum externum, qui solùm aggrauat peccatum interius, vt suo loco diximus. Exemplum Meretrix quæ est parata se exponere cuicunque, dum actu exteriori peccat, non facit nouum peccatum: quia semper manet in actu peccati, sed solùm addit actum exteriorem actui interiori, qui illum aggrauat; At qui inducitur ad peccatum, tunc verè facit peccatum: quia prius non habebat peccatum: quia non erat paratus ad peccandum; immò quantum erat ex se nolebat peccare, sed ex consilio, persuasione donis, & huiusmodi compellitur ad habendum actum peccati: supponimus enim, quod sic peccans non peccasset, nisi inductus fuisset; hic enim est sensus huius quæsiti, vt ex se patet.

Aliud est esse paratũ ad peccandum, & aliud induci ad peccandum.

Hinc patet deceptio aduersariorum: volunt enim actum peccati illius, qui inducitur ad peccandum, esse omnino voluntarium, sicut est voluntarius actus peccati in eo, qui ex seipso se determinat ad peccandum; hoc enim est eorum fundamentum, quod tamen est falsum, vt infrà ostendam: latissima enim est differentia. Et hinc sequitur, quod etsi, qui inducitur, voluntariè peccet, habet tamen quasi mixtum inuoluntariũ, & proinde inducens tenetur ad restitutionem. Hinc etiã patet Minor. Nam, qui inducit proximũ ad peccandum, facit, vt faciat

actum

actum sibi dãnosum in bonis animæ, & acquirit lucrũ, & plus habet quàm proximus: est enim ac si illi vulnus aliquod infligeret, vel percuteret eum, & denique faceret aliquem actum nociuum in bonis corporis, vel famæ eius, & proinde sequitur ipsum teneri ad faciendum aliquos actus, quibus emendet damnum illatum hac suasione ad peccatum proximi: quod est teneri ad restitutionem.

2. Ratio. 21 Secundo loco est auctoritas simul, & ratio ex Anacleto Papa, Epist. 3. quæ refertur 6. q. 1. cap. *Deteriores.* Quam adducit Scotus in hac 3. q. primo arg. ad oppositum, & ab alijs passim, & est hæc. *Deteriores sunt, qui bonorum vitam, moresque corrumpunt his, qui substantias aliorum, prædiaque diripiũt: ipsi enim ea, quæ extra nos, licèt nostra sint, auferunt: nostri autem detractores, & morum corruptores nostrorum siue qui aduersus nos armantur, propriè nos ipsos diripiunt: & ideo iustè infames sunt, & meritò ab Ecclesia extorres fiunt.* In hoc Canone videmus Pontificem asserere deteriores esse, qui mores corrũpunt quàm qui bona temporalia diripiunt. Tunc sic; at qui furatur bona temporalia tenetur ad restitutionem: ergo multo magis qui damnificat in bonis spiritualibus tenetur ad restitutionem.

Cõfirmat. 22 Confirmatur, quia Nicolaus Papa ex D. Gregorij pastorali p. 3. cap. 5. & refertur 11. q. 3. cap. *præcipuè*, obligantur ad restitutionem Prælati, qui scandalo suo sunt causa peccatorum subditorum: ergo multo magis qui proximum inducunt ad peccatum. Consequentia patet: quia qui scandalo est ruina proximi, est causa remotior quàm qui precibus, donis, consilijs, & huiusmodi est causa peccati. Antecedens probatur: verba D. Gregorij relata à Pontifice vbi supra sunt hæc. *Scire etenim Prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrãt tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.* Volunt ergo D. Gregorius, & Nicolaus, quod sicut, qui occidit hominem corporaliter, obligatur ad mortem corporalem ex iustitia; sic enim fit digna restitutio pro homicidio, vt infrà dicemus. Ita qui est causa mortis spiritualis animæ proximi, ex iustitia obligatur ipse quoque ad mortem; sic enim fit restitutio, quando dãnum est irreparabile. Ex hoc elicitur, quando damnum est reparabile, & mors spiritualis proximi est reparabilis, ipsum teneri ad reparandum eum meliori modo, quo potest: ergo damnificans alium in bonis spiritualibus tenetur ad restitutionem.

2. Confirmatio. 23 Confirmatur adhuc, quia qui propinat venenum alteri, quo salus corporis eius lædatur, tenetur de iustitia curare quantum poterit, vt ab eo periculo eruatur, resarcireque eius damnum ea via illi illatum. At qui inducit aliquem ad peccatum, multo magis lædit eum, quàm propinando venenum, siquidem inducit mortem spiritualem: ergo multo magis tenetur liberare eum à periculo, & eum resarcire à damno ei illato.

Responsio aduersariorum. 24 Ad hæc argumẽta respondẽt Molina, & Azorius locis citatis ex fundamento allato à Soto concedendo esse maius peccatum inducere aliquem ad peccatũ, quàm furari, & rapere omnes substantias temporales, & omnia alia bona. At negant ex hoc sequi, quod sic damnificans teneatur ad restitutionem, dicunt enim teneri ad restitutionem solùm tunc, qñ peccatum est cõtra iustitiã: inducens autem alium ad peccandũ peccat contra charitatem non contra iustitiam. Quod autem non peccet contra iustitiam, probant ex hoc fundamento principali: quia dicunt, quod inductus ad peccandum peccat liberè, non coactè; volenti autem, & scienti non fit iniuria: ideo sic inducens ad peccatum non facit iniuriam inducto, & sic non peccat contra iustitiam.

Reijcitur. 25 Hoc fundmẽ aduersariorum est oĩno falsũ, & omnino repellendũ, quod probatur. Primò, quia ẽt qui sol-
1. Ratio. uit vsuram vsurario soluit eam liberè, & non inuitus; & tamen hoc nõ facit quin vsurarius teneatur ad restitutionem: ergo à simili licèt inductus ad peccandum peccet scienter, & voluntariè, tamen hoc non facit quin inducẽs teneatur ad restitutionem.

26 Vt autem hoc melius intelligatur, & hoc eorum fundamentum esse falsum cognoscatur, est notandum, 2. Ratio.
quod cum quærimus, an inducens aliquem ad peccandum teneatur ad restitutionem, loquimur de eo, qui per se iam non erat paratus ad peccandum, vt supra diximus, sed potius nolebat peccare, quia nec de peccato cogitabat, neque peccasset si non inductus fuisset ab altero, precibus, donis, vel alio modo. Constat autem, quod qui sic inducitur ad peccandum non ita voluntariè vult peccatũ illud, sicut inducens, sed multo minus. Vnde actus ille volendi peccatum in ipso, potest dici voluntarius, sed mixtus inuoluntario: quia habet actum illum in gratiã inducentis, & quantum est ex se nollet; licèt postea perpetrato primo peccato contingat quandoque, vt ex se allectus voluntate peccati se ad illud promoueat, & excitet. Constat etiam, quod qui sic inducit aliquem ad actũ peccati plus habet, & lucratur ex illo actu, quàm qui inducitur; ratio est, quia qui sic inducitur potius seruit inducenti, & patitur, quàm agat: actus enim magis resultat in commodum seù voluptatem inducentis, quàm inducti. Ex quo patet in tali actione esse inæqualitatem, & lucrũ, esse ex parte inducentis, hoc autem est contra iustitiam, vt suprà dicebamus. Nam licèt in contractibus de rebus temporalibus, vt in contractu vsurario accipiens ad vsuram voluntariè accipiat, & soluat vsuram, non propter hoc vsurarius excusatur à restitutione; neque ex hoc sequitur, quod contractus non sit inæqualis, & consequenter iniustus: ita in contractu hoc spirituali, licèt inductus ad peccatum voluntariè consentiat in peccatum, non ob hoc sequitur, quod contractus ille non sit inæqualis, & quod inducens non habeat plus, & lucretur supra inductum, & consequenter non peccet contra iustitiam, & nõ teneatur ad restitutionem. Vnde potest sic formari ratio. Ille peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, qui extorquet aliquid à proximo eo inuito aliquo modo scilicet actu voluntario, sed mixto inuoluntario, & in tali actione lucratur, & habet aliquid plus quàm alter. Sed sic est, quod qui inducit proximum ad peccatum, extorquet actum peccati ab eo, quia habet illum actum voluntariè, sed mixtum cum inuoluntario, & inducens lucratur in illa actione, quia plus habet, quàm inductus: ergo sic inducens aliquem ad peccandum, peccat cõtra iustitiam commutatiuam, & tenetur ad restitutionem. Maior, & Minor patet ex dictis.

27 Cõfirmatur, quia Anacletus Papa optimè sciebat, Confirmatio.
quod nemo potest corrumpere bonos mores, & vitam alicuius, nisi ille consentiat, & velit, & tamen hoc non obstante apertè inquit, magis eos nocere, & damnificare, qui vitam, & mores alicuius corrumpunt, quàm qui substantias, & prædia diripiunt: ergo secundùm mentẽ huius Sancti Pontificis non facit, quod quia qui inducitur ad peccatum liberè, & voluntariè peccet, qui inducit non damnificet, & nõ teneatur ad restitutionem. Et certè si hoc fundamentum aduersariorum valeret, auctoritas illa nullius esset momenti: nec comparatio illa cum eo qui diripit substantias, & prædia aliorũ; quia constat, quod ista fiunt omnino inuito domino, peccatum autem nequaquam. Sequitur ergo quod secundùm mentem Pontificis sufficiat quod actus sit damnosus ipsi operanti: & licèt consentiat in illum, tamen non sit consensus omnino voluntarius idest non causatus aliunde quàm à propria voluntate.

28 Ex hoc reijcitur etiam respõsio Azorij quò ad id, Responsio Azorij.
quo ait, auctoritatem hanc Anacleti concludere esse maius peccatum inducere ad peccatum, quàm furari; non tamen concludere: neque ex illa sequi, quod sit actus cõtra iustitiam: reijcitur inquam, quoniam cum Pontifex ait deteriores esse qui corrumpunt vitam, ac bonos mores, quã qui substantias, & prædia diripiunt, necesse est intelligat in eodẽ genere proximo peccati, nõ aũt in genere

remoto tantùm: quia comparatio non fit in diuersis generibus, vel in genere remoto, sed in eodem genere in proximo. Quod maximè verum est in præsenti: quia particula, *Deteriores*, idem significat quod nocentiores, seù magis nocentes, quod est agere contra iustitiam. Cum ergo dicat Pontifex corruptores morum esse deteriores raptoribus, & raptores noceant contra iustitiam, necessè est, quod intelligat inductores, & corruptores morum esse deteriores raptoribus in genere peccati iniustitiæ; alioquin comparatio esset nulla. Vnde sensus obuius auctoritatis est, quod sicut qui diripiunt substantias, & prædia temporalia damnificant proximum contra iustitiã; ita & multò magis damnificant proximum contra iustitiam, qui corrumpunt eius vitam, & bonos mores.

2. Rõ principalis Scoti.

29 Secundò principaliter arguit Scotus ex illo Exod. 22. vbi dicitur, quod qui seduxerit virginem, & dormierit cum ea, dotabit, & habebit eam vxorem, aut si pater virginis dare noluerit, reddat pecuniam iuxta modum dotis, quàm virgines accipere consueuerunt. Ex hac auctoritate infert Scotus, quod damnificatio illata virgini contra castitatem requirit restitutionem castitatis: & quia castitas virginalis reddi non potest, præcipit Deus, vt restituatur ei castitas coniugalis: ergo ex iure diuino inducens aliquem ad peccatum, tenetur illi ad restitutionem damni spiritualis illati.

30 Hæc ratio habet maximam vim contra fundamentum aduersariorum. Nam certum est, quod virgo seducta consentit in peccatum luxuriæ, & deflorationem sui ipsius: qui enim sedocit virginem, non cogit eam, sed vel donis, vel promissis eam inducit, vt patet; & tamen Deus vult, quod non obstante, quod illa consentiat voluntariè in peccatum, inducens eam ad peccatum teneatur ad restitutionem. Et nota, quod non solum vult, quod ipsam inducens restimat ei tantam pecuniam, quæ recompensare possit damnum temporale ammissæ virginitatis; sed vult, vt eam corrigat, & restituat in statum salutis spiritualem, scilicet, vt ei castitatem coniugalem reddat illam ducendo in vxorem, vel dando dotem talem qua possit in matrimonium alteri se coniungere; & sic patet contra Soto, quod dominus præcepit, quod procuret etiã emendare eam: iungere enim illam in matrimonium est eam emendare. Ergo ex hoc loco conspicuè habetur, quod damnificans alium in bonis nedum fortunæ corporis, & honoris tenetur ex iustitia ei damnum illatum recompensare; sed etiam hoc est multo magis verum in damnificatione bonorum spiritualium.

3. Rõ principalis Scoti.

31 Tertiò, est ratio ipsius Scoti in fine articuli 1. huius tertiæ quæstionis, quæ est confirmatio prædictorum omnium, & Scotus adeo euidentem iudicat, vt eam his verbis conficiat. *Ratio huius* (scilicet opinionis, quod damnificãs in bonis spiritualibus teneatur ad restitutionem) *satis patet: quia cum virtutum bona sint maxima secundũ Aug. lib. 1. retract. c. 9. plus dãnificat, qui in istis dãnificat, quam qui in quibuscunque alijs; & per consequens plus secundùm iustitiam tenetur ad restituendum proximo tale bonum quantum sibi possibile est*. Et reuera dicere, quod qui aufert alicui per vsuram decem nummos, teneatur illi ad restitutionem, & peccet contra iustitiam, cum tamẽ soluens vsuram voluntariè soluat; ille verò, qui bona virtutum, & meritorum aufert inducendo ad malum, quod est causa damni eterni, non peccet contra iustitiam, & non teneatur ad restitutionem, est omnino irrationabile.

Ad primũ argumentũ aduersariorum.

32 Hinc ad argumenta aduersariorum facilis est responsio; sed primum respondetur eadem responsione superius adducta ex Scoto. Negatur ergo Minor illius primi argumenti. Ad probationem, quæ est, quia ille liberè consentit peccato, Respondetur, quòd ille simpliciter voluntariè vult peccatum: quia, vt dicebat Scotus, inducens non potest directè impellere inductum in peccatũ, & eum damnificare: quia peccatum non est peccatum, nisi sit voluntarium; tamen actus ille voluntarius, quo vult peccatum simpliciter, est inuoluntarius secundùm quid, siue mixtus inuoluntario & hoc sufficit ad hoc, vt inducẽs teneatur ad restitutionem: nam ille non contraxisset peccatum, nisi inductus fuisset, vt suprà diximus; & ideò actus eius non est ita voluntarius, ac si ex semetipso se mouisset ad peccatum, sicut qui paratus est ad peccandum, & ille qui est inducens. Et per hoc patet ad replicam Soto.

Ad exemplum Soto.

33 Ad exemplum respondetur, non esse parem rationem de donante ex importunitate precum; & de peccante ex importunitate precum, vel ex dono, & similibus: quia donans ex illa donatione non incurrit iacturam alicuius boni vltra rẽ donatam. At qui inductus ab alio peccat, præter actum illum peccati, in quem voluntariè simpliciter consentit, quem aduersarij volunt donare inducenti ad peccatum, est iactura gratiæ diuinæ: Ad quã recuperandam tenetur auxiliari, qui induxit ad peccatũ; non autem est intelligibile, nec præsumendum, quod inductus ad peccatum renuntiet hanc obligationem ipsi inducenti: quia renuntiare huiusmodi obligationem esset odire, & nolle sibi bonum debitum, & possibile, quod natura abhorret.

Ad secundum.

34 Ad secundum diximus suprà agendo de eo, qui tenetur ad restitutionem explicando illos duos versus. *Iussio, consilium &c.* quod qui dat consilium ad furãdum intendendo furtum, si sequatur furtum, teneri ad restitutionem, & consequenter, qui dat consilium ad peccandũ intendens inducere ad peccatum, tenetur ad restitutionẽ damni illati per peccatum. Patet autem, quod huiusmodi consilium est perniciosum: & ideo consulere cum sit causa damni sequuti, tenetur ad restitutionem. Ad regulam iuris respondetur, quod intelligitur de consulente circa aliquam rem, quæ non sit peccatum, vt circa ducendam vxorem; mercaturam exercendam; litem mouendam, & similia. Cum enim aliquis præbet consilium de aliqua re peragenda, & procedit sine dolo, sed bona fide, si deinde ex executione illius consilij sequatur damnum ei, qui consilium accepit, & executioni mandauit, non tenetur consulens ad restitutionem damni sequuti. Secus si dolo daret illud consilium, vt illud damnum pateretur; tunc enim teneretur ad restitutionem. Vnde miror, hos Doctores ex hoc loco sumere argumentum ad probandùm consilium datum ad peccandum non obligare ad restitutionem; cum peius sit dare consilium apertè ad malum faciendum, quàm dolosum, sed zelo charitatis velatum; deterius enim est peccatum publicum, quàm occultum: Et ideo si consilium dolosum occultum obligat ad restitutionem, multò magis publicum consilium ad peccatum.

Alia confirmatio.

35 Confirmatur: quia vt ipse Azorios tenet, & probat eadem 3. par. lib. 4. cap. 11. q. 9. qui dat consilium ad maleficium eandem pœnam meretur, quàm is, qui delictũ facit; sed qui facit maleficium tenetur ad restitutionem damni illati per maleficium: ergo qui consulit maleficiũ tenetur ad restitutionem eiusdem damni. Sed consulens peccatum consulit maleficium: ergo tenetur ad restituendum damnum, quod sequitur ex illo maleficio; damnũ spirituale ex illo consilio sequitur ei, qui ob consilium illud peccat: ergo consulens tenetur ad restitutionem illius damni spiritualis.

Ad tertiũ.

36 Ad tertium respondetur, vt ibi dictum est, quod tenetur ad fauendum, quod in se est, vt recuperet gratiã. Ad rationem contra hoc respondetur, eum, qui induxit alium ad peccatum, nisi laboret emendare inductum, & remouere à peccato, non ponere recuperationem gratiæ in potestate ipsius damnificati quantum est ex se, sed solum quando facit quod potest, vt eum auertat à peccato. Nam licèt in potestate inducti ad peccatum sit cum adiutorio Dei recuperare gratiam quando vult; tamen hoc non euenit: quia qui induxit ad statum peccati reducat inductum ad statum recuperandi gratiam quando voluerit; quoniam ipse nihil ad hoc operatur; sed hoc solũ proue-

prouenit ex benignitate Dei. Quando autem procurauit recuperationem gratiæ, & correctionem proximi eo modo quo potuit, ſi qui fuit inductus non ſe corrigat, qui induxit verè excuſatur, & tunc amplius non obligatur ad reſtitutionem: quia iam ſatisfecit obligationi ſuæ.

Ad quartũ.

37 Ad quartum reſpondetur non eſſe parem rationẽ de muliere ſordida, & meretrice, quæ iam eſt parata ad peccandum, & iam ſe exponit cuiuncque; & de muliere caſta, & quæ non niſi donis, vel precibus, & ſimilibus ſolicitata, & alia ſimili perſona cadit in peccatum. Meretrix enim iam eſt parata, & potius inducit alios illa ſua ſpontanea proſternatione pudicitiæ, quàm inducatur. Mulier vero pudica, quæ non niſi precibus, donis, & ſimilibus cadit in ruinam, non erat parata ad peccandum; ſed è conuerſo aliena erat à peccato: qui autem illam induxit ad peccatum, eſt cauſa illius ruinæ, & damni verè: quia verè influxit, & induxit actum peccati, qui ſine illius inductione non habuiſſet eſſe.

Ad quintũ.

38 Ad quintum negatur conſequentia. Ad probationem negatur ſimilitudo; ratio eſt, quia fama, honor, & diuitiæ ſunt bona temporalia; & proinde eiuſdem generis, licèt vnum melius alio, & proinde poteſt vnũ pro alio commutari, quando reſtitutio in eodem genere proximi fieri non poteſt. At gratia eſt bonum ſpirituale ſupernaturale ordinatum ad felicitatem æternam: ideo non poteſt reſtitutio illius fieri per diuitias. Debet ergo fieri reſtitutio per opera pia miſericordiæ, per bonas exhortationes, & alias actiones, quæ inducere eum poſſint ad pœnitentiam, vt infra nunc dicam explicando modum, quem aſſignat Scotus.

Ad ſextum Nõ eſt par ratio de dãte ſcandalũ & inducente ad peccãdum.

39 Ad ſextum reſpondetur non eſſe parem rationem de ſcandalo, & de inducente ad peccatum conſilio, precibus, & ſimilibus: quia ſcandalum non eſt cauſa peccati proxima, ſed remota: qui enim ſcandalizat proximum facit opus malum coram aliquo, vel aliquibus, qui eius exemplo ſemetipſos tradunt eidem vitio, vel ſimili. At qui inducit aliquem ad peccandum, qui aliàs non erat paratus, precibus, donis, & huiuſmodi eſt cauſa efficiens proxima illius damni, & proinde hic tenetur ad reſtitutionem, non ille. Exemplo differentia declaratur. Meuius videns Seium exercere vſurã etiam ipſe incipit exercere vſuram; ſi quis inferat: ergo Seius tenetur ad reſtitutionem vſurarum Seij: quia fuit occaſio Seio, vt vſuras exerceret, omnes vident conſequentiam non valere. E contra Meuius inducit conſilio, & precibus Seium ad vſuras exercendas; ſi quis inferat: ergo Meuius tenetur ad reſtitutionem vſurarum Seij, rectè conſequentiam valere omnes iudicabunt. Ratio diſcriminis eſt: quia in primo eſt ſolum ſcandalum ſiue exemplum malum: in ſecundo eſt cauſalitas proxima effectiua exercitij vſurarum, & conſequenter damni illati per vſuras, & proinde tenetur ad reſtitutionem.

Exemplũ.

Ad ſeptimum.

40 Ad ſeptimum vulgata eſt reſponſio locum ab auctoritate negatiuè nihil valere. Dicere autem D. Thomã in nullo eſſe diminutum eſt laus affectata, quam ipſe D. Thomas reſpueret: quia multa ſunt explicata in hac materia de reſtitutione à poſterioribus Doctoribus, quæ D. Thomas non attigit. Vnde ipſe Soto eodem articulo 3. in reſponſione ad ſextum dicit apud D. Thomam deſiderari ſolutionem illius dubij. An conferens beneficiũ indigno, vel ſaltem minus digno teneatur ad reſtitutionem, & cui hẽt hæc verba. *Antea verò quàm ad iſtorum examen deſcendamus: quæ de impediente aſſerta ſunt, explorandum eſt de conferente, an ſi non conferat digniori, aut ſaltem digno ad reſtitutionem teneatur, & cui illa ſit faciẽda. Hoc enim hic à D. Thoma deſideratur, cum tamen inde res tota pendeat.* Non eſt ergo mirum quod D. Thomas hoc aliud dubium omiſerit.

Ad octauũ.

41 Ad octauum iam oſtenſum eſt ſuprà rõne ſecũda Scoti eo loci Exodi non ſolum præcipi, vt inducens dotẽ virgini ſeductæ det, ſed quod etiam in vxorem ducat, vel præbeat dotem talem, qua poſſit pater eam alteri in matrimonium iungere, ſi nollet eam tradere in matrimonium ſtupratori.

Quomodo hæc reſtitutio eſt facienda.

42 Ex his omnibus conſpicuum eſt, inducentem aliquem ad peccatum teneri ex iuſtitia ad reſtitutionem damni ſpiritualis illati nedum poſtquam commiſit peccatum, ſed etiam antequam cõmittat cõtra Azorium: eſt enim eadem ratio de inducente ad peccatum, antequã peccatum ſit factum, & poſtquam eſt factum. Quantum ergo ad modum inquit Scotus, quod qui ſic damnificauit aliquem in bonis animæ ſpiritualibus tenetur modo ſibi poſſibili reſtituere damnum illatum, ſcilicet inducẽdo eum efficaciter ad pœnitentiam, & ad actus virtuoſos; & ſi ſola inductio non ſufficiat: quia facilius eſt peruertere, quàm conuertere, tenetur, & per ſe orando, & per orationes aliorum procuratas, impetrare ſibi conuerſionem, & per alios ſuaſores efficaces; dũ tñ non prodat illis peccatum occultum illius alterius. Ex quo infert Scotus ſalutarem monitionem, inquiens. *Et ex hoc patet quantum periculum eſt alium ſollicitare, & inducere ad peccatum: quia vix poteſt dignè reſtituere, cum voluntatẽ illam allectã ad peccata vix poſſit perſuaſionibus, & alijs multis vijs reducere ad virtutem.* Ex quo loco quanta fuerit pietas Scoti euidentiſſimè patet.

Quam graue malum eſt inducere aliquem ad peccãdũ

Pietas Scoti.

An qui retrahit aliquem à religione teneatur aliquid reſtituere ei, vel religioni. Cap. II.

43 HÆc diſputatio procedit ex eiſdem fundamentis in præcedenti capite adductis pro vtraque opinione: Scotus autem eam breuiter attingit in hac eadẽ q. 3. in reſponſione ad ſecundum principale. In hac difficultate ſunt tres opiniones. Primo loco eſt opinio Soto lib. 4. de iuſtitia, & iure q. 6. ar. 3. in reſponſione ad ſecundum qui quinque concluſionibus vniuerſaliter tenet ſic retrahentem non obligari ad reſtituendum aliquid perſonæ retractæ à religione de iuſtitia, ſed ſolum ex charitate, & vi præcepti correctionis fraternæ, neque teneri ad reſtituendum aliquid religioni, vel Monaſterio: ſiue perſona quę retrahitur ſit profeſſa, ſiue non: ſiue qui retrahit retrahat dolo, fraudeve; licèt quò ad hoc ſit timidus, vt patet ex eius concluſ. 3. & 5. loco citato; & hoc tenet de iuſtitia. Inquit tamen tunc teneri ad tollendum dolum, & fraudem &c. vt ſit in ſua libertate eligere, quod vult, non autem teneri ad aliquid aliud: de conſilio maximè laudabile, & peregregium opus facit, inquit, qui perſonam aliquam, & maximè vtilem religioni, vt profeſſorẽ alicuius Cathedræ eximiæ retraxit, ſi enitatur illum reducere ad religionem, & ſi hoc non obtinendo inducat alium non minoris frugis, vel ipſe eam ingrediatur. Et hoc modo ait feciſſe Raymundum Generalem egregiũ religionis Dominicanæ, qui eã ingreſſus fuit, eo quia nouitium quendam ſuo cõſilio ab ea dimouerat, nec potuit reuocare. Vnde ipſe loco illius, ne religio damnum illud pateretur, ingreſſus fuit.

Tres opiniones.

1. Opinio, quæ eſt Soto.

44 Fundamenta Soto ſunt ea ferè, quæ ſuperiori capite pro ſua opinione adducta ſunt. Et primò, quod nihil teneatur reſtituere perſonæ retractæ, vel abalienatæ à religione, etiam ſi odio, & mala intentione retractus fuerit, dummodo dolus, fraus, metus, & vis abfuerit, probat: quia qui ſine fraude &c. retrahitur à religione, voluntariè recedit: quia ei nulla fit vis, & deceptio; Vbi autem eſt voluntarium, nulla eſt iniuria, & conſequenter nulla eſt iniuſtitia: & ſic qui inducit, non obligatur ad reſtitutionem dãni paſſi, vt inferebat ſuperiori cap. Quod hic multo magis valet. Quia ſi qui inducit ad peccatum, quod ex præcepto Dei vnuſquiſque tenetur vitare, non obligatur ad reſtitutionem, multo minus qui retrahit aliquem à religione, quam nullus tenetur ex præcepto intrare, ſed eſt ſolum conſilium, tenetur ad reſtitutionem boni, quod amittit per non ingreſſum religionis.

1. Ratio.

45 Quod verò non teneatur ad reſtituendum religioni. Probat, quia ſi qui retrahitur à religione non eſt ingreſſus,

2. Ratio.

gressus, vel est nouitius, nondum professus, religio nullũ ius habet in illo, sed est liber, & potest recedere quando voluerit: ideò qui retrahit eum absque vi, & fraude non tenetur ad restitutionem, quia nullum ius ipsius religionis violat. Quod confirmat: quia posset adhortari ingredi aliam religionem, & tunc non teneretur restituere aliquid priori religioni, à qua eum retraxit. Si etiam sit professus nulla fit iniuria religioni: quia professus non est seruus religionis, seu Prælatorum ordinis: quia seruus per seruitutem est subditus domino suo ob temporale commodum; at Monachus per professionem fit Monachus propter vtilitatem spiritualem propriã. Vnde arg. à simili de furante seruum domino, non valet ad hoc propositum: quia Monachus obligatur religioni solum propter votum contractum; vnde si egrediatur, peccat solũ contra votum obedientiæ, & non contra iustitiam: ergo qui induxit illum ad exeundum à religione non peccat contra iustitiam, sed contra votum.

3. Ratio.

46 Præterea si teneretur ad restitutionem religioni, secundùm auctores contrariæ opinionis, vt videbimus, teneretur ad inducendum aliquem alium æquiualentẽ ei, quem retraxit, vel teneretur ipse ingredi; At hoc est absurdum: ergo. Minor probatur: quia ingredi religionẽ est consilium Euangelicum, & res perdifficilis, ad quam nemo potest cogi: ergo nullus per quodcunque delictum commissum potest obtrudi in religionem: licèt ergo aliquis vi, metu, fraude, aut aliquo iniusto modo extraxerit aliquem professum a religione non potest obligari ad ingrediendum religionem, vel ad inducendum alium. Vnde leges Canonicæ, licèt damnent adulteros, hæresiachos, & huiusmodi facinorosos intra septa Monasteriorum, non tamen cogunt eos ad ingressum religionis.

4. Ratio.

47 Præterea cuicunque ingredienti religionem iustè statutus est annus probationis, vt experiatur, an sibi sit salutare ingredi religionem, vel non, & si non iudicet sibi saluiare non ingrediatur. At si qui alium extraxit, cogeretur ingredi religionem, annus probationis nihil ei prodesset: quia siue cognosceret sibi expedire, siue non expedire, teneretur ingredi religionem.

5. Ratio.

48 Præterea. Restitutio in foro conscientiæ non obligat nisi illis casibus, quibus si veritas publicè constaret, obligatio secundum leges oriretur in foro exteriori. At dato quod in foro exteriori constaret aliquem retraxisse alium à religione, nullus Iudex, nec Papa, neque Prælatus reum talis criminis compelleret eo modo, scilicet per ingressum religionis, restituere: ergo retrahens aliquem à religione non tenetur de iustitia ad restitutionẽ, sed solùm de consilio, & ex charitate, vt dictum est.

2. Opinio.

49 Secunda opinio est Azorij 3. par. lib. 5. cap. 2. & Molinæ tractatu 4. disp. 51. qui in omnibus consentiunt cum Soto, & præcedenti opinione, excepto casu quo quis retrahat religiosum professum. Nam in hoc casu concedunt cum Soto, retrahentem non teneri ad restituendũ aliquid personæ retractæ, & abalienatæ à religione; asserunt tamen teneri ex iustitia, siue dolo &c. retraxerit, siue non, ad restituendum damnum religioni, quod passa est per recessum illius, & maximè si ille valde vtilis, & maximè frugis religioni erat, & in hoc dissentiunt à Soto; licèt Soto 5. conclusione loco citato non multum ab hac opinione recedat, sed timidè, vt diximus. Rationes pro hac parte sunt eædem, quas adducemus pro opinione Scoti, cum quo in hac parte conueniunt.

Discrimẽ Molinę, & Azorij à Soto.

Rationes pro hac opinione.

Refelluntur allatæ opiniones.

50 Istæ duæ sunt opiniones quantũ ad id, quod aiunt extrahentem aliquem à religione non teneri ad damnũ spirituale personæ retractæ, & abalienatæ à religione, non oportet alias rationes adducere: quia rationes factæ præcedenti cap. pro opinione Scoti, & contra hos auctores habent vim etiam hic. Amouere enim aliquem à virtutibus, & à statu perfectiori ad statum minus perfectũ, & ab exercitio virtutis, est damnum spirituale, licèt non ita graue sicut inducere immediatè ad peccatum: & proinde sic extrahens tenetur ad restituendum ei bonũ prædictum, suadendo, vt ad religionem reddeat, orando, & agendo, vt alij orent pro ipso, & alia efficiendo, quæ diximus superiori capite, facienda esse ad restituendum damnum spirituale. Fundamentum etiam Soto, & aliorum ibi retectum est.

51 Quantum verò ad id, quod ait Soto, non teneri ad restitutionem damni illati religioni per extractionem professi, vel nouitij, aut dispositi ad ingressum religionis, reijcitur ex hoc. Quia quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio: ergo Monasterium habet ius in bona temporalia Monachi: ergo qui retrahit Monachum à Monasterio contra iustitiam, aufert bona illa Monasterio, quæ Monasterium esset lucraturum ex Monacho illo. Quod cum sit verum de bonis temporalibus, multo magis valet de bonis spiritualibus, & altioris gradus, vt est vtilitas doctrinæ, si est vir doctus, & doceat fratres, & Monachos ordinis; si sit eximię sanctitatis, quia edificet alios Monachos, & reddat Monasterium honorabile apud seculares, & similia: ergo qui abalienauit aliquem à religione tenetur ad hæc damna resarcienda ordini. Et mirum est, quod recentiores enixè tueantur aduersus Soto, damnificantem religionem per abalienationem Monachi teneri ad restitutionem, quò ad bona temporalia, non autem teneri, quò ad bona spiritualia: & tamẽ bona spiritualia multo magis excedunt bona temporalia; Vnde maius damnum patiatur religio, & monasterium propter iacturam bonorum spiritualium, quàm tẽporalium, testè D. Augustino primo retractationum cap. 9. vt capite superiori vidimus. Cum enim ad iustitiam commutatiuam pertineat tribuere vnicuique, quod suũ est, & emendare comercia, ita quod qui plus habet restituat minus habenti, & faciat æqualitatem, & bona spiritualia sint longè eminentiora quã tẽporalia, vt Theologi optimè nouerunt, certè ratio conuincit damnificantẽ in his peccare contra iustitiam, non minus quàm damnificantem in bonis temporalibus. Quod si nouisset Aristoteles, non est dubium fuisse dicturum eorum emendationem pertinere ad iustitiam commutatiuam, sicut ad eam dixit pertinere emendare damnificationem in bonis corporis, & famæ, quæ tamen sunt diuersa bona à bonis fortunæ, in quibus versatur propriè, & maximè iustitia commutatiua.

Opinio Soto, quod extrahens nõ teneatur ad restitutionem religioni, reijcitur.

52 Quod si quis dicat, rationem hanc valere de professo in religione, quia illa iam acquisiuit ius in Monachum, non autem de nouitio, & non professo. Contra, ex hoc habetur retrahẽtem Monachum iam professum teneri ad dãnum totum: quia religio iam acquisiuit ius perfectum. Ex eodem fundamẽto deducitur deinde retrahentem nouitium, vel non ingressum, sed tamen dispositum ad ingressum, non quidem teneri ad totum dãnum, sed tamen ad partem, ad iudicium boni, & prudentis viri. Quia religio, in hoc casu, non acquisiuit perfectũ ius, vt dicebamus suprà de impediente aliquem à consequendo beneficio: differunt enim habere, & propè esse. Cum ergo quis est professus, religio habet ius perfectum; cum verò est nouitius, vel habet propositum, religio habet aliquod ius, sed non perfectum: ideo retrahens etiam sine dolo, vi, &c. tenetur ad restitutionẽ, secundùm partem tantùm, vt dictum est. Si tamen retraxit nouitium, vel habente propositum non fraude, dolove &c. neque animo nocendi religioni, sed vt suæ vtilitati consuleret, non tenetur religioni aliquid restituere, sed solum personis ipsis. Non religioni, quia vnicuique licet prouidere sibi alio neglecto via honesta. Quod aũt teneatur personis, probatur, quia nemini licet seipsum ditare, & conditionem suam meliorare cum damnificatione alterius, & maximè retrahendo à bono ad malum, vel ad minus bonum.

Argumentum factũ cõcludit et de nouitio, & nõdũ ingresso, quo ad partialẽ restõnem.

53 Tertia ergo opinio est asserentium retrahentem alium à religione etiam sine fraude, dolovè &c. teneri ad restitutionem damni illati, tàm religioni, quàm personis ipsis. Quàm opinionem sic in communi tenet Scotus in

3. Opinio asserẽs teneri ad restitutionem, quæ est Scoti.

tus in

tus in hac 5. q. in responsione ad secũdum argumentum principale, & eum sequuti sunt Maior, & Gabriel vterque dist. 15. q. 17. Paludanus eadem dist. q. 2. ar. 2. Adrianus q. de restitutione bonorum animæ. D. Antoninus par. 2. tit. 2. cap. 2. §. 1. Syluester verbo *Restitutio*, 3. q. 1. citatur Richardus in hanc sententiam in 4. dist. 15. art. 5. q. 4. sed Richardus de hoc particulari casu retrahendi aliquem à religione nihil dicit; tamen ipse, & alij, qui cũ Scoto sentiunt, damnificantem aliquem in bonis animæ teneri ad restitutionem, possunt pro hac opinione citari: quia hæc ex eisdem principijs dissoluitur. Scotus autem

Prima distinctio. eam sic explicat. Primò, ille, qui retrahitur à religione, duobus modis se habere potest. Nam vel est iam obligatus religioni, vt professus; vel nondum est obligatus religioni, sed est iam dispositus ad intrandam religionem, vt nouitius, qui nondum professionem emisit; vel est dispositus ad ingrediendum, sed tamen nondum habitum

2. Distin. suscepit. Secundò, distinguit: quia vel est sermo de restitutione facienda religioni, vel de restitutione facien-

3. Distin. da ei, qui abductus est à religione. Tertiò, retrahens aliquem à religione, vel retrahit sine dolo, & fraude, neque animo nocendi religioni, sed solum intentione consulendi propriè vtilitati. Vel retrahit fraude, dolo, & animo nocendi religioni.

1. Assertio Scoti. 54 His suppositis Scotus ponit sex assertiones. Prima qui retrahit aliquem professum, & obligatum iam religioni dolo, fraude, & animo nocendi religioni illi, tenetur ad restitutionem illi religioni totius damni illati illi.

2. Concl. Secunda, retrahens prædicto modo professum à religione non solùm tenetur ad restitutionem religioni, sed etiã

3. Assertio. ipsi professo totius damni illati. Tertia assertio. Qui retrahit non professum à religione, sed dispositum ad intrandam religionem, vt nouitium, vel dispositum ad suscipiendum habitũ dolo, fraude &c. tenetur ad restitutionem religioni; non tamen secundùm totum damnum quod passa esset per retractionem huiusmodi viri, sed partis damni prout magis, vel minus erat proximus ad professionem, & obligationem, ad iudicium boni, & prudentis viri. Quarta conclusio. Qui retrahit aliquem

4. Concl. tàm professum, quàm non professum à religione non odio, nec vi, sũ dolo, sed tantùm vt suæ vtilitati consulat, iste nihil tenetur restituere religioni. Quinta conclusio.

5. Concl. Qui retrahit professum, vel nouitium, vel quemcunque alium à religione non dolo, nec fraude, sed vt suæ vtilitati consulat, tenetur ad restitutionem istis personis de toto

6. Concl. damno spirituali illato eis. Sexta conclusio. Retrahens aliquem à religione siuè professum, siuè non, vi, fraude, dolo &c. tenetur ad restitutionem religioni, & personis particularibus.

1. Conclusio probat. Prima assertio habet duas partes. Prima est, quod qui retrahit aliquem à religione tenetur ad restitutionem religioni damni illati. Secunda tenetur ad restituendum totum damnum illatum. Prima pars probatur per rationes factas nunc suprà contra opinionem Soto. Secunda pars verò probatur: quia religio habet tam perfectum ius in Monachum illum, & proinde tenetur ad restituendum totũ damnum illatum, sicut diximus suprà de impediente eum à consequutione beneficij, qui habet iam perfectum ius acquisitum in beneficio.

2. Assertio probatur. 55 Secunda assertio probatur rationibus factis nunc suprà contra opinionem Soto, & recentiorum, & per rationes factas cap. præcedenti pro opinione Scoti.

3. Assertio probatur. 56 Tertia assertio quò ad primam partem, quod teneatur ad restitutionem religioni probatur ex rationibus ijsdem, quibus probatur prima assertio. Secunda pars, quod non teneatur ad totum damnum, sed ad partem tantùm, probatur: quia aliud est habere, aliud propè esse. Qui est nouitius, vel dispositus ad ingressum religionis nondum est professus, neque religio habet perfectum ius super illum, sed solum aliquod ius imperfectũ ratione ingressus in nouitio, & ratione dispositionis in volente ingredi; & secundùm huiusmodi dispositionem maiorem, vel minorem tenetur ad maiorem, vel minorem partem damni illati restituere.

4. Conclusio probat. 57 Quarta conclusio probatur ex eo principio superius in solutione vltimi argumenti principalis Scoti 2. q. addicto, & probato: quia licèt vnicuique sibi prouidere alio neglecto sine intentione nocendi alij; sed via honesta, & iusta, vt diximus de impediente indirectè aliquẽ à beneficio in quo haberet aliquod ius, intẽdens solum suam vtilitatem, non autem nocumentum alicuius: ideo si quis retrahat aliquem siuè professum, siuè non à religione intentione cõsulendi propriè vtilitati sine fraude, & dolo, non tenetur ad restituendum aliquid religioni.

5. Conclusio probat. 58 Quinta conclusio probatur, quia non licet alicui procurare sibi vtile, & commodum cum damno proximi; in hoc casu autem retrahens aliquem à religione, propter suam vtilitatem, ipsum spiritualiter damnificat: quia est causa, vt amittat opera bona, quæ in religione fecisset: ideo tenetur ad resarciendũ damnum illud spirituale, quod patitur propter abalienationẽ à religione.

Obiectio. 59 Verùm quis obijciet. Hæc quinta conclusio videtur contraria quartæ conclusioni. Nam si non licet procurare vtile sibi cum alterius damno: ergo non licet procurare extractionem alicuius professi à religione neglecto damno religionis; sed debet illud resarcire, sicut debet resarcire damnum illatum personæ particulari Monachi, vel illius qui ingredi decreuerat religionem: quia eadem videtur esse ratio de vtroque. Respondetur quod

Solutio. non est par ratio. Nam aliud est bonum temporale, & aliud est bonum spirituale. Et aliud est indirectè impedire aliquem à consecutione alicuius boni procurando illud sibi honesto modo absque intentione nocendi Monasterio, & aliud damnificare alium in bono, quod iam actu habet propter suam vtilitatem. In quarta conclusione est sermo de bono temporali non spirituali ordinato proximè ad vitam æternam: nam emolumentum diuitiarum, quod ex cathedra, vel lectionibus Monasterium accipere posset, instructio religiosorum, existimatio, & honor, quem persona insignis afferret illi religioni, sunt bona tpalia, vel spũalia, sed ordinata proximè ad hunc statum, non autem ad vitam æternam. At bona quæ Monachus extractus à religione ammittit, sunt actus morales meritorij obseruationes religionis, quæ proximè ordinantur ad vitam æternam. Præterea Monasterium illa bona prædicta actu non habet, sed sperat, & est habiturus. Vnde extrahens indirectè impedit Monasterium à consequutione illorum bonorum. At Monachus professus est iã in statu perfectiori, quo actu habet actus bonos, & meritorios; Et nouitius, & qui decreuit iam ingredi religionem, est in statu quo eosdem actus bonos de proximo est habiturus; retrahens autem eum directè priuat eum illis bonis. Nam eum deijcit ab eo statu meliori ad deteriorem, & priuat eum bonis operibus religionis, quæ vel iam actu exercet, vel de proximo est habiturus, & iam voto habet. Et hinc oritur, quod extrahens aliquem à religione tenetur ad restitutionem damni illati personis, non autem damni illati Monasterio, & religioni.

6. Conclusio probat. 60 Sexta conclusio quò ad primam partem, scilicet quod teneatur ad restitutionem Monasterio damni illati, si vi, fraude, &c. retraxerit, est cõmunis omnium. Et ratio est: quia vi, dolo &c. impedire aliquem à consequẽdo aliquod bonum, etiam in quod habet ius perfectum, vel imperfectum, vel etiam nullum est contra iustitiam, & proinde ad restitutionẽ tenetur. Secunda pars, quod teneatur personis particularibus de damno illato, multo magis sequitur ex dictis suprà: si enim qui solis precibus, dono &c. sine fraude damnificat aliquem in bonis spiritualibus, multo magis tenetur, qui fraude, & dolo id præstat.

Opinio falsa attributa Scoto. 61 Quod autem aliqui tribuunt Scoto, quod afferat, qui retrahit aliquem à religione odio, & malo animo teneri ad restitutionem, propter malum animum, & odiũ,

non

non rectè percipiunt Scotum. Non enim dicit quod teneatur ad restitutionem propter odium, vel animum malum præcisè: quia odium, & malus animus solus absque aliquo actu exteriori nulli nocet: ideo ex ea parte nullus tenetur ad restitutionem, sed Scotus intelligit de odio, & malo animo iuncto cum actu exteriori retractionis à religione, vt patet ex dictis.

Ad primã.

62 Ad primam rationem Soto respondetur vt superiori cap. quod illud fundamentum Soto, & aliorum est falsum, quod ei, qui inducitur ad peccatum, non fiat iniuria, eo quia voluntariè consentit: quod enim voluntariè consentiat, non aufert, quin illi fiat iniuria: quia est voluntariũ mixtum inuoluntario, vt mutuatarius soluens vsurã.

Ad secũdã.

63 Ad secundam respondetur, Si Monachus est professus, religionem habere perfectum ius in eum ratione legum Ecclesiasticarum, quæ volunt, quod quidquid acquirit Monachus acquirat Monasterio, vt dictum est supra impugnando hanc opinionem Soto. Si verò est nouitius, vel decreuit ingredi, religio habet ius imperfectum propter eandem rationem; & ideo retrahens non tenetur ad totum damnum, sed ad partem tãtum. Quod verò dicit Soto, quod si induceretur ad ingredi aliam religionem priori nihil debere. Concedo. Sed hoc non euenit, quia retrahens non teneatur ad restitutionem, sed quia licèt impediat vnam religionem ab illo bono, tamen tribuit alteri, & quia omnes religiones particulares sunt partes religionis Christianæ: in communi, non censetur huiusmodi retrahens damnificare religionem. Sicut seruus, qui pecuniam sui domini ex vna negotiatione anferret, vt poneret in alia negotiatione, nullum damnum inferret suo domino: quia etsi damnificaret vnam negotiationem, non tamen damnificaret dominum; & sic illa damnificatio pro non damnificatione habetetur.

Quid si ex trahens inducat in aliam religionem.

Ad tertiã, & quartã.

64 Ad tertiam respõdetur, Nos cum Scoto, & alijs asserere teneri ad restitutionem eo modo honesto, quo potest: ideo si possit alium inducere, qui voluntariè ingrediatur, vel si non inueniat ipse cognoscat vtile esse sibi, & posse ingredi ipsam religionem, ac ea onera religionis sufferre, debere ingredi; sin minus aliquo alio modo laborare debet, vt religionis damnum resarciat. Et per hoc idem patet ad quartam.

Ad quintã.

65 Ad quintam respondetur, Quod in foro exteriori iudicaretur etiam obligari ad restitutionem huiusmodi retrahens aliquem à religione. Non cogereor autem leges eum ingredi religionem: quia non cogitur facere restitononem per ingressum sui, si non possit, vel ei non sit vtile, vt si sit infirmus, vel procliuus ad luxuriam, propter quod magis expediat ei contrahere matrimonium, & similia; sed tenetur facere restitutionem meliori modo, quo sit ei possibile, vt dictum est.

DISPVTATIO LII.

Vtrum damnificans alium in bonis corporis teneatur ad restitutionem.

Quid prohibeatur per quintum præceptum Decalogi. Non occides. *Cap. I.*

Quid prohibeatur 5. præcepto Decalogi.

1 IN confesso est apud omnes quinto præcepto Decalogi prohiberi nedum homicidium, sed quodcunque damnum illatum personę hominis, etiã vltra mortem, tàm irremediabile, vt est mutilatio. Siue sit enormis, vt quæ ex toto impediat actum humanum, sicut amputatio manus, brachij, & similia; siue non enormis, idest non impediens actum humanum, vt amputatio digiti, vel partis eius, quàm remediabile, vt vulneratio, vel alia læsio curabilis, vt verberatio, percussio alapa, fuste, baculo, & huiusmodi. Iniuriæ autem, quę fiunt personæ hominis non factis, sed verbis non pertinent ad quintum præceptum, sed ad octauum; eo enim propriè prohibentur contumeliæ in homines.

Quid prohibeatur 8. præcepto Decalogi.

2 Hoc supponit Scotus in hac dist. 15. q. 3. ar. 2. & passim alij Theologi explicitè, vel implicitè tradunt. Vlterius autem hoc præcepto prohibentur actus omnes illiciti, qui ad homicidium, & ad prædicta nocumenta personalia ordinantur, vt sunt odium proximi, inuidia, vindicta, bellum, rixa, pugna, dissidia, illicita conspiratio in patriam, crudelitas in proximum, & similia: hæc enim ordinantur ad homicidium, vel nocumentum aliquod personale prædictorum. Qui ergo aliquod ex prædictis committit in proximum, peccat contra hoc præceptum quintum: principaliter autem peccat qui committit homicidium, & proportionaliter dicendum est de alijs dãnis: ideo principaliter agendum est de homicidio: quia ex doctrina de illo patet, quando quis peccat committẽdo alia delicta; deinde agemus de obligatione restitutionis vniuscuiusque; nunc ad primum accedamus.

3 Per homicidium intelligitur homicidium quodcũque tàm proximi, quàm suiipsius. Lex enim ista, *non occides*, est vniuersalis, & nemo excipitur, nisi quẽ Deus excipit in lege sua, vel ex speciali reuelatione. Vnde 23. q. 5. cap. *Si non licet*, ex D. Augustino lib. primo de ciuitate Dei. cap. 21. dicitur. *His igitur exceptis quos vel lex iusta generaliter, vel ipse iustitiæ fons Deus specialiter occidi iubet quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet alium occiderit, homicidij crimine innectitur*, & D. Augustinus eodem lib. cap. 20. *restat ergo vt de hominibus intelligamus, quod dictum est. Non occides, non alterum, ergo nec te. Neque enim qui se occidit aliud quã hominem occidit.*

Prohibetur homicidiũ tam proximi, quàm suiipsius.

4 De homicidio variæ afferuntur diuisiones; sed ista est principalis, quæ maximè pertinet ad propositum. Homicidium est duplex. Aliud est voluntarium. Aliud casuale. Casuale est, quod præter intẽtum occidit, vt si quis faciat aliquod opus, quod nullo modo de se est aptum natum inferre mortem, & tamen inde præter omnium spem, sequatur, dicitur homicidium casuale. Exempli gratia. Quis ludit pilla palmaria, & alius, vt vitet ictum pilæ acriter parietem offendit, ex qua offensione frangit sibi caput, & sequitur mors. Vel si quis ex fenestra iacit lapidem prius inspecto diligenter an aliquem offendat, & tamen proijciendo percutit aliquem qui occultus manebat: & similia. De homicidio voluntario est paulò difficilior quæstio. Nam primò quidem certissimum est, tunc esse homicidium volontarium, quando aliquis directè, & formaliter facit opus ordinatum per se ad homicidium, vt qui vulnerat aliquem animo occidendi, vel ex intentione facit aliquod aliud simile opus, ad quod per se sequitur mors.

Diuisiones homicidij.

Homicidiũ aliud casuale, & aliud voluntarium.

Quod dicatur casuale.

Voluntariũ homicidium quod nam sit.

5 Sed difficultas est, quando aliquis facit aliquod opus, quod ex sua natura ordinatur ad mortem, non certò, nec semper, sed aliquando, iñ non intendit inducere mortem, & sequitur mors, an illud dicatur homicidium voluntarium. e. g. aliquis proijcit lapidem ex fenestra in viam publicam, per quam consueuerunt homines continuò transire, & ille nullum monet, vt caueat, sed temerè ex impetu cognoscens huiusmodi periculum proijcit lapidem, & sequitur mors alicuius, an hoc sit homicidiũ voluntarium. Nauarrus in Man. cap. 27. num. 240. videtur asserere huiusmodi homicidium non esse voluntariũ saltem eo modo quo homicidium voluntarium accipitur in iure, quando conceditur in aliqua bulla, & concessione facultas dispensandi super irregularitatem, sed excipitur irregularitas ex homicidio volũtario, vt in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. de reformatione, vbi decernitur super irregularitatem ex homicidio voluntario non posse, seù non expedire dispensari. Ratio Nauarri est, quia Concilium explicans quodnam sit homicidium voluntarium ibi, habet hæc verba. *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum, & per insidias, ab Altari auelli debeat, qui sua volũtate homicidium perpetrauerit.* Ex his autem verbis videtur elici ad hoc, quod homicidium sit voluntarium requiri quod fiat ex industria, & ex insidijs, & voluntate directè illud intendente, vel saltem

An faciens aliquid ad quod non semper sequitur mors, & occidẽs aliquẽ sit homicida voluntarius.

Opi. Nau.

Ratio eius.

Voluntas æquipolens volũtati directè occidendi aliquem.

tem ex voluntate æquipolenti voluntati directè. Quam voluntatẽ æquipolentem explicat esse eã, qua quis, etsi directè non intendat homicidium, tamen facit opus adeo annexum, & propinquum morti, vt moraliter vix sit possibile velle illam causam, & opus, & non velle mortem. Dat exemplum, vt nolle occidere, & tamen propinare venenum, quod scit esse mortiferum; vel ferire ense punctim circa præcordia. Moraliter enim est impossibile sic propinare venenum, vel ferire, & non sequi mortem. Ex hac ergo doctrina Nauarri sequitur quod occidere aliquem ex proiectione lapidis ex fenestra in viam publicã absque inspectione an aliquis transeat, non esse homicidium voluntarium, sed casuale: quia non sequitur inseparabiliter, quod ad hanc proiectionem sequatur mors, neque etiam, vt plurimum, vt experientia patet. Hanc opinionem sequitur Azorius 3. p. lib. 2. in principio libri, notabili 3.

Azorius.

Opin. Couaruuiæ.

6 Couaruuias è contra in Clem. *Si furiosus*, de homicidio p. 2. in principio, & §. 1. num. 1. & 2. dicit omne illud homicidium esse voluntarium, quod nedum directè, sed etiam indirectè intenditur, vt si Sempronius percusserit prauo animo Caium, volens ei iniuriam irrogare, eiusque faciem cicatrice signare, non autem occidere, & tamen homicidium sequatur, vult quod sit homicidiũ voluntarium. Item si quis mandet vulnerari proximũ, non tamen occidere, & mandatarius occidat, tenet esse homicidium voluntarium. Ratio est, quia eius voluntas fertur in opus, ad quod immediatè sequitur mors: ideo cum quis facit opus, ad quod immediatè sequitur mors, siuè illam intendat, siue non, censetur homicidium voluntarium: quia non debet excusari, quod non intendebat inferre mortem: quia debebat hoc cogitare.

Fundamentum eius.

Opi. Mol.

7 Molina tract. 3. disp. 3. consentit cum Couaruuia. Limitat tamen, quando aliquis facit opus, ad quod est periculum, quod mors sequatur admodum probabiliter; si verò non adsit admodum probabile periculum, sed aliquale, vt contingit in casu à nobis proposito de proijciente lapides ex fenestra in via temerè, inquit non esse volũtarium; licèt esset peccatum cõtra quintum præceptum, & aliquando lethale ob quantitatem periculi. Ratio est; quoniam nullus prudens reputabit homicidium illud ac si formaliter sit intentum.

Fundamentum eius.

Resolutio.
1. Ratio.

8 In hac re dicendum est homicidium in casu proposito non esse voluntarium, sed casuale. Ratio est, quia illud est verè voluntarium, quod est actus elicitus, vel imperatus à voluntate immediatè, & per se, non autem illud, quod est volitum per accidens: quia denominatio fit à nobiliori, & ab eo quod est per se, non ab eo quod est per accidens. Vnde etsi volitio per accidens sit quodãmodo voluntaria, non tamen est propriè voluntaria.

2. Ratio.

Et confirmatur: quia sequeretur, quod homicidium per accidens causatum ex aliquo opere licito, vt dicebamus de eo qui ludens pila illam proijcit in alium, qui, vt ictũ eius vitaret, offendit capite in parietẽ, & sequitur mors, esset homicidium voluntarium: quod tamen est falsum. Consequentia probatur: quia fecit opus ad quod sequuta est mors immediatè; licèt per accidens.

Obiectio.

9 Quod si dicas lata est differentia inter eum, qui ludendo pila est causa, vt alius quærens vitare ictum pilæ, offendet parietem, & occiditur, & inter eum, qui intendit vulnerare, vel percutere aliquem, sed non occidere: quia hic habet actum ordinatum ad mortem, ille nequaquam.

Reiectio.

Cõtrà, magis, & minus non variant speciem: ideo cum causa accidentaliter causat effectum, siue sit proximior, siue remotior, semper est in genere causæ per accidens; & proinde sua natura est casualis, & præter intentum.

3. Ratio.

Tandem quæ non eueniunt, vt in pluribus, sed rarò sunt per accidens ex Philosopho 2. Phisicorum. At quod aliquis proijciens lapides ex fenestra in viam publicam ordinariam, qua soleant homines communiter transire; vel vulnerando communiter faciem, manua, pedes, & infigendo alia vulnera, vel percussiones, quæ à Phisicis appellantur vulnera non mortalia, non sunt de numero eorum, quæ semper, vel vt plurium eueniant: ergo dicendum est esse homicidium casuale, non voluntarium.

10 Concludendum est ergo illud solum esse homicidium voluntarium, quod est per se immediatè intentũ, & volitum: quia hoc est propriè voluntarium. Obseruandum est tamen. Aliquod homicidium casuale reputari voluntarium, & vt voluntarium imputari: quia qui illud committit, committit ex culpa aliqua, quæ non est digna excusatione. Hæc autẽ causa est duplex secũdùm D. Th. 2. 2. q. 64. ar. 8. & Scotum in 4. dist. 21. versiculo *sequuntur etiam duo*, vbi loquitur de irregularitate ex homicidio contracta. Prima est dare operam rei illicite. Secũda non adhibere debitam diligentiam. Qui ergo dat operam rei illicitè, quam vitare debebat, committit homicidium, licèt præter intentionem illud committat; imputatur enim illi, ac si esset voluntarium; & ideo si vulnerans aliquem illum occidat, imputatur illi homicidium illud, ac si esset volitum directè. Similiter qui non adhibet diligentiam debitam circa aliquam actionem, quæ possit inducere homicidium, & sequatur homicidium imputatur illi vt homicidium voluntarium. Et hoc modo si quis projiciens ex fenestra, vel tecto lapides in viã publicam, & non adhibeat diligentiam debitam monẽdo, vel apponendo aliquod signum, vt homines cauere possint, & sequatur homicidium, imputatur illi, vt homicidium voluntarium, licet non puniatur pœna ordinaria homicidij voluntarij à iuribus, vt obseruatur à Couaruuia vbi supra. Vnde si ex aduerso quis det operam rei licitæ, & adhibeat diligentiam debitam, licèt sequatur homicidium non imputatur occidenti homicidium voluntarium. Exemplum. Si Medicus vulnerans aliquẽ, vt eum curet ab aliquo morbo, eum occidat, non imputatur illi homicidium voluntarium: quia dat operam rei licitæ, & adhibet diligentiam debitam.

Aliquod homicidiũ casuale eur voluntariũ dicatur.

1. Causa est dare operam rei illicitæ.
2. Non adhibere debitam diligentiam.

11 Ex hoc patet opinionem Couaruuiæ, & Molinæ non esse approbandam; illud enim homicidium etsi imputatur vt voluntarium, non tamen est voluntarium propriè, sed propriè casuale: quia non est directè intentũ, sed per accidens. Opinio autem Nauarri est vera quò ad primam partem, quæ innititur Concilio, & expressè cõfirmat opinionem nostram quæ est D. Thomæ, & Scoti, & communior. Quantum verò ad alteram partem scilicet de voluntate æquipolenti non est approbanda propter eandem rationem: quia tale homicidium est homicidium casuale. Puto autem casum hunc Nauarri esse impossibilem, nimirum, quod quis velit alicui causam, ad quam sequitur mors infallibiliter, vel saltem ita proximè, vt vix sit possibile vnum sine alio haberi. Nam qui punctim ferit aliquem circa præcordia, sciens huiusmodi vulnus inducere sæpissimè mortem est impossibile nolle mortem illius: quia hæc sunt repugnantia: quæ autẽ sunt repugnantia, & contradictoria, sicut non possunt esse in rerum natura, sic non sunt volibilia. Si tamen daretur, dicendum esset esse homicidium casuale, imputabile tamen, vt voluntarium.

Opi. Mol. & Couaruuiæ reijcitur.
Opin. Nauarri probatur quo ad primã partem, non quo ad secundam.
Casus possitus à Nau. est impossibilis.

12 Ex his sequitur, quod quando Papa, & Concilia concedunt facultatem dispensandi super irregularitates quascunque, excepta irregularitate contracta ex homicidio voluntario; per homicidium voluntarium non intelligitur homicidium casuale, seu volitum per accidẽs, & imputatum, vt voluntarium: sed homicidium simpliciter, & directè voluntarium, vt rectè asserit Nauarrus in prima parte suæ assertionis, & euidentissimè ex Concilio Tridentino ibi adducto elicitur.

Facultas dispẽsandi super irregularitate ex homicidio de quo intelligitur.

13 Circa intelligentiam huius præcepti, *Non occides*, sunt varia dubia. Primum est, an liceat occidere iniustum aggressorem, seù inuasorem. Ad hoc respondetur absque dubio licere nedum in foro exteriori, seù in foro fori, vt voluit Acursius, ff. *De iustitia, & iure*, l. *Vt vim*. Sed etiam in foro Poli, seù in foro conscientiæ, vt docent

An liceat occidere inuasorem.
Solutio.

docent communiter Doctores. D. Thom. 2. 2. q. 64. ar. 7. Scotus in 4. d. 15. q. 3. ar. 2. & d. 25. q. 1. versic. *Sequantur etiam duo.* Quatenus dicit eum, qui occidit alium pro defensione sui ipsius, committere homicidium inuoluntarium secundùm quid, & esse irregularem secundùm cap. *De his.* dist. 50. sed tamen esse facilis dispensationis, quod non esset verum, si esset peccatum mortale. Vbi tamen est obseruandum quondam occidentem inuasorē habitum fuisse irregularem, sed hæc irregularitas sublata fuit in cap. *Si furiosus.* Clem. de hom. vt habetur ex Glosa ibi. Scotus autem quia præcessit Clementem Quintum iudicauit esse irregularem iuxta opinionem, quæ tunc vigebat iuxta cap. *De his.* dist. 50. iudicabat autem hanc irregularitatem de numero illarum quæ per homicidium iustum contrahuntur. In eandem sententiam, quod liceat occidere inuasorem, consentiunt communiter cæteri Doctores. Ratio autem est, quia vt diximus supra disput. 43. cap. de iure naturæ, licet vim vi repellere: ideo si quis non potest vitam suam aliter conseruare, quàm occidendo eum, qui illum vult occidere, potest licitè ipsum inuasorem occidere: quia in tali casu non obligat hoc præceptum Decalogi *non occides*: quia ius naturæ præponderat iuri positiuo.

An occidēs inuasorem sit irregularis.

Fundamentū opinionis cōis.

14 Adhibendum est tamen moderamen tutelæ inculpatæ. Ad moderamen autem inculpatæ tutelæ recentiores requirunt multas conditiones, quæ tamen non sūt semper veræ, vt quod inuasor prius inuadat, quàm inuasus se defendat: hæc enim conditio potest esse falsa: quia contingere potest, quod si inuasus permittat inuasorem eum prius inuadere, occidatur, nec possit se tueri, vt si inuasor euaginato gladio rectà tendat in inuasum; vel globulum, aut sagittam paratam emittat. Item asserunt non debere inuasum maiori vi vti in se deffendendo, quàm inuasor vtatur, vt si inuadatur ab inermi non debet se defendere armis; si pugnis, non percutiat ense, & similia. At hæc conditio etiam est falsa: quia potest contingere, quod inuasor sit adeo fortis, & potens, vt simplici fuste sit occisurus alium etiam habentem gladium. Est ergo dicendum moderamen inculpatæ tutellæ in homicidio adhiberi quando quis occidit solum: quia reuera in conscientia, & sine dolo, & stande putat non posse euadere nisi occidat. Vnde in foro interiori standum est conscientia occidentis. Et proinde si commodè quis possit se tueri non occidendo, id facere debet. Propterea Scotus loco citato absolutè dicit illum excusari ab homicidio, qui non potuit euadere nisi occidendo. Et D. Thomas loco citato, quod si aliquis ad defendendum propriam vitam vtatur maiori violentia, quam oportet, erit illicitum homicidium; Si verò moderatè repellat, erit licita defensio. Quando autem quis vtatur maiori violentia, quam oportet, cognoscitur ex hoc, an possit euadere absque occisione inuasoris, sed si iudicet non posse euadere, vel saltem si non occidat se exponere maximo periculo, quod occidatur, tunc eius tutella est inculpata, & moderata, & proinde non sit reus homicidij.

Quid sit moderamē inculpatæ tutelę.

Azorius 3. p. lib. 2. c. 1. q. 1. Nau.

Quodnam verè sit moderamē inculpatę tutellæ.

15 Per inuasorem autem hic intelligitur omnis aggressor iniustus, qui contra iustitiam velit alium occidere, cuiusmodi sunt omnes priuati homines; nulli enim licet priuatim alium occidere quantumcunque nocentem propter hoc præceptum, quod est vniuersale. Intelligitur etiam iudex, qui iniustè aliquem occidi mandat, non seruato ordinis iure; vt si dānet aliquem, qui ex allegatis, & probatis non sit dignus morte, seruato autem ordine iuris, nequaquam, licèt occidi mandaret innocentē: quia in hoc casu permittitur iudici occidere hominem, siue nocentem, siue innocentem pro conseruatione boni publici. Ex quo sequitur, quod si iudex, Princeps, vel quicunque alius contra iuris ordinem velit aliquem occidere, ille dicatur inuasor; & inuasus cum prædicto moderamine tuteliæ possit se defendere. Sequitur etiam, quod quamuis aliquis inueniat aliquem aliquod illicitum facientem, vt si maritus inueniat adulterum cum propria vxore, & velit eum occidere, sit inuasor: quia non licet ei priuata auctoritate vindicare hoc crimen. Et eo casu licet adultero pro sui defensione occidere maritum eum inuadentem: quia adulter; & idem est iudicium de alijs similibus, pro illa re illicita non amittit ius naturæ, quod habet ad se defendendum.

Quis sit inuasor.

16 Per inuasum autem intelligitur quicunque petitur ad mortem à quouis alio præterquam à iudice, & Principe seruato iuris ordine; & proinde cuicunque personæ licet se sic deffendere ab inuasore eum occidendo, siue sit laicus, siue clericus, & religiosus. Ideo licet filio contra patrem: vxori contra maritum: seruo contra dominum: subdito contra superiorem: discipulo contra magistrum: vassallo contra Regem, aut Principem: militi contra Ducem: laico contra clericum: & denique cuicunque contra inuadentem cōtra iustitiam: quia hoc est præceptum naturale, quod præponderat omnibus alijs iuribus diuinis, scriptis, vel humanis. Insuper inuaso licet se tueri ab inuasore eum occidendo in quocunque loco, siue sacro, siue non sacro; & quocunque tempore, vt si diuina officia celebrentur, vt Missa, & sequatur interdictum Ecclesiæ; vel quid simile. Ratio est, quia ius se tuendi est naturale; cætera omnia sunt de iure positiuo, diuino, vel humano.

Quis dicatur inuasus

17 Ex dictis facilè possunt solui dubia exorientia. Et primò, an liceat inuaso occidere inuadētē innocentē. e. g. Miles in bello iniusta ex parte sua cernit militē contrarij exercitus iustè bellantis ipsum petere ad singulare certamen, vtrum liceat se defendere ab illo illum occidendo. Difficultas est: quia non licet occidere innocentem. Respondetur ex dictis suprà licere deffendere se occidendo innocentem: quia etsi in conscientia sciat illum militem esse innocentem, non tamen illi constat secundùm iuris ordinem, idest per allegata, & probata, sed potius hoc modo constat oppositum: quia vterque exercitus, & Princeps putat se iustè bellum gerere.

1. Dubiū, an liceat militi occidere innocentem eū aggredientē.

18 Secundò, dubitant aliqui, vt Caietanus 2. 2. q. 64. ar. 7. Soto lib. 5. de iustitia, & iure quæst. 1. ar. 8. & alij ex recentioribus, an dum quis deffendit se ab inuasore, possit licitè intēdere mortem inuasoris, an solum deffensionem sui. Et ratio dubij est: quia ex præcepto charitatis debemus magis diligere vitam spiritualem proximi, quàm nostram vitam corporalem; & tunc occidendo iniustum inuasorem sumus causa, vt in peccato mortali moriatur; & sic occidimus eum spiritualiter. Propter hoc ergo inquit Caietanus non potest inuasus absque peccato intendere occisionem inuasoris: quia est contra charitatem, sed debet intendere seruare vitam suam per se: quod si deinde sequatur occisio illius, est effectus per accidens, qui non est culpabilis. Soto vbi suprà. Nauarrus in Manuali cap. 15. num. 2. Molina tractatu 3. disp. 11. & 13. & alij ex recentioribus hanc doctrinam Caietani reijciunt, vt nimis scrupulosam, methaphisicalem, & turbantem moralem doctrinam, & probant esse licitum occidere inuasorem iniustum, quod est verum, sed non respondent ad rationem, propter quam Caietanus tradidit illam doctrinam, quæ est illa, quam suprà adduximus ex præcepto charitatis, neque ad D. Thomam, qui ex Diuo Augustino videtur incidisse in illam sententiā.

2. Dubium an liceat intendere mortē inuasoris, vel solum suam defensionē Opinio Caietani.

Opi. Soto, Molinæ, & aliorum.

19 Est ergo dicendum licere intendere mortem aggressoris contra Caietanum; quoniam, vt ait Scotus in 4. dist. 25. vbi suprà; actus quo inuasus vult occisionem inuasoris, est voluntarius simpliciter, inuoluntarius verò secundùm quid; sicut qui proijcit merces in mari ob tempestatem, actus proiectionis est voluntarius simpliciter, sed inuoluntarius secundùm quid; nam si aliter posset euadere non occideret. Ideo absurdum est dicere inuasum teneri ad intendendum solum se defendere. Ad rationem autem Caietani ductam ex charitate Responsum est, quod inuasus non intendit directè mortem spiritualem inuasoris, sed solum mortem corporalem: quia ex hoc, quod eum occidit, non inducit ad aliquod peccatum,

Opi. auctoris ex Scoto

tum,

tum, neque ex eo, quod ab illo occidatur, necessario sequitur, quod moriatur in illo peccato odij, & homicidij mentalis: quia recepta vulneribus posset pœnitere, & confiteri peccatum suum, vt sæpissimè contingit. Quod si aliter accidat, est per accidens. Vnde cum vnusquisque ordine charitatis teneatur magis diligere corpus suum, quàm proximi; & in casu proposito per se agatur de cõseruatione potius corporis sui, quàm alieni, licitè potest tueri corpus suum occidendo alium.

Obiectio ex D. Augustino valida.

20 Verùm hic facit difficultatem auctoritas D. Augustini lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. vbi D. August. cum Euodio disputans, inquit. *Prius mihi discutiendum videtur vtrum, vel hostis irruens, vel insidiator sicarius, siue pro vita, siue pro libertate, siue pro pudicitia, siue vlla interficiatur libidine.* Idest appetitu, qui à recta ratione deuiet, & sit peccatum. Et cum Euodius dixisset sibi leges illas videri iniustas, quæ dant potestatem creaturę, vt latronẽ, ne ab eo occidatur, occidant, & similes. Respondet D. Augustinus, quod lex quidem est inculpata: quia est propter bonum publicum, sed illi homines lege inculpata quomodo inculpati esse, *queant,* (inquit) *non video. Non enim lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate; liberum eis itaque est neminem necare pro ijs rebus, quas inuiti possunt amittere, & ob hoc amittere debent.* Et epistola 153. ad Publiculam. *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione tueatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro alijs, vel pro ciuitate, vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit persona.*

Responsio D. Thomæ reijcitur.

21 Diuus Thomas 2. 2. q. 64. ar. 7. ad primum. Respõdet per distinctionem allatam à Caietano, quod auctoritas est intelligenda de eo qui intendit occidere inuasorem; non autem de eo qui intendit se deffendere. Sed hæc responsio est reiecta: quia est nimis scrupulosa; neque enim in tali euentu potest quis intendere præcisè se deffendere, & non occidere. Præterea diximus actum occidendi inuasorem esse voluntarium simpliciter, inuoluntarium verò per accidens.

D. Aug. dubius fuisse videtur.

22 Reuera locus iste D. Aug. est difficilis, & videtur dicendum in hac re, dubium fuisse D. Augustinum neque determinatè vnquam descendisse in alteram partẽ, licèt propenderit in eam partem, quod non sit licitum occidere inuasorem ad se ipsum deffendendum. Nam primo lib. de libero arbitrio paulò post verba superius adducta, subiungit D. Augustinus leges humanas ordinantes inuasorem occidi posse impunè ab inuaso esse iustas, tamen se nescire quomodo possit defendi, quod inuasus licitè occidat: quia, etsi non agat contra legem humanam, tamen agit contra legem æternam. Et habet hæc verba. *Qua propter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittat interfici, sed quo pacto istos defendam qui interficiunt non inuenio.* Putabat ergo D. Augst. huiusmodi leges statuentes inuasorem licitè posse occidi esse iustas: tamẽ dubitabat quomodo interfectores inuasorũ à peccato possent defendi, non erat illi manifestum, & ideo hæsitauit. Vnde etiam in responsione ad Publiculam dicit consilium de occidendo inuasorem sibi non placere; tamen non dicit esse omnino damnosum. Verùm ex alio principio vniuersali, & certo D. August. deducitur occidentem inuasorem esse omnino liberum à peccato. Nam lib. 1. de ciuitate Dei cap. 22. tradit hanc regulam generalem, neminem licitè posse occidi, nisi de quo specialis reuelatio a Deo habetur: vel lex iusta generaliter iubet. At lex naturæ, quæ est generalis, & iusta concedit hanc facultatem cuicunque vt seipsum tueri possit vim vi repellendo. Adde, quod si non liceret interficere aggressorem daretur maxima ansa iniquis interficiendi innocentes: scirent enim eos non posse se tueri eos occidendo, quod certè repugnat legi ipsi iustitię diuinæ.

Non licet præueniendo occidere aggressorem.

23 Possemus tamen dicere D. August. ibi loqui de ijs qui præueniendo occidunt alium, ne ab illo occidantur: hoc enim non licèt, nisi talis euentus sit, vt qui timet inuadi sciat certo inimicum paratum esse ad ipsum occidẽdum, & expectare socios, vel horam, seù oportunitatẽ, & ipse euadere non potest nisi occidat, vt e. g. vxor inclusa in aliqua domo, à qua exire non potest, & scit certò maritum præparasse gladium ad ipsam occidendã, sed expectare oportunitatem, vt ipsa dormiat. In hoc enim casu est ac si ipsam actu aggressus sit; est enim in proxima dispositione: ideo si ipsa possit eodem gladio accepto maritum occidere, ne ab eo occidatur erit impunis à peccato. At si aggressor animũ decreuerit occidere, tamen nondum est in proxima dispositione, sed solum parauit arma, & expectat socios, non licèt eum occidere præueniendo, vt rectè tradit Nauarrus in Man. cap. 15. num. 3. quidquid dicat Molina cõtra eum tract. 3. disp. 12. hanc enim esse intentionem D. Aug. in citatis locis, patet ex eo quod quæstio, quam mouet Publicola in epistola 152. & cuius solutionem tradit D. Augustinus epist. illa 153. erat hæc. An *si christianus videat se à Barbaro, vel à Romano velle interfici, debeat eos ipse christianus interficere, ne ab illis interficiatur: vel si liceat eos sine interfectione repellere, vel impugnare.* Patet autem, quod hæc dubitatio est de ijs, non qui actu aggrediuntur, sed de ijs qui decreuerunt, & volunt interficere, sed non sunt in potentia proxima ita quod interficiendus euadere non possit.

Vera solutio, & explicatio mẽtis D. August.

24 Ex quo loco D. August. obseruo falsum esse, quod aliqui dicunt inuasum teneri ad occidendum inuasorem sub pœna peccati mortalis, eo quia ordo charitatis exigit, vt magis diligimus corpus nostrum, quàm proximũ; sed è contra verum esse posse quẽlibet permittere se occidi. Nam vidimus D. Augustinum inclinare valde in illam partem, quod non liceat occidere inuasorem; signũ est ergo quod permittere se occidi non est peccatum. Id etiam expresè patet ex verbis D. Augustini adductis supra. *Non enim lex cogit eos occidere.* Immo, vt obseruauit Caietanus vbi supra, esset magnus actus charitatis, si inuasus videns aggressorem esse in peccato mortali; ipse verò se nosceret non esse obnoxium peccato mortali, nollet inuasorem occidere ne damnaretur, sed sineret se occidi: hoc enim maximè consonat doctrinæ allatę D. Augustini. Quando tamen aggressus esset persona publica proposita ad seruandum bonum cõe, vt Princeps, vel Dux belli, ex cuius vita pendet conseruatio Reipublicæ, non potest licitè permittere se occidi: quia in tali casu est minister Reipublicæ, non persona priuata: ideo tenetur seruire fideliter Reipublicæ.

Non tenetur inuasus occidere inuasorem.

25 Argumentum autem illud pro opposita parte ex charitate desumptum concludit, quando est casus extremæ necessitatis scilicet quia quis non potest saluari à dãnatione æterna, nisi per mortẽ corporalem proximi: tũc enim tenemur exponere vitam corporalem pro salute proximi. In casu nostro autem non est necessitas extrema, vt suprà dicebamus: quia etiam in extremo articulo mortis potest pœnitere ille, qui occiditur.

Ad argumẽtum Caietani.

26 Paulò difficilior quæstio est, an liceat pro defensione honoris proprij, & bonorum externorum occidere inuasorem iniustum. Nam pro parte negatiua facit auctoritas D. August. adducta, & aliæ rationes superius adductæ pro illa opinione, multo magis hic concludere videntur: quia externa bona sunt minoris valoris, quàm bona corporis; Vnde si non licet interficere iniustum aggressorem volentem occidere, multo minus licebit interficere iniustum aggressorem volentem stuprare aliquam virginem, vel cognoscere vxorem mariti, vel auferre, & capere pecuniam, armenta, & alia bona externa. Contraria sententia tamen est communior, & vera. Quam innuit D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. ad primum, & in argumento ad oppositum. Auctoritas enim D. Augustini loquitur tàm de vita corporali, quàm de alijs bonis externis, vt patet, & D. Thomas eodem modo de vtrisque exponit scilicet quod peccat intendendo occidere; sed non peccat intendendo se deffendere. Scotus in hac dist. 15. q. 3. ar. 2. apertè id supponit, dum dicit, legem iu-

An propter honorem, vel bona externa liceat occidere inuasorẽ iniustum.

stam occidēdi aliquem esse eam, quæ ex iure diuino descendit, vel illi est conformis. At in lege veteri Exodi 22. dicitur. *Si effringens fur domum, siue suffodiens, inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor nō erit reus sanguinis*. Eandem sequuntur recentiores passim. Nauarrus in Man. cap. 15. num. 3. Caietanus, Soto vbi suprà, Couaruuias in Clem. *Si furiosus*, p. 3. §. vnico, num. 6. & alij recentiores. Probatur hæc pars: quia communiter licita sunt bella pro deffensione bonorum externorum non solum deffendendo, sed offendendo, vt patet ex Sacra Scriptura, & communi praxi. Præterea cap. *Si furiosus*, de homicidio, §. *Si autem sine odij meditatione te, tuaque deffendendo huiusmodi diaboli membra interfecisti*: Decernitur enim in illo cap. quod qui occidit furem, qui poterat capi absque occisione puniatur; qui verò interfecit furem sine odij meditatione se suaque deffendendo, non puniri; sed solum hortatur ad aliqua ieiunia.

Probatio allatæ assertionis.

27 Vltimo. Ratio, quæ ex doctrina Scoti colligitur, est efficax: ille enim excipitur à præcepto illo, *Non occides*, qui à lege diuina excipitur; sed sic est, quod Exo. 22. vt visum est, si quis effringens, siue suffodiens inuentus fuerit occidatur, occidens non habetur pro reo homicidij: ergo occidens iniustum aggressorem pro deffensione suorum bonorum externorum non est reus homicidij. Hoc autem intelligitur semper adhibito moderamine inculpatæ tutellæ, vt dictum est suprà.

Ratio ex doctrina Scoti.

28 Ad D. Augustinum autem respondetur, vt suprà, quod in illam sententiam propendere videtur, sed tamē ea alijs eius principijs. Hæc secunda opinio comprobatur, vt dictum est nunc suprà. Ad alias rationes respondetur, vt suprà, quod lex dilectionis proximi, qua tenemur diligere magis corpus eius quàm bona nostra temporalia, intelligitur in casu necessitatis; quando scilicet proximus non potest vitam suam corporalem seruare sine bonis nostris, non autem quando non eget, sed ex nequitia vult illa nobis eripere.

Ad authoritatē D. August.
Ad alias rationes.

29 Quandiu autem duret tempus, quo quis possit inuasorem occidere cum moderamine inculpatæ tutellæ: idest an liceat solum occidere quando durat congressus, vt cum fur accipit rem alienam, vel aliquis afficitur iniuria, vt alapa, vel fuste ceditur, an etiam postquam re ablata, & inflicta iniuria fugit, est dubium. Soto vbi suprà, & Molina disp. 17. num. 8. tenent licere quidem insequi furem, quando res esset magni valoris, & exigua spes esset recuperandi, impunè posse occidere; quò ad honorē verò nequaquam. Quia inquiunt, qui alapa, vel fuste percussus est, iam amisit honorem: ideo si persequendo occidat, est vindicare honorem. At vindicatio non pertinet ad personam priuatam, sed ad Principem. Nauarrus verò in Man. cap. 15. num. 4. asserit posse insequi, & occidere licitè. Et hæc opinio mihi probabilior videtur, intelligendo hoc de incontinenti persecutione, vt si quis infligat vulnus, vel alapa, aut fuste quem percutiat, & statim fugiat; nam in hoc casu, si offensus insequatur, & occidat, censetur occidere in actu ipsius congressus: neque enim iudicandum est hos esse duos congressus, alterum quo quis iniuriam intulit, alter quo statim eum insequens interficit, sed vnus, & idem; ideo licitè occidit. Secus si persecutio non statim & continuato tempore insequatur, sed qui percussit iam abijt, & qui vulneratus est vel affectus iniuria non est insequutus continuatè, sed interposito tempore; tunc enim videntur diuersi cōgressus, & secundus videtur ordinatus ad vindictam. Accedit, quod persequendo fugientem deffendit honorem suum cuius magnam iacturam faceret, si fugientem non persequeretur.

Quandiù tempus deffensionis duret.
Opi. Soto, & Molinæ.
Opi. Nau. probatur.

30 Eadem ratione, vt ibidem tenent Nauarrus, & alij. Si ille, quem alius aggreditur, non potest absque suo magno dedecore fugere, non tenetur fugere, & si nō potest vulnus, aut alapam vitare, quam sibi inimicus impingere vult, nisi ipsum occidendo, potest licitè illum occidere: quia vnicuique licet suum honorem, & sua bona tueri vim vi repellendo. Præterea si hoc esset illicitum, passim à malis hominibus honor innocentibus posset auferri, quod magna iniquitas esset. Quæ omnia sunt vera de personis quibus in magnum dedecus cedit fugere, vt sunt milites, & viri ingenui. Quod dicitur ad excludendum personas Ecclesiasticas, aut religiosas, quibus non cedit in dedecus fugere, & arma non deferre; sed e conuerso arma defferre est illis infamia. Isti ergo tenentur fugere quando fuga possunt propriam vitam, & inuasoris saluare.

Qui non sine magno dedecore, non potest fugere, potest occidere inuadētē.

31 Sed quid dicendum, si quis prouocet aliquem ingenuum, seu militem ad duellum; nam non acceptare duellum videtur cedere in ignominiam prouocati. Breuiter respondetur non licere acceptare, neque exire in duellum. Ratio est: quia duellum, seu certamen singulare facere, est actus prohibitus sacris Canonibus, & consequenter est peccatum mortale. Et proinde apud prudentes Christianos non est ignominia, nec dedecus non acceptare duellum; quia non est dedecus obedire mandatis Dei, & Principum. Et quamuis nobiles Christiani aliqui reputent actum fugiendi duellum ignominiosū, hoc est spernendum; sicut etiam spernendum est eorum consilium quando suadent de inimicis esse vindictam sumendam eadem ratione. Magis enim obediendum est Deo, quàm hominibus nobilibus huius mundi in his, quæ sunt contra Deum. Quod autem duellum sit prohibitum patet inter cætera in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 19. de reformatione, vbi de duello quatuor statuit. Primò excommunicat lata sententia, & priuat dominio locorum omnes Imperatores, Reges, Marchiones, Duces, Dominos, qui in suis terris faciunt facultatem duelli. Secundò excommunicat ipso facto omnes patrinos, & pœnam proscriptionis omnium bonorum, & infamiæ perpetuæ infligit. Tertiò excommunicat ipsos pugnantes, nedum actualiter, sed etiam prouocantes, & acceptātes, etiam si post multum sequatur certamen iuxta Bullā Clem. VIII. & infligit eandem pœnam proscriptionis bonorum, & infamiæ, & insuper priuat Ecclesiastica sepultura. Quartò excommunicat omnes spectatores. Quod intelligitur de ijs, qui ex condicto, & ex composito accedunt ad videndum duellum, & socios ipsorum pugnantium; non autem de illis, qui non ex industria, nec dedita opera, sed obiter, & cursim, vel ob alios fines, transeūtes illac vbi pugna fit, illud aspiciunt. Et similiter omnes illos qui consulunt, præcipiunt, iuuant, fauent, & auxiliantur quomodocunque. Atque hoc intelligitur nedum de duello solemni in quo patrini, & cæteræ solemnitates prædictę interueniunt solent; sed etiam de duello priuato, vt quando aliquis dicit alteri. in tali loco te expecto; vel si sint in Naui, vel Ecclesia, aut alio simili loco dicunt, egrediamur in terram, & ibi contendemus, deinde exeūt in terram, vel in illo loco se inueniunt hora determinata atque pugnant: hæc enim pugna propriè est duellum, & singulare certamen. Vnde Cardinales Congregationis deputati super dubia orientia ex Concilio Tridentino interrogati num pœnæ illę Concilij Tridentini extendantur ad duella priuata. Responderunt in hæc verba. *Dictum cap. 19. Concilij Tridentini locum etiam habet in priuatis duellis: quæ sine alicuius Principis authoritate conseśuve, & absque patrinis fiunt*. Et ideo omnes isti eadem pœnas Concilij incurrunt.

De prouocāte ad duellum.
Duellum esse prohibitum.

32 Ratio autem, propter quam duellum est prohibitum, legitimè habetur cap. *Monomachiam* 2. quæst. 4. & est, quia velle decernere duello iustitiam causarum, & innocentiam alicuius est tentare Deum; neque enim alicubi in Sacra Scriptura, vel ex aliqua reuelatione diuina habemus, quod Deus statuerit semper illi in duello fauere, & victoriam tribuere, qui pugnat pro parte iusta, & innocenti. Neque exemplum Dauid cum Golia pugnantis in consequentiam trahendum est; quia ex speciali reuelatione, & miraculosè illud factum fuit à Deo. Inter ergo

Cur duellū est prohibitum.
Exemplū duelli Dauid, & Goliæ non fauet.

ergo duellum ad cognoscendum quis sit innocens, & qui causam iustam tueatur, est tentare Deum, quod est prohibitum in Sacra Scriptura.

Nau. Man. c. 11. n. 39. Caiet. 2. 2. q. 91. ar. vltimo. Mol. tract. 3. disputat. 17. Naldus in summa verbo duellũ.

33 Excipiuntur tamen duo casus in quibus duellum secundùm omnes est licitum. Primò quando Rex gerẽs bellum iustum videns se viribus inferiorem, nec posse aliter se deffendere, quàm commutando bellum in duellum, & certamen duorum vel paucorum, vt vnius cum vno, duorum cum duobus, decẽ cum decem, &c. Secundus casus est, quando aliquis iniustè esset damnatus ad mortem, aut ad mutilationem, vel aliam grauem pœnã, nisi in singulare certamen ad se deffendendum descenderet; tunc enim licitè posset acceptare duellum, quo lis terminaretur. Ratio est, quia ad vitandum mortem iniustam lege naturæ vnusquisque tenetur; lex autem naturæ præferenda est legibus positiuis: ideo in isto casu posset quis instè acceptare singulare certamen, vt hoc modo tentaret si posset seruare vitam suam: & ideo non incurreret pœnas prædictas Concilij Trid. & constitutionum Gregorij XIII. & Clementis VIII. contra Monomachiam, & duellum. Eas tamen pœnas incurreret, qui sic inuitaret ad duellum, & Principes qui concederẽt campum, & alij omnes qui cooperarentur ad illud, vt supra diximus: quia isti non excusantur lege naturali, sicut qui acceptat duellum, vt hac via vitet mortem si potest.

3. Dubiũ, An liceat tertio pro innocẽtioe cidere inuasorem.

34 Tertiò principaliter dubitatur, An liceat pro deffensione vitæ, vel bonorum alicuius, maximè innocentis, alicui tertio inuasorem iniustum occidere. Respondent cõmuniter Doctores, Syluester verbo *Bellum* 2. q. 6. Couarruuias Clem. *Furiosus* par. 1. §. vnico, nu. 5. Caietanus verbo *Homicid.* & alij ex recentioribus licere in omnibus casibus, in quibus se, suaque deffendendo licet interficere aggressorem iniustum, quando eum interficere necessarium est, ad deffendendum proximi vitam, & bona. Ratio est, quia cooperari ad bonum, atque innocentem adiuuare ad bonum, est iustum, & elicitur expresse ex cap. *Dilecto*. De sent. excom. in 6. vbi Papa asserit licere cuicunque vicino succurrere, quando bona illius ab aliquo iniustè occupantur: immo ait ibi Pontifex vnumquemque ad id teneri. Vnde deducitur sub pœna peccati mortalis obligatum esse ad huiusmodi deffensionem. Quod tamen intelligitur si absque notabili damno sui ipsius id præstare possit: quia vnusquisque tenetur magis seipsum, & sua curare, quàm ea quæ sunt proximi, & hæc obligatio est ex lege charitatis. Ex iustitia verò tenetur solum quando ex officio obligatur, vt diximus supra agendo de obligatis ad restitutionem contentis in illis duobus versibus. *Iussio, Consilium, &c.*

An idem liceat pro cõseruãdis bonis ꝓximi.

35 An vero pro conseruandis bonis externis proximi teneatur tertius occidere iniustũ inuasorem, est res valde dubia. Nam quod teneatur denuntiare Principi, & Iudici, qui eum puniat vitæ ablatione si opus sit, non est dubium, propter præceptum correctionis fraternæ; sed an per se ipsum liceat eum occidere pro bonis externis, quæ sunt ordinis inferioris, quàm vita, est dubium. Vnde Molina tract. 3. disput. 18. tenet partem negatiuam; sed hæc ratio dessumpta à differentia bonorum corporis, & externorum nulla est, quia in hoc casu pari pede currunt cum bonis corporis: quia iam supra concessit etiam Molina licere vnicuique occidere inuasorem iàm pro deffensione suæ vitæ, quàm suorum bonorum: ergo eadem ratio militat in deffensione proximi. Cum ergo Sacra Scriptura obliget vnumquemque ad deffendendum proximum innocentem, iuxta illud Exechielis 17. *Vnicuique mãdauit Deus de proximo suo*. & Prouerbiorũ 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses*. Et hæc sit lex naturæ, sequitur, quod pro liberandis bonis externis proximi innocentis, teneatur occidere iniustum aggressorem, cum aliter non potest innocentem liberare. Et confirmatur per rationẽ quam adducit Papa in cap. illo *Dilecto* adducto. Qui enim non auxiliatur proximo ad repellendam iniuriã, videtur iniuriantem fauere, ac esse particeps culpæ: ideo tenetur vitare culpam, & proinde si non possit aliter iniuriam proximi propulsare, tenetur occidere aggressorem, ne fiat particeps culpæ eius.

Opi. Mol.

An liceat occidere tyrannum.

36 Sed quid de Tyranno? respondetur fuisse hæresim Io. Vuicleph. ar. 17. posse populares ad suum arbitriũ dominos delinquentes corrigere: quæ hæresis damnata est in Concilio Constantiense sess. 8. & 15. damnat articulum asserentem, quemlibet vassallum, vel subditum occidere posse Tyrannum nulla expectata Iudicis sententia, vel mandato quocunque. De hac re agunt D. Thomas 2. sent. d. vltima, q. 2. ar. 2. in corpore, & ad tertium, & de regimine Principum cap. 6. Caietanus 2. 2. q. 64. ar. 3. Soto lib. 5. de iustitia, & iure q. 1. art. 3. Syluester verbo *Tyrannus*. Molina tract. 3. disp. 6. & alij. Et breuiter est dicendum, quod aliquis potest dici Tyrannus duobus modis. Vno modo: quia licèt sit verus dominus populi, & Reip. tamen iniquè, & iniustè eam regit. Alio modo, quia non est verus dominus Reipublicæ, sed eius principatum, & dominium iniustè sibi occupat, & vsurpat. Loquendo de Tyranno primo modo non licet priuatis eũ interficere, sed debet expectari sententia iudicis, scilicet Reipublicæ totius, siue capitum illius, qui simul conueniant, & iudicent excessus eius esse tales ob quos mereatur deponi ab administratione. Et de hoc loquitur Cõcilium Constantiense. Posset tamen quilibet ex populo, si ab eo iniustè opprimeretur in vita, vel honore, & rebus, eum occidere seruato moderamine inculpatæ tutellæ, vt supra diximus. Loquendo verò de Tyranno secundo modo, quiuis de Republica potest illum occidere, nisi ex ea interfectione maiora mala in Republica sequantur. Ratio est, quia qui hoc secundo modo est Tyrannus, gerit bellum iniustum cum Rep. & cum partibus eius, quas occupatas habet tirannicè, & proinde si nõ adsit aliquis superior, ad quem Republica pro iustitia recurrere possit, licitè potest eum occidere: quia tunc præsumitur agere negotium vtile Reipublicæ, & de intentione illius, quæ de iure naturali habet facultatem hanc vim Tyrannicã repellere. Nemo enim cogitur subijci alicui, nisi voluntate propria, vel suorum prædecessorum se alicui, vt Domino subditum fecerit. Ita communiter sentiunt doctores superius allegati.

Aliquis potest dici tyrãnus duobus modis.

4. Dubiũ, an liceat exponere vitã corporalẽ pro amico. Nemini licet occidere seipsum pro vitãdo quocunque malo.

37 Quarta dubitatio principalis est, An liceat exponere propriam vitam corporalem pro amico. Pro intelligentia primò supponendum est cum D. August. lib. 1. de ciuitate Dei per totum, præsertim verò cap. 17. & 20. & communi sententia catholicorum nemini licere occidere seipsum pro quacunque causa idest non pro vitandis malis huius vitæ, non pro deffendenda pudicitia; nec ob vitandum peccatum, neque ob deffendendam fidem, religionem, virtutem, neque ob salutem aliorum. Vnde videmus martires pro religione, & fide pugnantes non se ipsos occidisse, sed ab alijs, nimirum à carnificibus, & Tyrannis occidi permisisse. Et cum in sacris litteris vel alibi legitur aliquos laudabiliter se occidisse, hoc intelligitur vel secundùm vulgi opinionem, non secundùm veritatem, vt de Lucretia Romana, quam occidendo se peccasse non est dubium ex D. August. vbi supra cap. 19. & de Catone Vtinensi apud eundem Augustinũ ibidem cap. 23. vel quia se periculo mortis exposuerunt strenuè pugnãdo pro bono communi, non quia actu se occiderint. Se exponere autem pro bono publico, pro fide, & huiusmodi non est idem quod occidere se: nam propè esse non est habere, vt supra dicebamus: ideo qui se exponit periculo mortis, non se occidit: ideo illud est licitum non hoc secundum. Vel tandem laudabiliter se occidisse dicuntur: quia ex instinctu diuino illud fecerunt, vt Sampson Iudicum 16. & quædam aliæ mulieres, quæ tempore persecutionis, vt insectatores suæ pudicitiæ deuitarent, in flumen se proiecerunt, & enecarunt, quæ iñ, vt sanctæ martires ab Ecclesia honorantur, de quib. D. Aug. eod. primo

Cum in Sacra scriptura laudãtur qui se occiderunt, quo modo intelligatur.

libro de ciuitate Dei cap. 26. Ratio autem, ob quam non licet alicui seipsum occidere, est: quia occidere hominẽ est prohibitum, hoc quinto præcepto Decalogi: qui autẽ occidit seipsum, occidit hominem, cum ipse nihil aliud sit, quàm homo, vt pulchrè infert D. Augustinus eodem 1. lib. cap. 20. in vltimis verbis. Accedit, quod Deus sibi reseruauit vitã, & mortem hominis, iuxta illud Deuter. 23. *Ego occidam, & ego viuere faciam*. & illud *mors, & vita in manu domini*.

Solutio dubij propositi. Vnusquisque tenetur exponere vitam corporalẽ pro Deo, & fide. Nemini licet ammittere propriã vitam spiritualem pro vita corporali, vel spirituali amici.

38 Hoc supposito ad propositum dubium respondetur certum esse vnicuique non solum licere, sed teneri ad exponendam vitam corporalem pro Deo, & pro confessione eius fidei. Et oppositum asserere est hæreticum, & qui hoc modo posuit vitam suam corporalem est Martir Sanctus. Ratio est, quia Christus in Euangelio Lucæ 9. *qui erubuerit confiteri me coram hominibus, &c.*

Certum est etiam nemini licere amittere propriam vitam spiritualem pro conseruanda vita corporali amici, immò, neque pro vita spirituali proximi, immò totius mundi; vita enim spiritualis non amittitur nisi propter peccatum, & offensam Dei. Nemo autem debet peccare, vt alium à peccato liberet; quia non sunt faciẽda mala, vt inde eueniant bona secundùm Apostolum Rom. 3. & ordo charitatis incipit à seipso. Hæc clara sunt, & expressè habetur à D. August. lib. De mendacio c. 6. to. 4. Certum est etiam aliquãdo aliquem teneri exponere vitam corporalẽ pro vita corporali alterius, vt pro Patria, pro Principe, pro populo, famæ, peste, morbo, vel bello laboranti: quia bonum publicum ordine charitatis debet præponi bono priuato. Item quando vita spiritualis alterius periculum incurrit, vel in fide, vel in moribus, vel in alijs necessarijs ad salutem æternam, vt si non moneo populum inficietur hæresi; si autem moneo incurro periculum ne ab hæreticis interficiar. Item si moneo adulteram resipisset, sed incurro periculum ne adulter me interficiat, & similia. Ratio est, quia vita spiritualis proximi præferenda est vitæ corporali meę.

Exponere vitam pro amico quomodo liceat.

39 Loquendo verò de vita corporali amici, de qua est sermo in proposito dubio, non est dubium, neminem teneri exponere vitam corporalem, & hoc deducitur ex præcedentibus; solum enim pro bono publico corporali, & pro bono spirituali, vt dictum est tenetur exponere vitam, in reliquis nequaquam: quia ordine charitatis præponenda est vita corporalis propria vita corporali proximi. Sed difficultas est, an saltem sit licitum exponere vitam corporalem pro saluanda vita corporali, & alijs bonis amici.

Opi. Soto, & Azorij.

Soto lib. 5. de iustitia, quæst. 1. artic. 6. quem sequitur Azorius 3. par. lib. 2. cap. 3. quæst. 2. tenet licere.

1. Ratio.

Fundamenta eius sunt. Primò auctoritas D. Augustini lib. De amicitia cap. 10. vbi habet hæc verba. *Nihil negandum est amico, omnia pro eo sustinenda sunt, & vita corporis ponenda est pro amico, vt sanxit diuina auctoritas*. Innuẽs auctoritatem Christi domini. Maiorem charitatem nemo habet, vt quis animam suam ponat pro amicis suis.

2. Ratio.

Secundò vita corporalis non est finis vltimus, sed medium ad illum consequendum sicut alia bona temporalia; sed sic est quod potest quilibet exponere vitam suam corporalem pro seruandis alijs suis bonis externis, quæ sunt minoris valoris quàm ipsa vita corporalis: ergo nihil impedit, quin amicus possit exponere vitam pro vita, & bonis amici, licet sint inferioris ordinis.

3. Ratio.

Tertiò arguitur, quia Christus dominus posuit vitam suã temporalem, quæ certè multo maioris ponderis erat, quàm nostra spiritualis, nam erat vita Dei: ergo multo magis licet nobis pro amico exponere vitam nostram corporalem.

4. Ratio.

Quartò iure naturæ omnes mortales sumus eiusdem corporis membra; sed licet exponere vnum mẽbrum pro salute alterius: ergo licet vni homini vitam suã exponere pro alio.

5. Ratio.

Quintò negare filium posse exponere vitam pro salute, & bonis patris, vxoris, filiorum est quædam barbaries. Nam vox populi est eum egregium opus facere, qui se exponit periculo pro salute proximi; quem videt in periculo vitæ existere: ergo hoc opus cum sit laudabile est licitum.

1. Ratio in oppositũ.

40 Ex altera parte obstat ratio: quia ordo charitatis est, vt vita propria præponatur vitæ proximi: ergo qui illam exponit pro proximo, & bonis proximi facit contra regulam charitatis, & sic peccat.

2. Ratio.

Secundò ipsemet D. August. in lib. De mendacio c. 6. habet hæc verba. *Dilectio proximi ex sua cuiusque dilectione terminũ accipit*. Matt. 22. enim dr̃. *Diliges proximum tuũ sicut te ipsũ*. & infrà. *Quandoquidem si pro illius tpali vita tuam ipsam temporalem perdis, non est iam diligere sicut seipsũ, sed plusquã seipsum, quod sanè doctrinæ regulam excedit*.

3. Ratio.

Tertiò ex Scoto in 3. d. 29. in argumento ad oppositũ. Mensura est perfectior mensurato; sed dilectio sui est mensura dilectionis proximi iuxta illud Matt. 22. superius adductum. Diliges proximum tuum sicut te ipsum: ergo nemo potest ponere vitam suam pro amico: quia poneret perfectius pro imperfectiori, quod repugnant rectè rationi.

Opinio auctoris.

41 Ego in hac re destinguendum puto, quod cum quæritur an quis licitè possit ponere vitam pro amico, & bonis suis hoc potest contingere duobus modis. Vno modo accipiendo præcisè vitam corporalem proximi, & bona eius externa præcisè, & tunc est dicendum non licere: quia sic ageretur contra ordinem charitatis, & regula eius transgrederetur, quod nulli dubium est esse malum, & illicitum, & hoc modo concludunt rationes pro secunda opinione. Alio modo potest considerari vita proximi corporalis, & alia eius bona externa simul cum aliqua virtute, pro qua seruanda simul cum corpore, & bonis proximi vita corporalis exponitur, vt pro seruãda iustitia simul cum corporali vita proximi, nimirum quia videt quis proximum iniustè interfici, & lædi in bonis, vel pro seruanda pietate, vt cum quis videt patrem subire periculum mortis, & filius se exponit periculo mortis, vt patrem à morte tueatur. Et denique cum quis nititur saluare vitam corporalem proximi, & bonorũ est actus pietatis, vt ait Scotus in 3. dist. 30. §. *quantum ad hoc*. in fine. Vnde pium est laborare pro vita corporali proximi saluanda: quia supponendum est, quod si est bonus erit melior, & valebit sibi, & alijs sua bonitas; & si est malus supponendum est, quod corrigetur: hoc enim est piè iudicare, scilicet interpretari semper melius, quando non est oppositum manifestum. Cum ergo pietas sit virtus, qui laborat pro seruanda vita corporali proximi laborat simul pro virtute seruanda; & sic est licitum, & hoc modo concludunt rationes pro prima opinione, quæ est Soto, & aliorum: in omnibus enim illis argumentis supponitur exponi vitam pro saluanda vita proximi simul cum aliqua virtute, saltem amicitia, quæ dato quod non sit virtus, est tamen virtuti coniuncta, vt proprietas, vel vt effectus eius, & sic conciliatur D. Augustinus qui contraria dixisse videtur ponere enim vita pro amici vita temporali sine aliqua virtute videtur dementia.

5. Dubiũ, an sit illicitum nõ vti cibis delicatis, & salubriorib⁹ ad vitam tuendam.

42 Quintò dubitatur, an sit illicitum non vti cibis delicatis, salubrioribus. Item medicinis necessarijs ad vitam tuendam cum constant magna pecunia, vel labore. Item an quando est necessaria auris, vel alterius membri incisio ad corporis totius conseruationem licitum sit medici consilio parere: præsertim cum non nisi magno dolore hæc pati quis possit. Respondetur esse licitum: quia hoc non est voluntariè se occidere, sed indirectè, & remotè, vt supra diximus in principio huius cap. similiter licet ieiunijs, flagellis, vigilijs, & alijs operibus pęnalibus se macerare: quia est dare operam rei licitè, & non est velle homicidium directè, sed indirectè.

Cõstitutio prohibens esum carnis est licita.

Et eadem ratione rectissima est constitutio religiosorum, esum carnis prohibens etiam in morbo graui, excepta extrema necessitate in qua lex positiua cessat: quia hoc non est occidere se directè, sed per accidens dando operam rei licitæ, & virtutis, quod non est pctm̃. Ex eadem regula de voluntario p se, & per accidens, siuè directè, & indirectè soluũtur innumeri casus, quos in particulari adducere longum esset.

Ex

Qui damnatus est, vt famę moriatur, si habeat cibos tenetur edere.

43 Ex eadem regula dicendum est, eum, qui iustè cōdemnatus sit, vt famæ moriatur, si sibi cibus subministretur, teneri ad comedendum, quia, si nollet comedere etiā ea intentione, vt locum haberet iusta sententia, peccaret; quia directè se occideret. Deinde etsi teneatur subire mortem iustè inflictam à iudice, non tamen debet ipse sibi illam infligere, sed tollerare à ministris iustitiæ illam sibi infligi. Idem dicendū ad dubium de eo, qui dānatus est ad mortem, & commodè absque vlla vi, & detrimento alterius potest fugere; si enim non fugit directè se occidit: quia auxiliatur quodammodo ministris iustitiæ in sua interfectione: qui autem præbet auxilium alteri ad occidendum aliquem directè præsumitur occidere. Qui autem iustè damnatus est ad mortem nō potest licitè auxiliari carnifici ad suam mortem sed solum tollerare patienter. Dictum est enim supra secundum omnes, quod nemo potest se directè occidere etiam pro vitando peccato mortali, & proinde multo minus potest quis directè auxiliari ministris suæ mortis, vt iusta sententia habeat locum.

Qui dānatus est ad mortem, si potest fugere tenetur fugere.

Soto lib. 5. de iustitia, q. 6. ar. 4. S. Th. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 3. Azo. 3. p. lib. 1. q. 6. & 7. Martiri fugere licere carcere pro bono fidei.

44 Quod verò adducunt Soto, Azorius, & alij, licere Martiri non fugere ex carcere pro bono fidei, & religionis, nihil obest. Primò, quia est generalis regula, quod nemo debet dare alteri occasionē martirij; & proinde Dominus in Euangelio Matth. 5. dicebat *si vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*: ideo si potest commodè, & sine scandalo, fugere tenetur. Secundò, quia Martir non fugiat, non intendit directè non fugere, vt mortem subeat, sed, vt confessionem Christi publicè faciat: & proinde facit quod debet. Quod si alius iniustè agat dando sibi mortem hoc non debet martiri imputari, qui ei nullam licitam occasionem dat talis mortis. Qui autem non fugit ex carcere, vt iusta sententia mortis contra se ipsum habeat locum, directè vult mortem suam, quod est illicitum. Similiter, quod ait Soto eodem loco scelestum suorum criminum conscium scientem prætorem venire ad capiendum se licitè posse illum expectare, atque in aperto carcere sine vllis vinculis mortem expectare, quā meretur, falsum videtur. Etenim si pōt commodè fugere, & vitare mortem, omnes iudicabunt stultitiam, & vitium esse expectare prætorē, & mortem. Nā licèt sit scelerosus, non debet pro pœna suorum crīminū velle pœnam mortis publicam, sed solum pœnitentiam coram Deo agere, & vitam corporalem propriam directè conseruare. Denique hæc regula generalis semper est seruanda, ne quis voluntariè directè vellit mortem: quia hoc est homicidium voluntarium. Et ne dando operam rei illicitæ, vel non adhibendo debitam diligentiā sit causa homicidij: quia solum in his casibus committitur homicidiū, vt diximus supra in hoc cap. in principio.

Regula generalis ignoscendi quando homicidium, est voluntarium.

De restitutione facienda ex homicidio, & alijs damnis corporalibus. Cap. II.

45 Cum homicidium sit actus multum damnificans proximum, omnes conueniunt homicidam teneri ad restitutionem damni illati, non tamen conueniunt de quo damno teneatur ad restitutionem. Vnde pro clara notitia dicendorum est notandum, quod in homicidio inferuntur proximo damna quadruplicis generis. Primò homicida infert damnum vitæ corporalis, qua occisum priuat. Secundò infert iniuriam ipsis parentibus, & propinquis. Tertiò est causa aliquarum expensarum, quę in curandis vulneribus, si non statim moriatur, & similibus, fieri coguntur ipse, vel sui propinqui. Quartò est damnum lucri cessantis. Nam potest contingere, quod qui occiditur haberet filios, quos sua arte, laboribus, & industria nutriret, qui per mortem ipsius priuantur hoc lucro, & vtilitate, & sic per homicidium illis affertur hoc damnum lucri cessantis. De vnoquoque istorum damnorum est videndum.

Quatuor dāna affert homicidiū.

46 Primo loco ergo est difficultas, An homicida teneatur restituere aliquid pro vita ipsa hominis occisi. In hac re duæ sunt opiniones contrariæ. Prima est quorundam antiquorum, qui asseruerunt pro vita ipsa hominis nihil esse restituendum, quos Scotus in hoc 4. d. 15. q. 3. ar. 2. appellat fatuos. Eam tamen opinionem sequutus est Nauarrus in Man. cap. 15. num. 22. & pro eo multa iura adducit. Nimirum l. *liber homo*. ff. Ad legem Aquiliā, qua habetur, hominem liberum nullo pretio estimari posse, ex quo sequitur restitutionem pro vita hominis esse impossibilem: & ideo neminem ad illam teneri: quia ad impossibile nemo tenetur. Præterea l. finali, ff. de his, qui deiecerunt, & effuderunt, dicitur, illi homini libero, qui præteriens per viam publicam percutitur aliqua re proiecta, aut cadēte ex aliqua fenestra, deberi medicationis impensam, & stipendia quæ sanus lucrifecisset; non tamen eum posse petere aliquid pro cicatrice, & deformitate: neque etiam si occidatur, iuxta glosam dictæ legis. Et lex prædicta adducit rationem, propter quam non potest petere aliquid pro cicatrice: quia inquit, corpus liberum nullam recipit estimationem. Præterea l. Ex hac, *ff. si quadrupes pauperiem fecerit*, habetur quod si animal alicuius occiderit seruum alterius, Dominus serui possit petere medicationis impensas, & stipendia, quæ alioquin lucrifecisset; nihil tamen possit petere pro cicatrice, vel deformitate. Ex omnibus ergo his iuribus ciuilibus pro vita corporali homicida ad nihil restituendum tenetur.

An homicida teneatur ad aliquid pro vita occisi.

1. Opinio quam sequitur Nauarrus.

47 Altera est opinio omnino contraria, nimirum homicidam teneri ad restituendum aliquid pro vita ipsa interfecti, licèt differant quò ad id, quod est restituendū. Quod ergo homicida teneatur ad restitutionem pro vita interfecti tenet Scotus in hac q. 3. ar. 3. vbi appellat fatuos eos qui absoluunt homicidam, illum non obligando ad restitutionem, & habet hæc verba. *Homicida non potest esse omnino immunis à restitutione: sicut quidā fatui faciunt, qui absoluunt homicidas non eis ostendentes restitutionem necessariò incumbentem, quasi facilius possit transire homicida, quàm (vt ita dicam) canicida, vel bouicida: quia si occidisset quis bouem proximi sui, vel canem, non absolueretur sine restitutione.* Scotum sequuntur deinde Adrianus in 4. de restitutione q. vltima. Caietanus in summa verbo *Restitutio*, cap. 2. Syluester verbo eodē 3. q. 2. Soto lib. 4. q. 6. art. 3. ad 3. licèt deinde parum sibi constet, vt videbimus infra. Azorius 3. parte, lib. 5. cap. 3. Molina tract. 3. disp. 84. & alij communiter. Ratio communis est, quia omnis ille tenetur ad restitutionem, qui intulit damnum in bonis inferioris generis, quam sit vita corporalis, vt in seruis, diuitijs, & similibus: ergo multo magis in bonis superioris ordinis; sed sic est, quod vita corporalis est bonum altioris ordinis, quàm diuitiæ, serui, boues, & similia: ergo multo magis tenetur ad restitutionem pro damno vitæ corporalis illato. Omnia assumpta in argumento patent. Et reuera, vt ait Scotus, ratio naturalis omnino dictat esse ridiculum, eum, qui occidit canem, vel bouem alicuius, teneri ad restitutionem faciendam ijs, qui passi sunt damnum per illam occisionem; eum verò, qui occidit hominem, non teneri ad faciendam restitutionem pro damno illato ijs, qui per talem occisionem damnificati sunt, cuiusmodi sunt ipse interfectus, & hæredes eius. Etenim licèt ipsi interfecto fieri omnino adæquatè non possit: tamen fieri potest aliquo modo, & aliquo modo illius est capax: ideo illi fieri debet restitutio, & compensatio quomodo potest.

2. Opinio Scoti, & cōmunior, ac vera.

Fundamentum huius opin.

48 Confirmatur: quia in iure canonico, vt cap. vltimo de sepulturis decernitur, hæredes homicidæ, incendiarij, & huiusmodi teneri ad satisfaciendum pro homicida: ergo homicida tenetur ad restitutionem.

49 Ad rationes pro Nauarro, & alijs illius opinionis Respondetur communiter iura adducta ab illo solùm statuere ex iure ciuili in foro exteriori non dari actionē petendi aliquid pro vita interfecti, sed solùm ad petendum expensas, & lucra, quæ cessant. Ad rationem autē

Ad rationes pro opinione.

legum: quia homo liber nullo pretio estimari potest. Respondetur hoc esse verum, & ideo sequi nullum posse restituere æquiualens, non tamen sequitur non posse recompensari aliquo modo, & proinde nullam esse faciendam restitutionẽ propter rationem factam: quia tunc melior esset conditio homicidæ, quàm canicidæ, seù bouicidæ. Sed ius ciuile noluit dare actionem ad petẽdum aliquid pro vita occisi: quia cũ non possit dari æquiualẽs, sed solũ recompensatio aliqualis fieri possit, & quænam sit, admodum difficilè sit inuestigare, & pendeat ex arbitrio prudentum, innumeræ essent lites in declarando qualis recompensatio ista esse debeat pro quolibet homicidio.

Quantũ sit restituẽdũ pro vita occisi.

50 Verùm quid, & quantum sit restituendum pro vita defuncti ab homicida sunt varij modi dicendi. Soto vbi suprà in hac re est valde inconstans; postquam enim contra Scotum, & Adrianum asseruit seueram esse sententiam Scoti, qui asserit iustam restitutionem esse pœnã talionis subire, inquit satisfactionem pro homicidio faciendam esse, petendo suppliciter veniam, vel pœnitentiam arbitrariam; & qñ nulla alia pateat via, commodam restitutionem esse orationibus, & precationibus apud Deum mortuum adiuuare. Nihilominus deinde subiungit se non videre adesse obligationem de iustitia ad huiusmodi restitutionem spiritualem faciendam: quod probat: quia S. Thomas de hac restitutione non facit mentionem. Deinde quia in foro exteriori non cõpellitur homicida nisi ad restituendum damnum temporale datum. Tandem quia si interfectus esset infidelis, vel mortuus in peccato mortali ridicula esset talis satisfactio; quamuis consilium saluberrimum esset, quando interfectus indigeret, hanc recompensationem spiritualẽ facere. Azorius eodem lib. 5. cap. 3. q. 12. videtur sequi Soto, qui addit hanc rationem: quod bona spiritualia sunt altioris ordinis, quàm vita hominis, quæ est bonum temporalem; nemo autem tenetur dare prætiosiora pro minus prætiosis, & inferioribus bonis.

Opi. Soto, & Azorij.

1. Rõ Soto, 2. Ratio. 3. Ratio.

Opi. Azo. Eius fundamentũ.

Allata opinio reijcit.

51 Hæc opinio Soto, & Azorij reijcitur per rationẽ nunc superiori puncto factam; Si enim damnificans aliũ in bonis externis fortunæ, vt in pecunia, frumento, oleo, & similibus tenetur ad restitutionem; multo magis damnificans in vita corporali, quæ est bonum superioris ordinis, tenetur ad restitutionem. Restitutio autem in pecunia, & alijs rebus eiusdem generis non est restitutio conueniens: quia omnia Regna Mundi, & diuitiæ eius non æquiualent vitæ homini, iuxta illud Iob 2. *pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima sua*. Cum ergo teneatur ad restitutionem pro vita corporali, neque bonum æquiualens vitæ homini habeatur, nisi vita alterius hominis, vt homicidæ, non potest compensari vita interfecti, nisi vita interficientis, vt infra dicam. Ergo si nolit, vel non possit commodè satisfacere per expositionem propriæ vitæ pro vita interfecti, certè tenetur satisfacere per illud genus bonorum, quod est præstantius post vitam hominis, & ipsi interfecto est gratius, & vtilius. Inter ista bona autem supplex petitio veniæ est infima; hæc enim nihil prodest ipsi interfecto, & est infimũ genus satisfactionis. Pœnitentia autem arbitraria, quam asserit Soto, non potest esse nisi vt homicida satisfaciat, vel pecunia, & alijs bonis temporalibus; satisfactio autẽ per hæc bona est inferior multo magis quàm satisfactio per bona spiritualia, sicut ipsa bona temporalia sunt inferiora bonis spiritualibus. Reliquitur ergo quod teneatur satisfacere per bona spiritualia si defunctus sit fidelis, & capax illorum. De iustitia ergo & secundùm legem naturæ homicida tenetur ad restitutionem per bona spiritualia, si non satisfaciat per traditionem propriæ vitæ.

Ad rationes Soto, & Azorij.

52 Ad rationes autẽ Soto patet ex dictis: quia quod S. Thomas nihil de hac re dixerit non obest: quia locus ab auctoritate negatiuus nihil valet; neque S. Thomas omnia attingit. Cur autem leges ciuiles exteriores solum obligent ad restitutionem damnorum ex homicidio sequutorum dictum est superiori puncto ad rationes pro Nauarro. Ad tertiam respondetur hoc habere locum in homine, cui præsumitur secundùm communem cursum orationes, & bona spiritualia prodesse posse. Ad rationem Azorij respondetur, quod bona spiritualia sunt in duplici discrimine, quædam sunt bona spiritualia simpliciter, vt gratia, & habitus supernaturales, & ista sunt excellentiora vita corporali, & bonis vitæ huius. Alia sunt bona spiritualia secundùm quid, scilicet ordinata ad bona spiritualia simpliciter, nimirum ad gratiam, & gloriam; & de his falsum est, quod sint præstantiora bonis corporalibus huius vitæ. Respondetur ergo quod etsi bona spiritualia prædicta sint altioris ordinis, quàm bona corporalia infra vitam corporalem hominis, vt puta pecunijs, & alijs bonis externis hominis; tamen falsum est esse altioris ordinis, quàm sit vita corporalis hominis. Quod apertè patet: quia finis est nobilior medijs ad finẽ; orationes autem, suffragia, & alia bona spiritualia ordinantur ad hominem tanquam instrumenta ad finem; hæc enim fiunt nedum propter vitam spiritualem acquirendam, vel conseruandam, ad quam primò ordinãtur, sed etiam ad vitam corporalem. Vnde orationes fiunt pro sanitate recuperanda, seruanda &c. Præterea licèt sint bona spiritualia, tamen non exeunt extra spheram eorum per quæ fit satisfactio de rebus temporalibus: commutantur enim per bona temporalia corporalia: quia damus bona temporalia, vt pecunias pro orationibus, ieiunijs, & huiusmodi, nimirum, vt quis oret, vel ieiunet &c. pro nobis. Absurdum est ergo dicere quod bona spiritualia prædicta non sint materia apta ad satisfactionem pro homicidio.

Ad 3. rationẽ Soto.

Ad rõnem Azorij.

Opi. Scoti.

53 His ergo dimissis, Scotus, quem deinde sequuti sunt auctores superius citati demptis paucis, de quibus infra, Respondet ad hoc quæsitum duo explicando. Primum est, quid possit esse illud per quod fiat restitutio æquiualens ab homicida vitæ interfecti. Secũdum, quid sit de hoc statutum. Quò ad primum inquit Scotus, quòd si lex talionis in homicidio, mutilatione, vulneratione, & alijs damnis corporalibus illatis statueretur, esset lex iusta; & consequenter si statueretur, quod homicida satisfaceret interfecto per ablationem propriæ vitæ, esset lex iusta; adeò quod iusta, & ad æqualitatem satisfactio, & restitutio homicidij est interfectio ipsius homicidæ. Hãc assertionem probat Scotus: quia iam dictum est, quòd homicida tenetur ad recompensationem damni illati per ablationem vitæ. huiusmodi autem recompensatio non potest facilè fieri per bona aliqua fortunæ: quia non æquiualent vitæ corporali: ergo reliquitur quod iusta recõpensatio sit per traditionẽ propriæ vitæ corporalis.

Lex talionis est æquiualens satisfactio pro homicidio.

1. Ratio Scoti.

Obiectio.

54 Quòd si quis obijciat, inquit Scotus: ergo lex Mosayca iudicialis remaneret, & tunc in lege noua liceret iudaizare, quantum ad iudicialia. Respondet ipsemet Scotus, quod si statuatur lex talionis pro homicidio nõ erit iudaizare: quia lex ista talionis non haberet vim à Moyse legislatore, nec vt præceptum, & lex Mosaycæ legis, sed vt statuta à legislatore Euangelico, qui potest statuere leges, & præcepta in lege Euangelica: lex enim habet robur à legislatore à quo statuitur vndecunque illa lex sumatur. Vnde multa iudicialia legis Mosaycæ possent à Papa, & Imperatore statui obseruanda à Christianis: nec enim obseruarentur, vt à Moyse statuta, sed vt à legislatore Euangelico.

Solutio.

1. Cõfirmatio eiusdẽ solutionis.

55 Hanc rationem confirmat Scotus dupliciter. Primò, quia de facto videmus multa in Decretalibus sumpta esse ex iudicialibus legis Mosaycæ. Vt patet extra de iniurijs, & damno dato cap. 1. & sequentibus, quæ omnia sumuntur ex Exodo 22. & 23. quæ hodiè sunt seruanda non vt in lege Mosayca, sed vt iura Canonica.

2. Cõfirmatio.

56 Secundo confirmat exemplis quatuor, quæ patent in textu, hoc sufficiat, Rex, vel communitas aliqua vidẽs leges alterius Regni, vel communitatis esse bene ordinatas, & vtiles populo, posset illas ordinare, & præcipere in suo Regno, & communitate. Vt Rex Angliæ videns

leges

leges Regni Franciæ esse vtiles, posset illas in suo Regno statuere; tunc seruarentur in Regno Angliæ, non quia essent leges Regis Franciæ, sed quia essent leges Regni Angliæ. Ita in proposito. Si leges, & præcepta Mosayca statuerentur, non esset iudaizare: quia non statuerentur, vt leges, & præcepta legis Mosaycæ, sed vt præcepta legislatoris Euangelici.

1. Ratio.

57 Quod aūt hoc rectè fieret, probat Scotus: qa Deus dando illa præcepta Moysi non fuit fatuus: ideo dicendum est esse rationabilia, & vtilia. Et licèt Deus dederit aliqua præcepta valde dura in ea lege, quæ in Euangelica seruari non oportet; tamen dedit multa valde vtilia, & rationabilia pro quocunque statu in hac vita mortali: ideo si ista statuerentur in lege Euangelica essent multo iustiora, quàm quædam alia, quæ continuò statuuntur.

Iustior esset lex, q̄ blasphemus occidatur, quam quod fur suspendatur.

Vnde si statueretur in lege Euangelica blasphemum, adulterum, idolatram occidi, multo iustiores essent istæ leges, quàm lex, quod fur simplex suspendatur, de qua quæstione egimus suprà diffusè. Est ergo dicendum redeundo ad propositum secundùm rationem rectam, iustam esse pœnam talionis pro homicidio, & per hanc fieri compensationem iustam vitæ interfecti.

Quid sit statuū restituēdū esse pro homicidio, & damno corporali.

1. Assertio.

58 Quantum ad secundum scilicet quid sit statutum, respondet Scotus, ponendo varia asserta. Primò ait pro vitæ ablatione, quæ est principale damnum corporale regulariter in multis communitatibus statutum esse legē talionis, scilicet vt homicida moriatur, atque hanc legē rationabiliter statutam esse probat: quia non solum hæc lex habetur in lege Mosayca, sed etiam est conformis legi naturæ; & est approbata à Christo Domino in Euangelio. Quod sit conformis legi naturæ nō probat Scotus, sed est euidens ex se: quia restitutio, & recompensatio dāni illati est vnicuique debita ratione iustitiæ: iustitia autem est virtus vnicuique à natura inserta sicut cæteræ virtutes morales, vt ex supradictis patet. Quod autem lex talionis ista sit confirmata à Christo Dño patet Matth. 26. *omnis qui gladio occidit, gladio peribit.* & cōsequenter vbicunque lex talis de vita pro vita reddenda statuta est, iustè debet homo patienter soluere istam pœnam. Subiūgit deinde Scotus secundò, quod si alicubi non sit statuta

2. Assertio.

talis lex, nemo debet sibi illam inferre. Reddit rationē: quia nullus debet esse homicida sui ipsius sine speciali præcepto Dei. Subiungit tertiò, quod in casu quod lex

3. Assertio.

talionis non sit posita, expedit homicidæ quod exponat vitam suam in causa iusta, vt puta contra inimicos Ecclesiæ pro restitutione faciēda illi cuius vitam abstulit. Subiungit quartò, quod si homicida non velit tantam restitutionem facere non potest esse omnino immunis à restitutione: ideo tenetur ad restitutionē spūalē æquiualentē vitæ corporali interfecti eo modo quo pōt æqualitas esse in talibus. Subiungit quintò, quod non solum ad hāc restitutionem spiritualem tenetur, sed insuper si interfectus sustentabat aliquos, patrem, matrem, vel propinquos tenetur interfector omnibus illis ad tantam restitutionem, ad quantam illis abstulit per interfectionem illius. Denique explicat sextò, quis sit iustus occidens, ex quo manifestatur quis sit iniustus occisor. Ait ergo iustū occisorem esse eum, qui ex lege iusta, vel qui ex speciali præcepto Dei occidit aliquem. De qua re egimus supra disputando, An simplex fur iustè puniatur morte.

4. Assertio.

5. Assertio.

6. Assertio. Quis sit iustus occisor.

Obiectio Soto cōtra primam assertionem Scoti.

59 Contra primum assertum Scoti insurgit Soto vbi supra: quia inquit, est nimis dura sententia Scoti, quod homicida teneatur ex iustitia reddere vitā ꝑ vita occisi. Ad auctoritatem Christi dñi, *qui gladio ferit, seu occidit gladio peribit*, Respondet, illam intelligi de gladio vindici Reipublicæ. Cur autem opinio Scoti sit nimis dura, nullam affert rationem. At assertio Scoti iam efficaciter est probata per rationem ductam ex lege naturæ, quacunque facienda est satisfactio ad æqualitatem si fieri possit; in casu autem homicidij satisfactio ad æqualitatem est per redditionem vitæ pro vita. Et confirmatur: quia si lex talionis, vt vita pro vita reddatur, esset dura, & iniusta; iniustè ageret Respoblica illa, in qua talis lex est statuta, vt homicida vita puniatur pro occiso ad instantiam partis, vel ex se ipsa ad seruandam iustitiam, & æquitatem in Republica. Præterea sententia Christi esset dura, & iniusta, qui gladio occidit, gladio peribit: quia esset nimis dura recompensatio.

Reijcitur. 1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

60 Quod autem ait Soto illam auctoritatem intelligi de gladio Reipublicæ, ostendit se nō intelligere Scotum, & parum consideratè, & constanter hanc materiā tractasse, vt obseruauit quoque Molina tract. 3. disp. 84. num. 6. Nam clarissimè Scotus se declarat hoc non intelligere de redditione vitæ pro vita, interfectione priuata: quia inquit in secundo asserto, quod si talis lex talionis alicubi non sit statuta, nemo debet illam sibi inferre: qa nemo debet esse homicida sui ipsius. Tenet ergo Scotus restitutionem æqualem pro homicidio esse interfectionem homicidæ: non tamen illam esse faciendam à persona priuata, sed à potestate publica ad quam spectat hæc damna recompensare, & emendare delicta. Hoc ergo assertum Scoti, quod pro vita occisi debet tradi vita homicidæ, & quod talis lex talionis sit iusta per potestatem publicam exequenda, est verissima, & omnes conueniunt, licèt diuerso modo explicent. Et ratio cogit, quia alioquin lex ista esset iniusta, & Principes, ac iudices eā seruantes peccarent: quia intollerabilis error esset.

Ratio efficax pro opinione Scoti.

61 Ex his elicitur malè suspicari Soto, Molinam, & alios Soto sequentes, quod Scotus hoc loco asseruerit homicidam se offerre debere curiæ, vt ab ea occidatur pro vita occisi. Nam apertè Scotus dicit neminem debere se ipsum interficere, sed quod debet patienter tollerare mortem sibi illatam ex huiusmodi lege; tollerare autem patienter non est se offerre ipsi prætori, & curiæ voluntariè, sed si capiatur patienter ferre.

Obiectiones contra 3. assertum Scoti reijciuntur.

62 Contra tertium assertum Scoti, quod vbi talis lex talionis non est lata, expediat homicidæ se exponere morti in causa iusta, vt contra infideles pro bono Ecclesiæ, arguunt Soto, & Molina vbi supra. Et Soto quidem distinguit, quod si homicida sit vir probus, qui ira succensus vnum homicidium faciat, non esse consulendum se debere exponere morti pro bono Ecclesiæ. Si autem sit homo prauus, & pestis quędam ciuitatis, maximè. Sed ista distinctio non est ad rem: quia hic est sermo de restitutione præcisè pro vita corporali hominis: quæ est æqualis in omnibus hominibus, tàm probis, quàm improbis. Nam de damno, quod sequitur ex homicidio alicuius ratione circunstantiarum est alia ratio, vt infra patebit cum de illo agemus. Stando ergo præcisè in rigore iustitiæ, difficultas est, an homicida quicunque sit, & quomodocūque interfecerit, siuè proditoriè, siuè crudeliter, siue alio quo alio modo, & non sit lex talionis lata, vt occidatur pro homicidio, ipsi expediat se offerre morti, seù mortē pro causa iusta subire, vt satisfaciat interfecto reddendo vitam suam pro vita occisi.

Distinctio Soto reijcitur.

63 Vbi obserua Scotum non asserere homicidam in hoc casu teneri ad exponendum vitam suam in causa iusta, sed expedire: quæ multum differunt, vt patet. Quod autem expediat, Scotus probat: quia vix posset aliquis dignè recompensare per actiones quascunque illud, quod homicida abstulit: ideo solæ passiones voluntariè, & patienter susceptæ videtur esse sufficientes. Patet enim quātum homicidium displiceat Deo, qui quando Dauid, qui tamen iustè occiderat, voluit ædificare domum Deo, sed qa effusor sāguinis humani fuerat, prohibitus est à Deo. Si ergo iustus occisor non acceptatur ad cultum Dei, iniustus occisor vbi apparebit? Probatio eiusdem asserti etiam elicitur ex dictis. Quia iam homicida tenetur ad satisfactionem, seù recōpensationem æqualem dāni; hęc æqualis recompensatio non pōt fieri nisi per exibitionē vitæ propriæ. Obstat autem, quia nemo potest iustè seipsum occidere; sed debet fieri per alium habentem potestatem licitè hoc faciendi. Si ergo detur modus quo homicida possit per modum iustum, & licitum vitam suam

Scotus nō ait homicidam teneri ad exponēdū vitam, se id expedire.

reddere

reddere pro occiso, certè congruum, & expediens illi erit facere hanc restitutionem: quia facit quod debet, & modo licito. Exponere autem se morti in bello iusto pro deffensione Ecclesiæ, est modus ponendi vitam licitus, & iustus; & qui nulli debent, vitam ipsam sic exponendo faciunt opus laudabile: ergo multo magis laudabiliter, & vtiliter faciet homicida si hoc modo exhibeat vitam suam pro occiso.

Obiectiones ex Molina.

64 Sed arguit Molina, quod sæpè exponere sic vitam contra hostes Ecclesię non expediret, nec esset consolendum. Vt si haberet filios, vxorem, & similia. Præterea posset homicida illius ingenij esse, vt minimè id saluti eius expediret, vt quia ea via multis peccatis se implicaret. Item id parum faceret ad compensationem damnorum quæ interfecto intulit.

Reijcitur.

65 Istæ obiectiones nullius momenti sunt: quia assertum Scoti intelligitur absolutè, & præcisè considerando homicidam quò ad restitutionem faciendam pro homicidio, non autem cum annexis, quæ possent adesse: quia clarum est, quod si exponendo sic se morti, sequantur alia mala, & incommoda ipsi homicidę, vel alijs quæ vitare ipsi conueniat, vel expediat; In hoc casu non expediret illi se morti exponere: quia nō sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, iuxta Apostolū; At si nullū malū sequatur, nulla est rō, ob q̃ dicendū sit hoc nō expedire. Ideo consultor in hoc casu debet esse prudens: hoc aūt prodesset interfecto: quia ius suū illi redderetur, qui est actus iustitiæ. Et insuper: quia exponere hoc modo vitā est opus pium, quod proinde spiritualiter illi esset vtili.

Obiectiones contra 4. assertum Scoti reiectæ sunt.

66 Contra quartum assertum Scoti, quod si homicida non velit satisfacere homicidio per exhibitionē propriæ vitæ, neque cogatur ad hoc à potestate, teneatur ad restitutionem spiritualem, arguunt vbi supra Soto, Molina, Azorius, & alij; sed supra nunc confutando opinionē Soto eorum obiectiones reiecimus. Quò ad quintum assertum infra agemus. Quò ad sextum nihil occurrit dicendum: quia supra agendo de pœna furti satis diximus.

De restitutione iniuriæ per homicidiū illatæ.

Iniuria in homicidio maior, vel minor esse potest.

Iniuria, quid sit.

67 Secundùm damnum principale, quod infert homicida, est iniuria ipsi occiso, & parentibus, ac propinquis. Et quidem iniuria occiso non solum infertur priuando eum vita; sed etiam priuando modo magis, vel minus iniurioso. Vt si quis occidat aliquem aliquo genere mortis atrociori, & crudeliori, vel turpi, & similibus circunstātijs iniuriosis (patet enim iniuriam accipi latè pro omni eo, quod non iure, sed contra ius fit; & strictè pro contumelia, seù pro omni eo, quod in contemptum alicuius fit, vt habetur Instit. titulo de iniurijs in principio, & C. primo in principio, ff. de iniurijs. Potest autem contingere, quod simul in aliqua actione interueniat iniuria vtroque modo, scilicet, quod aliquid fiat contra ius; & quod fiat in contemptum illius, cuius ius violat. Vt si quis interficiat animal brutum alterius in domini contemptum, vel interficiat aliquem hominem modo singulari in contemptum, vel odium speciale ipsius:) huiusmodi modus occidendi auget iniuriam: quia occidere his modis, seù circūstantijs atrociorib. multo magis repugnat legi naturæ, quæ non solum prohibet homicidium; sed etiam huiusmodi circunstantias naturæ, & recto dictamini rationis repugnantes. Et proinde ex hoc modo oritur obligatio restituendi aliquid amplius vltra ipsam vitam homicidæ. & iustæ sunt leges, quæ huiusmodi homicidis inferunt mortem modo attrociori, vt punitio respōdeat proportionaliter delicto. Et proinde opinio Azorij lib. 5. cap. 3. quæst. 3. & aliorum, qui asserunt ex modo occidēdi iniurioso non esse aliquid amplius restituendum, est abijcienda: quia ex variatione modi, & circūstantiarum necis augetur, & variatur iniuria, sicut in alijs actibus.

An homicida vltra vitam expositam teneatur ad restituēdū aliquid parentib. occisi.

68 Verùm est difficultas, An si homicida à Principe, & Iudice puniatur condigna morte propter homicidiū, homicida teneatur vltra amissionem vitæ aliquid aliud soluere parentibus, & propinquis occisi. Nauarrus in Man. cap. 15. num. 25. cum quibusdam alijs tenet homicidam vltra vitam exhibitam teneri ad satisfaciendum parti offensæ. Ratio eius est, quia, inquit, mors illa homicidæ inflicta à Principe est compensatio iniuriæ publicæ illatæ Reipublicæ. At præter hanc publicam iniuriam adest iniuria priuata, cui ipse homicida quoque satisfacere debet: & ideo vltra exhibitam vitam aliquid aliud est restituendum parti ob iniuriam particularem.

Opi. Nau.

Reijcitur.

69 Sed hæc opinio non est approbanda: quia dum potestas publica punit homicidam vita, satisfacit nedum iniuriæ in Rempublicam, sed etiam in priuatas personas; cum enim tantundem restituitur, quātum fuit ablatum, facta est restitutio ad æqualitatem: qui autem punitur vita pro homicidio commisso, tantum soluit quantum abstulit: ergo nihil soluendum ei remanet. Et hoc est verum, nedum cum homicida ad instantiam partis, & eorum, ad quos spectat prosequi iniuriam occisi, interficitur à iudice, de quo nulla est dubitatio; sed etiam quando iudex ex officio ob bonum publicum interficit homicidam, propter eandem rōnem, scilicet, quia dū punitur vita, satisfacit quò ad æqualitatem, quantum spectat ad iniuriam personalem occisi, & parentum. Secus de damno inde sequuto in rebus externis, de quibus infra nunc dicam. Ad potestatem enim publicam spectat vindicare iniuriam publicam, & priuatam.

De iniuria illata parētibus.

70 Ex eodem fundamento oritur, homicidam, si vita puniatur à iudice, non teneri ad restituendum aliquid parentibus, propinquis, vel alijs in quos ex homicidio illo resultauit iniuria: iniuria enim facta vni personæ non solum quandoque cedit in illam personam, sed etiam in alias, quæ illi coniunctæ sunt: quoniam ex coniunctionibus diuersis, quæ fiunt inter homines insurgit ius vnius hominis in alium: ideo læsio vnius personæ potest esse læsio iuris alterius. e. g. quis emit seruum, vel brutum aliquod, ex illa coniunctione habet ius in brutum, & seruum: qui ergo lædit, & iniuria afficit seruum, vel animal illud brutum, afficit iniuria dominum eius: quia violat ius eius. Sic qui cognoscit vxorem alicuius, infert iniuriā marito, qui est dominus corporis vxoris; eius enim ius violatur. Eadem ratione, qui iniuria afficit filium, fratrē, propinquum, & similes, afficit iniuria patrem, fratrem eius, & propinquos, qui habent ius aliquod in illis: vnde isti, quorum ius lęditur, habent actionem ad prosequendum iniuriam illatam personæ offensæ propter ius suum violatum: Et eadem ratione possunt iniuriam remittere, vel transactionem aliquam facere. Quando ergo homicida vita priuatur à iudice, satisfit iniuriæ huiusmodi parentum, nec amplius aliquid homicida pro iniuria illata parentibus, vel alijs læsis tenetur: quia reddendo vitam ad æqualitatem satisfacit.

Iniuria facta vni quo modo in alios cedat.

An si hæredes remittant pœnā homicida ad aliquid aliud teneatur.

71 Quod autem ait Molina eadem disp. 84. conclusione secunda, quod si hæredes interfecti, & ij, ad quos spectat prosequi iniuriam, remittant homicidij compensationem merè gratis, vel pretio accepto, & transactione facta, homicidam in foro conscientia non teneri ad aliquid aliud restituendum. Tum quia sicut habent ius ad prosequendum accusationem vsque ad pœnam talionis, ita habent ius remittendi eandem mortis pœnam, vel in aliud commutandi; Tum quia homicida habet in potestate sua satisfacere pecunia pro morte interfecti; cum non possit aliter satisfacere: ideo si pecuniam, quam debet, tradat hæredibus interfecti, videtur satisfacere debito. Hoc inquam assertum Molinæ verum est quò ad restitutionem faciendam pro iniuria illata parentibus, nō autem pro iniuria illata personæ interfecti: istæ enim sunt iniuriæ diuersæ: ideo satisfaciens pro vna, non satisfacit pro alia. Neque parentes possunt remittere iniuriam factam ipsi occiso, licèt possint remittere iniuriam factam sibi ipsis parentibus: quia nemo potest remittere, nisi quantum ius suum se extendit; parentes habent ius remittendi tantùm ius suum, non ius interfecti.

Si interfectus anteq̃

72 Et pari modo si interfectus antequam moriatur remittat iniuriam, & damnum illatum sibi, homicidæ,

nedum

Moriat[ur] remittat iniuriam ad huc parentes possunt prosequi iniuriam eis illatam ex homicidio.

nedum quò ad odium, & rancorem ad quod ex charitate tenetur sed etiam explicet se remittere omnē effectū, & damnum sequutum ad mortem suam, quam remissionem faciendo maximè mereretur apud Deum dimittendo sic omne debitum inimico suo; propter Deum, & proinde homicida liber à restitutione huius damni maneat quantum est ex iustitia; non tamen propter hoc manet liber à restitutione debita pro iniuria illata parentibus; Vnde ipsi non obstante remissione facta ab interfecto possunt prosequi iniuriam suam contra homicidam, & ille tenetur eis satisfacere. Quantuncunque ergo hæredes remittant iniuriam gratis, vel alio modo, homicida tenetur ad satisfaciendum pro damno vitæ ablatæ interfecto, & hos saltem ieiunijs, orationibus, & per bona spiritualia, vt supra dicebat Scotus.

Ad rationes Molinæ.

73 Rationes autem Molinæ nullæ sont. Non prima, quia hæredes habent ius solum prosequendi iniuriam propriam cui accidit, vt sit annexa iniuria interfecti: ideo solum possunt remittere iniuriam propriam, non autem interfecti: quia diuersæ sont. Nec sequitur quod si habēt ius remittendi suam iniuriam, habeant quoque ius remittendi iniuriam, & damnum interfecti: quia non sunt hæredes interfecti quò ad bona corporis; sed solùm quò ad bona, & iura externa: ideo in his solum possunt facere remissionem. Et se habent veluti gestores negotiorū, qui solum possunt in vtilitatem principalis agere, non in detrimentum. Non secunda, quia iam dictum est teneri ad restitutionem, & compensationem spiritualem, quæ ipsi interfecto est vtilis, & præsumendum est ipsam optare: per pecuniam autem potest recompensare iniuriam illatam parentibus si sic conueniant; recōpensatio enim bonorum corporis per pecuniam habet locum in damnis alijs extra vitam, vt in mutilatione, vulneratione &c. non in priuatione vitæ corporalis.

Conclusio dictorum.

74 Concludendum est ergo quod si homicida non puniatur vita corporali, tenetur ad restitutionem, & recompensationem spiritualem ipsi interfecto, siue hæredes remittant iniuriam, siue non; & hoc loquendo de interfecto, quem non constet interijsse in peccato mortali; talis enim est inimicus Dei: & ideo est indignus, vt eius iniuria recompensetur. Insuper teneri ad restitutionem, & recompensationem iniuriæ illatæ parentibus, nisi illā remittant, & aliorum damnorum hæredibus obuenientibus ob occisionem illius, de quibus infrà.

De restitutione quo ad dāna in bonis externis.

75 Quantum ad damnum illatum in bonis externis, vt sunt expensæ in curatione antequam moriatur, & damnum illatum parentibus ratione lucricessantis, si operibus illius sustentabantur, & similia, non est dubium homicidam teneri ad restitutionem horum damnorum hæredibus defuncti, vt suprà asseruit Scotus asserto 5. Et miror Molinam ea disp. 84. conclusione prima parte secunda, dicere Scotum oppositum sentire; cum id clarissimè Scotus docuerit, vt videre est in ipso textu, nec video aliquem contradicere: habetur enim clarè capitulo 1. si rixantis de iniurijs, & damno dato ea Exodo cap. 21. vbi dicitur, quod si percusserit alter proximum suum, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lecto, qui percusserit operas eius, & impensas in Medicis restituat.

Mol. Scotus imponit, quod non dicit.

Limitatio Molinæ, & Soto.

76 Soto tamen vbi supra, Molina disp. 83. num. 6. & nonnulli alij dicunt hanc assertionem esse limitandam solùm ad illos hæredes, qui ius habebant, vt ab interfecto sustentarentur, vt sunt vxor, filij, parentes; Alijs verò hæredibus siue ab intestato succedentibus siue ex testamento nihil compensare debere, licèt interfectus illos sustentaret: quia hoc faciebat interfectus ex liberalitate; non quia illi haberent aliquod ius, ob quod ipsis competeret talis sustentatio, Neque homicida interfecit eum animo priuandi hus tali emolumento; sed fuit accidentale, quod illo emolumento per homicidium priuarentur, sicut si morte naturali mortuus fuisset, priuati fuissēt.

Reijcitur.

77 Verùm hæc limitatio mihi omnino abijcienda videtur: quia licèt qui liberalitate sustentabatur ab interfecto, vel ab eo liberaliter aliquod emolumentum accipiebat, non haberet ius perfectum in illis bonis; tamen habebat ius recipiendi illa bona; per occisionem autem eius priuantur hoc iure, & potestate accipiendi illud emolumentum. Vnde sicut qui impedit alium à consecutione alicuius beneficii, vel boni, ad quod non habet ius perfectum fraudibus, & malis artibus, vel dando operam rei illicitæ, tenetur ad restitutionem; ita homicida occidendo iniustè aliquem impedit eos, qui ab eo liberaliter sustentabantur, vel emolumentum aliquod recipiebant à consequutione illius boni, & emolumenti; & proinde cum det operam rei illicitæ tenetur ad restitutionem eorum damnorum.

78 Et certè mihi videtur iniquum asserere, quod si interfectus consueuit alere eleemosinis aliquam pauperem familiam, vel erat dispositus tradere pecuniam pro dote alicui puellæ, homicida non teneatur ad compensandum damnum hoc illa tom illi pauperi familiæ, vel puellæ: quia etsi non habeant ius acquisitum in illa bona, habent tamen capacitatem, & ius ad recipiendum, quod impeditur, & frustratur ab homicida opere illicito.

Ad rōnes aduersariorum.

79 Et per hoc patet ad rationes aduersariorum, licèt enim non habeant ius perfectum petendi, habent tamē ius recipiendi, neque par ratio est de morte naturali, vel accidentali: quia ibi non adest dolus, nec datur opera rei illicitæ. hic autem datur opera rei illicitæ: ideo non est par ratio. Neque sequitur, quod si hoc est verum, sequatur eū quoque teneri alere amicos, & famulos, quos viuens recipiebat in domum, vt arguit Soto: quia nō inuitare amicum, nec habere seruos est damnificare amicum, vel seruos: non enim communiter reputatur quis inferre damnum amico, si eum non inuitet ad prandiū, & huiusmodi: quia nullum ius ei aufertur, vel impeditur; neque status eius deterioratur sicut in præsenti. Proinde opinio Scoti, & Adriani eum sequentis mihi videtur accipienda esse in sua latitudine sine prædicta restrinctione. Vnde hanc opinionem Scoti sic vniuersaliter recipiūt Nauarrus in Man. cap. 15. num. 24. Gabriel, Adrianus, & alij, quos Azorius citat, & sequitur lib. 5. c. 3. q. 12.

Auctores sequētes opinionem Scoti.

Quanta debeat esse ista recompensatio.

80 Quanta verò debeat esse ista recompensatio Scotus vnico verbo absoluit, neque enim totus valor operum interfecti reliquarumque rerum, quæ cum operis computantur tenetur restituere, sed solum quantum prædictis sustentatis, & hæredibus ablatum est per interfectionem proximi. Sed contra hoc obijcit Soto vbi supra ad tertium, quia tunc sequeretur, quod homicida ante iudicis sententiam in summā paupertatem redigi deberet, & talem restitutionem confessor imponere deberet, vt e. g. Si homicida pauper est, qui tantum lucratur quantum ille occisus lucrabatur, tenetur totum dare, & nihil sibi relinquere: quod est absurdum, quia nemo propter restitutionem faciendam conijciendus est in extremam paupertatem, vel graue incommodum sui, vt diximus supra agendo de particula, *quando est restituendum*. Respondetur hanc obiectionem nō procedere contra Scotum; supponit enim Scotus doctrinam superius q. 2. traditam circa particulam, *Quando est restituendum*, quę erat, quod non debet fieri restitutio quando vergit in graue detrimentum proximi: ideo in tali casu habenda est ratio occisi, homicidæ, parentum, & huiusmodi; & iudicandum quantum damnum rationabiliter possit esse ablatum hæredibus, & illud est restituendum proportionaliter.

Obiectio Soto.

Soluitur.

An totus valor operum defuncti sit restituēdus

81 Habetur etiam solutio alterius dubii, de quo Soto. Maior, & alij contendunt, An totus valor operum defuncti sit restituendus. Respondetur iuxta prædictam sententiam Scoti, quam Maior, Azorius vbi supra, q. 3. & alij sequuti sunt, quod non totus laboris, & operum valor est soluendus, sed ille solum quo priuati sunt hæredes, vel illi quibus obueniunt. Ratio est, quia valor in opere minus est, quàm valor in re, & actu; Vnde cum interfectus potuisset cito mori, vel infirmari, & aliud simile pati, non tenetur homicida restituere integrum valorem

operum

operum futurarũ, sed illũ qui sperabatur, qui quantus sit, iudicio prudentum est iudicandum considerans conditionibus interfecti, interfectionis, ingenio interfecti, arte, & industria, qua lucrabatur, & similia, quæ ad certam regulam non possunt reduci.

An homicida obligetur restituere augumentum hæreditatis, quod fuisset futurum.

82 Ex quo habetur responsio ad aliud dubium. Contingere enim poterat, quod occisus suis operibus, & industria esset valde aucturus patrimonium hæredibus tàm ex testamento, quàm ab intestato succedentibus; hæredes autem per occisionem eius his augumentis priuãtur: ergo videtur homicida obligari ad restitutionem huius augmenti. Molina vbi supra iuxta suam opinionem negat: quia inquit, licèt hæreditas amplior futura erat; tamen hæredes compensantur, quod ea morte ita præuenta citius in eis bonis succedunt, ac eis potiuntur. Item quia potuisset alios hæredes instituere, vel in opera pia erogare magnam partem illorum. Sed hæc opinio est reijcienda propter rationem superius adductam: quia homicida per homicidium impedit eos à consequutione illius augumenti contra iustitiam dando operam rei illicitæ. Rationes autem Molinæ si concluderent, sequeretur homicidam reportare beneficium ex homicidio. Nã ex eo, quod hæredes citius adeunt hæreditatem, & interfectus non potest legare ad pias causas aliquid ex illa, ipse subleuaretur ab obligatione restituendi illud emolumentum, & augumentum, quod obuenturum erat, si hæredes adijssent hæreditatem solum tempore mortis naturalis, quod est absurdum. Ideo dicendum est teneri ad restitutionem; sed quò ad quantitatem hoc esse relinquendum iudicio viri boni, & prudentis, vt supra: quia attingere punctum æqualitatis restitutionis in huiusmodi est difficile; & vtilius est per transactionem hanc restitutionem facere, in qua quod superest vtrique parti ab altera donatur. Non restituente autem homicida tenentur hæredes eius pro qualitate hæreditatis restituere dãnificatis prædictis, vel eorum hæredibus, si ipsi defuncti essent; quoniam hæreditatis bona transeunt ad hæredes cum oneribus suis.

Opi. Mol.

Reijcitur.

Ad rationes Molinæ

In huiusmodi restitutione tutius fieri transactionem.

De restõne ob mutilationem, & alia damna corporalia.

Sex asserta Scoti.

83 De alia autem damnificatione in corpore, scilicet mutilatione enormi, vel non enormi communiter Scotus profert sex asserta. Primum, quod non est statuta in Ecclesia restitutio nisi pecuniaria. Secundum, quod debet respondere non solum damno, quod quis incurrit per mutilationem pro toto tempore futuro, quo vsurus esset quis membro abscisso, sed etiam expensis appositis in curatione, quod habetur in cap. 1. De iniurijs, & damno dato. Tertium, quod debet respondere placationi ipsius læsi. Quartum, quod placatio illa requireretur etiam si non esset talis mutilatio; & debet respondere consolationi ipsius afflicti: quia perpetua est sibi desolatio de tali mutilatione. Quintum, inquit plus esse ponderandam mutilationem pauperis, quàm diuitis, si magis egebat parte abscissa ad victũ necessariũ: quia vsus fuisset parte illa ad procurandum necessaria. Sextum licèt ex alia parte sit quædam conditio præponderans, scilicet, dignitas personæ; tamen hoc parum est respectu primæ conditionis. hæc Scotus.

De primo asserto.

Quæ dicta sunt de mutilatione, intelligenda quoque sũt de vulneratione, percussione, & alijs damnis corporalib.

84 Quantum ad primum est obseruandum ea, quæ dicta sunt de mutilatione enormi, vel non enormi; intelligenda esse, quoque de vulneratione, percussione, & alijs damnis corporalibus; atque quod etsi ab Ecclesia nõ sit statuta nisi pœna pecuniaria; non cogitur tamen quis pro restitutione, & recompensatione huiusmodi damnorum accipere pecuniam; sed potest accipere hanc recompensationem in quacunque alia re: Cum enim sit dominus illius emolumenti, quod sibi pro damno debetur, potest illud commutare pro eo, quod sibi magis placet.

De secũdo asserto.

85 Quò ad secundum assertum: quod dicitur recompensationem debere respondere damno, quod pro toto tempore vitæ quo vsurus esset illo membro, debet intelligi, non quod totus valor, sed qui sperabatur illi obuenire detracta ea parte, quæ iudicio prudentis viri detrahenda videretur: quia valor in spe non est tantus, quantus valor in re, vt nunc supra cum Scoto, Maiore, & alijs dicebamus.

De tertio, & quarto asserto.

Obiectio Molinæ.

86 Quò ad tertium, & quartum assertum, Molina tract. 3. disp. 88. num. 3. ait vulnerantem alium ad nullã restitutionem teneri in conscientiæ foro propter vulnus, & dolorem, ac molestiam inde susceptam quando damnũ hoc corporale est reparabile, & nulla læsio vel deformitas manet, sed solum teneri ad pœnam, si ad illã condemnetur, non autem ante condemnationem in foro conscientiæ: quia dolor, & tristitia ex ea causata ad iniuriam spectant. Sed cum læsio illa, dolor, & tristitia sit dãnum corporale, ego non video, cur non teneatur ad recompensationem ante iudicis sententiam, sicut de alijs damnis datis contra iustitiam commutatiuam. Præterea si pertinet ad iniuriam, vt concedit ipse Molina sequitur pertinere ad restitutionem: quia recompensatio iniuriæ in foro conscientiæ est facienda absque iudicis sentẽtia. Non est ergo recedendum à sententia Scoti.

Reijcitur.

De quinto, & sexto asserto.

87 Quò ad quintum, & sextum non est dubium mutilationem in paupere: qui ea parte victum sibi acquirit, maius damnum afferre, quàm mutilatio in diuite, qui sine labore, & opere viuit; mutilatio enim in isto pertinet potius ad iniuriam, & contumeliam facto illatam: ideo licèt pro mutilatione in diuite sit facienda restitutio in bonis, tamen quia diuites illam solent spernere, non est tanta obligatio, sicut in recompensando damno in paupere.

DISPVTATIO LIII.

De restitutione famæ.

Quid sit fama, & honor, & de primo, & principali modo diffamandi proximum, ac restituendi famam.

Caput Primum.

Tria agenda circa materiam de fama.

1 TRIA præstare debemus circa hanc materiã de fama. Primò, quid sit fama, & honor. Secundò, quomodo fama, & honor auferatur. Tertiò, quomodo restituatur, cum solutione dubiorum occurrentium. Quò ad primum dimissis multis, quæ circa explicationem nominis à multis dicuntur, vt colligitur ex Alexandro de Ales, 2. par. q. 129. mem. 1. D. Thoma 2. 2. q. 73. art. 2. & 3. Scoto hac d. 15. q. 4. & alijs Doctoribus Theologis, & Canonistis, ac Philosophis. Fama in communi sumpta, vt comprehendit sub se bonam, & malam famam, est opinio, seù existimatio, quam communiter homines habent de aliquo quò ad vitam, mores, & actiones eius. Fama enim venit à verbo fando, eo quod opinio, & existimatio, quam homines habent de aliquo in illis, aggeneratur ex locutione, & verbis adinuicem prolatis de vita, moribus, & actionibus alicuius personæ. Distinguitur autem à rumore secundùm aliquos, eo quia rumor sit paucorum existimatio, & opinio in vicinia, vel oppido, vel ciuitate; fama verò sit communis, & multorum existimatio, & opinio, vt totius viciniæ, oppidi, vel ciuitatis. Quando autem hęc opinio sit rumor, vel fama propriè, prudentis arbitrio est iudicandum. Fama autem huiusmodi debet habere ortum ex conjecturis similibus, & à personis fide dignis. Quòd si ortum habeat à vanis populi vocibus, non dicitur propriè fama, sed populi vana vox.

Quid sit fama in communi.

Quid sit rumor.

Fama diuiditur in bonam, & malam.

2 Fama sic communiter sumpta diuiditur in bonam, & malam famam, seù infamiam; mala enim fama infamia dicitur. Vnde fama accipitur communiter in bonã partem, & pro bona fama. Vnde fama bona alicuius est opinio, & existimatio communis, quod illa persona sit vitæ, & morum probatorum, vel quod aliquod egregiũ factum fecerit: fama mala verò est, quod sit vitæ, & morum perditorum, & quod aliquod, vel aliqua crimina

perpe-

Infamia duplex.

perpetrauerit, vel habeat aliquas conditiones, quæ eum reddant malę opinionis, & existimationis. Vnde infamia est duplex alia iuris, quæ scilicet in iure est explicata, & statuta. Infamia facti est, quæ oritur ex aliquo facto malo, propter quod apud bonos, & graues, læditur status eius, & mala opinio, & existimatio illius personę generatur, de quibus habetur 3. quæst. 7. cap. *infames*, verbo, *Porro infamia*. & à glosa ibidem, & alijs iuribus ab ea citatis.

Definitio famæ.

3 In præsenti autem, cum disputatur de lęsione, & restitutione famæ, est sermo de fama bona, vt contradistinguitur ab infamia, quę breuiter potest diffiniri sic. Fama est opinio, seù existimatio, quam alij habent de vita, seù statu, & conditionibus alicuius, quod sit immunis à vitijs, & conformis legibus, & bonis moribus. Et hoc idem sonat diffinitio assignata à Glosa in cap. *Vestra*. De cohabit. cleric. & mulier. quæ est. *Fama est illæsæ dignitatis, status, vita, & moribus comprobatus*. cum enim quis est in eo statu, vt eius dignitas idest vitæ conditio sit illæsa, ac moribus sit comprobata, habet opinionem bonam apud alios, & famam bonam. Fama verò differt à gloria: quia gloria addit super bonam opinionem, quod opinio, & notitia sit clara, & cum laude. *Gloria enim est notitia clara cum laude*. dicitur autem notitia clara idest multorum & de re præclara: quia notitia, quam habent multi de re præclara alicuius, est notitia clara. dicitur verò cum laude: quia cum notitia de re præclara additur laus, vt ad aliorum notitiam perueniat, notitia, & opinio illa dicitur gloria.

Quid sit gloria.

4 Honor verò est reuerentia, & actio facta in recognitionem, seù testimonium excellentiæ boni alicuius, quæ actio quandoque cōsistit in verbis, vt cum quis propter aliquod bonum, vel excellentiam, in præsentia, vel scriptis, vt versibus, orationibus, & huiusmodi laudat alium; quandoque factis, vt cum alicui erigitur statua, caput aperitur, genuflectitur, & alijs modis. Hinc dignitates, magistratus & gradus solent appellari honores, eo quia solent conferri hominibus in recognitionem excellentiæ, & boni alicuius illius personæ: atque illa collatio solet esse, & appellari exhibitio honoris, quādo eis tanquā dignis confertur: licèt autem fama, & honor quandoque accipiantur pro eodem; tamen differunt, ideo diuersis vitijs, & actibus læduntur, de quibus infra.

Quid sit honor.

5 Fama autem est duplex, scilicet vniuersalis, & particularis. Fama Vniuersalis est opinio, & notitia, quod vita alicuius, actiones, & mores omnes sint boni, nec vllo vitio peccet. Particularis est notitia, & opinio, quod quò ad aliqua vitia sit innocens; quò ad aliquod aliud verò nequaquam; cuiusmodi sunt aliqui peccatores, qui aliquo peccato noscūtur rei; quò ad alia crimina verò innocentes existimantur.

Fama vniuersalis, & particularis.

6 Ista autem fama, gloria, honor sunt bona hominis magni momenti: quia cum bona hominis sint, tria scilicet bonum animæ, bonum corporis, & bonum externarum rerum, fama, honor, & gloria, præsertim verò fama inter hæc bona externa obtinent primum locum: post enim bona corporis sunt bona famæ, honoris, & gloriæ, deinde bona fortunæ. Vnde Prouerbiorum 2. dicitur. *melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ*. & Ecclesiaste c. 41. *curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille Thesauri magni, & pretiosi*. Et quod damnificans aliquem in bono famę sit graue damnum, probat D. Tho. ea q. 73. art. 2. ex hoc: quia, qui caret fama, impeditur à multis bonis agendis: ideò hoc bonum est valde pretiosum. Ex his sequitur, eum, qui aufert proximo ista bona, Famam, honorem, & gloriam, siue damnificat illū in his bonis, multo magis peccare contra iustitiam, quàm qui aufert bona fortunæ, vt pecuniam, frumentum, vinum, & similia: quia illa sunt bona multo pretiosiora, & altioris ordinis: ideo si qui aufert proximo bona fortunæ, vel damnificat illum in huiusmodi bonis, tenetur ad restitutionem, multò magis qui aufert, vel damnificat proximum in his bonis, tenetur ad restitutionem. Et de hoc nulla est dubitatio inter Theologos.

Fama, honor, & gloria sunt bona hominis secundi ordinis.

Damnificare aliquem in bono famæ est graue peccatū.

7 Ex dictis facilè patet per quæ vitia, & actus, fama, & honor alicuius lædatur, & ei auferatur; & qui proinde ad restitutionem famę, & honoris teneantur. Et quidem quod qui aufert, vel lædit famam, & honorem alicuius peccet peccato mortali ex suo genere, patet, non solum quia hæc damnificatio est contra iustitiam commutatiuam, & proinde contra legem naturæ; sed etiam quia est contra octauum præceptum Decalogi. *Non dices falsum testimonium*. Sicut enim in sexto præcepto. *Non adulterabis*. prohibentur omnes aliæ fornicationes, & actus impudici; & in quinto. *Non occides*. prohibentur omnes iniuriæ corporales: ita in octauo præcepto prohibentur omnia, quibus læditur fama, & honor proximi. Actus autem, quibus præsertim lęditur fama proximi, est detractio. Vnde Theologi allegati supra. Alexander Alensis, & D. Thomas agendo de Detractione agunt de famæ ablatione, & restitutione. Actus verò auferentes, vel lædentes honorem, sunt contumelia, conuicium, improperium, derisio, irrisio, & subsanatio, de quibus etiam infra breuiter agemus. Ratio autem huius discriminis est; quia sicut qui lædit, & damnificat aliquem in bonis fortunæ facto, hoc facit, vel manifestè, vt in rapina, & quacunque alia violentia illata; vel occultè, vt furto, & dolosa percussione. Ita qui lædit aliquem in bonis famæ, & honoris, verbis, vel alijs actibus similibus, hoc facit vel manifestè, vt per contumeliam, conuicium, improperiū, irrisionem, subsanationē, & similia. Ex hoc enim quod aliquis manifestè verba, & facta huiusmodi profert contra aliquem videtur eam paruipēdere atque ideò ex hoc ipso dehonoratur. Vel facit occultè, vt per detractionem. Qui enim præfert verba contra aliquem, sed occultè, videtur eum vereri magis, quàm paruipendere: Vndè directè non infert detrimentū honoris, sed famæ; in quantum huiusmodi verba occultè proferens quantum est ex se, facit, eos, qui audiunt malam opinionem, & existimationem, concipere de eo, contra quem loquitur. Ex hoc apparet contumeliam, cōuicium, & reliqua propriè tendere ad derogandum honori proximi; contumeliam verò propriè tendere ad derogandum famæ proximi.

Lædere famā est contra octauū præceptum decalogi.

Quibus actibus lædatur famam, & honor.

Differentia inter contumeliam, & detractionem.

8 Accedendo modò ad famam. Scotus in hac d. 15. quæst. 4. inquit detractionem, seù diffamationem in genere fieri tribus modis quibus breuiter complectimur totam materiam detractionis, ablationis, & restitutionis famæ. Primus modus est, quando quis crimen falsum imponit alicui. Secundus est, quando quis verum crimen alicuius, sed occultum, in publicum proponit non seruando ordinem iuris. Tertius est, quando ille, cuius verum crimen, sed occultum, in publico propositū, negat. Nam in hoc negans notat imponentem de calumnia, & sic lædit famam imponentis.

Tribus modis qui diffamatur ex Scoto.

1. Modus.

2. Modus.

3. Modus.

9 Diuus Thomas, Alexander Alensis, & alij Theologi varijs locis varios modos diffamandi assignant, sed omnes coincidunt, vel reducuntur ad hos tres assignatos à Scoto. Nam D. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 2. ad secundum assignat hos tres modos. Primus est, verum dicendo, & iustè siue ordine debito. Sed iste modus non pertinet ad restitutionem, neque est peccatum; ideo eum non enumerat Scotus inter modos diffamandi, vt videbimus. Secundus est, falsum dicendo, & iniustè; & hic reducitur ad primum modum dicendi Scoti. Addit verò D. Thomas verbum illud, iniustè, superfluè: quia qui imponit crimen falsum alicui non potest imponere illud, nisi iniustè. Vnde Scotus illud non apposuit. Soto tamen lib. 4. de iustitia, & iure q. 6. art. 3. ad 4. nititur declarare hoc dictum D. Thomæ per exemplum de Iudice coactio damnare innocentem, probatum legitimè nocentem ad suum tribunal. Sed hoc exemplum non est ad propositum: quia iudex in hoc casu nec imponit falsum crimen, nec iniustè damnat, sed iustè: potest tamen dici (si tamen habet ali-

Tres modi adducti à D. Thom. coincidunt cū modis assignatis à Scoto.

quam

quam probabilitatem) quod D. Thomas noluit dicere. Secundum modum diffamandi aliquem esse imponere falsum crimen alicui, & iniustè idest scienter, & prauo animo: contingere enim potest, quod quis imponat alicui falsum crimen iudicando, & credendo esse verum, vel imponendo, sed iocosè, ita quod non credatur ab ijs, coram quibus illum de tali crimine diffamat. Hic enim videtur posse dici imponere falsum crimen, sed non iniustè: quia vel non peccat, vel non aufert famam, vel quid simile. Tertius modus est, dicendo verum, sed iniustè, vt cum aliquis prodit crimen alterius, sed contra ordinem iustitiæ. Hic coincidit cum secundo modo dicendi Scoti.

Alij modi defamandi aliquem ex D. Th. qui ad prædicta reducuntur.

10 Eadem verò 2.2. q. 73. art. 1. ad 1. dicit aliquem detrahere famam alicui quandoque directè, quandoque indirectè. Directè quatuor modis. Vno, quando falsum imponit alteri. Secundo, quando peccatum adauget suis verbis. Tertio, quando occultum reuelat. Quarto, quando id quod est bonum dicit mala intentione factum. Indirectè verò tribus modis. Primo, negando bonum alterius. Secundo, malitiosè retinendo. Tertio, minuendo. Sed isti modi quoque reducuntur ad duos priores modos assignatos à Scoto, vt sunt modi illorum declarantur. Nam duo priores modi detrahendi directè clarè reducuntur ad primum modum assignatum à Scoto, qui enim adauget crimen impositum suis verbis, est ac si imponat crimen. Idem dicendum de quarto modo: quia qui dicit bonum mala intentione esse factum, imponit falsum crimen proximo. Tertius modus verò aperte reducitur ad secūdum modum positum à Scoto. Tres modi indirecti detrahendi reducuntur ad primum modum Scoti. Qui enim interrogatus de bono opere proximi, negat eum fecisse illud vel tacet malitiosè, vel minuit priuat proximum bona opinione sibi debita; Et proinde est ac si illi crimen imponat, quo fama sibi debita ei auferat.

Sex species detractionis secundum Alensem.

11 Alensis par. 2. quæst. 129. mem. 1. In fine ponit sex modos, seu differentias detractionis, quæ cum prædictis coincidunt. Primus est, cum negamus bonum, quod scimus ab aliquo factum, vt cum Ioan. cap. 9. Hebrei negauerunt miraculum de cæco nato, quod sciebant factū à Christo. Secundus, cum tempore, quo quis est laudandus, tacemus, vt cum Matthe. vltimo milites, qui viderant Christum resurrexisse, accepta pecunia tacuerunt. Tertius, cum dicimus bonum, quod negare non possumus, esse factum mala intentione, vt Eccles. 10. *Bona in mala conuertentes insidiantur*. Quartus, cum occultum reuelatur modo, quo non debet. Eccl. 47. *Qui denudat arcana amici perdit fidem*. Quintus, cum malum augetur. Eccl. 11. *Ob vna scintilla augetur ignis & à doloso augetur sanguis*. Sextus est adinuentio mali. Eccl. 11. *Attende tibi a pestifero fabricat enim tibi malum*; patet autē, quod isti reducuntur ad priores.

Primus modus dicendi Scoti explicatus.

12 Primus modus dicendi Scoti ergo, in quo præsertim consistit detractio, & infamatio, fit non solum verbis, sed quocunque externo actu, qui præiudicat famæ proximi, vt scriptis, signis, nutibus, & similibus indicantibus aliquem laborare aliquo vitio, & crimine. Quò ad hunc modum, inquit Scotus, qui aufert famam alicui imponendo ei falsum crimen, tenetur ad restituendum ei famam suam. Modus autem, quo fama hoc modo ablata restitui debet, inquit Scotus, est, quod eo modo, quo diffamauit imponendo falsum crimen, eodem modo retractet verba, & consequenter omnem actum illum, quo ei famam abstulit, idest si publicè diffamauit, retractet publicè; si priuatim apud aliquos paucos, apud illos illa verba, & facta retractet, dicendo se mentitum esse, vel malè, & iniustè imposuisse ei crimen illud. Hoc probat Scotus: quia aliàs qui diffamauit proximum non seruat iustitiam: quia non reddit proximo quod suum est, scilicet famam, & bonam opinionem apud eos, apud quos eam illi abstulit. Hæc est opinio communis, quam habet quoque D. Thomas vbi supra ad secundum, & communiter omnes alij eam sequuntur, licèt Soto, & Nauarrus aliquid aliud requirant, vt videbimus.

Quomodo restituenda est fama ablata primo modo.

Obiectio ex Scoto cōtra prædictam solutionem.

13 Scotus autem contra prædictam solutionem arguit, vt magis declaretur. Vnusquisque magis tenetur zelare famam suam, quàm proximi; non posset autem retractare verba diffamantia, & restituere famam ablatā proximo modo prædicto, nisi seipsum diffamando: ergo videtur, quod sic diffamans nō teneatur ad restitutionē.

Solutio.

14 Respondet Scotus, nihil obstare, quod ex restitutione famæ facta proximo sequatur infamia imponentis crimen. Quod Scotus probat: quia sicut supra dixerat soluendo sextum argumentum secundæ quæstionis huius dist. 15. bona nostra, seu corporis, seu externa non sunt diligenda à nobis nisi iustè; debemus enim illa diligere in ordine ad Deum; & proinde secundùm regulam traditam nobis à Deo. Regula autem tradita nobis à Deo est, vt velimus hæc bona magis ille, cui iustè conueniunt, quàm illi cui iniustè conueniunt, vt dictum fuit superius in illo casu, quo quis extremè egens est dominus vnius panis, quo se seruare potest in vita; alter verò in eadem extremitate existens habet panem illum apud se; nā ibi dixit Scotus, quod panis ille debet restitui domino: quia iustè illi competit: quoniam præterquam quod est in æquali indigentia cum altero, habet dominium illius panis: & ideo illi magis competit quàm alteri, qui non habet illius dominium. In proposito ergo cum illi, cui impositum est falsum crimen, fama iustè debeatur; illi verò, qui imposuit crimen, fama non debeatur iustè: quia illa factus est indignus per impositionem falsi criminis proximo, qua publicè mentitus est, sequitur, quod fama restituenda sit illi, cui impositum est falsum crimen, spreta fama diffamantis, & imponentis crimen falsum.

Confirmatio.

15 Quod confirmat: quia qui imposuit crimen innocenti, dum illud retractat, & ostendit innocentiam eius, & nocentiam propriam, non diffamat se, sed amouet falsam laudem à se, qua post accusationem, seù detractionē publicam est indignus, & facit actum iustitiæ, & proinde non est dicendum se infamare, & facere actum iniustū. Quod declarat exemplo: Si quis fornicatur tribus videntibus, & illi postea eum accusent, vel publicent crimen illud, non diffamant illum, sed ipsemet se diffamauit facto illo publico; Ita in proposito, qui imponit crimen falsum alicui publicè diffamando eum committit crimen publicè, quò famam amittit ipso facto: ideo licèt ipse se, vel alius eum accuset, vel publicet, non diffamat eum: quia iam diffamatus est.

Alia confirmatio.

16 Denique confirmat hoc Scotus hac maxima communiter recepta, & ex lege naturę nota. Quicumque committens, crimen quodcunque publicè, incurrit læsionem dignitatis suæ, & sic amittit famam, quantum est ex se; nec publicatio illa postea, per quam notificatur illa læsio, aufert illi famam, sed tantummodo facit deuenire magis in publicum illud, quod ea natura actus commissi prius, simpliciter erat publicum.

An murmurans de aliquo teneatur ad restitutionē famæ.

17 Excitat deinde Scotus dubium curiosum, ex cuius solutione habetur regula ad cognoscendū, quando quis teneatur ad restitutionem famę. Dubium ergo est, An si quis in publico, nō quidem imponat crimen proximo, sed tamen murmuret, vel indiscretè loquatur, vel alicui coram multis narret crimen alicuius, non tamen tanquam certum, sed sic se audiuisse, iste teneatur ad restitutionem famæ.

Responsio Soto, & aliorum.

18 Respondet Soto lib. 4. de iustitia, & iure, quæst. 6. ar. 3. ad quartum, dans regulam cognoscendi quando fama auferatur, quam regulam videtur desumpsisse ex Caietano 2.2. q. 73. ar. 2. Soto autem sequuti sunt recentiores. Azorius 3. par. lib. 5. cap. 9. Molina tract. 4. disp. 40. & alij. Regula autem est hæc, nunquam aliquis de necessitate salutis tenetur ad restitutionem famæ, nisi quando illam contra iustitiam abstulit, vel læsit. Quæ regula proculdubio est vera. Eam autē declarat per tria notabilia.

Regula Soto cognoscendi quādo famam est restituēda.

Primum

Primum est, quod fama verè sit ablata, vel obscurata. Et hoc notabile quoque est verum; nisi enim fama sit ablata proculdubio non tenetur ad restitutionem; si enim nihil abstulit, nihil secundùm iustitiam debet. Sed subiungit famam non tolli quatuor modis. Primus est, si homo, qui infamatur, est talis conditionis, cui secundùm humanam reputationem illa non est infamia. Dat exemplum, vt si de aulico homine quis dicat eum seruire puellæ aulicæ, si fœmina non infamaretur, viro fama non auferretur. Ratio eius est, quia secundùm humanam reputationem ex hoc homini illi non oritur infamia, vel modica. Caietanus dat exemplum vt fornicatio in iuuenibus secularibus, & etiam adulterium. Nam inquit, isti tanti faciunt, quod quis dicat eos fornicasse, vel adulterasse, quanti quod dicat eos cenasse.

Fama non tollitur secũdum Soto quatuor modis.

Reijcitur.

19 Hic modus dicendi mihi nullo modo probatur: nam regula cognoscendi, quando actus sit ablatiuus, vel læsiuus famæ, non est sumenda ab humana, seù mundana reputatione, sed à regula legis naturæ, & Euangelij. Nam mundus, seù homines mundani, & huius seculi sæpè dicunt bonum malum, & malum bonum. Vnde in seculo, & apud mundanos fornicari, adulterari, inimicis nocere, alios spernere, non habentur pro criminibus; sed qui eos perpetrant, habentur pro virilibus hominibus; tamen secundùm diffinitionem famæ secundùm legem naturæ Euangelicam, & Canonicam hæc crimina auferunt famam. Nam dicebamus supra, quod fama est status illæsę dignitatis, vita, & moribus comprobatus. Non est autem dubium, quod fornicatio est crimen in quocunque, quod lædit dignitatem status. Similiter seruire puellæ aulicæ; est enim actus ordinatus ad actum luxuriæ de sua natura, & ideo est criminosus. Licèt ergo homines mundani assueti malis moribus parum estiment ista crimina, hoc non facit, quin sint contra dignitatem status, & bonos mores, & proinde non pariunt malam opinionem apud alios.

Cõfirmat.

20 Confirmatur, quia D. Thomas 2. 2. quęst. 73. ar. 2. inquit læsionem famæ esse malum valde graue: quia per famæ defectum impeditur homo à multis bonis. Patet autem, quod qui committit fornicationem, & adulteriũ, vel seruit puellæ aulicæ, & incumbit huiusmodi actionibus peccaminosis aulicorum, quę tamen ab ipsis propria oblectamenta reputantur, est indignus, vt promoueatur ad Christianas dignitates Ecclesiasticas, vel ciuiles: quia huiusmodi promouendi debent esse moribus conuenientibus, legibus rectis, & Christianis. Cum ergo per huiusmodi crimina, de quibus homines mundani gloriantur, nec propter illa infames se reputant, homines impediantur secundùm rectam rationem à dignitatibus, & bonis honorabilibus, verè infamant homines, & consequenter ea imponere proximo, vel ea detegere, est diffamare illos. Vnde non est dubium, quod si hæc crimina, quæ à mundanis infamatè non reputantur, imponerentur viris, vel mulieribus probis, prudentibus, & senioribus illud maximam iniuriam reputarent. Hoc autem non esset, nisi hæc crimina ex sua natura infamiam secum ferrent.

Ad rõnem Soto, & aliorum.

21 Ad motiuum autem aduersariorum respondetur, quòd diffamatio habet latitudinem quandam: quia criminum aliud est magis, & minus turpe. Quia ergo ista crimina non sunt ita turpia, sicut furtum, rapina, & alia multa, & personæ, quæ illa committunt quandoque propter fragilitatem quoquo pacto excusantur, parum diffamant in comparatione ad alia crimina grauiora, & alias personas, quæ illa perpetrarent, sed tamen absolutè infamant, & causant malam opinionem.

Secundam dictũ Soto. An imponere falsũ crimẽ iam ĩfamato sit infamari.

22 Asserit secundò Soto tunc non auferri famam, quando imponitur falsum crimen iam infamato, vt si quis dicat meretricem tali nocte admisisse lęnonem, quẽ tamen non admisit; inquit enim non esset reuera peccatum mortale, neque fama esset restituenda.

Reijcitur.

23 Verùm neque hoc assertum mihi probatur, quia est contra iustitiam imponere falsum crimen proximo; siue ille iam sit infamis, siue non: neque enim ex eo, quod ille est malæ opinionis, fit, quod qui falsum crimen illi imponit non agat contra iustitiam. Præterea vt dicebamus nunc suprà. Fama habet latitudinem, & vnus potest esse magis infamis, quàm alius: qui enim pluribus criminibus notis est mutatus, est magis infamis, quàm alter, qui non tot criminibus est diffamatus: ergo qui falsum crimen imponit meretrici adauget eius diffamationem, & est concausa illius: ergo lædit famam eius, & consequẽter tenetur eam illi restituere in ea parte, qua illam adauxit, & læsit.

Tertiũ dictum Soto.

24 Tertiò asserit, quando qui diffamatus fuerat, alia via recuperat famam suam, eum, qui diffamauit, manere liberum ab obligatione restitutionis famæ: quia iam alter habet, quod perdiderat. Neque hoc assertum mihi omnino probatur, sicut nec probatur Adriano in 4. de restitutione, q. 34. quia licèt ille, qui fuit diffamatus, aliũde se compurget à crimine; tamen nunquam ita plenè purgatur à suspicione sicut per retractationem illius, qui eum diffamauit. Neque diffamator debet reportare beneficium ex eo, quod alia via diffamatus suam famam recuperauit, sed debet ipse, qui diffamauit illi satisfacere.

Reijcitur.

Modus dicẽdi Scoti, & antiquiorum Theologorũ est retinẽdus. Regula cognoscendi quando ex detractione sequitur infamia.

25 Dicendum est ergo cum Scoto, & antiquioribus Theologis, tunc solum diffamatorem excusari à restitutione famæ, quando per suam detractionem reuera non aufert famã proximo. Regula autem cognoscendi, quando quis detrahendo aufert famam, est, si ille non de re leui, nec ioco, quibus infamiam non sequi certum est; sed de re graui, non murmurando, vel indiscretè loquendo, vel coram multis dicendo se audiuisse, & similibus; sed quando certo modo rem narrat, vt ostendat se habere maiorem certitudinem, quàm ea, quæ ea communi relatione habetur. Ratio est: quia qui citò credit, leuis est corde: ideo qui cuicunque obloquenti de alio, vel imponenti aliquod crimen statim credit, leuis est corde: & si amittit bonam opinionem de eo, de quo est sermo, non debet imputari ei, qui obloquitur, sed fatuitati illius, qui credit: quia *rara fides est: quia multi multa loquuntur*. Verũ quando qui diffamat ostendit se certiori modo rem scire, quàm ex communi relatione habeatur, tũc actus ille ex natura sua est aptus parere malam opinionem, & tollere famam proximi; & consequenter qui sic diffamat proximum, tenetur ad restitutionem, & ad se retractandum: quia fecit actum qui de sua natura est ablatiuus famæ, & est contra iustitiam.

26 Dico autem, quod ex sua natura est ablatiuus famæ: quia nedum est læsiuus materialiter, vt verba, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quæ notabiliter de se sunt læsiua famæ materialiter, licèt non formaliter, si non animo lædendi dicantur, vt obseruat in hoc rectè Caietanus 2. 2. quæst. 73. ar. 2. Sed quia facit actum læsiuum famæ materialiter, simul & formaliter. Materialiter: quia est de se notabiliter læsiuus famæ. Formaliter: quia narrando significat se scire rem illam certiori modo, quàm ex communi relationi habeatur. Et proinde aufert famã quantum est ex se. Si tamen certò sciret illos ei non credere: quia vel haberent illum pro inimico illius quem diffamat; vel sciret illum esse blateronem, excusaretur à restitutione famæ. Sed si hoc non sciret certò; siue illi ei crediderint; siue non, ipse tenetur retractare: quia fecit actum contra iustitiam, & in graue detrimentum proximi.

Si diffamator sciret sibi non credi non teneretur ad restitutionem.

Cauẽdum esse à murmuratione & quare.

27 Obseruat tamen Scotus, quod licèt non sit asserendum, eum, qui obmurmurat, vel indiscretè loquitur, vel dicit se ab alijs audiuisse, non faciat actum ex sua natura ablatiuum famæ, quia illud non asserit; esse tamen ab huiusmodi actibus abstinendum propter pusillos, qui facilè scandalizantur, & credunt. Cauendum est autem à scandalo pusillorum iuxta illud Pauli 1. Corint. 8. *Si proximum scandalizem non manduco carnes in æternum*. Multi autem sunt pusilli leues ad credenda mala, vt patet:

ideo est periculosum talia audita ex relata eis referre. Et subiungit, quod si quis referrat illud crimen de aliquo auditum ab alijs animo malo, scilicet lędendi famam illius, de quo est sermo, non est facilè eum excusare à peccato contra charitatem, & per consequens a peccato mortali. Et ratio est, quia licèt non peccet contra iustitiam: quia actus ille de sui natura non est ablatiuus famæ proximi; tamen quia narratur animo lædendi famam, est peccatum contra charitatem, qua tenemur nolle proximo malum, sed eum diligere.

Quando murmuratio est peccatum veniale.

28 Deinque subiungit, quod si talis narratio fiat coram aliquibus ex inconsideratione; Durum est, quod excat genus peccati venialis. Ratio est: quia *lingua in lubrico posita est, & qui non offendit in verbo hic perfectus est vir.* Iacobi 3.

An qui narrat crimen alicuius, dicendo eum se non credere cũ tale crimẽ fecisse, auferet famam. Responsio Scoti, & aliorum. Opinio cõtraria Soto reijcitur.

29 Sed dubium speciale est. Si quis recenseat crimen alicuius coram alijs dicendo, tamen se nihil de tali crimine nosse, nec credere, an hic modus detrahendi auferat famam, & obliget ad restitutionem. Scotus quidem cui assentit Caietanus 2.2.quæst.73.ar.2. Nauarrus in Man. cap.18.num.47. Syluester, Angelus, & alij verbo *Detractio*. Dicit ad nullam restitutionem teneri, vt visum est. Soto tamen vbi suprà valde reclamat contra hunc modum diffamandi: quia inquit. Sic enim narrando alteri fama eundo crescit; & quo magis quis se iustificat, tanto magis infamat: ideo putat huiusmodi obligari ad restitutionem. Attamen hæc Soto opinio à recentioribus quoque reijcitur, & rationabiliter propter rationes superius adductas: quia cum non asserat seriò se scire certo, kritas cordis est credere. Nisi ergo qui sic narrat, addat aliquam maiorem certitudinem quam sit, quæ ex communi relatione habetur, non tenetur ad restitutionem. Rationes autem Soto solum concludunt abstinendum esse propter scandalum pusillorum, & vel peccare mortaliter si hoc narret animo nocendi proximo, vel venialiter si ex leuitate, vel inconsideratione.

An ad restitutionẽ famæ sufficiat sola retractatio. Responsio Soto.

30 At est non leue dubium, An ad restituendam famam ablatam sufficiat retractatio sui dicti coram illis, quibus hanc detractionem fecit. Respondet Soto vbi suprà non sufficere solam retractionem coram illis corã quibus illum diffamauit, scilicet dicendo se mentitum esse, sed requiri, quod adhibeat iuramentum se mentitum fuisse, ac etiam adhibeat testes se falsum dixisse si quis fuerit, vt qui culpa diffamantis infamia respersus fuerat eiusdem diffamantis diligentia famam recuperet. Ratio ipsius est: quia homines procliues sunt ad credendum

Fundamentum eius.

potius mala, quam bona: ideo opus est adhibere maiorem probationem ad faciendam fidem, quod mentitus fuerit, quam ad detrahendum famæ proximi.

Opi. Nau.

31 Nauarrus in Manuali cap.18.num.45.& Azorius vbi suprà quæst. 6. sequuntur Soto quò ad iuramentum, sed quod sit necessarium regulariter adhibere testes, inquiunt sibi videri durum: Videtur enim satis esse adhibere iuramentum, si aliàs ei non crederint: quia regulariter multo maioris ponderis est iuramentum, quàm simplex dictum; & communiter maiorem fidem adhibemus ijs, quæ cum iuramento asseuerantur, quàm ijs quæ

Opi. Mol.

simpliciter dicuntur. Molina tract.4. disp.41. propendet in opinionem Soto, & Adriani, quæ est eadem cum Soto; tamen in opinionem Nauarri ait se descẽsurum fore, si opinio illa Soto, & Adriani non esset vera. Et ratio eius

Fundamentum eius.

est, quia cum diffamans à principio dederit occasionem amittendi famam proximi, tenetur adhibere omne medium ad illam recuperandam. Vnde si facta retractatione, & adhibito iuramento, & illi, qui audierunt nollent falsam opinionem conceptam deponere, licèt iniquè agant: quia ipse diffamans particulariter est causa, propter quam infamia illa remaneat: quia à principio imponendo falsum crimen dedit occasionem, vt hæc infamia non tollatur, adhuc remanet obligatus, & tenetur quærere modum auferendi illam infamiam; Vnde sicut debitor mittens pecuniam suo creditori per nuntiũ infidelem, qui eam non dat creditori, non liberatur ab obligatione restituendi, ita qui culpa aliorum, qui nollũt ipsi retractanti credere, non restituit famam, non remanet solutus ab onere restituendi.

32 Ego autem puto horum opinionem non esse approbandam, & solum sufficere ad restitutionem famæ in conscientia, quod diffamans se retractet seriò coram illis apud quos proximum diffamauit absque iuramento, & multò magis absque testibus, & alijs sumptibus ad faciendum, vt ij, qui ex ea detractione malam opinionẽ conceperunt, illam deponant. Antiqui enim Doctores Alensis parte 2. quæst. 129. memb.6. D. Thomas 2.2.q. 62.ar.2.ad tertium, Scotus hic apertè nihil aliud requirunt. Nam D. Thomas loco citato, declarando quomodo huiusmodi diffamator teneatur restituere famam, habet hæc verba. *Alio modo falsum dicendo, & iniustè; & tunc tenetur restituere famam cõfitendo se falsum dixisse.* Ecce quod D. Thomas nihil aliud requirit nisi retractationem prioris dicti, asserendo se falsum dixisse. Alensis loco citato rem clarius aperit; respondendo enim ad primum argumentum in oppositum, quod erat, quia restituere famam est impossibile: nam homo, non habet in potestate sua mutare opinionem malam illius, qui ex detractione facta eam concepit. Respondet Alensis, quod etsi fortè sit impossibile mutare opinionem malam hominis; tamen non est impossibile sibi dicere bonum de eo illis, quibus dixit malum; & quod ideo tenetur ad id, vt bonum dicat, sicut dixit malum, & ostẽdat se deliquisse, ex quo fortè illorũ mutabitur opinio; sicut enim exhibuit membra seruire iniquitati ad iniquitatem; ita tenetur exhibere membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem: hæc Alexander. Non cogit ergo Alexander diffamatorem ad adhibendum alia media ad remouendum opinionem malam, vt iuramentum, testes, & alios sumptus, qui iudicarentur necessarij, vt isti requirunt.

33 Et confirmatur, quia in praxi Ecclesiæ non videmus diffamatorem obligari ad aliquid amplius, quàm ad retractationem seriam, & veram. Cõfirmat.

34 Ratio etiam id conuincit. Quia diffamator tenetur restituere famam proximo eo modo quo eam abstulit, & quo communiter comparatur; sed sic est, quod abstulit famam præbendo causam malæ opinionis proximi per impositionem criminis falsi, & bona fama comparatur per notificationem innocentiæ vitæ proximi: ergo cum diffamator retractat impositionem falsi criminis, aufert causam opinionis malæ, & ingerit causam opinionis bonæ concipiendæ: ergo sufficienter restituit famam, nec ad amplius tenetur: quia restituit totum, quod abstulit, quantum est ex se. 2. Ratio.

35 Confirmatur, quia essentia diffamationis non est, quod alius credat, vel non credat verum esse crimen impositum; sed hic est effectus sequens ex diffamatione, & non est effectus necessarius, sed solum, vt plurimum: quia contingere potest, quod propter illam diffamationem audientes non concipiant malam opinionem diffamati; neque diffamans potest esse certus, quod ex illa diffamatione concipiant malam opinionem; licèt id ostenderent signis externis, cum sit actus internus. Sed essentia diffamationis est impositio criminis per verba illa detractionis, siue sequatur opinio mala, siue non. Ergo quando diffamator retractat impositionem illam criminis, quæ est causa malæ opinionis aufert essentialiter diffamationem, & restituit proximum in suo priori statu famæ bonæ; aufert enim causam opinionis malæ in ijs, apud quos detraxerat. Vnde si ipsi non mutent opinionem agunt contra iustitiam, & illis est imputandum, nõ diffamatori: quia amplius ille opinionis malæ non est causa, neque concausa. 3. Ratio.

Fundamentũ Molinæ.

36 Neque obest, quod à principio fuerit causa illius malæ opinionis, vt dicebat Molina: quia iam illam causam aufert, & tollit, & per confusionem, quam ex retractatione accipit, purgat culpam, quàm in principio commisit:

misit: ideo mala opinio, quæ remanet in illis, non amplius pendet à diffamatione: quia illa iam nõn amplius adest: ablata autem causa aufertur effectus ab illa pendens: sufficit ergo ad restitutionem famæ retractare seriò, & nihil amplius.

An sufficiat retractare se coram ijs tantum coram quibus diffamauit. Opinio prima quę reijcitur.

37 Dubitant alij. An sufficiat retractare impositionẽ criminis coram ijs tantùm: apud quos ille diffamauit, An etiam apud alios quibus illi audientes retulerunt. Aliqui asserunt. Sed hæc opinio est irrationabilis: cum enim verba ex ore prolata in infinitum crescant est impossibile diffamatorem posse se retractare apud omnes, ad quos talis diffamatio peruenit. Proinde Alensis vbi suprà ad 3. innuit sufficere, vt retractet coram ijs apud quos ipse detraxit: nam inquit licèt sit infinitum ex parte eius, qui audit detractionem, non tamen est infinitum ex parte eorum coram quibus diffamator detraxit, sed potest esse certus: ideo tenetur coram omnibus illis retractare, & de tot, de quot detraxit.

Sed qd si ij apud quos alicuius est facta diffamatio iam obliti sunt?

38 Sed quid dicendum, si ij, apud quos quis diffamauit proximum, iam obliti sunt criminis impositi? Respondetur communiter non teneri: quia iam nihil infamiæ habet apud eos: immo velle se retractare coram illis, esset eum diffamare: quia esset reuocare in memoriam illud crimen, de quo iam ipsi obliti erant. Et hoc idem dicendum est, quando iam transiuit multum tempus, vt quindecim, vel 20. anni: neque interrogandi sunt ij, An illius diffamationis meminerint propter eandem rationem, quidquid dicant Caietanus 2.2.q.62.a.2.& Nauarrus in Man. Cap. 18. nu. 47. quia vt rectè quoque sentit Azorius vbi suprà q. 5. post iam longum tempus hæc refricare esset de nouo potius infamare, quàm famam restituere, præsumendum est enim diuturnitate temporis, & mutatione rerum hæc in obliuionem iuisse.

De alijs duobus modis auferendi, & restituendi famam.
Caput Secundum.

Secundus modus detrahendi.

39 SEcundus modus principalis detractionis, seu famã auferendi alicui ex Scoto est, quando aliquis crimen verum, sed tamen occultum in publicum producit, non seruato iuris ordine. Pro intelligentia autem huius rei obseruandum est, quod vnusquisque tenetur seruare secretum alterius, ex quo illi oriri potest aliquod malum, non solum ex charitate, sed etiam ex lege iustitiæ, & naturæ. Et ratio est: quia ex lege iustitiæ indita cordibus nostris vnusquisque tenetur nihil facere, quò proximus in bonis suis lędatur; siue ea bona honoris sint, siue famæ, siue corporis, siue externa, & diuitiarũ. Quod Scotus latè probat in hoc 4 d. 21. q. 2. agendo de sigillo confessionis concl. prima & secunda & breuiter patet ex lege naturæ explicata à Christo Matt. 7. *Omnia quęcunque vultis, vt faciant vobis homines hoc facite illis; hæc enim est lex, & Prophetę.* & Lucę 6. *prout vultis, vt faciãt vobis homines, & vos facite illis.* Ex hoc sequitur, quod qui manifestat aliquod secretum, & occultum, ex cuius manifestatione, fama, aut honor proximi lęditur, peccat contra iustitiã, & legem naturæ. Sic peccat, qui nouit secreta alicuius, & ea reuelat; & quia ex reuelatione peccati occulti proximi cedit ei damnum famæ: ideo reuelatio peccati est peccatum contra iustitiam, & obligat ad restitutionem.

Reuelare secretũ vt est peccatum.

Alius modus quo qs tenetur seruare secretum.

40 Potest autem contingere, quod quis vltra legem iustitiæ adhuc alio vinculo obligetur ad seruandum secretum, vt si iniusto modo deuenit in cognitionem illius secreti. Nam tunc non solum lege naturæ tenetur illud secretum seruare, sed etiam ratione iniusti modi quo illud secretum nouit.

Tertius modus quo ad idem tenetur.

41 Tertiò potest obligari ad tacẽdum ex promissione, seu ex pacto, vt siquis nouit aliquod secretum, vel peccatum alicuius, & promisit non reuelare illud. Tunc tenetur lege naturæ, & iustitiæ, & insuper ratione promissionis, vel pacti facti.

42 Denique potest obligari ad non reuelandum aliquod occultum: quia illi commissum est illud vt secretũ, atque hac conditione, vt illud non reuelet, & appellatur propriè secretum commissum: hoc patet, quia ex eadem lege naturæ vnusquisque tenetur seruare fidelitatem proximo suo: quia vellet illam sibi seruari: ergo si quis committit aliquod secretum alicui, vt illud seruet apud se, tenetur seruare virtutem fidelitatis, quæ est de lege naturæ. Quando autem liceat huiusmodi secretum reuelare superiori, & in quib. casibus diximus suprà explicando quæstionem illam de manifestatione secreti, & de sigillo cõfessionis.

Quartus modus quo ad idẽ tenetur.

Qñ liceat manifestare secretũ.

43 Ad propositum ergo certum est secundùm omnes, vt patet ex allegatis suprà ex Alexandro Alensi, D. Thoma, & communiter ex omnibus, cum quis reuelat peccatum occultum, & secretum proximi ex quo ei resultat infamia non seruato ordine iuris, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. Quod deducitur ex ratione qua quis obligatur ad seruandum secretum nunc suprà adducta. Addita est illa particula, *iuris ordine non seruato*: quia vt infra patebit cum reuelatur secretum occultũ proximi in his casibus, & eo modo quo iura præscribunt, reuelans non peccat, nec tenetur ad restitutionem famæ. Sed tota difficultas est, quomodo hæc restitutio est faciẽda. Conueniunt omnes obligari sine dubio ad restitutionem famæ propter rationem communem superius adductam: quia qui aufert famam, illã restituere tenetur. Conueniunt etiam huiusmodi diffamatorem in restituenda fama hoc modo ablata, non posse dicere se mentitum fuisse. Ratio est, quam præsertim adducit hic Scotus art. 2. quia tunc mentiretur cum sciat illud, quod dixit esse verum. Nemo autem tenetur mentiri propter quodcunque bonum reddendum alteri: quia mentiri est peccatum. Nemo autem tenetur committere aliquod peccatum vt restituat ablatum proximo. Tenetur ergo aliquo alio modo licito restituere famam. Verùm quis sit iste modus est difficultas Scotus hic art. 2. D. Thomas 2.2.q.62.a.2.ad 2. & plerique alij doctores aiunt esse, si vtatur huiusmodi verbis. Non credatis eum esse talem; malè enim dixi, nec benè rem aduerti; detractor fui, contra iustitiam feci, famam proximi malè lęsi, & ideo mihi minime credere debetis.

Quomodo fama hoc modo ablata sit restituenda.

Opin. Scoti, D. Thomæ, & communior.

44 Verùm contra hunc modum communem restituendi famam est obiectio grauis facta à Caietano, Soto vbi suprà, & ab alijs. Quia hic modus restituendi famam potius aliquando posset obesse quàm prodesse ad restituendam famam. Nam periti, qui sciunt hunc esse modum restituendi famam, quando quis infamauit proximum detegendo crimen verum, & alium esse modum restituendi famam, quãdo quis imposuit crimen falsum: quia tunc vti debet hoc modo loquendi, Ego mentitus fui, imponendo tale crimen Titio: in hoc vero 2. non posse mentiri, iudicabunt immo magis se confirmabunt, infamatum commisisse illud crimen, & sic iste modus restituendi famam videtur damnosus, & inutilis.

Obiectio grauis.

45 Propter hanc rationem Caietanus, Soto, & multi alij aiunt, huiusmodi diffamatorem ad nihil aliud amplius teneri, quàm laudare eum, quem prius diffamauit, & vbique spargere bonam famam de illo citra mendacium, nec amplius de illa re corã illis apud quos eum diffamauit, loqui. Quod si dicas: ergo illi, apud quos est diffamatus, videntes detractorem se non retractare, nec restituere famam colligent verum dixisse, & sic in opinione mala se confirmabunt. Respondet Soto hoc nihil obstare. Neque ipsum detractorem ad amplius aliquid obligari.

Modus dicendi Caietani, Soto & multorum aliorum.

46 Verùm quia fama est bonum maioris momenti non videtur licere sic facilè dimittere, & deobligare diffamatorem à restitutione famæ, proinde laborandum est, vt inueniamus modum quo restituat famam absque incommodo, si fieri potest. Accedit, quod regula ista Soto patitur eandem difficultatem: quia ij, apud quos facta est diffamatio videntes detractorem laudare infama-

Reijcitur.

tum, non tamen retractare impositionem criminis, se magis confirmabunt in illa opinione falsa. Ideò recentiores quidam alia via procedentes liberè dicunt licere in hoc casu dicere, se falsum dixisse, vel non dixisse verũ; sed hoc intelligendo amphibologicè. Et ratio eorum est, quia verba ista possunt esse æquiuoca, & significare detractorem non esse mentitum, sed esse deceptum. Quod autem fuerit deceptus diffamando proximum, est verũ: quia omnis, qui malè, & imprudenter agit, decipitur; detractor autem infamando proximum malè, & imprudenter egit. Item duplex est veritas vitæ, & sermonis, siue practica, & speculatiua, & consequenter quoque duplex est falsitas, & mendacium, practicum, & speculatiuum. Ad propositum potest quis dicere, se dixisse mendacium, intelligendo de mendacio sermonis, non vitæ, vt sit sensus id dicendo transgressus sum legem Dei, seu peccaui, quod est verissimum. Et sic verum dicet, & simul famam restituet: quia illi cogitabunt eum de mendacio vitæ illud dixisse. Et hunc modum commendat Molina tract. 4. disp. 44. qui ait nullam esse aptiorem regulam restituendi famam hoc modo ablatam, quàm vti aliqua huiusmodi amphibologia. Addit tamen eam esse adhibendam, quæ pro qualitate eorum, qui criminis detectionem audierunt, & alijs circumstantijs concurrentibus credatur euulsuram esse malam opinionem.

Modus dicendi recentiorum.

Reijcitur.

47 Cæterùm hic modus dicendi mihi displicet: quia si semel admittamus licitum esse vti amphibologia ad restituendam famam hoc modo oblatam, & diffamatorem posse licitè dicere, falsum dixi, & mentiri, auferimus viam tutam restituendi famam in priori modo; quando quis abstulit famam falsum crimen imponendo. Nam cum hæc doctrina diffundatur inter confessarios, & pœnitentes; cum aliquis restituere voluerit famã illi, cui imposuit crimen falsum, dicendo, falsum dixi, mentitus sui, si illi sint periti, poterunt iudicare, verè illud crimen diffamatum perpetrasse; Diffamatorè verò hoc modo restituendi famam vti amphibologia, quod esset maximum malum. Hanc rationem tetigit Molina, & tamen oppositum docuit: quia forsan illi efficax non visa fuit; sed mihi videtur seminarium multorum malorũ introducere licitum esse vti amphibologijs, & deceptionibus in rebus huiusmodi.

Ab opinione Scoti, & D. Thomæ non esse recedẽdum.

48 Ego itaque non puto esse recedendum ab opinione Doctorum veterum D. Thomæ, Scoti, & à communi sententia; nimirum ab hoc modo dicendi, vt inquit Scotus, non credatis eum esse talẽ, quale dixi; malè enim & fatuè dixi. Et vt alij dicunt, deceptus sui, non semper verum est, quod homines loquuntur, & alijs similibus verbis, prout qualitas personarum, & negotij conditio requirit nitatur persuadere diffamatum ab eo, esse hominem probum. Et ratio est, quia sic loquendo nullum dicit mendacium, sed verum loquitur, quia qui non seruatu iuris ordine proponit in publicu quod non est verum publicum, malè, & fatuè loquitur. Et insuper quia vnusquisque præsumendus est bonus, donec probetur contrarium, iuxta illud extra de scrutinio in ordine faciendo, cap. vnico, humana fragilitas, quò decernitur illum, quem indignum non nouit, dignum debere estimare. At ille, qui ab aliquo per detractionem est diffamatus, non est probatus malus coram illis, apud quos est diffamatus: ergo bonum est persuadere eis, quod ipsi non reputent eum malũ, nec indignum. In hanc sententiam ex recentioribus descendit quoque Azorius vbi suprà q. 7.

Ad obiectionẽ Caietani.

49 Ad obiectionem Caietani, & Soto iam dictum est, eam quoque procedere contra proprium modum dicendi suum. Ideo est respondendum modum assignatum esse viam ordinariam restituendi famam proximo: quia aufertur causa, & occasio habendi malam opinionem, & opponitur causa concipiendi bonam opinionẽ. Quod si aliquis ex hoc modo velit se magis confirmare in malam opinionem, erit ex malitia sua. Deinde hi erunt pauci, qui sic adunguem obseruant an expressè retractet prius dictum: cum enim bona occasione, qui detraxit, loquitur modo prædictũ de eo quem diffamauit, facilè est creditu, quod audientes deponent malam opinionem. Propter aliquos paucos regula restituendi famã non est mutanda. Quod si hoc modo loquendi detractor cognoscat se apud eos, apud quos detraxit, non proficere debet, vt dicebat D. Thomas, alia via famam eius compensare.

50 Tertius modus auferendi famam, seu detractionis, de quo Scotus loquitur, est, quando quis crimen verum, sed occultum sibi impositum in publico negat. Nã in hoc casu diffamatus dum negat se commisisse illud crimen, de quo est diffamatus indirectè notat imponentem de calumnia. Calumniator autem est criminosus, & consequenter malè opinionis, & infamis, & seuerè punitur, vt patet extra de calumniatoribus per totum. Est ergo dubium, An sic negans crimen sibi impositum teneatur ad restitutionem, & quomodo hæc restitutio fieri debeat.

Terti' modus infamandi.

51 Pro intelligentia huius difficultatis. Primò est obseruandum, quod aliquis potest imponere crimen in publicum alicui duobus modis. Vno modo in iudicio. Secundo modo extra iudicium. In iudicio etiam duobus modis. Nam vel imponit crimen falsum, vel verum. Adeo quod vniuersaliter potest quis alium accusare de crimine in publico tribus modis. Primo modo accusando eum de crimine falso in iudicio. Secundo accusando eum de crimine vero in iudicio. Tertio modo accusãdo eum de crimine vero in publico extra iudicium, siue deducendo in publicum eius crimen verum extra iudiciũ. Secundò est obseruandum, quod accusatus se deffendendo, & negando, hæc obiecta crimina duobus modis se potest habere. Nam vel fuit accusatus ordine iuris seruato, idest ex sufficientibus indicijs ad plenam, vel semiplenam probationem, vt infra dicam, & similiter interrogatur iuris ordine seruato. Vel nec accusatur, nec interrogatur seruato iuris ordine, siue iuridicè.

Quot modis contingat aliquẽ accusare, & accusatũ se defendere.

Aliquis potest accusare aliquem in publico tribus modis.

Accusatus potest duobus modis se habere negãdo crimen impositum.

52 Ad propositum quando crimen falsum alicui imponitur, siue in publico iudicio, siue extra iudicium, siue iuridicè interrogetur, siue non: Accusatus negans non tenetur ad restitutionem, licèt sequatur infamia accusatoris, & accusatus potest dicere accusatorem mentiri, & falsum dicere, & esse calumniatorem. Et hoc est verum secundùm omnes: quia vnicuique licet ius suum, famam, & honorem tueri. Neque accusatus facit iniuriam accusantis, sed accusans debet sibi imputare, quod famã perdat: quia non debebat falsum crimen imponere proximo.

Negans crimen falsũ sibi impositum non tenetur ad restitutionẽ famæ accusanti.

53 Verùm dubium est, quando accusator accusat de crimine vero, & accusatus negat in iudicio, vel extra, & consequenter indirectè infamat accusatorem, eum indirectè, seu virtualiter notando de calumnia, An teneatur ad restitutionem famæ accusanti, ac ad retractandum dictum suum, & asserere se mentiri, & accusatorem verum dicere. Scotus in hac quæst. 4. ar. 3. respondet absolutè non teneri ad retractandum negationem suam, qua negauit in publico crimen sibi impositum, & consequenter secundùm Scotum non tenetur restituere famam accusatori. Ratio eius est: quia nõ tenetur quicũque statim in iudicio confiteri se reum nondum conuictus. Adiungit tamen Scotus, quod tenetur dicere quædam verba solẽnia, vt dictum est in secundo articulo, e. g. non habeatis accusatorem pro calumniatore: quia credo, quod habuit bonam intentionem proponendo accusationem, vel fortasse credidit se probare intentum suum, & deceptus est: & huiusmodi verbis restituere famam ipsi, sicut art. 2. restituendam esse dixit famam imponenti crimen verum, & occultum alicui in publico non seruato ordinis iure. Ex his videtur Scotus hoc asserere, tàm de accusato, & interrogato iuridicè, quàm de accusato, & interrogato non iuridicè, atque etiam de eo, qui extra iudiciũ in publicum sic est accusatus. Quibus autem rationibus innitatur Scotus postea videbimus.

An accusatus de crimine vero, & negans teneatur restituere famam accusanti.

Opi. Scoti.

Caieta-

Opi. Caietani.

54 Caietanus 2.2.quæst.68.art.2.ad secundum, dicit hanc responsionē Scoti sic in cōmuni, & indistinctè sumptam non satisfacere, sed esse distinguendum sic. Vel accusatus, negans crimen verū sibi impositū ordine iuris seruato, est accusatus, & interrogatus, ita qđ verū fateri tenetur; Vel est accusatus, & interrogatus ordine iuris non seruato. Rursus in primo casu accusans pōt cōsiderari, vt accusator, Vel vt talis persona. Tunc inquit in primo casu dimissa rōne accusatoris (inquantum enim est accusator nō læditur ab accusato negāte crimen sibi impositum, & vt sic non tenetur confiteri crimen suum) considerando accusatorem vt est persona particularis, inquit, læditur ab accusato, & infamatur: ideo vt sic, ait, non esse dubium, Accusatū teneri ad restitutionem famæ accusatori. (dato quod accusator famam amittat per negationem accusati: sæpe enim accidit, quod etsi accusator verum crimen apponat, & bonis argumentis; tamen non possit plenè conuincere accusatum; tamen iudex, & alij intelligunt accusatorem verum dixisse, & accusatum esse mendacem, quamuis non conuincatur. Qua in re benè sentit Caietanus) Si autem ablatio famæ non sit sequuta propter rationes nunc suprà dictas, ait non tenetur ad restitutionē famæ. Hāc suam sententiam non probat Caietanus alia ratione, sed supponit esse probatam ex hoc: quia accusatus sic negando indirectè notat accusatorem de calumnia, & hoc facit iniustè: tum quia mendaciter negat: tum quia iuridicè est accusatus, & interrogatus, & proinde verum dicere tenetur. In secundo casu, nimirum cum accusatus negans non est accusatus, nec est interrogatus iuris ordine seruato, & consequenter non tenetur fateri veritatem, inquit accusatum adhuc teneri ad restitutionē. Ratio eius est, quia ex hac negatione accusati, duo mala adueniunt accusanti. Primum, quod ea hac negatione deficit in probatione; sed hoc debet imputari ipsi accusanti, non accusato. Alterum est, quod à negante appellatur mendax, & calumniator, quod nulla iuris ratione potest imponi actori: quia reus non fuit inuitatus ad mentiendum ab actore, nec à iudice; sed poterat subterfugere, nec affirmando, nec negando, ea quo nō tenebatur fateri veritatē. Vnde concludit in hoc casu actorem, & accusatū errare, & vtrunque se infamare diuerso modo: Actorem, quia iniustè nō tamen falsò infamauit: Accusatū verò, quia falsò infamauit actorem. Vnde primus debet reddere famam accusato, dicendo se iniustè fecisse; & accusatus actori, dicendo falsò illum criminatorem dixisse: nec esse locum compensationi.

Soto, Molina, & Azorius.

55 Soto lib.4.de iust.& iu.q.6.ar.3.ad 4.quē sequūtur Azo.lib.5.c.9.q.8.& Molina tract.4.disp.43.conuenit in primo casu cū Caietano, & dicit esse opinionē cōem. In secundo casu illi discrepant à Caietano, & dicunt non teneri ad restitutionem de iustitia; sed solū ex charitate, & sic intelligunt Soto, & Molina Scotum. Addit tamen Molina cum quibusdam alijs, quod si accusatus se defendens excederet in defendendo se, & plus satis grauaret accusatorem, quod teneretur ad restitutionem famę, e.g. posset se defendere dicendo accusator probet, quod dicit si potest, aut simpliciter negando quæ obijciuntur, & simul excusando actorem non quidem de falsitate, sed à calumnia, vt puta dicendo, quod est deceptus, & similia, his contentus esse debet; non autem debet dicere accusatorem esse calumniatorem, mendacem, &c. etsi calumniatorem, mendacem, & huiusmodi verbis eum infamet, teneri ad restitutionem ratione huius excessus. Et sic in parte conuenit cum Caietano.

Opi. Scoti explicatur, & defenditur.

56 Ego existimo veram esse sententiam Scoti vniuersaliter, scilicet, quod in vtroque casu, tam quando reus est accusatus, & interrogatus iuridice, quàm quando est accusatus, & interrogatus non seruato iuris ordine de crimine vero, & negat, non teneatur ad restitutionem famæ. Atque in primo casu, qui est difficilior, & omnes oppositum tenere videntur probatur. Nam ratio Scoti efficaciter hoc conuincit, est autem hęc. Cum quis est accusatus etiam iuridicè, & interrogatus iuridicè, non statim tenetur verum dicere; sed solum cum est plenè conuictus: ergo tunc potest negare crimen sibi impositum, & si in progressu iudicij non conuincatur potest semper negare, nec tenetur fateri verum. Antecedens probatur, quia defendit innocentiam suam in publico, vbi non est nocens, nec est habendus pro nocente, donec sit conuictus: quæ ratio certè est efficacissima.

1. Ratio.

57 Et confirmatur: quia, vt inquit Scotus, durum videtur, quod accusatus in publico ab vno, statim teneatur de necessitate salutis in publico confiteri illud crimen, & sic statim se exponere patibulo in iudicio sanguinis. Præterea habendo occulum non tantum ad pœnam, sed ad honestum, & inhonestum non apparet, quod accusatus honestè, & secundùm rectam rationem debeat confiteri coram tali iudice: quia ipse plusquam alius quicunque accusans singularis auferret sibi famam: quoniam confitenti contra se in iudicio creditur.

2. Ratio.

3. Ratio.

58 His rationibus Scoti neminem respondere video: ideo assertio ista Scoti mihi verissima videtur, atque mihi videtur secundùm Scotum reum non teneri ad confitendum verum crimen etiam semiplenè probatum; sed solum post plenam probationem, inquit enim reum nōdum conuictum non teneri. Ille autem solum dicitur cōuictus, contra quem constat plena, non semiplena probatio criminis. Et tunc est dicendum opinionem communem asserentem iuridicè accusatum, & interrogatum de crimine vero teneri ad confitendam veritatem, & ad restituendam famam accusatori, veram esse de accusato plenè conuicto per plenam probationem, non per semiplenam. Et per hoc satisfit fundamento oppositę sententiæ. Nam non est mendax, licèt neget crimen verum: quia negat illud non absolutè, sed vt publicum. Vnde in publico non est nocens, nec criminosus, sed in priuato; dum ergo in publico negat se illud crimen perpetrasse, dicit verum. Et licèt sit iuridicè accusatus, & interrogatus, non tamen est iuridicè accusatus, nec interrogatus in tali gradu, quod teneatur ad confitendum: quia non est conuictus plenè.

Ad fūdamentū oppositæ sententiæ.

59 Sed dubium est, An saltem peccet mortaliter qui sic negat crimen verum? Scotus adducit rationem ad partem affirmatiuam, quæ est: quia iste negans mentitur mēdacio perniciuso, accusatori, & etiam Reipublicæ. Reipublicæ; quoniam propter eius mendacium publicum Resp. impeditur à punitione eius iusta; personæ verò accusati, quia propter talem negationem, & mendacium notatur de calumnia.

An sic acganspeccet mortaliter.

60 Respondet Scotus, quod Resp. nullam pernitiem patitur ex hoc mendacio (vbi patet quàm inconsideratè Soto legerit Scotum hic, qui putat argumentum allatum adductum fuisse à Scoto pro se, cum tamen euidenter pateat Scotum illud soluere) Ratio eius est: quia Respublica non debet punire omnia mala, sed solum ea, quæ iustè punire potest, iuxta illud Deuteronomij 16. *Iustè, quod iustum est exequeris*. Mala autem, quæ iustè punire non potest, debet relinquere iudicio Dei: quia *homo videt, quæ patent, Deus autem intuetur cor.* 1. Regum 16. Illa autem iustè puniuntur à Repub. quæ coram iudice seculari sufficienter possunt probari. In proposito casu autem accusatus non sufficienter probatur malus, nisi quando plena probatio adest, quæ tamen semper nō adest, vt dictum est. Et per hoc patet hoc mendacium nō esse perniciosum Reip. Neque est pernitiosum personæ particulari, accusatoris: quia ipsemet accusator est sibi ipsi perniciosus, eò quia non proponit accusationem eo modo quo debebat proponere; immò eò quia proposuit modo quo non debebat proponere; debebat enim eam proponere modo tali, quo posset eam probare: & ideo debet sibi imputare, si ei aliqua infamia sequatur: quia ipse est causa; non autem negans: quia ille defendit suam innocentiam in publico, vbi non est nocens, nec habendus est nocens donec fuerit conuictus.

Solutio Scoti. Inconsideratio Soto.

Alia obiectio Scoti contra determinata soluitur.

61 Sed adhuc remanet dubiũ: quia dicere mendaciũ est simpliciter malum: qui autem negat sic crimen verũ, dicit mendacium, licèt non sit mendacium perniciosum: ergo peccat. Respondet Scotus in hoc casu cautam esse responsionem Iuristarum, nimirum. *Nego proposita, vt proponuntur*. Hoc enim in proposito habet locum, quia in hoc casu proponuntur crimina, vt publica, & vt publicè probanda; in hoc sensu autem negare ea esse vera potest quis, si scit ea non posse probari in publico; & sic negando non dicit mendacium, & consequenter non peccat. Quod si iudex adhuc vrgeat, inquit Scotus, accusatũ, vt confiteatur, vel neget propositum publicè, idest, vt confiteatur veritatem rei eo modo, quo in proposito iudex intendit. Respondet Scotus, reum posse respondere sufficienter respondisse ad accusationem, nec ab illa responsione velle recedere, faciat iudex, quod iuris est.

62 Hoc tamen sic intelligo, non quod reus exprimat verbis, nego proposita, vt proponuntur, quia si iudex audiret hanc responsionem veniret in cognitionem, quod reuera perpetrauerit crimen; & sic faceret iudicium contra se, sed intelligo, quod debet mentaliter intendere respondere cum prædicta cautella, quia regulariter in omnibus iuditijs, & interrogationibus, vbi quis interrogatur de aliqua re publica etiam ciuiliter, vt de pecunia, quam quis alteri debet, & negat se debitorem esse; cum tamen sciat reuera se esse debitorem, debet intelligi cũ prædicta cautella, nego proposita prout proponũtur. Intelligit enim se non esse debitorem iudicialiter, & publicè, alioquin omnes, qui in iudicijs, & publicè interrogatur de aliqua re vera, negando, dicerent mendacium; quod tamen communiter reputatur falsum: quia regulariter negant rem propositam, non absolutè, sed cum hac cautella, vt proponitur. Et hoc modo reus se tuebitur, & non dicet mendacium.

Aliud dubium.

63 Sed dubium est, An negando sic in iudicio crimẽ, vt dictum est, scilicet intendendo negare illud non simpliciter, sed vt in publico propositum, peccet? Dat exemplum Scotus in casu simili ad rem magis manifestandã. Exemplum autem est de sacerdote, qui audiuit in Confessione Sacramentali aliquod peccatum alicuius, & interrogatus an ille commiserit illud peccatum. Respondet, nihil mali scio illum fecisse: nam in hoc casu non videtur ipse quoque mentiri, quia loquitur in publico; audiuit autem in alio foro; tamen in hoc modo loquendi videtur esse mendacium, quia reuera sacerdos scit aliquod malum de illo, licèt sciat in alio foro. Est ergo dubium, An in his casibus sit mendaciũ reuera, & de ipso teneatur quis pœnitere. Respondet Scotus, rem esse dubiã; & proinde tutum esse pœnitere de illo actu indistinctè, tanquam de tali, quale est, vtpote sub tali indistinctione. Si est mortale, pœnitere de illo, tanquam de mortali; Si est veniale, pœnitere de illo, tanquam de veniale. Ratio est, quia inquit Scotus, bonarum mentium est culpam cognoscere vbi culpa non est, d. 5. cap. *Ad eius*. Et intitulatur D. Gregorius: ideo multo magis vbi dubitatur an sit culpa, & æqualis culpa, bonæ mentis est culpam agnoscere: ideo in tali casu tutum est pœnitere indistincte, vt dictum est.

Solutio Scoti.

64 Ex dictis sequitur, quod reus, qui cogitur à iudice iurare de dicenda veritate in principio processus ante probationem criminis, & antequam reus sit conuictus, negando cum iuramento se non perpetrasse crimen illud non peccat mortaliter, neque est periurus: quia iurat se non fecisse proposita vt proponuntur; & sic non iurat falsum, quia non dicit mendacium, vt dictum est. An verò iudex peccet cogendo reum iurare antequam sit conuictus: quia non seruat ordinem iuris, dico quod non, vt patebit disp. seq. cap. 5. circa finem. Tamen reus debet esse cautus cum cogitur in iudicio ad sic iurandum, vt intendat iurare esse falsum quæ proponuntur, vt proponuntur, quia si intenderet iurare absolutè, proposita esse falsa esset periurus, & peccaret mortaliter: quia omne iuramentum falsum est peccatum mortale. Hoc idem dicendum in casu sequenti.

Quid si cogatur iurare. Reus quando iurando interrogatus nõ peccat. An iudex peccet cogendo iurare reum antequam sit conuictus.

65 In secundo casu scilicet quando quis accusatur iniustè, seù iuris ordine non seruato de crimine vero, & negat, non tenetur ad retractandam suam negationem; tenetur tamen per quædam verba solemnia restituere illi accusanti famam eo modo quo dictum est in secũdo articulo accusatum teneri ad restituendam famam accusatori. Prima pars huius assertionis probatur per rationes adductas nunc suprà in primo casu: quoniam rationes illę multo magis hic concludunt: quia in hoc casu non solum accusatus est innocens in foro publico, sed etiam contra rationem rectam accusatur, & interrogatur: ideo secundũm rectam rationem non tenetur dicere veritatem in hoc iudicio; sed suam innocentiam teneri in publico. Et in hoc sensu vera est opinio Syluestri, Soto, & aliorum eos sequentium in hoc: quia sic negans crimen sibi obiectum vtitur iure suo; non tñ sequitur, quod dum vtitur iure suo ẽt non faciat iniuriã accusanti, vt malè deducit Soto, & in hoc benè Caietanus: quia negando verũ crimen facit iniuriã accusanti, vt infra dicã, & patet de se. Et eisdem rõnibus dicendum est eum non peccare, quibus probatum est superiori casu negantem crimẽ verum ordine iuris seruato, cum non est cõuictus non peccare mortaliter. Ratio enim illa multo magis valet hic: quia non potest dici, quod in hoc casu negans crimen verum dicat mendacium perniciosum Reipub. nec proximo, quia immo sibi, à iudice, & accusatore fit iniuria nõ procedendo ordine iuris debito. Solum ergo peccare videtur, quia dicit mendacium, quod pro nulla re Mundi saluanda dici potest. Sed iam dictum est non esse mendacium: quia crimen occultum negat vt publicum, in quo casu dicit veritatem. Quod si quis adhuc dubitet hoc esse peccatum: quia videtur misceri mendacium: negat enim verum crimen, licèt iniustè sibi impositum, est dicendum vt suprà, quod tutum est pęnitere de illo indistinctè, si est mortale pœnitere, vt de mortali; si est veniale pœnitere, vt de veniali. Atque hoc idem dicendũ est, si negat cum iuramento: quoniam, vel hoc iuramentum non est periurium: quia non iurat falsum, intendẽdo negare crimen non in se, sed vt in publico proponitur; vel si est dubium, tutum est pœnitere indistinctè, vt dictum est.

Quid quando quis de crimine vero iuris ordine nõ seruato accusatur. Opi. Scoti, quæ habet duas partes

66 Secunda pars assertionis allatæ est contra Soto, & alios eum sequentes. Probatur autem rationibus ijsdem quibus in secundo articulo probatum est impositorem veri criminis, sed iniustè, teneri, non quidem ad retractandum suum dictum: quia diceret mendacium; sed ad dicendum quædam verba, per quæ honestè sine mendacio excuset, & tollat malam opinionem cõceptam de eo quem diffamauit. Ratio autem communis erat: quia qui aufert famam alicui, cum sit præcipuum bonũ inter externa, tenetur illi eam restituere: tenetur autem eam restituere modo honesto idest tali modo quod non dicat mendacium: quia non licet pro toto mundo dicere mẽdaciũ; mendaciũ enim dicere est pctm̃; non licet aũt pro toto mundo peccare, neque etiam venialiter, vt est communis sententia Theologorum, sequitur ergo, vt qui aufert famam proximo, sine dubio teneatur eam illi restituere. In proposito autem casu, qui negat crimen verum occultum; sed sibi in publico iudicio contra iuris ordinem impositum; etsi iustè possit tale crimen negare, quia etsi illud commisit, tamen non in publico commisit, & est innocens, donec conuincatur; tamen non sequitur, quod ex hac negatione nõ auferat indirectè famam delatori, notãdo eum de calumnia, vt benè in hoc Caietanus dixit, & malè Soto: quia certum est negando verũ crimen sibi impositum, facere iniuriam delatori, quia eum notat de calũnia, & impositoris criminis falsi, quod est maxima iniuria: licèt delator malè deferat in publicum illud crimen: ergo tenetur modo licito de iustitia, nõ autem solum ex charitate illam ei restituere. Nullus autem

Secunda pars assertionis probatus.

tem

tem est modus accōmodatior quàm modus ille præscriptus à Scoto, vt suprà vidimus: ergo tenetur eo modo famam illi restituere. Et quidem modus dicendi Caietani in hoc est rationabilis, quò inquit vtrunque inferre iniuriam vtrique, & vtrunque teneri ad restitutionem vtrique. Qui enim accusat non seruato iuris ordine facit iniuriam accusato, licèt verum crimen imponat, & qui negat facit iniuriam accusatori, quia negat verum, & notat accusatorem de calumnia. Vterque ergo tenetur famā sibi inuicem restituere non quidem modo eo quo Caietanus dicit, nimirum quod reus debeat dicere se falso criminatorem dixisse accusatorem: hoc enim esset reuocare suum dictum, seu suam negationem; sed debet restituere famam per verba solemnia, quæ diximus. Neque obiectio Soto, quod restitutio famæ hoc modo nihil prodest, obstat, quia superiori secundo modo infamandi, & restituendi famam, eius opinionem reiecimus. Conclusit enim non posse perfectè, & adæquatè restituere famam, non tamen concludit non teneri restituere eo modo quo est possibile; restituenda autem est fama eo modo quo potest, cum perfectè recompensari non potest, vt compensando actibus honoris, quos nisi eius famam læsisset, non exhiberet; honor enim est maximè affinis famæ. Et denique alijs actionibus proportionatis, & conuenientibus, quia facienda est recompensatio de damno dato proximo eo modo, quo fieri potest, si ad integrum restitui non potest. Puto autem cum Molina, quò ad hoc considerādum esse, quinam illorum grauius proximum diffamauerit, etiam quo excedat alterum, & qui magis grauat, ratione illius magis tenetur ad restitutionem. An verò locus sit compensationi in hoc casu patebit cap. 4. vbi hanc cum alijs dubijs tractabimus.

Peccatum publicū quōnā dicatur.

67 Pro maiori autem cognitione eorum, quæ dicta sunt, sciendum est quodnam dicatur peccatum occultū, & quodnam publicum. Nam dictum est in 2. & 3. modo diffamandi aliquem, eum tunc auferre famam proximi, quando delictum occultum defert in publicum, non seruato iuris ordine; oportet ergo scire quando delictum dicatur peccatum occultum, & quando publicum. De hac re disserunt Doctores Iuris canonici, & Glosa in Capite *Manifesta*. 7. q. 1. & in Cap. *Vestra*. de cohabit. cleric. & mulierum. Nauarrus autem ex his locis & eisdem Glosis rem breuiter aperit in Man. Cap. 27. nu. 73. & nu. 255. In quantum ergo sufficit ad propositum publicum opponitur occulto. Publicum autem est triplex, scilicet notorium, manifestum, & famosum. Notorium autem (dimisso Notorio iuris & Notorio iurisdictionis, de quibus Glosę in prædictis locis, & loquendo de Notorio facti, quod facit ad propositum) est, quod ita se exhibet oculis omnium, vt nō possit negari: vt id de quo lata est sententia publica, & transiuit in rem iudicatam; aut est ita manifestum, vt nulla tergiuersatione celari possit; vt est peccatum illius, qui tam publicam habet concubinā, ac maritus vxorem, & publicè filios alit. Aut quod nititur sententia maioris partis communitatis, vel Oppidi, vel Viciniæ, seù Parochiæ alicuius, aut Collegij; modò in eo sint saltem decem. Scientia enim paucorum quàm sex non facit rem notoriam; neque sex quando illi non sunt maior pars illius congregationis, respectu cuius illud dicitur notorium. Publicum ergo primo modo dicitur publicum notorium. Manifestum, est, quod nititur fama eiusdem partis maioris, orta à scientibus; & sic publicum manifestum, est, quod nititur fama maioris partis orta à scientibus. Famosum, est, quod nititur fama maioris partis orta ex vno sciēte; vel ex indicijs, vel præsumptionibus illi ęquipolentibus, & sic publicum famosum, est, quod nititur fama maioris partis alicuius communitatis, orta ex vno sciente, vel ex indicijs, vel præsumptionibus illi ęquipolentibus.

Publicum quid dicatur.

Notorium quid.

Manifestū quid dicatur.

Famosum quid.

Occultum quid dicatur.

68 Occultum item triplex est. Primum, quod non est probabile sua apte natura, qualia sunt quæ habentur in sola mente. Secūdum, quod est probabile sua natura, sed non potest probari, quia corā nemine factū est. Tertiū, quod probari quidē pōt, sed adeo à paucis, quod nulla inde fama orta est, nec est in iudicium deductum, quod præfactæ Glosæ, penè occultum, appellant.

69 Ex his sequitur, verum esse id, quod ait Scotus ex q. 4. a. 1. nempè eum, qui commisit adulteriū coram tribus personis, se infamasse, & fecisse delictum publicum, neque eos, qui eum accusant, illi famam auferre: quia licèt illud adulterium sit occultum, idest nondum diffamatum, & publicatum; tamen ex sua natura est publicum: quia potest publicari: Ideo qui illud commisit se diffamauit facto illo ex natura sua publico. Publicatio autem illa delicti per accusationem non est propriè diffamatio, sed est facere magis publicum illud, quod ex sua natura iam erat publicum. Ille ergo solum lędit famam proximi, qui delictū occultū tertio modo deducit in publicum. Nam occultum duobus prioribus modis non potest verè deduci in publicum: qui autem manifestat delictum publicū proximi, eum nequaquam diffamat, sed seipsum ipse se diffamauit; & proinde ad restitutionem famæ non tenetur.

Ordo iuris seruādus in publicis iudicijs quis.

70 Dictum est etiam suprà, accusatorem seruato iuris ordine accusantem de vero crimine non peccare, neque teneri ad restitutionem: Et rursus reum interrogatum ordine iuris seruato de crimine vero teneri ad fatendum crimen, & negando illud obligari ad restitutionem: hoc autem non potest rectè intelligi nisi sciatur, quis sit ordo iuris seruādus in accusatione, & in interrogatione iudiciali: ideo infrà disp. propria de eo est agendum. Pro nunc Nauarrus in Manuali cap. 25. nu. 35. ex D. Thoma 2. 2. q. 69. a. 1. & 2. & Caietanus ibi, Gabriel in 4. dist. 15. q. 6. art. 2. & alij dicunt ad iuris ordinem seruandum requiri duo. Primum, vt delictum sit notoriū, famosum, aut semiprobatum. Dicitur autem semiprobatum ex Bartolo in l. finali: ff. de quæstionibus, quando adest vnus testis de visu, & omni exceptione maior; aut vnum indicium, vel plura illi ęquipollentia. Secundò, quod hæc semiprobatio, notorietas, & famositas notificetur reo, vt intelligat se teneri ad obediendum iudicis mādato: nisi enim constet reo crimen eius esse saltem semiprobatum, aiunt non teneri ad fatendum veritatem. Ex hoc habetur, quod accusator tunc iuridicè accusat, & denuntiat, quando crimen est publicum, siue notoriū, & famosum; vel etiam potest semiplenè probari. Reus verò interrogatur iuris ordine seruato, quando præcedit infamia, quia scilicet est notorium, & famosum, vel aliquod indicium ęquiualens adest contra ipsum, & ipsi à iudice hæc diffamatio probata notificatur; tūc enim tenetur manifestare crimen de quo accusatur, & negando diffamat accusatum.

Discrimen Scoti à D. Thoma.

71 Verùm circa illud tertiū, quod reus teneatur fateri crimen, quando est semiprobatum, scilicet per vnum testem omni exceptione maiorem, vel indicium ęquiualēs Scotus videtur dissentire a D. Thoma, & alijs eum sequētibus, quia vt vidimus dicit, quòd sibi videtur durū, quod teneatur quis contra se fateri delictum, per quod morti est adiudicandus, nisi sit conuictus. Non est autem conuictus, nisi quando est plenè crimen probatum. Et rursus dixit, quod durum sibi videretur, quod quilibet accusatus in publico ab vno crimine stante teneretur de necessitate salutis in publico confiteri illud: ergo secūdùm Scotum, licèt adsit vnicus testis omni exceptione maiori, qui secundùm alios facit semiplenam probationem, non tenetur fateri crimen occultum. Rursus addit, quod secundùm honestatem, & rectam rationē non apparet, quod accusatus debeat confiteri coram tali iudice crimen suū; quia in iudicio plus sibi creditur, quàm alteri cuicunque; ideo sibi auferret famam. Secundùm Scotum ergo tenetur solum confiteri crimen, quando est conuictus plenè idest per plures, & idoneos testes, & alijs indicijs euidentibus.

Reus secūdum Scotū nō tenetur cōfiteri delictum, nisi sit plenè cōuictus.

72 Et reuera hęc opinio Scoti rationabilissima videtur:

Opin. Scoti probatur tur: quia Ratio, propter quam quis tenetur fateri veritatem coram iudice, est, quia subditus tenetur obedire superiori præcipienti sibi; iudex autem est superior accusati; ideo tenetur obedire illi. At iudex præcipit, vt fateatur veritatem: ergo tenetur fateri veritatem. At dum crimen non est plenè probatum, non est publicum, sed occultum, vel saltem penè occultum; dum ergo negat illud in publico non dicit mendacium, sed veritatem fatetur, quia scilicet dicit se innocentem esse ab illo crimine in publico, quod est verum, vt supra diximus, & proinde non peccat. Est ergo hoc valde considerandum, quia est multum vtile ad consulendum conscientiæ reorum in iudicijs, qui etsi crimen comiserint, & videant testes contra se, tamen negant vt fugiunt mortem.

Vtrum homo sit dominus suæ famæ.
Cap. III.

An homo sit domin⁹ Famæ suæ. 73 Circa hanc materiam de ablatione famæ, ac eiusdem restitutione varia dubia occurrunt. Et primò quidem illud est difficile. An homo sit dominus suæ famæ; & consequenter, An quando quis sibi ipsi aufert famam, teneatur illam sibi restituere, sub pœna peccati mortalis. In hac difficultate sunt duæ opiniones contrariæ; tamen omnes conueniunt in his, & primò quando aliquis sibi imponit falsum crimen, & se diffamat, & quod eius diffamatio cedit in damnum, & infamiam aliorum, nimirum eorum quibus præest, vel eorum apud quos viuit, vel suorum posterum, teneri ad restitutionē, e. g. infamia prælati alicuius religionis cedit in infamiā totius religionis, & subditorum; similiter infamia alicuius religiosi cedit in infamiam totius illius religionis. Infamia patris, & fratris, vel vxoris, & filiarum cedit in infamia totius familiæ. In huiusmodi ergo euentu omnes fatentur infamare se esse peccatum mortale, quia nō solum sibi aufert famam, sed etiā aufert proximo, quod est peccatū mortale, ex hoc vltimo capite. Secundò conueniunt omnes, se infamare sine rationabili causa, esse peccatum contra charitatem, quia est peccatum prodigalitatis. Vnde sicut qui prodigaliter expendit bona sua temporalia, peccat; sic qui famam suam absque necessitate prodigit. Tertiò conueniunt, quod si quis falsum crimen sibi imposuit, ob quod morti adiudicatur, & illud retractet liberabitur à morte, tenetur retractare, & famā sibi restituere, quia in hoc casu non solum detrimentum famæ pateretur, quod non esset sibi peccatum; sed quia pateretur sibi detrimentum vitæ, cuius non est dominus, & eam sibi seruare tenetur.

Sensus dubitationis. 74 Dubitatio ergo est, quando quis infamando se, solum sibi ipsi aufert famam, & nulli alteri nocet, peccet mortaliter. In hac difficultate, vt dicebam, sunt opiniones contrariæ, quarum vnaquæque habet multos sectatores. 1. Opi. Soto. & aliorum. Prima asserit hominem esse dominum suæ famæ, & proinde auferendo illam sibi aliqua causa rationabili non teneri ad restitutionem, neque peccare mortaliter. Hanc enixè sequitur Soto Opusculo de secreto tegendo mem. 1. quæst. 3. & lib. 4. de iustitia, & iure, quæst. 2. ar. 3. conclus. 4. quem postea sequuti sunt Nauarrus in Man. cap. 18. num. 27. qui dicit eam quoque fuisse Adriani ante Soto, quem tamen Soto non citat. Et recentiores Molina tractatu 4. disput. 2. & 37. fusè. Azorius par. 3. lib. 5. cap. 9. quæst. 11. & alij. Pro hac opinione variæ, & plurimæ adducuntur rationes à Soto loco citato, quas Molina locis eisdem breuius colligit. 1. Ratio. Primò ergo probatur auctoritate D. Thomæ, qui 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad tertiū asserit hominem esse factum dominum sui per liberum arbitrium, & ideo posse disponere licitè de seipso quò ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, excepto transitu de hac vita ad aliam: atque eodem art. dixit eum, qui occidit se ipsum, non solum facere contra charitatem, sed contra iustitiam respectu Reip. cuius est vita hominis, hoc autē non dixit de fama ergo, & eadem 2. 2. quæst. 73. art. 4. ad primum ait in arbitrio hominis positum esse pati detrimentum suæ famæ, nisi vergat in periculum aliorum, eaque de causa posse cedere iuri suo, patienter sustinēdo detractiones aliorum non deffendendo propriam famam, esto eam deffendere posset; tamen teneri deffendere famam proximi à detractoribus, si commodè posset, quia non est in arbitrio sui positum, quod patiatur detrimentum famæ alterius, sicut suæ. Ex quo deducit Molina luce clarius esse D. Thomam asserere hominem esse dominum suæ famæ; perinde ac suarum diuitiarum.

75 Secundò probatur ratione. Ratio naturalis docet, quod fama, & honor sunt quædam bona externa, quæ nos industria nostra comparamus, sicut diuitias: ergo sicut homo est dominus diuitiarum, & potest illas expendere; ita famæ, & honoris sui est dominus, & proinde potest illam abijcere, sicut diuitias, & in hoc differt fama à vita corporali, quia enim homo non acquirit sibi vitā corporalem, sed illam accipit à Deo, ideo non est dominus illius, nec potest ipsam ad libitum prodigere: cum autem fama sit bonum acquisitum nihil impedit quin sit dominus illius, & illam abijcere, & auferre sibi possit. Antecedens principale patet, quia fama est existimatio bona hominum de nobis, & honor est exhibitio alicuius signi externi in signum excellentiæ, & virtutum nostrarum, quæ nos nostris actionibus virtuosis, & nostra industria acquirimus. Quod etiam Aristoteles fassus est 1. Ethicorum cap. 5. vbi probat felicitatem non consistere in honore, nec fama, quia ista possunt nobis auferri: felicitas autem est bonum proprium intrinsecum, quod nō subest potestati aliorum, vt nobis auferratur. Cum ergo fama, & honor sint bona externa amissibilia, à nobis acquisita, sequitur quod homo sit dominus illius, & possit illam sibi auferre absque iniustitia, & peccato contra iustitiam, licet peccet contra charitatem prodigendo illam sine causa, vt dictum est suprà. 2. Ratio.

76 Tertiò. Si homo non esset dominus suæ famæ, & honoris, sicut non est dominus suæ vitæ, sequeretur, quod non posset adimere sibi famam etiam pro melius vita æterna consequenda, sed consequens est falsum: ergo. Consequentia patet, quia non potest homo pro vitando peccato mortali se occidere. Et ratio est, quia non est dominus vitæ suæ corporalis. Falsitas consequentis patet, quia si quis sciret famam, & honorem esse sibi causam amittendi vitam æternam, nemo dubitat, quod posset eam abijcere. Quod confirmatur exemplo Sanctorum multorum qui propriam famam, & honorem spreuerunt, vt vitam æternam melius, & facilius consequerentur. Nam D. August. in suis confessionibus aliqua sua crimina scripta reliquit. D. Anselmus suam virginitatem amissam deplorat. Et de D. Ambrosio scribit Paulinus in vita sua apud Baronium anno 377. nu. 5. fœminas in cubiculum introduxisse, ne in Antistitem elegeretur. 3. Ratio.

77 Quartò. Sunt auctoritates Sacræ Scripturæ. Nam Christus Matt. 5. *Si te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi, & alteram*. Item Matt. 6. ait, *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. &c. Te autem faciente eleemosinam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosina tua in abscondito*. & Ioan. 6. ait, *Quomodo vos potestis credere, qui gloriā ab inuicem accipitis*. His apparet Christum dominum docuisse fugiendam esse famam, & honores, quia sunt impedimentum ad virtutem, atque ad sempiternam vitam: ergo homo est dominus suæ famæ, & honoris, alioquin non posset ipsam abijcere, & spernere. 4. Ratio.

78 Quintò. Si homo non esset dominus suæ famæ, non posset in multis euentibus famam suam amittere, & se infamare, sed hoc est falsum: ergo, consequentia est euidens, quia ratione, quia homo non est dominus suæ vitæ corporalis, ideo non potest vitam suam sibi arripere sine peccato mortali. Falsitas consequētis probatur, quia quando quis dicit falsum testimonium de aliquo, non solum potest suum dictū retractare, sed tenetur sub pœna 5. Ratio.

peccati

peccati mortalis, vt diximus primo cap. huius diſputationis: ergo habet in poteſtate ſua famam ſuam abijcere.

6. Ratio.

79 Sextò, eadem eſt ratio, & iudicium de honore, & fama; ſed ſic eſt, quod nemo dicet hominem non eſſe dominum honoris ſui, nec poſſe illũ abijcere abſque cuiuſque iniuria: ergo idem cenſendum eſt de fama. Hæ ſunt potiores rationes, quæ à Soto, & alijs pro hac opinione adducuntur: fatetur tamen Soto in fine illius articuli excipiẽdas eſſe perſonas publicas, atque nefanda crimina, quæ aures exhorreſcunt: quia hominem infamantem ſe his criminibus vix à lęthali peccato excuſari poteſt. Molina tamen illa diſp. 37. concl. 2. tenet vniuerſaliter infamare ſe ipſum non eſſe peccatum mortale, ſed veniale, neque contra iuſtitiam, & proinde non obligare ad reſtitutionem.

Opinio oppoſita approbatur.

80 Hæc opinio mihi omnino reijcienda videtur & procul dubio amplector oppoſitam, quam tradidit Caietanus 2. 2. q. 73. a. 2. & in sũma verbo *Detractio*, & cui accedere videntur multi alij doctores, vt Panormitanus cap. ex parte 2. de ſepulturis. nu. 2. Maior in 4. diſt. 15. q. 16. citãtur etiam D. Antoninus p. 2. titulo 2. cap. 2. §. 3. Felinus cap. 1. de reſtitutione cogn. Item Angelus, & Sylueſter verbo *Detractio*, & quidam alij. Atque ego puto hanc fuiſſe opinionem Scoti, licèt enim expreſſe hanc nõ tradiderit; tamẽ ex eius principijs neceſſariò ſequitur atque aliorum antiquorũ Theologorum; rationes autem quibus innititur præcedens refellitur.

1. Ratio ex auctoritatibus.

81 Primo loco ergo ſint auctoritates ſacræ ſcripturæ adductæ Prouerbiorum. 22. *Melius eſt bonum nomen quã diuitiæ multæ.* & Eccleſiaſtici 41. *curam habe de bono nomine.* his auctoritatibus vtuntur D. Thomas 2. 2. q. 73. a. 2. & Scotus hac q. 4. & eis conſentiunt alij doctores veteres. ad probandam detractionem, per quam fama aufertur proximo, eſſe peccatum lęthale, & obligare ad reſtitutionem famæ ei, cui aufertur: ergo iſti Doctores apertè ſentiunt auferre famam ex ſuo genere eſſe peccatum cõtra iuſtitiam, & conſequenter eum, qui illam aufert, teneri ad reſtitutionem ei, cui aufert. Ex hoc autem ſequitur, quod ſi quis ſibi aufert famã, quod peccet cõtra iuſtitiam, vel quaſi contra iuſtitiam, vt infra dicam, obligetur ad reſtitutionem ſibi ipſi.

Reſponſio Soto.

82 Ad has auctoritates reſpondet Soto vbi ſuprà, eas conuincere nos peccare contra charitatem, qñ non habemus curã noſtræ famæ, & honoris, ſed eam negligimus; non aũt habetur, quod ſit peccatum contra iuſtitiã, ſicut eſt occidere ſeipſum. Molina verò ait ibi non tradi

Reſponſio Molinæ.

præceptum, ſed conſilium à ſapiente, vt quæramus bonũ nomen ſectando virtutem, atque opera illa faciendo, ad quæ bona fama, & bonum nomen ſequitur, tanquam effectus illarum: quia ex bonis operibus oritur verum bonum nomen, quo prætioſius eſt, quàm ſi mille theſauri magni permanerent homini: ideo ex illo loco non haberi prodigũ ſuæ famæ peccare mortaliter, vel venialiter; Sed ſolum ex natura rei, & circunſtantijs eſſe iudicandũ quando prodigere famam ſuam ſit veniale, vel mortale, vel nullum peccatum.

Reſponſio Soto reijcitur.

83 Verùm reſponſiones iſtę non ſatisfaciunt. In primis reſponſio Soto eſt contra D. Thomã: quia D. Thomas ex illa auctoritate dẽducit magnam iacturam, & damnũ eum pati, cui aufertur fama: quia fama eſt maius bonum quàm diuitiæ: formaliter ergo auferre famam alicui eſt actus contra iuſtitiam: quia ei aufertur bonum quod ſuum eſt, & damnificatur in bonis ſuis pretioſioribus. Falſum eſt ergo eſſe peccatum ſolum contra charitatem, & non contra iuſtitiam.

Tacita Reſponſio.

Sed aliquis dicet. Verum eſt, quod quando alicui aufertur fama contra ſuam voluntatem eſt peccatum iniuſtitiæ, ſicut cum aufertur alicui pecunia, vel aliquod bonum temporale; At quando quis liberè donat pecuniam ſuam alicui, vel aliquod aliud bonum temporale: tunc nullum eſt peccatum, nec iniuſtitia, quia eſt dominus illarum rerum. Ita in propoſito verum eſt famam eſſe magnum bonum hominis & qui illam ei aufert contra ſuã voluntatem facere illi iniuriam, & peccare contra iuſtitiam. At quando ipſe liberè illam à ſe aufert, non videtur peccare contra iuſtitiam: quia non amittit eam inuictus, ſed volens, quia eſt eius dominus.

84 Hæc reſponſio reijcitur, & ſimul propoſitũ principale confirmatur. Homo tenetur ſeruare legem naturæ, neque eſt dominus diſpenſandi ſuper illam, ſed infamare ſe imponendo ſibi crimen falſum, vel detegendo crimen occultum, eſt contra legem naturæ: ergo homo non habet dominium, & poteſtatem ſe infamandi. Minor probatur ex dictis à Scoto in hoc 4. diſt. 21. q. 2. concluſione prima. Lex naturæ Matt. 7. eſt *omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, hoc eis facite. Hæc eſt lex, & prophetæ.* & Lucæ 6. *prout vultis, vt faciant vobis homines & vos facite illis.* Hæc autem lex intelligitur ſecũdùm rectam rationem. Et ſenſus eſt, quod vultis vobis fieri ſecundùm rectam rationem, hoc facite illis. Ex hoc ſubſumitur. Sed ſecundùm rectam rationem debet homo diligere famam ſuam: (ex hoc enim ſequitur, quod etiam teneatur deinde diligere famam proximi) ergo diligere famam ſuam eſt præceptum naturæ, ſuper quod homo non poteſt diſpenſare, & conſequenter non eſt dominus ſuæ famæ, vt eam pro libito poſſit ſibi auferre. Aſſumptum eſt euidens: neque enim puto, dicent aduerſarij, non teneri hominem ſecundùm rectam rationem diligere famam ſuam. Quod etiam dictat recta ratio, ſit præceptum naturæ, non poteſt negari, cum lex naturæ nihil aliud ſit, quàm rectum dictamen rationis inſertum nobis à Deo in condendo naturam.

Reijcitur.

1. Ratio.

85 Secundò. Quilibet ſecundùm rectam rationem debet ſibi velle vitam ciuilem, hęc autem tollitur per ablationem famæ: ergo auferre ſibi famam eſt peccare cõtra legem naturæ. Maior eſt euidens; creatus eſt enim homo à Deo, vt egeat alijs hominibus, & alijs viciſſim iuuet, quod non poteſt ſine ciuili vita fieri. Minor eſt euidens, & communiter cõceſſa. In hoc enim aliquis viuit vita ciuili, quod idoneus eſt ad aliquos actus competentes ſibi in illa ciuitate, ſed fama amiſſa priuatus eſt habilitate ad tales actus; quia amiſit ſtatum dignitatis illeſæ, ſcilicet quia amiſit habilitatem ad actus, quibus aliàs dignus eſſet: ergo auferre ſibi famam eſt actus contra legem naturæ; & conſequenter homo non poteſt per ſe diſpenſare ſuper illam, nec proinde ſibi auferre famam. Hæc ratio tota eſt Scoti in 4. d. 21. q. 2. concl. 1. ratione 2. & ſecundùm eam habet euidentiam aliqualem ratio Caietani; quod infamans ſe, offendit Rempublicam, cuius ipſe homo eſt pars; impedit enim vitam ciuilem ipſi particulari, & ſic priuat Rempublicam eo quod eſt ſibi damnum.

2. Ratio.

86 Reſponſio Molinæ quoque ex eodem fundamento reijcitur. Et primò quidem, quod illud Eccleſiaſtici 41. non ſit purum conſilium, ſed præceptum patet ex verbis ipſis; inquit. *curam habe de bono nomine*. Verba autem imperatiua habent vim præcepti non conſilij tantùm. Præterea dato quod ſit conſilium, non tamen eſt conſilium de re indifferenti, quam conſultus poſſit facere, vel non facere, ſed eſt conſilium de re, ad quam tenetur. Sicut ſi quis conſuleret, & hortaretur aliquem ad non furandum, ad non blaſphemandum, ad ſequendum virtutem, eſſet conſilium quidem, ſed de re cadente ſub præcepto: ideo non ſequitur, quod dato, quod illud Eccleſiaſtici de curanda fama ſit conſilium, curare tamen fama non ſit præceptum; ſed maximè ſupponitur eſſe præceptum.

Reſp. Molinæ reijcitur.

87 Secundò principaliter eſt auctoritas clara D. Auguſtini lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 20. quæ refertur 23. q. 5. cap. *Si non licet*, qua apertè aſſerit hominem infamando ſeipſum, eodem modo peccare, quo peccat infamando proximum. Ex quo ego ſubiungo; ſed qui infamat proximum peccat mortaliter, & nedum contra charitatem, ſed contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, etiam ſecundùm aduerſarios: ergo infamans ſeipſum peccat mor-

2. Ratio principalis.

mortaliter, & contra iustitiam, & non est dominus suæ famæ, sed si illam sibi aufert, tenetur ad restitutionem. Assumptum est euidens. Maior verò probatur. Verba D. Augustini integra loco citato sunt ista. *Neque enim frustra in sanctis canonicis libris nunquam nobis diuinitus præceptum, permissumvè reperiri potest, vt vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel vllius curandi, cauendique mali causa nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, vbi lex ait. (Non occides) præsertim quia non addidit proximum tuum, sicut falsum testimonium cum vetaret (falsum inquit testimonium non dices aduersus patrem tuum) Nec ideo tamen si aduersus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum: quoniam regula diligendi proximum à semetipso dilecto accepit quandoquidem scriptum est (diliges proximum tuum sicut teipsum.) Porro si falsi testimonij non minus reus est, qui de se ipso falsum fatetur, quàm si aduersus proximum hoc faceret, cum in eo præcepto, quo falsum testimonium prohibetur aduersus proximum prohibeatur, possitque non rectè intelligentibus videri non esse prohibitum, vt aduersus seipsum quisque falsus testis existat, quanto magis intelligendum est non licere homini seipsum occidere, cum in eo quod scriptum est (Non occides) nihilo deinde addito, nullus, nec ipse vtique cui præcipitur intelligatur exceptus?* Verba quæ faciunt ad nostrum propositum sunt ista. *Porro si falsi testimonij non minus reus est qui de seipso falsum fatetur, quàm si aduersus proximum hoc faceret.* In his enim verbis apertè dicit non minus peccare, qui dicit falsum testimonium, seu infamat se, quàm si dicat falsum testimonium, seu infamet proximum: ergo D. Augustinus vult, quod idem sit peccatum infamare se, ac infamare proximum. Vnde cum sit peccatum contra iustitiam infamare proximum, neque vllus sit dominus famæ proximi, sic secundùm D. Augustinum infamare se, est peccare contra iustitiam, neque consequenter homo est dominus suæ famæ.

Confirmatio.

88 Et confirmatur, quia D. Augustinus intendit probare, quod non licet cuiquam occidere semetipsum, & quod ita est graue peccatum, & prohibitum illo præcepto, *Non occides*, occidere seipsum, sicut occidere proximum. Probat autem à simili, quia dicere falsum testimonium aduersus se non est minus peccatum, quàm dicere falsum testimonium aduersus proximum. Et quod non minus prohibetur occidere seipsum illo præcepto, *Non occides*, quàm occidere proximum. Ad hoc ergo vt argumentum D. Augustini concludat, necesse est, quod ita sit graue peccatum infamare seipsum, sicut infamare proximum: quia occidere seipsum est ita graue peccatum, sicut occidere proximum. Hoc argumentum est ita euidens, vt nihil magis.

Responsio Soto, & Molinæ.

89 Soto, quem Molina, & alij sequuntur, Respondet ex hac auctoritate Diui Augustini nihil aliud haberi, nisi quod dicere falsum testimonium aduersus se est peccatum contra charitatem, & prohibitum octauo præcepto, sicut dicere falsum testimonium aduersus proximum. Non tamen ex hoc sequi, quod sit ita graue peccatum infamare se, sicut infamare proximum, & quod perinde si infamare proximum sit peccatum contra iustitiam obligans ad restitutionem, ita quoque diffamare seipsum sit peccatum contra iustitiam, & obligans ad restitutionem. Vnde dicunt illud verbum, *non minus*, non significare ibi idem quod non *lenius*, sed idem quod *sicut*, vt sit sensus, quod sicut dicere falsum testimonium aduersus proximum est peccatum, ita dicere falsum testimoniū contra se est peccatum. Et nihil amplius inferri, nimirum esse peccatum contra iustitiam, sicut diffamare proximū, & occidere se ipsum, vel alium.

Allata responsio reijcitur. 1. Ratio.

90 Hæc responsio est mera euasio omnino contra intentionem, & contra verba D. Augustini. Nam D. Augustinus intendit ibi probare, quod sicut occidere alium est peccatum contra iustitiam prohibitum illo præcepto, *Non occides*; ita occidere seipsum est peccatum contra iustitiam prohibitum eodem præcepto, *Non occides*. Hoc autem deducit ex simili: quia dicere falsum testimonium aduersus se, est peccatum contra iustitiam, sicut dicere falsum testimonium contra proximum, & est prohibitū eodem præcepto, quo prohibitum est dicere falsum testimonium contra proximum. Vult ergo quod dicere falsum testimonium contra se sit peccatum eiusdem rationis, cuius est dicere falsum testimonium contra proximū: & ratio est, quia eodem præcepto prohibetur. Et ex hoc deducit, occidere seipsum esse peccatum eiusdem rationis, cuius est occidere alium. Alioquin similitudo, ex qua deducit suam conclusionem D. Aug. non valeret.

91 Confirmatur, quia D. Augustinus assumit diffamare seipsum non solum esse peccatum, sed esse peccatū eiusdem rationis, cuius est diffamare proximum. Quod deducit: quia eodem præcepto prohibentur; peccata autem, quæ eodem præcepto prohibentur, sunt eiusdem generis non diuersorum. Cum ergo diffamare proximum sit peccatum contra iustitiam, necesse est, quod etiam diffamare seipsum sit peccatum contra iustitiam. Cōfirmat.

92 Præterea hæc responsio repugnat verbis ipsis D. Augustini, quia D. Augustinus nō vtitur verbo illo *sicut*, sed illo *non minus*: ait enim. *Porro si falsi testimonij non minus reus est, qui de se ipso falsum fatetur* &c. *Quanto magis intelligendum est non licere homini seipsum occidere*, &c. Hic non solum est similitudo, sed etiam est comparatio in grauitate peccati: Et illa particula *non minus* est idem quod *æquè*: sensus enim est. Si dicere falsum testimonium aduersus se æquè est peccatum, & prohibitū præcepto octauo de quo minus videtur: quia in octauo præcepto addit dominus illud verbum, *Aduersus proximum tuum*, propter quod posset aliquis suspicari, quod dicere falsum testimonium esset solùm peccatum, quando dicitur aduersus proximum; non autem cum dicitur aduersus se; Quanto magis est dicendum occidere seipsum esse non minus peccatum, idest esse æquale peccatū, ac occidere proximum; cum in præcepto, *Non occides*, non addatur illa particula *Aduersus proximum tuum*, quæ in octauo præcepto addebatur? Perspicua ergo est sententia D. Augustini, quod sicuti occidere seipsum est æquale peccatum, ac occidere proximum, ita dicere falsum testimonium, & diffamare se est æquale peccatum, ac diffamare proximum. Vnde cum diffamatio proximi sit peccatum contra iustitiam, & obligans ad restitutionem, sequitur, quod diffamare se sit peccatum contra iustitiam, & obliget ad restitutionem. Quod autem iustitia est ad alterum, non ad seipsum, facit quod diffamare seipsum non sit propriè iustitia, sed similitudinarie; est tamen maius peccatum, quàm si esset ad alterum: quia maius peccatum est auferre, & furari sibi bona necessaria, quàm proximo, sicut maius peccatum est occidere se, quàm proximum: quia magis repugnat charitati, & virtualiter continet actum maioris iniustitiæ. Alia ratio. Obiectio tacita tollitur.

93 Tertiò principaliter pro hac nostra opinione facit auctoritas D. Augustini lib. De bono viduitatis, c. 22. qui refertur 11. quæst. 3. cap. *Non sunt audiendi*. eo enim loco reprehendit D. Augustinus quosdam viros, & fœminas bonas, & sanctas, quæ non committebant crimina; tamen negligentes erant circa quasdam actiones quibus dabant suspicionem alijs, quod talia peccata committerent; neque ipsę curabant dare hanc suspicionem proximo, sed contentæ erant testimonio propriæ conscientiæ. Reprehēdit autem D. Augustinus eas dicens, actum hunc contemnendi existimationem hominum bonam, & famam propriam, esse actum impudentem, & crudelem, quo occidunt animas aliorum; tum quia videntes illa signa blasphemant viam Dei, putantes illos Sanctos, & sectatores viæ Dei esse criminosos; tum quia dabant occasionem alijs perpetrandi illa peccata, excusando se, quod viri sancti illa facerent, vt ipsi suspicabantur ex illis signis externis: ergo secundùm D. Augustinū 3. Ratio principalis.

negligere

negligere famam suam, siue se diffamare est peccatum læthale: quia est actus impudens, & crudelis necans animas proximi. Ex hoc autem sequitur, quod homo non est dominus famæ suæ sicut est diuitiarum, ita vt possit illam negligere, & amittere: quia homo non est dominus faciendi actus impudicos, & crudeles occidentes animas proximorum. Verba autem D. Augustini loco citato sunt ista. *Non sunt audiendi, siue viri Sancti, siue fœminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit, vt in malam veniant suspicionem, Vnde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiã, existimationem hominum non solum imprudenter, verum etiam crudeliter contemnentes, cum occidant animas aliorum.* & infrà. *Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit. quisquis autem etiam fama, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra.*

Responsio Soto, Molinæ, & aliorum. 94 Respondet Soto cum alijs, quod ex hac auctoritate habetur nos non debere negligere famam nostram, qua possumus seruire Reipub. sine causa, & maximè quando cedit in scandalum proximi; quando autem nõ affert scandalum proximo, nec impedit notabilem profectum in vita spirituali, inquit Molina consuetum fuisse Apostulis famam contemnere. Quod probat ex 1. Corinth. 4. Vbi Paulus ait. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Paulus ergo famam suam non quidem nihil, sed minimum tamen faciebat: quia fama bona apud homines in hoc seculo est aliquod non nihil.

Allata responsio reijcitur. 95 Contrà. Quod natura sua malum est, & inductiuum est peccati, de se non potest esse licitum vllo tempore; sed ex D. Augustino amittere famam, seu diffamare se, est actus ex suo genere malus: ergo nunquam est licitus. Maior est communiter concessa, & de se vera. Minor patet: quia diffamare se est actus impudens, & crudelis de sua natura occidens animas proximi; ex D. Augustino: ergo ex sua natura est malus, & peccatum. Sed inquiunt non est semper malus, sed solùm quando scandalum affert. Contrà, D. Augustinus non habet propositionem conditionalem, quod sit actus impudens, & crudelis, si affert scandalum proximo, & occidat animas eorum, sed absolutè ait, esse actum impudentem, & crudelem: ergo secundùm Sanctum Augustinum diffamatio sui ipsius est ex suo genere peccatum mortale.

Cõfirmat. 96 Confirmatur, quia diffamatio sui in sancto, seu eius, qui habetur pro bono, & sancto, est de sua natura inductiuus illius duplicis mali, quod significat D. Augustinus nimirum, quod proximus blasphemet viam Dei, dũ putat sanctos, seu viros bonos, qui profitentur sequi viam Dei, esse criminosos; & quod excitentur alij ad imitationem illorum peccatorum excusantes se, quod sancti hæc perpetrant. Et licèt hoc præcipuè verificetur de prælatis, qui vitæ spiritualis, & sanctæ gradum principalem profitentur; tamen de omnibus christianis quoque verificatur: quia omnes christiani profitentur vitam Christi sanctam, & bonam: ideo cum proximus videt fratrem suum christianum peccata perpetrare, etiam ipse ad exẽplum illius se eisdem dat, excusando se, quod alij christiani etiam hæc crimina faciunt; & sic quicunque diffamat se aliquo crimine, facit actum impudentem, & scandalosum, seu ex sua natura inductiuum ad peccatum, scilicet vel ad blasphemandam viam Domini; sicut Dauid 2. Regum committendo adulterium cum Bersabea, & occidendo Vriam Eteum fuit causa, vt nomen Domini blasphemaretur. Vnde Nathan Propheta ei dixit. *Quoniam blasphemare fecisti nomen Domini*, &c. Vel inducit alios ad peccãdum per imitationem excusantes se, quod alij faciant eadem peccata.

Ad auctoritate ex 1. ad Cor. 4. 97 Quod autem ait Molina Apostolis consuetum fuisse contemnere famam exemplo Apostoli 1. ad Corinth. 4. Respondeo falsissimum esse Apostolos consueuisse famam contemnere propter rationes adductas. Ad auctoritatem illam respondeo eum locum minimè fauere aduersarijs: quia ibi Apostolus non loquitur de fama, sed de falso iudicio Corinthiorũ: Corinthij enim iudicabant dispensatores misteriorum Dei alios fideles, alios infideles, vt ibi ait D. Anselmus. Paulus autem dicit se pro minimo habere, vt ab illis iudicetur, vel ab humano Die: quia iudicium eorum, & iudicium humanum non curabat, sed iudicium Dei. Vnde D. Anselmus habet hęc verba inter alia. *Quos enim in tantis vitiis reprehendit, minimum ducit ab his se iudicari quia sicut iusti non erãt, sic iustè iudicare non poterant.* Ex hoc ergo non habetur, quod ipse Paulus fecerit, aliquod opus, vel dixerit aliquid, quo se diffamauerit, quod est id, de quo loquimur; sed quod non curabat malum iudicium ipsorum, qui iniusti erant, & iniustè iudicabant; iudicium autem tale cõtemnere nulli dubium est Apostolis, & Sanctis fuisse consuetum.

98 Quartò principaliter fatetur Soto infamare se de criminibus nephandis esse peccatum lęthale. At solum peccata facinorosa, & magna, quæ attingunt peccatum mortale sunt quæ infamant; peccata enim leuia, vt venialia non infamant: quia sunt communia, & vt publica habentur: quia nemo est, qui sic quotidie non peccat: ergo regulariter infamare se est peccatum læthale: quia infamiam quis incurrit solum propter peccata mortalia; per veniale autem nequaquam; sed est abuti nomine famæ, & infamiæ. 4. Rõ principalis.

99 Ad rationes pro opposita sententia. Ad primam respondetur ex ijs locis non deduci D. Thomam fuisse diuersæ opinionis à nobis. Non ex primo loco: quia si illud dictum D. Thomę sic vniuersaliter intelligeretur, sequeretur etiam hominem licitè posse diffamare se, etiã quando diffamatio vergeret in scandalum proximi, quod tamen ipsi quoque negant. Ad primã rationẽ pro præcedenti opinione.

Consequentia verò probatur: quia si homo est factus dominus sui per liberum arbitrium, ita quod possit disponere licitè de se ipso quò ad ea, quę pertinent ad hanc vitam, excepto transitu ex hac vita ad aliam, & ideo ex hoc sequatur, quod possit se diffamare, sequitur etiam, quod possit se diffamare quando diffamatio cedit in dãnum proximi: probatur quia excipitur solum actus interficiendi se: ergo omnes alij licent. Est ergo dicendum D. Thomam intelligere, quod homo per liberum arbitrium constitutus est dominus sui, vt possit disponere licitè de se ipso, quò ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam secundùm rectam rationem, non secundùm ea, quæ rectæ rationi repugnant; huiusmodi autem est diffamatio sui.

100 Secundus locus etiã aduersarijs nihil prodest; immò hic eorum deceptio detegitur; aliud est enim licitè posse seipsum diffamare, & aliud patienter ferre diffamationem illatam nobis. D. Thomas asserit licere homini per liberum arbitrium pati detrimentum suæ famæ, & cedere iuri suo patienter sustinendo detractiones, idest non quærendo satisfactionem, & restitutionem famæ suæ. At non dicit licere homini efficere sibi famam malam, & imponere sibi crimen falsum, vel detegere crimen suum occultum. Hæc autem multum differunt. Nã licet etiam homini mutilationem iniustam sibi factam patienter ferre neque petere restitutionem debitam pro illa, & cedere iuri suo; non tamen licet sibi mutilare se. Immò licitè potest ferre mortem sibi illatam ab iniusto inuasore, vt suprà diximus, quamuis posset se tueri; non tamen potest licitè se interficere. Ista ergo multum differunt, se infamare, & pati detrimentum famæ sibi iniustè ablatæ; vt quia aduersarij hæc confundunt, ideo errauerunt.

101 Ad secundam concedimus nos comparare nobis ipsis bonam famam operibus bonis, sicut comparamus diuitias: negamus tamen consequentiam, scilicet nos ex hoc esse dominos nostræ famæ, sicut diuitiarum. Ratio discriminis est: quia non tenemur ex lege naturæ Ad secũdã.

facere

facere opera, quibus diuitias acquiramus; sed solum vt viuere possimus: at ex lege naturæ tenemur facere opera virtutum, quibus bonam famam comparemus; saltem tenemur non facere opera criminosa, quibus bonam opinionem amittamus: ideo non sequitur, quod simus domini ita nostræ famæ; sicut diuitiarum: licèt autem possit nobis ab alijs auferri non propter hoc sequitur, quod nos possimus licitè eam auferre nobis. Nam etiam vita corporalis nobis inuitis potest ab alijs auferri; non tamē ex hoc sequitur, quod eam nos ipsi possimus nobis auferre, vt etiam aduersarij fatentur.

De honore est alia ratio, ac de fama.

102 Quod autem adiungit honorem nos contemnere posse. Respondeo non esse parem rationem, ac de fama: quia honor est retributio, & præmium virtutis, & bonarum operationum; potest autem quis licitè nolle virtutem suam præmiari in hac vita ab hominibus, sed à solo Deo. Deinde ipsi honores, vt dignitates quandoque difficultant viam ad beatitudinem: quia requirunt plures virtutes in subiecto illas exercentes; & quia aliquis ex humilitate se non agnouit aptum, potest licitè eas recusare: ideo non est par ratio, ac de fama, quæ est bonum necessario annexum vitæ ciuili honestæ pro hoc statu, qualem omnes habere tenentur ex lege naturæ, & recto dictamine rationis.

Ad tertiam

103 Ad tertiam rationem respondetur negando falsitatem consequentis, & concedendo consequentiam. Ad probationem respondetur falsum supponi, quod fama, seu retentio suæ famæ honestè possit esse causa amittendi vitam æternam. Neque enim est dare casum, in quo quis ad vitam æternam consequendam seipsum teneatur infamare, imponendo sibi crimen falsum, vel deducendo in publicum crimen suum occultum: quia obseruatio legis naturæ non repugnat consecutioni vitæ æternæ; neque alijs præceptis necessarijs ad vitam æternam consequendam: ideo debebant ipsi hoc probare. Loquimur enim de fama christiana, non de fama vana, & honore mundano, qui est honor malorū hominum, & laus impiorum; non autem secundùm rectam rationem. Aduersarij autem videntur loqui de isto falso honore, de quo scriptum est, *gloriantur cum malefecerint*, & ideo decipiuntur.

Ad confirmationem ex exēplo Sāctorum.

104 Ad aliam probationem ex exemplo Sāctorum. Respondetur iam habemus D. Augustinum apertè asserere non esse audiendos, qui famā suam fidentes sua cōscientia tantùm, contemnunt. Ideo exempla in contrarium non possunt esse vera. Dico itaque, quod peccata quæ D. Augustinus recenset in lib. Confessionum, erant peccata publica iam nota pluribus: ideo ea scribendo nō se diffamauit; iam enim diffamatus erat, licèt non essent notoria; sed de peccatis publicis pœnituit. Patet enim quod peccata, quæ de se detegit in illis libris, erant peccata, quæ puerulus in scholis committebat. Maius autē, de quo ibi se accusat, est fornicatio, ex qua habuit filium Adeodatum; peccatum autem illud concubinatus erat publicum, & omnes domestici, & qui eius aliqualem notitiam habebant, sciebant eum habere concubinam: quia eam secum, vt vxorem publicè cum filio tenebat, & alebat, & propter hoc fatetur se tantum deditum fuisse incontinentiæ, quod existimabat, antequam conuerteretur, esse impossibile seruare continentiam. Idem dicendum de D. Anselmo quo enim loco deploret suam virginitatem amissam, non designant Soto, nec Molina: ideo locum videre non potui; sed si deplorat, hoc erit: quia in iuuentute, vt D. Augustinus libidine agitabatur, & more mundanorum, iuuenum fornicationibus se tradebat. Peccatum autem huiusmodi deplorare, non est sibi crimen imponere, neque aliquod peccatum occultum detegere; sed peccata iam publica, etiam nota deplorare. De D. Ambrosio exemplum nihil officit: quia ipse sibi non imposuit falsum crimen, nec occultum aliquod suum crimen detexit, sed solum fecit illas mulieres impudicas publicè ingredi ad se, vt speciem quandam hominis impudici præbens, populum à consilio eligendi illum in Episcopum dimoueret. Sed tamen huiusmodi factum fuit tale, vt populus, optimè nouerit esse fictionē D. Ambrosij: vnde non potuit ob hoc euadere. Non ergo hæc fuit diffamatio sui ipsius; sed quidam excessus humilitatis in D. Ambrosio, quem modò alicui non puto consulendum fore ad vitandam aliquam prælaturam. Deinde non esset inconueniens dicere D. Ambrosium in hoc peccasse licèt leuiter: neque enim D. Ambrosius erat confirmatus in gratia; Vnde si, vt ait Scotus in 4. d. 33. quæst. 1. ad argumentum in oppositum, sancti patres veteris testamenti potuerunt peccare in habendo plures vxores: quia non erant confirmati; non est inconueniēs si hoc dicamus de D. Ambrosio in peccato leui.

Lib. 6. Confessionum, c. 15. & pluribus alijs locis.

Idem dicēdum de D. Anselmo.

Ad illud de D. Ambrosio.

Sancti patres veteris testamenti potuerunt peccare ducendo plures vxores ex Scoto.

Ad quartā.

105. Ad quartam, auctoritates illæ nihil fauent aduersarijs. Aliud est enim patienter ferre iniuriam, & diffamationem iniustam, vt dicebamus supra ad primam rationem, & aliud se diffamare, scilicet imponendo sibi crimen falsum, vel detegendo occultum. Matt. quinto Sacra Scriptura hortatur ad perferrendum iniurias, non autem ad se diffamandum, vt patet Matt. verò 6. & alijs auctoritatibus adductis hortatur christianos ad non faciendum opera bona propter gloriam hominum, sed vt placeamus Deo. At multum differunt facere opera bona non propter vanam gloriam, seu non quærere gloriā vanam, & aliud se diffamare. Primum est actus honestus, & virtutis. Secundum est vitium. Vnde est illud Catonis. *Nec te colaudes, nec te culpaueris ipse.*

Ad quintā.

106 Ad quintam concedo cōsequentiam, vt dictum est suprà ad primum; sed nego falsitatem consequentis. Ad probationem dico, quod eo casu, quo quis falsum crimen imposuit alicui, se fecit indignum suæ famæ bonæ. Vndè propriè cum se retractat non se infamat, sed laudem sibi indebitam aufert, quia mendaciter accusando fit indignus, vt diximus cap. 1. huius disp. Nos autem loquimur de eo, qui nondum vllo crimine se suæ famæ indignum præbuit, ac nondum se infamauit.

Ad sextā.

107 Ad 6. iam supra ad secundam diximus non esse parem rationem de fama, & honore, accipiēdo propriè honorem, vt contradistinguitur à fama, de qua distinctione diximus supra cap. primo huius disputationis, & infra quoque erit sermo.

Quædam alia dubia circa famam, & de susurratione, derisione, & contumelia, ac de restitutione honoris. *Cap. IIII.*

108 PRopè dubium explicatū cap. superiori est aliud, propter quod Doctores recentiores prædictum tractauerunt, & est, An quis metu mortis, vel tormentorum possit se diffamare, scilicet falsum crimen sibi impositum in iudicio confiteri, vel potius sub pœna peccati mortalis teneatur illud negare; & si vi tormentorum illud sit fassus, teneatur dictum suum reuocare. In hoc dubio sunt duæ opiniones. Prima est Caietani 2. 2. q. 73. ar. 2. Ratio eius est: quia infamare seipsum est actus contra iustitiam in detrimentum Reip. ergo peccat etiam vi tormentorum confitēdo crimen falsum sibi impositum, vel detegendo verum iuris ordine non seruato. Præterea infamare se est peccatum mortale ex suo genere: ergo non licet propter tormenta infamare se, alioquin liceret etiam furari, fornicare, & committere alia peccata vi tormentorum, quod tamen est falsum. Hanc sententiam tenent quoque Panormitanus cap. *ex parte* 2. de sepulturis nu. 2. citatur Maior in 4. dist. 15. q. 16. D. Antoninus p. 2. titulo 2. cap. 2. Felinus cap. 1. de testium cognit. Molina disp. 37. concl. 11. nu. 14. licèt sit varius: nam concl. 12. & 13. oppositum docere videtur, vt infra dicam, & quidam alij. Hæc opinio videtur maximè probari ex dictis præcedenti cap. Si enim homo non est dominus suæ famæ sicut nec vitæ, sicut non potest per quotcunque tormenta vitanda se occidere, ita nec per quotcunque

An qui vi tormentorū falsum crimē sibi impositum cōfessus est teneatur dictum reuocare.

1. Opinio.

tor-

tormenta potest se diffamare, quia non est dominus suæ famæ. Præterea dicere mendacium est peccatum, quod nunquam licet, etiam ob vitandam mortem: ergo.

Opinio secunda opposita.

109 Altera opinio asserit eum minimè peccare mortaliter. Sic Soto lib. 5. de iustitia, & iure q. 10. ar. 2. ferè in fine, & lib. de tegendo secret. mem. 1. quæst. 3. & ante eũ fuit Syluestri verbo *detractio* q. 3. num. 4. & alij quos citat, & sequitur Azorius p. 3. lib. 5. cap. 9. quæst. 11. Molina disp. illa 37. est varius: tamen videtur velle, quod quando crimina non sunt vehementer infamantia, & damnificantia, non peccet læthaliter, sed solum quando sunt vehementia, & valdè damnificantia, vt patet ex eius concl. 12. & 13. quæ etiam fuit opinio Soto. Fundamentũ huius opinionis est: quia in tali casu mendacium istud, quo quis sibi imponeret crimen à se non commissum, non esset mendacium perniciosum, sed officiosum; quia nulli noceret; & ipsi reo se infamanti esset valde proficuum: quia eo mediante vitaret multa tormenta. Confirmatur quia ipsi dicunt, quod infamare se non est peccatum læthale ex suo genere, & quod homo est dominus suæ famæ: ideo potest illam abijcere ad vitandam tam grauia tormenta, & damna. Immo Soto, & alij eum sequentes videtur dicere neque etiam esse peccatum veniale hoc casu abijcere famam: quia teneni cum adest rationabilis causa licere abijcere famam: quia est dominus suæ famæ, quam aiunt rationabiliter potest abijcere, sicut diuitias.

Confirmatio.

2. Opinio cõfirmatur sed per alia fundaméta

110 Hæc secunda opinio mihi probatur, sed non per rationes ab ea adductas: illæ enim procedunt ex falsis fundamentis. Falsum enim est quod in tali casu mendacium sit officiosum. Nam cum per tale mendacium fama sibi auferatur, est perniciosum. Nec obstat, quod per illud vitetur damnum corporis: quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona; in tali autem casu aufertur fama, vt tormenta vitentur, quod est facere malum, vt eueniat bonum. Alia etiam ratio, quod homo sit dominus suæ famæ in præcedenti capite reiecta est.

Verũ fundamentum huius opinionis.

111 Vera ergo ratio, propter quã licet alicui ob vim tormentorum confiteri crimen sibi impositum, est, quia quando duæ leges, & duo præcepta cõcurrunt simul, nec potest vtrunque seruari, debet seruari maius, vt aliàs dictum est. In proposito autem casu concurrunt duo præcepta, quæ atubo simul seruari non possunt, & vnum est maius altero. Ista autem præcepta sunt lex diligendi, & seruandi vitam corporalem. Aliud est lex diligendi, & seruandi famam propriam. Maius est autem præceptum diligendi vitam corporalem, & ea, quæ ad eam consequuntur, quàm præceptum seruandi famam propriam: ergo cum vtrunque seruari non potest, maius est seruandum. In proposito casu cum quis tormentis grauissimis subijcitur, vt fateatur crimen falsum sibi impositũ, vita corporalis dirè affligitur; atque adeo, vt sic tortus magis vellit esse sine vita corporali, quàm illa tormenta pati (hoc enim intelligitur de tormentis grauibus, quæ quis sufferre non potest, non de leuibus, vel de ijs, quæ quis fortis sufferre potest) in tali casu ergo non potest simul saluare famam, & vitare tormenta, proinde præceptum seruandi vitam ab his eruciatibus, quod est maius, debet habere locum; & præceptum de seruanda fama debet sperni, & hoc est, quod alij Doctores dicunt, nos non teneri seruare famam nostram cum tanto incommodo, & detrimento corporali: quia vitandum est magis damnum corporale vitæ, quàm famæ.

2. Ratio. Hic est metus cadens in constantẽ virum.

112 Præterea hic est metus cadens in constantem virum: quia de duobus malis minus est eligendum; in proposito autem non potest saluare tormenta incomportabilia sibi vitæ corporalis, & famæ simul: ergo minus malum est eligere abijcere famam, quàm pati huiusmodi tormenta.

3. Ratio.

113 Denique fauet caput. Si quando Sacerdotibus 15. q. 6. in qua decernitur confessionem factam vi tormentorum non infamare. Et dato quod à tota infamia non excuset, certè excusat à tanta, vt glosa ibi dicere videtur. *quod enim coactè fit non habet fidem*, vt habetur eodẽ cap. ideo cum quis fatetur aliquod crimen sibi falsò impositum vi tormentorum, illa confessio non facit nullã fidem: quia est coacta, non liberè facta, & nisi ratificetur extra tormenta non valet; Vnde in tali casu præceptum de non violanda fama propria non videtur lædi.

Ad fundamenta Caietani.

114 Et per hæc fundaméta patet ad rationem Caietani: quia licèt abijcere famam propriam sit ex suo genere peccatum mortale, & cõtra iustitiam: tamen quia in casu isto concurrit cum præcepto grauiori, non obligat, sed debet negligi: ideo rationes illæ non valent contra nos. Et hoc modo potest dici, quod mendacium istud sit officiosum: quia mentitur, vt seruet bonum vitæ suæ, ad quod magis tenetur, quàm ad seruandam famam: ideo in tali casu mentiri non est peccatum, quia præceptũ de illo tunc non obligat. Si autem iuret se verum dixisse, peccaret quia iuraret falsum, quod semper est peccatum mortale.

Si iuraret peccaret mortaliter

Quid si ex cõfessione dãnetur ad mortem.

115 Sed quid dicendum si ex confessione falsi criminis vi tormentorum vel metu illorum sciat se damnari ad mortem? Nam tunc cõfitendo simul violat præceptũ de conseruanda fama sua, & seruanda vita sua, ergo videtur tunc non excusari à peccato mortali, quia vtrunque legem violat. Respondetur quæ futura sunt, incerta sunt iudicio humano; quæ autem præsentia sunt maximè certa sunt. Ad propositum tormenta in hoc casu præsentia sunt: ideo certissimus est de illis; mors ob confessionem delicti sibi impositi est futura; & ideo incerta. Et eò magis, quia cum sit innocens, potest sperare, quod veritas aliunde detegatur, & ipse liberetur à morte, non obstante sua falsa confessione.

Qui crimẽ falsum sibi impositum cõfessus est extra tormenta tenetur retractare.

116 Ex dictis sequitur, quod qui confitetur delictum in tormentis, si interrogetur de eodem crimine extra tormenta, sed dubitat, quod si neget subijciatur tormentis iterum, excusetur à peccato confitẽdo crimen falsum. Si autem extra tormenta, & extra timorem illorum interrogetur de crimine illo, tenetur negare, ne se diffamet, propter rationes adductas: quia tunc non concurrit præceptum naturæ de saluando bonis corporis; sed solum adest præceptum de seruanda fama, quod obseruare tenetur.

Qui ob crimẽ falsum confessum dãnatur ad mortem tenetur in articulo mortis retractare.

117 Ex eisdem principijs sequitur, quod qui confessus est crimen falsum in tormentis, vel timore tormentorum si ex hoc damnetur ad mortem in ipso articulo mortis, tenetur retractare suam confessionem, non solum si retractatio ei sit profutura ad mortem vitandam, quo casu nullum esset dubium; sed etiam si illa retractatio nihil sit profutura ad vitæ liberationem, eo quia iudex nihilominus damnabit eum ad mortem, & sententiam exequetur: quia debet sibi famam suam iniustè, & coactè ablatam restituere: neque amplius obstat tormentorum dolor, & metus, ad quem vitandum excusabatur à confessione delicti. In qua sententia conueniunt omnes ferè Doctores, licèt diuersis fundamẽtis, vt Panormitanus in cap. ex parte 2. de sepulturis num. 2. Felinus cap. 1. de testib. cogen. Socinus in relec. super caput *Ad audientiam*. D. Anton. p. 3. tit. 8. cap. 4. §. 1. Paludanus in 4. d. 21. q. 2. art. 3. concl. 4. Syluester verbo *Detractio*. q. 3. nu. 4. Azorius vbi supra, qui alios citat.

Doctores conuenientes in prædicta sententia.

2. Dubium principale. An qui falso accusauit teneatur se retractare, etiã si sua retractatio non iuuet accusato.

118 Secundò, dubium est, An qui falsò aliquem in iudicio infamauit, teneatur ei famam restituere, & dictum suum reuocare, licèt sciat se accusato nihil profuturum: quia nimirum adsunt alij falsi testes, qui sufficiunt ad eum damnandum. Respondetur nulli dubium esse teneri ad retractandum, sicut dictum est hac disp. cap. 1. & ideo omnes, qui simul accusauerunt falsò aliquẽ in iudicio, tenentur insolidum se retractare, & famam ei restituere: quando autem plures obligantur insolidũ vnusquisque tenetur etiam si alij, non restituant: sicut quãdo plures concorditer furati sunt aliquod bonum temporale proximo, omnes tenẽtur restituere insolidũ, & vnusquisque

quisque tenetur restituere partem suam, licèt alij non restituunt, & si posset restituere totam famam, & declarare eum innocentem, & abripere à morte, teneretur; sicut quando plures tenentur in solidum restituere aliquid furatum, vnusquisque tenetur restituere suam partem, & alijs non restituentibus, tenetur ad restituendum totum si potest.

Quid si timeat reuelando dãnari ad mortẽ vel ad mutilationẽ.

119 Sed quid si retractans suum dictum sic, dubitet se damnandum ad mortem, vel ad mutilationem alicuius membri, vt linguæ, & similium? Respondetur iuxta dicta eodem capite primo, teneri ad restitutionem etiã cum periculo vitæ. Si accusatus falsò ex illa accusatione damnetur ad mortem, vel ad mutilationem. Ratio est: quia ex parte vtriusque est periculum vitæ; sed innocens iniustè amittit vitam; Accusans autem iniustè retinet vitam: quia ex falsa accusatione factus est indignus illa, & proinde non potest illam retinere, sed debet retractare dictum suum, & innocentem saluare; & sibi imputare, quod falsò accusauit proximum, propter quam falsam accusationem sibi vita est auferenda.

Quid si accusatus patiatur solũ iacturã famæ, & retractans patiatur iacturam vitæ. Opinio affirmatiua.

120 Sed quid, si falsò accusatus ex illa falsa accusatione patitur solum iacturam famæ; retractans autem patiatur iacturam vitæ? Respondeo, Soto lib. 4. de iustitia, & iure, quæst. 6. art. 3. & quæst. 7. art. 2. Adrianus in 4. quæst. de restitut. §. *Sed restant duo dubia*. Maior in 4. dist. 15. quæst. 17. Couaruuias regula peccatum par. 1. num. 6. & 7. & quidam alij asserunt teneri ad se retractandum etiam cum periculo vitæ, quando infamia est maxima, vt puta de hæresi, de crimine læsæ maiestatis per quod aliqua familia illustris, & eius posteritas remaneat infamis.

Allata opinio refellitur.

121 Sed hæc opinio non est approbanda ex dictis suprà: quia præceptum legis naturæ de seruanda vita præponderat præcepto de seruanda fama alterius; proinde non tenetur quis restituere famam cum dispendio vitæ suæ: quia in hoc casu cessat obligatio præcepti restituendi famam. Accedit, & pendet ex eodem fundamento, quod vita est longè pretiosior, quàm fama; vita enim est superioris ordinis, & fama est inferioris ordinis, iuxta ea, quæ sępius dicta sunt, quod bona sunt in quadruplici gradu. Primo loco sunt bona spiritualia. Secundo vita corporalis, & bona eius. Tertio fama. Quarto diuitiæ, & bona fortunæ; quod autem bona famæ sint inferioris ordinis, quàm bona corporis, patet: quia bona temporalia, vt fama, & diuitiæ sunt propter vitam corporalem, non è conuerso. Vnde ablata vita corporali nihil valent fama, & diuitiæ: est ergo hoc clarissimum, & proinde in allato casu dicendum est, eum, qui alium accusauit de crimine falsò cum periculo vitæ suæ, nunquam teneri ad restitutionem famæ, licèt quantumcunque grauis infamia sequatur proximo: quia non tenetur infamatus velle restitutionem famæ suæ cum tanta iactura proximi infamantis, vt diximus de restitutione bonorum temporalium in ea particula, *Quando facienda est restitutio*. Hanc opinionem tenent quoque expressè Caietanus, 2. 2. quæst. 62. ar. 2. Nau. in Man. ca. 18. num. 47. & hanc acerrimè deffendit cap. 17. num. 89. contra Soto, & alios. Azorius eodem lib. 5. cap. 9. quæst. 12. ait hoc esse verum regulariter; tamen addit aliquando etiam cum periculo vitæ aliquem teneri ad restitutionem famæ, quando scilicet ex non restitutione timerentur maiora pericula probabiliter: quod potest esse verum in casu quo sequerentur factiones inter magnates, homicidia, & huiusmodi maiora mala quàm sit amissio vitæ illius particularis, qui infamauit.

An qui famam restituere non põt, teneatur pecunia eam recompensare.

122 Sed tenetur ne ille, qui non potest restituere famam ei, quem diffamauit, pecunia eam recompensare? Respondetur esse contentionem inter Caietanum 2. 2. quæst. 62. ar. 2. Syluestrum verbo *Detractio*. quæst. 4. & quosdam alios, & Soto lib. 4. de iustitia, & iure, quæst. 6. ar. 3. in responsione ad quartum, & alios. Primi asserunt non dari recompensationem famæ per pecuniam: quia sunt bona diuersorum ordinum; & proinde vnum non potest compensare alium. Secundi verò dicunt posse cõpensari pecunia: quia etiam damna corporis vt mutilatio &c. recompensantur pecunia. Dicendum est cum Nauarro cap. illo 17. num. 89. pro fama reuera nullam posse fieri compensationem per pecuniam: quoniam ratio prioris opinionis hoc conuincit. Nam certum est neminem cogi posse ad recipiendam pecuniam loco restitutionis famæ, quia fama est pretiosior toto auro mundi. Si tamen secundùm rectam rationem posset fieri compensatio, posset quis cogi ad recipiendam pecuniam loco restitutionis famæ: quia in ablatione pecuniarum fit secundùm iustitiam compensatio debiti pro debito, & damni pro damno.

Opinio vera.

Ad rationem autem pro secunda opinione respondetur, quod quando pro fama fit compensatio per pecuniam, non datur, nec debetur pecunia pro compensatione famæ; quia hoc fieri non potest; sed fit pro compensatione damnorum ex infamatione sequutorum. Quò fit, vt si nullum damnum in rebus temporalibus sequutum sit ex diffamatione, ad nihil compensandum pro diffamatione teneatur, si non potest restituere famam. Sic enim etiam cum pro damno corporali datur pecunia, non compensatur damnum corporale: quia non potest per quid ordinis inferioris recompensari; sed recompensantur damna, quæ ex læsione corporis sequuta sunt, quod etiam sentit Nauarrus eodem cap. 17. num. 90. & recentiores nonnulli.

Ad rationẽ pro secũda opinione.

An qui secreto fecit actum iniuriosum, pecunia recompensare teneatur.

123 Quò fit, vt cum quis fecit aliquem actum iniuriosum alicui, damnum tamen nullum temporale attulit, & huiusmodi damnificans est ignotus, & timet sibi graue periculum si se manifestet, & restituat honorem, non teneri ad vllam recompensationem in pecunia; licèt nõ restituat famam: quia iam fama non potest compensari pecunia; damnum autem nullum pecunia estimabile est datum: ergo ad nullam recompensationem pecuniariã tenetur. Exemplo res manifestatur. Caius nocte, vel secreto furtè, vel baculo percussit Titium, & timet sibi graue periculum si se manifestat; ex illa autem percussione cuius ignoratur Titium fuisse auctorem, nihil damni pecuniarij euenit Caio. Quæritur An Titius, cum non possit restituere famam ob timorem magni periculi vitæ, & similia, teneatur recompensare secreto Caium pecunia ob percussionem illam, & factum iniuriosum. Et est respondendũ negatiuè ob rationem dictam: sufficit, quod de peccato pœniteat.

An Antistes ĩfamãs aliquẽ possit pecunia recompensare infamiam.

124 Ex quibus sequitur non esse tutum, quod ait Soto eodem lib. 4. de iustitia ar. 3. ad quartum, quod si Antistes aliquis, vel egregiæ estimationis famam priuati hominis maculauerit, nõ teneatur ad restitutionem famæ; sed satis sit si pecunia recompenset, quod si alter noluerit, infamatorem ad nihil aliud teneri. Dictum est enim famam esse pretiosiorem toto auro mundi; proinde infamatum non cogi ad recipiendam pecuniam pro fama, immò puto quanto excellentior est persona infamans, tanto magis teneri ad restitutionem famæ: quia quanto persona infamans est excellentior, tanto maior est infamia. Verùm est quidem personam excellentem, vt antistitem habere varios modos honorandi infamatum à se, quibus absque læsione graui suæ dignitatis potest illi famam restituere, reuocando, seu retractando dictum suum, si non formaliter, saltem virtualiter, vt aliàs eum honorando, cumulando gradibus, & officijs honestis, hæc enim faciendo videtur emendare, & tollere diffamationem iniustam illatam, & esse reuocationem virtualem, licèt non formalem.

Quid si infamatus remittat restitutionẽ famæ.

125 Sed quid dicendum, si infamatus remittat obligationem restituendi famam? Respondetur Soto lib. 4. de iustitia, & iure quæst. 6. art. 3. ad quartum, & ante ipsum D. Antoninus, 2. par. tit. 2. cap. 1. §. 3. Nauarrus cap. 18. num. 46. & alij citati ab eo, tenent famam posse condonare, & facta remissione infamantem non teneri ad restitutionem. Fundamentum eorum est, quia homo est

dominus

dominus bonorum suorum, sicut ergo si remittat debitũ aliorum bonorum alicui, ille amplius non tenetur ad restitutionem, ita qui condonat restitutionem famæ propriæ, liberat eum ab obligatione restitutionis eiusdem famæ.

Solutio vera.

126 Sed opinio contraria est vera, vt ex dictis elicitur: quia iam diximus hominem non esse dominum suæ famæ, nec posse licitè se infamare: at si possit dimittere obligationem restitutionis suæ famæ, posset licitè se infamare, quia sibi imponere crimen falsum, & falsum crimen impositum nolle abijcere est idem: & ideo remittere obligationem restitutionis famæ est idem, ac se infamare. Fundamentum autem prioris opinionis est falsũ, quia falsum est, quod homo sit dominus suæ famæ, & quod proinde possit dimittere restitutionem famæ, sicut alia debita diuitiarum, & rerum temporalium, vt superiori capite dictum est.

Ad fundamentũ prioris opinionis.

3. Dubium principale. An audiẽs detractionem, nec impediens peccet mortaliter.

127 Tertiò principaliter dubitatur, An audiens detractionem, nec impediens, peccet mortaliter. Respondetur: Iam ex dictis supponitur, detractionem esse ex suo genere peccatum mortale, quia ordinatur ad auferendam famam proximo, quæ est magnum bonum, & principale, vltra bona corporis, licèt ex leuitate materiæ, & ex actu imperfecto, seu intentione non nocendi, sed ex leuitate prolata, possit esse peccatum veniale, vt communiter Theologi docent. Alensis par. 2. quæst. 129. D. Thomas 2. 2. quæst. 73. ar. 2. & alij passim.

Qui audit detractionem vario modo se habere potest

Qui autem audit secundùm Alensem vbi suprà, memb. 5. & alios passim varijs modis se habere potest in audiendo. Vel enim ita audit, quod est causa mouens alium ad detrahendum, & peccat mortaliter: quia est idem, ac si detrahat. Vnde D. Bernardus Epist. 2. ad Eugenium. *Detrahere an detrahẽtem audire, quod horũ damnabilius sit non facilè dixerim.* Vel ita audit, quod se complacet in illa detractione, quia vult malum proximo, & hoc est peccatum mortale, sicut detractio ipsa. Vnde D. Hieronymus adductus ab Alense, & D. Thoma ait. *Caue ne linguam, & aures habeas prurientes, ne aut ipse alijs detrahas, aut alios audias detrahẽtes.* Vel audit cum complacentia, sed non odij causa, & hoc etiam est peccatum mortale, licèt non ita graue sicut duo prædicta. Vnde illud Sapientiæ 4. *Remoue a te os prauum, & labia detrahentia procul sint à te.* Denique ita audit, vt non resistat, & tamen potest, & videtur consentire detractori, & peccat mortaliter, sicut ipse detrahens, quia fit particeps eius peccati. Si autem omittat corripere detrahentem, vel ex timore, vel ex negligentia, vel etiã ex verecundia, est peccatum veniale, & hinc multo magis habet locum in eo, cui ex officio incumbit corripere detrahẽtem, & quando ex detractione sequitur aliquod graue malum, vel damnum.

4. Dubiũ principale. An qui infamatũ in vno loco infamat in alio, teneatur ad restitutionem famæ.

128 Quartò, dubium est, An qui infamatum in vna ciuitate, vel loco, infamat in alia ciuitate, & loco, vbi bonæ famæ habetur, teneatur ad restitutionem. Respondetur Caietanus referrente Soto lib. 5. de iustitia, & iure, quæst. 10. ar. 2. tenuit non esse obligatum. Ratio ipsius erat, quia qui amisit famam suam iure nulla ei fit iniuria, si crimen eius alibi detegatur ob quod famam amisit.

2. Ratio.

Adrianus verò, quolib. 11. quæst. 1. asseruit non licere, hac ratione: quia licet alicubi, qui sit fama priuatus, potest tamen alibi habere eam illæsam: ideo illi fit iniuria eum ibi diffamando, & publicando crimen suum, ob qđ diffamatus fuit.

Confirmatio.

Confirmat, quia licèt aliquis sit vitio publico infectus, siue ad mores pertinente, siue ad naturã, nemini licet ei in faciem illud obijcere: ergo minus licebit illud crimen, de quo fuit infamatus, alibi disseminare.

Opi. Soto.

129 Soto autem distinguit. Vel fama est ablata iudicis sententia, vel non per iudicis sententiam, sed per euidentiam facti criminosi. Primo modo diffamatum in vno loco diffamare in alió, non obligat ad restitutionẽ.

Ratio Soto

Ratio eius est, quia diffamatio illa illi est in pœnam, ideo potest quilibet vbique eum diffamare. Ait tamen esse

peccatum contra charitatem. Secundo modo verò diffamatum infamans alibi, vbi habet bonam famam, tenetur ad restitutionem.

Rõ eiusdẽ.

Ratio eius est, quia nec iure, nec auctoritate publica fama illi est ablata: ideo non amisit ius suæ famæ; sed illi fit iniuria eum diffamando, vbi habet bonam famam.

Opi. Adriani approbatur, & defenditur.

130 Ego puto opinionem Adriani esse veram, & distinctionem allatam à Soto non habere locum; sed qui infamatum in vno loco, siue ex sententia iudicis, siue ex euidentia facti infamat in loco, vbi est bonæ famæ, teneri ad restitutionem. Et quidem quod hoc sit verum de infamato ex euidentia facti concedũt Soto, Azorius, & alij; & rationes Adriani hoc probãt.

Confirmatio valida.

Et confirmatur efficaciter hoc argumento, suppono quod amissio famæ non est damnum irreparabile, sicut amissio vitæ corporalis, vel mutilatio membri. Tunc sic, potest contingere, quod qui amisit famam ob crimen publicum agendo pœnitentiam, & retractando vitam malam, denuò acquirat bonam famam, vt si meretrix publica iungatur in matrimonium honesto viro, & inde honestè viuat, amittit infamiam, & recuperat bonam famam: & tunc si quis ipsam assereret esse infamem, esset detractor: quia licèt fuerit, amplius non est. Ergo à pari si mulier, quæ artem meretriciam exercuit in vna ciuitate, pœnitentia ducta recedat ab illa in aliam ciuitatem remotam, in qua honestè viuat, & habeat bonam famam, si quis illuc adueniens, qui prius eam meretricem nouerat, dicat illam esse meretricem, mentitur, & illi detrahit: ergo qui infamat aliquem alibi prius infamatum in loco aliquo, in quo est bonæ famæ, tenetur ad restitutionem. Et certè hæc ratio habet vim maximam. Nam si oppositum esset verum, nõ esset possibile reparare bonam famam, quod est absurdum, & contra suppositum communiter concessum. Consequentia autem est euidens: quia quantumcunque quis pœniteret de crimine, de quo est diffamatus, & rectè viueret, semper verum, & licitum esset dicere, quod ille est infamis. Cum ergo in eadem ciuitate, in qua quis est diffamatus, possit bonam famam recuperare, & peccet is, qui tunc eum infamem dicat; multo magis hoc verum habet, dum recedens ab illa ciuitate honestè in alia viuit.

Opi. Soto impugnat.

131 Cum autem hoc sit verum de infamato ex euidentia facti; verum est etiam de infami ex sententia iudicis: quia est eadem ratio de eo, & de infamato ex euidentia facti. Nam qui sententia iudicis ob aliquod crimen est diffamatus potest pœnitentiam agere, honestè viuere, & famam recuperare: quia neque in eo amissio famæ est damnum irreparabile. Ideo si facta pœnitentia actionibus honestis recuperet bonam opinionem, siue in loco vbi diffamatus est, siue vbi non est diffamatus, illi fit iniuria, si habeatur, & dicatur infamis, & mendacium diceret, qui sic ei detraheret.

Obiectio.

Sed contrà, si quis sententia iudicis infamis adduceretur in testem contra aliquem in eo loco, vbi pro bonæ famæ habetur, posset repelli à testimonio per exceptionem de infamia, si ab accusato resciretur: ergo vbique est infamis, & consequenter ei non fit iniuria si vbi eius infamia ignoratur, diffametur.

Solutio.

Respondetur non valere consequentiam; quoniam non est par ratio de exceptione, & detractione. Nam exceptio in foro exteriori fit, in quo licet accusato vti iure suo, & se tueri per illam exceptionem. At extra iudicium nullus habet ius detrahendi illi, dum honestè viuit, quia ipse nulli nocet.

Ad rationẽ Soto.

132 Ad rationem Soto. Respondetur, quod diffamatio ex sententia iudicis non est pœna imposita à iudice, quam infamatus soluere teneatur, sicut tenetur soluere, seu subire pœnam sibi impositam per sententiam iudicis, sed est effectu sententiæ iudicis. Nam ex quo iudex de crimine damnat aliquem; crimen Rei, quod erat occultum, fit publicum, & notorium, & sic amittit famam. At per sententiam iudicis non statuitur, vt ille semper pro infami habeatur, ac eum non posse recuperare bonam

famam: Immò punitur, vt resipiscat, & rectè viuat: quia iudicis punitio, si non est vitæ amputatio, licèt primariò ordinetur ad exemplum aliorum, tamen secundariò etiã ad rei correctionem tendit. Vnde si deinde rectè viuat poterit bonam famam recuperare.

133 Immo maior infamia videtur esse, quæ oritur ex euidentia, & notorietate facti, quàm ex sententia iudicis. Quia infamia, quæ oritur ex sententia iudicis, habet ortum à duobus, vel tribus testibus, qui de crimine contra reum deponunt, vel per confessionem rei, quæ quandoque potest esse fallax ob malitiam hominum sępè mentientium in iudicio contra proximum, vel vt tormentorum extorta. At infamia ex euidentia facti, vt publicæ meretricis, vel vsurarij notorij, habet ortum ex vniuersitate aliqua, & pluribus testibus, & indicijs manifestis: ergo est maior infamia, & consequenter qui detrahit alicui infamato ex sententia iudicis in aliquo loco vbi habet bonam famam, peccat magis, quàm qui detrahit infamato ex euidentia facti, propter rationem allatam.

Conclusio probata vbi habet locum.

134 Est ergo dicendum detrahentem alicui in loco vbi non est infamatus teneri ad restitutionẽ famæ. Obseruandum est tamen hoc verum esse de eo, qui infamat in loco remoto, in quo de facilè notitia infamationis proximi peruenire non potest: quia in hoc se habet, ac si sit alius homo ab illo, qui prius fuit infamatus; non de loco, qui propinquus est illi, in quo diffamatus est, & in quem de facili fama diffamationis peruenire pōt: quia, quod parum distat nihil distare videtur: ideo cum sit diffamatus in vno loco, videtur diffamatus quoque in alio loco propinquo: ideo diffamans aliquem in huiusmodi loco propinquo, non aufert illi famam, & proinde ad restitutionem illius non tenetur.

5. Dubiũ. Quæ differẽtia sit inter detractionẽ, & susurrationem.

135 Quintò, dubium est, An detractio, & susurratio sint vitia distincta. Fusè de his agũt Alensis 2. par. quæst. 129. & 130. D. Thomas, 2. 2. & alij. Respondetur breuiter (disputatio enim de his est potius verbalis, quam realis) quod licèt quandoque pro eodem accipiatur: quia vtrunque est vitium, quò malum de proximo quis occultè dicit; tamen distinguuntur: quia detractio habet pro fine diffamationẽ proximi, susurratio verò ordinatur ad separationem amicitiæ: Vnde Prouerbiorum 26. dicitur *Susurrone subtracto, iurgia conquiescunt*, profert enim susurro talia de proximo, non quæ primo auferant, vel diminuant famam proximi, vt detractio; sed quæ possunt commouere animum proximi contra proximum.

Quã graue peccatũ susurratio.

Est autem peccatum mortale, & adeo graue peccatum susurratio, vt D. Thomas 2. 2. quæst. 74. ar. 2. & alij communiter dicant, verè esse maius peccatum, quàm sit detractio, & contumelia. Ratio est, quia maius nocumentum infertur proximo priuãdo eum amico, quàm fama: nam inter cætera bona externa maius bonum est amicus, quia sine amicis viuere nullus potest, vt patet per Philosophum 8. Ethicorum, cap. 1. Et Ecclesiastici 6. dicitur *Amico fideli nulla est comparatio.* Maius bonum ergo est amicus, quam fama: quia fama estimatur multum, quia est idonea ad amicitiam comparandam. Et sic habet rationem medij ad amicitiam; amicitia verò habet rationem finis.

Susurratio est maius peccatũ detractione, & contumelia.

Vnde cum detractio sit genere suo peccatum mortale, sequitur, vt multo magis susurratio sit peccatum mortale. Atque eadem ratione est dicendum susurrationem esse maius peccatum, quàm contumelia. Propter hoc Philosophus ibidem ait, quod amicitia est melior, quàm honor, & amari melius, quàm honorari. Et Sacra Scriptura aduersus hoc peccatum susurrationis vehementer inuehitur Prouerbiorum 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & 7. detestatur anima eius*, nimirum *eum qui seminat inter fratres discordias.* & Paulus ad Romanos 1. susurrones numerat inter eos, qui peccant mortaliter, & excluduntur à Regno Dei, a quo nemo excluditur nisi propter peccatum mortale. *Plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones*, &c. Et hæc intelliguntur de susurratione propriè dicta, per quam amicitiæ honestæ dissoluuntur; quoniam amicitias inhonestas, & turpes potiùs est meritum dissoluere, licèt hoc fieri nõ debeat, nisi debito modo: quia est sententia Sacræ Scripturæ Deuter. 16. *Quod iustum est, iustè exequere.* Quam auctoritatem sępè Scotus habet in ore hac q. 4. ar. 1. & q. 2. in responsione ad argumenta ea 3. d. 39. E.

6. Dubium Differẽtia inter detractionem, susurrationem, & derisionem.

136 Sextò, est dubium, An detractio, & susurratio distinguantur à derisione. Rñdetur cõiter, quod etsi derisio conueniat cum detractione, susurratione, & contumelia in hoc, quod est vitium inferens nocumentum proximo per verba; tamen differt in hoc, quod ordinatur ad tollendam pacem internam proximi, & parit confusionem, & erubescentiam in proximo; pax autem, & serenitas conscientiæ est non leue bonum, & è conuerso erubescentia, & confusio est damnum graue. Vnde Prouerbiorum 15. dicitur *Secura mens quasi iugè conuiuium.* Quapropter secundùm Alensem vbi supra mem. 1. Derisio propriè dicta, vt distinguitur à subsanatione, est vox confusa letitiæ insultationem immoderata hilaritate, idest cachino, denuntians. Subsanatio verò fit gestibus derisorijs, vt naso contracto, vel rugato.

Quæ sit materia derisionis.

137 Quæ sit materia huius vitij non est adeo clarum. D. Thomas 2. 2. quæst. 75. art. 2. ait esse malum, vel defectum, & Soto lib. 5. de iustitia, & iure, quæst. 11. art. 2. ait esse vitium morale, vel naturale; adeo quod secundùm eos irrisio est de aliquo malo, seu vitio, & defectu alicuius, quem quis irridet, & paruipendit; & hoc dupliciter, scilicet Vel ratione vitij, & defectus in se, Vel ratione personæ. Et primo modo est peccatum leue. Secundo modo graue, maius, vel minus prout persona est magis, vel minus digna reuerentia.

Doctrina allata reijcitur.

138 Ego autem hanc doctrinam non intelligo: quia ipse D. Thomas, & Soto ibidem dicunt (& omnes concedunt) Deum à peccatoribus irrideri aliquando, & esse grauissimum peccatum; Modò certum est in Deo nullũ esse defectum, nec malum: ergo Deus non posset irrideri? Similiter sancti, & iusti aliquando deridentur ob simplicitatem suam: At simplicitas non est vitium, nec defectus moralis, nec naturalis: ergo non possent derideri. Demum accedit, quod D. Gregorius adductus à D. Thoma, vbi suprà loquens de irrisione ait. *Qui in aliorũ actibus bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis euellunt*: ergo videtur, quod derisio, seu illusio, & exprobratio sint circa bonum, & virtutem proximi, quam quia nos irridemus, sumus causa, vt euellatur, & non fiat.

Opi. auctoris.

139 Puto itaque dicendum, vt colligitur ex Alensi tota illa quæst. 134. præsertim membro 4. derisionis materiam nedum esse defectum, & malum alterius, siue naturale, siue morale exiguum; sed etiam actionem bonam, quam vt paruum defectum, & malum iudicamus: & proinde illam, vt malum leue, irridemus, & spernimus, vel in se, vel ratione personæ alicuius, quam vt vilem despicimus. Distinguit enim quod duplex est irrisio. Quædam pro bonis operibus. Quædam ex culpa. Prima est meritoria. Secunda nequaquam. Peccat tamen qui vtroque modo irridet. Non solum ergo est irrisio, cum defectum aliquem naturalem, vel moralem proximi vocibus iocosis, & ludicris, ac immoderata hilaritate insultamus, vt si quis aliquem deformem immoderata hilaritate ludendo, & cachino quodam insiliter appellando eum hominem pulchrum, & elegantem per iniuriam, & similia; sed etiam si quis opus bonum alicuius iusti insiliet, iocosis verbis. Vel etsi sit opus bonum; tamen ex simplicitate sua non ita aptè factum sit, quis verbis similiter iocosis insultet, est irrisio. Huiusmodi enim insultatio causat in animum iusti confusionem, & erubescentiam. Item si quis opus bonum iusti reputet malum leue tamen; & ideo illud irrideat, vt cum aliquis in actibus virtutum exercet se, & alij eum irrident quasi sit hipocrita, vel stultus, ac demens, propter quam insultationem confundatur, & erubescat, est irrisio. De his sic irridẽtibus habetur Luc. 9. *Qui erubuerit me, & sermones meos, hunc filius hominis*

erubescet

erubescet cum venerit in maiestate sua. Similiter cum Christus Dominus confitebatur se esse Deum, & Saluatorem coram iudæis, & veritatem dicebat: illi autem eũ illudebant, & exprobrabant dantes alapam, & dicentes *prophetiza nobis Christe quis te percussit*, erat irrisio, & illusio. Similiter cum corona spinea, & veste purpurea indutum eum appellabant Regem ironicè, & in contemptũ, erat irrisio: isti enim opus bonum confessionis veritatis reputabant malum, & vitium graue in se: tamen respectu personæ, quam despiciebant, putabant leue, & ideo illum ob talem confessionem deridebant. Similiter qui operationes Dei, & iudicia eius leuia, vel quasi stulta iudicans in ludum vertit, ac spernit, irridet Deum. Et denique, qui Deum ipsum verum, qui se Deum ipsum esse asserit, quasi falsum dicat, in iocum vertit, & immoderata hilaritate insultat, iuxta illud Isaiæ 37. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam*, & postea subdit. *Ad Sanctum Israel* est irrisio Dei. Clarum est ergo, quod irrisio nedum est de defectu, & vitio vero, sed etiam de opere bono reputato vitio, & defectu, leui tamen, vel in se, vel ratione personæ: & ideo despicitur, & deridetur. In hac enim derisione de opere bono reputato malum, licèt deridens intendat inducere confusionem, & erubescentiam in deriso, atque actu eam inducat, non est tamen timenda (loquor de creaturis) ab eo, qui irridetur: quia in eo irrisio illa non est culpabilis, sed est meritoria, & de hac dicit D. Gregorius adductus ab Alensi, vbi suprà. *Eo se intus robustius in Deo solidant, quo foris non inueniunt in quo requiescant*.

Grauitas peccati derisionis vn de sumatur.
140 Grauitas autem in hoc peccato non sumitur ex grauitate mali, & defectus: quia est, vel reputatur leue, & vt tale habetur, sed ratione personæ cuius est defectus, & malum verũ, vel existimatũ: quantò enim persona est dignior, tantò maius est peccatum. Vnde maius peccatum est deridere Deum, quàm creaturam, quippe, quæ est quædam species blasphemiæ, & includit infidelitatem iudiciorum Dei. Secundo loco est irrisio parentum, iuxta illud Prouerbiorum 30. *Oculum, qui subsanat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ*. Deinde maius peccatum est irrisio Sanctorum, & operum bonorum, quia honor est præmium virtutis: & ideo cum loco honoris debiti persona irridetur, est grauis iniuria. Deinde, qui irridet malum, & defectum verum alicuius leue, sed tamen putat valde displicere deriso, potest esse peccatũ mortale ratione intentionis grauiter offendendi proximum; cessante autem intentione illa, & contemptu personæ, est veniale tantùm.

6. Dubium De maledictione.
141 Sextò, dubium est, quomodo maledictio se habeat ad prædicta vitia. Respondetur, de maledictione agunt Alensis 2. par. quæst. 130. diffusè. D. Thomas 2. 2. quæst. 76. & alij ex recentioribus. Breuiter dico, quod maledictio potest accipi dupliciter. Vno modo communiter, & sic est idem quod iactatio conuitij, & mali in proximum. Et hoc modo est idem quod contumelia, de qua infra. Alio modo propriè, & est imprecatio mali pœnæ alicui. Et hæc est vitium speciale, quod quidem conuenit cum alijs suprà adductis in genere: quia est vitium, quo verbis infertur iniuria in proximum. Differt verò, quia in illis fit iniuria per improperium culpæ, in hoc per improperium pœnæ, vt inquit Alensis. In hoc peccato incidunt frequenter mulierculæ imprecantes malum suis liberis seruis, ancillis. Item Rustici, Agasones, Muliones, Nautæ, & huiusmodi imprecantes sibi, & iumentis, nauibus, & huiusmodi aliquod malum.

Quandò maledictio est peccatũ
142 Quod autem sciendum est in hac re præsertim est, An sit peccatum mortale. Pro cuius intelligentia est notandum, quod maledictio vel est contra creaturam irrationalem, vel rationalem, vel Deum. Maledictio contra Deum est blasphemia, quæ est peccatum mortale. Contra creaturã irrationalem potest tribus modis fieri. Vno modo imprecando ei malum quatenus est creatura Dei, & hæc est blasphemia. Vel secundùm se, & hoc modo maledicere est actus otiosus: quia illa non est capax pœnæ. Vnde est peccatum veniale, sicut omne verbũ otiosum. Vel inquantum illa pœna cedit in damnum creaturæ rationalis, ad cuius vtilitatem creatura irrationalis est ordinata, vt cum Dominus Gen. 3. maledixit terræ dicens. *Maledicta terra in opere suo*. vt scilicet per sterilitatem eius homo puniretur, & huiusmodi esse videntur maledictiones Nautarum, Mulionum, Agasonum, & similium: imprecantur enim malum illis creaturis in pœnam sui ipsorum, vel aliorum. Et huiusmodi maledictio est peccatum sicut imprecatio mali ipsi creaturæ rationali.

143 Est autem peccatum mortale, quando tres conditiones adsunt. Prima si pœna, quæ imprecatur, sit grauis, vt si quis imprecetur creaturæ rationali pœnam inferni, vel si imprecatur pœnam temporalem grauem, vt mortem, mutilationem, & huiusmodi. Secunda conditio, vt fiat ex animo odio, & desiderio, quod tale malum creaturæ obueniat. Tertia quod hæc imprecatio fiat ex plena animi deliberatione. Vnde cum aliqua harum circunstantiarum deest, est peccatum veniale. Quò fit, vt cũ mulierculæ, Muliones, Agasones, & similes maledicunt sibi filijs, iumentis, & huiusmodi nõ semper sit peccatum mortale. Ratio est: quia sæpè fit ex leuitate quadam puerili, seu ex quadam consuetudine lasciua, Vnde ab Alense appellatur maledictum lasciuiæ. Vel ex ira quadam subitanea, quod est maledictum surreptionis, secundùm Alensem vbi suprà mem. 2. His autem duobus modis est peccatum veniale: quia non adest perfectus consensus, nec deliberata voluntas, quod tale malum obueniat ijs, quibus imprecatur, sed est quædam negligentia leuis, & inconsideratio. Vnde D. Hieronymus adductus ab Alẽsi vbi suprà de hoc genere maledictionis inquit. *Qui negligit oris maledici resecare consuetudinem, etsi non corde maledicat, immunditiam tamen labiorum oris inquinamentum incurrit*. Hæc tamen consuetudo potest facere hæc peccata mortalia, si inducat contemptum, vt ibidem asserit Alensis.

Quãdo est peccatum mortale.

144 Præter hæc est maledictum iustitiæ, quod non est peccatum, sed bonum, vt cum iudex maledicit reo præcipiendo illi imponi pœnam iustam: & qui imprecatur alicui aliquam pœnam temporalem, vt ægritudinem, & similia ad eius correctionem. Insuper est maledictio peccati, vel creaturæ irrationalis, non in se, sed ratione peccati in ea contenti. Sic Hier. 20. *Maledicta dies, in qua natus sum*. Iob 3. maledixit diei suo dicens. *Pereat dies, in qua natus sum*. & Regum 1. *Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniat super eos* &c. Maledictio ergo propriè dicta differt à contumelia; neque per eam aufertur fama, vel honor; sed solum optatur pœna; optare autem non est inferre.

Maledictũ iustitiæ quod est bonum

Maledictio ratione peccati.

145 Septimò, dubium est, quomodo contumelia se habeat ad derisionem, & detractionem. Respondetur de contumelia agunt diffusè Alexander Alensis 2. par. q. 129. D. Thomas 2. 2. quæst. 72. & alij multi suis locis. Breuiter Alensis vbi suprà, mem. 1. diffinit contumeliam sic. Contumelia est peccatum ex improperio sermonis manifesto, tendens in nocumentum proximi. Pro cuius intelligentia obseruandum est, quod secundùm omnes contumelia conuenit cum detractione, susurratione, & derisione in hoc quod est iniuria illata proximo ex verbis. Differt verò ab illis fine; nam detractio est iniuria, quæ ordinatur ad auferendam famam proximo. Susurratio ad dissoluendam amicitiam. Derisio ad tollendam pacem, & tranquilitatem animi. Contumelia verò ordinatur ad tollẽdum honorem proximo. Diximus enim suprà quod honor est reuerentia exhibita alicui in testimonium excellentiæ eius. Vnde honor dicitur, & est præmium virtutis. Contumelia autem ex aduersu est irreuerentia, & improperium sermone manifesto, & publico facta alicui; & sic est dehonoratio, seu dehonestatio personæ,

7. Dubiũ. De contumelia.

Quid sit cõtumelia.

sonæ, qua quis verbis exprobrando proximo sua mala, & deffectus graues seriò, & ex ira deducit in publicum, & in faciem eius ea proijciat, vt dicẽdo eum furem, adulterum, & huiusmodi, & sic priuat eum reuerentia debita sibi ratione excellentiç, & inducit irreuerentiam in eum. Et per hoc differt à derisione: quia ipsa non seriò, neque ex ira, neque est de defectibus grauibus; sed de leuibus, & ad modum ludi, eos in publicum producit, & proximi tranquilitatem turbat.

De cõuitio.

146 Differt etiam à conuitio, & improperio, licèt sępè pro eodem accipiantur, quod conuitium est exprobratio nedum pœnæ proximo inflictæ, vt si quis dicat alicui iniuriosè, cęcum; sed etiam vitij, vt si dicat alicui fur; est enim simul conuitium, & contumelia. Differt

De improperio.

verò ab improperio: quia improperium est exprobratio, seu reductio iniuriosa ad memoriam auxilium, & beneficium, quæ quis alicui contulit in suis necessitatibus. Hoc enim quodammodo derogat honori personæ: quia minuit statum eius ostendendo eius indigentiam: & ideo contrariatur honori.

147 Aduertendum est etiam, contumeliam fieri iniuriando in præsentia proximum; sed etiam in absentia, vt dicendo contumeliam coram aliquibus, qui eam referant proximo infamato; vel faciendu quędam turpia, vt

De libellis famosis.

scribendo literas iniuriosas, vel libellos famosos faciendo, vel ianuæ domus cornua affigendo, vel eam deturpaodo, siue se manifestandu, siue non. Hæc enim facta, cum sint significatiua criminum proximi, se habent veluti verba contumeliosa auferentia honorem proximo. Libellus famosus est scriptura, quæ infamiam alicuius continet nondum publicatam, vt edatur, & publica fiat. Pœ-

Pęna faciẽtis libellũ famosũ, & non scindẽtis, sed publicãtis est pœna capitis.

na illius, qui facit libellum famosum, in quam etiam incidit, qui libelium famosum inuenit, & non scindit, sed manifestat alijs, est pœna capitis l. vnica, C. de famosis lib. iuncta l. lex Cornelia, §. si quis librum, ff. de iniur. lexque illa vnica habetur 1. quæst. 5. §. vltimo, quod intelligendum est, quando libellus continet aliquod, quod si infamatus fecisset, dignus esset morti. Vnde regulariter, qui facit libellum famosum, vel similia debet puniri ea pœna, qua puniretur infamatus si illud crimen commisisset, vt habetur in glosa l. vnica citata. Ex his patet, quod omnia ista vitia sunt contra iustitiam: quia auferunt aliquod bonum iniustè, scilicet honorem ipsi proximo: & ideo ad restitutionem illius obligant.

Contumelia potest esse peccatũ veniale, & mortale.

148 Conueniunt autem omnes contumeliam, conuitium, & improperium posse esse peccatum mortale, & veniale. Si huiusmodi dehonoratio fiat animo auferendi honorem proximo, & ex ira, est peccatum mortale. Intentio enim damnificandi proximum facit actum peccatum mortale, quando damnum est graue; patet autem quod ablatio honoris est damnum graue; cum homines magis estiment honorem, quàm diuitias, & hæc est contumelia propriè dicta, quæ ideo ex sui genere est mortale peccatum. Vnde Christus Dominus Matt. 5. dixit; *Si quis dixerit fratri suo fatuæ reus est gehennæ ignis.* Si verò facit hanc dehonorationem verbis nõ intentione auferendi proximo honorem, sed correctionis gratia, vel propter aliquid simile, est peccatum veniale, & aliquando nullum peccatum. Ex circunstantijs enim fit peccatũ veniale. Ideo adhibenda est discretio, vt moderatè homo talibus verbis vtatur; si enim incautè verba huiusmodi proferat, quæ auferunt honorem, peccaret mortaliter, etiam si non intenderet auferre honorem: quia tenebatur adhibere diligentiam, sicut qui operam rei illicitæ dat, si damnum alicui dat, peccat, & tenetur ad restitutionem pro qualitate damni.

An contumeliã pati teneamur.

149 An verò contumelia sit ferenda. Communiter respondetur, quod est ferenda, quando adsunt debitæ circunstantiæ: quia sicut tenemur ferre patienter ea quæ contra nos fiunt; ita tenemur ferre patienter contume-

Quomodo obliget p̃ceptum de patientia.

liam: quia est contra nos. Tamen hoc præcepto debet intelligi, quomodo communiter intelligitur obligare præceptum de patiẽtia: obligat enim ad esse paratum ad sustinendum iniuriam, & damnum illatum, quando expedit, & opus est. Ex quo sequitur, quod non semper teneamur, nec semper deceat ferre contumeliam, sed spectatis circũstantijs personarum, loci, & temporis. Vnde videmus, quod neque semper, etiam dominus sustinuit contumeliam. Nam Ioan. 18. cum suscepisset alapam dixit. *Cur me cedis?* repellenda autem est contumelia non rependendo proximo contumeliam; sed modestè se tuendo, & secundùm rectam rationem. Duæ autem sunt rationes,

Rationes ꝑp quas licet repellere cõtumeliam.

propter quas oportet repellere cõtumeliam. Prima propter bonum eius, qui infert contumeliam, scilicet vt audacia eius reprimatur, & de cætero talia non attentet iuxta illud Prouerb. 27. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Secunda vt non impediatur profectus multorum. Quãdo enim quis est doctor aliorum, vel prælatus, & habeat aliquod officium quo alijs est in exemplum propositus, debet repellere contumeliam, ne audientes existiment eum esse talem, & illi in prauis moribus manere persistant, vel se illis tradant exemplo illius, quem pro imitatione sibi proposuerunt.

Quomodo honor restituatur.

150 Ex dictis habemus honorem per contumeliam auferri. Est modò difficultas, quomodo restitui debeat. Nam quod sit restituendus, nullum est dubium: quia cũ sit bonum magni momenti, sicut auferens alta bona temporalia peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; ita & multo magis qui aufert honorem proximo tenetur eum illi restituere. Verùm tota difficultas est de modo præsertim, An teneatur, qui contumeliam intulit petere

Opi. Caie.

veniam ab eo, cui contumeliam intulit. Caietanus 2. 2. quæst. 72. art. 3. asserit non teneri ad petendum veniam, nisi quando aliter non potest restituere honorem. Ratio eius est, quia sufficienter emendatum iniuria per reductionem ad æqualitatem, quæ reductio fit reuerentiã ei exhibendo, eum laudando, & alijs similibus actionibus, quæ æquiualeant iniuriæ illatæ per contumeliam.

Alia opinio melior

Cæteri recentiores verò melius asserunt cum Soto lib. 4. de iustitia, & iure, quæst. 6. ar. 3. ad quintum, conuenientissimum modum restituendi honorem esse petere veniam. Conueniens enim est, quod sicut per signa contemptus eum honore priuauit; ita per signa honoris opposita ei honorem restituat; petere enim veniam ab aliquo de offensa facta, est signum magnæ reuerentiæ erga eũ, à quo quis veniam petit.

151 Non tamen est necessarium semper veniam petere; quoniam non decet prælatos, & superiores veniam petere à subditis, si aliquando eas contumelia affecerint, neque patrem à filio, nec dominum à seruo. Satis enim est si eiusmodi superioris benignè tractent, & amabiliter inferiores, & signis, verbis, vel factis indicent se eos non despicere. Ideo quando aliter, quàm per veniam honor potest restitui commodè, nemo est cogendus ad veniam petendam, sed ad eum modum, qui sit in more, & à prudẽtibus laudatus. D. Augustinus autem in sua regula Monachorum ordinauit, quod restitutio honoris fieret per veniæ petitionem: quia cum regulares vitam strictiorem agant, congruit illis hic modus restituendi honorem. Si tñ tanta sit iniuria, vt alijs bonis recompensare nõ possit nisi veniã petendo, vt si quis fuste aliquem nobilem cecidit, vel cum vxore illius adulteriũ commisit, & dehonoratus non velit aliam satisfactionem nisi petitionem veniç, teneretur illã petere: quia vt aiunt recentiores, honor præponderat omnibus alijs bonis: ideo non nisi honore reciproco recompensari potest.

Diffamatus ab aliquo potest petere vindictã à publica potestate.

152 Qui autem diffamatus est, vt Soto rectè loco citato annotauit non est cogendus à confessario ad remittendum iniuriam: quia solum in conscientia tenetur ad non volendum se vindicare priuata auctoritate: quia dicitur Rom. 13. de Deo. *Mihi vindictam, & ego retribuã.* Ideo potest per potestatem publicam debito modo petere, & quærere satisfactionem.

DISPV-

DISPVTATIO LIIII.

De læsione famæ per iniustum iudicium priuatum, & publicum.

De iudicio temerario. *Caput Primum.*

1 DE iudicio publico agit diffusè Alexander Alensis 3.par.à quæstione 40. vsque ad 48. De iudicio verò priuato suspicionis, seu temerario agit pat. 2. quæst.117. & sequentibus. D. Thomas 2.2.à quæst.67. vsque ad 71. agit de iudicio publico: de iudicio verò temerario quæst.60.art.3. & alij suis locis. Prius agemus de iudicio suspitioso, seu temerario, deinde de publico; breuiter tamen quantum opus est ad cognoscendum quando in his sit peccatum mortale, & ad restitutionē quis teneatur. Materia enim hæc de iudicio præsertim publico maiori ex parte pertinet ad Canonistas, & Iuris interpretes; immò potius ad practicam criminalistarum: quoniam, vt est videre apud Iulium Clarum in Practica criminali omnia ferè quæ de iure ciuili, & canonico circa iudicia criminalia ordinata sunt, per consuetudinem sunt abrogata. Quædam pauca tradunt D. Thomas, & Alensis locis citatis. Soto lib.5. de iustitia, & iure. Gabriel Biel in 4. dist.15. quæst.6. Azorius 3. par. lib. 13. sed pauca sunt respectu eorum, quæ de hac materia tractantur à practicis criminalibus: ideo qui plura cupit, videat Speculatorem, Speculum aureum Maranthæ, Iulium Clarum in Practica criminali, & alios: nos quæ potiora, & communiora sunt tangemus, & magis ad Theologum spectant pro conscientia rectè regenda.

Iudicium multis modis accipit. 2 Pro intelligentia autem est obseruandum, quod, vt elicitur ex Scoto in 4. dist.47. quæst. 1. ar. 1. Iudiciũ multis modis accipitur. Vno modo generaliter pro quacunque notitia certa de aliqua re, & hoc modo etiam cognitio sensus dicitur iudicium. Vnde Aristoteles secundo de Anima tex. 145. & inde, dixit sensum communem iudicare de obiectis sensuum exteriorum, quia distinctè percipit differentias obiectorum sensuum externorum. Secundo modo accipitur, pro certa apprehensione intellectuali de quacunque re, & hoc modo diffinitiua cognitio de aliqua veritate potest dici iudicium. Et in hoc sensu Aristoteles primo Ethicorum cap. 3. dicit quod vnusquisque benè iudicat quæ cognoscit. Et hic est bonus iudex. Et hoc modo etiam simplicium apprehensio certa, & vera potest dici iudicium. Tertio magis propriè accipitur iudicium pro veritate complexa, quæ ex alia veritate deducitur ab intellectu. Et hoc modo etiam cognitio propositionum maximarum dicitur iudicium: quia est certa cognitio deducta ex simplici apprehensione terminorum. Quarto modo adhuc magis propriè iudicium sumitur pro notitia certa conclusionis speculatiuæ deducta ex principijs speculatiuis euidentibus. Quinto magis propriè sumitur pro notitia practicæ conclusionis deductæ ex principijs practicis. Iudicium enim est dictamen intellectus practici consonum iustitiæ. Iustitia autem nō respicit speculabilia, sed practica, seu operabilia. Sexto, & vltimo proprijssimè accipitur pro notitia certa de præmijs, & pœnis cuique dandis, cum determinatione, & lege, seu præcepto, vt pro omnibus huiusmodi præmium debitum, vel pœna debita detur.

3 Ad propositum iudicium, quod exercent iudices in foro exteriori est iudicium hoc vltimo modo sumptum. Iudicium vero de quo in præsenti cap. est sermo pertinet ad quintum modum. Nam sicut iudicium verum est certa cognitio conclusionis practicæ ex certis principijs deducta. Ita ex opposito iudicium temerarium, & iniustum, & peccaminosum, est deductio conclusionis practicæ falsæ ex principijs non veris; sed aliquo modo apparentibus, & potius ex pertinacia, & mala volũtate, quã ex vi illorum principiorum, & causarum proueniens. Vnde communiter iudicium temerarium, seu suspiciosum dicitur esse actus intellectus practici, quo concludit aliquod opus proximi esse malum, & peccatum ex leuibus, & non sufficientibus indicijs, & proinde dicitur temerarium: quia sine sufficienti ratione, & causa fit; & sic opponitur iudicio practico vero & recto, quod est notitia certa practica, ex principijs practicis certis deducta.

4 Illud autem, quod præcipuè in iudicio temerario venit considerandum, est, quando sit peccatum veniale, & quando mortale. Quantum ergo ad hoc communiter D. Thomas quæst.62. ar.3. Alensis prædicta quæst. 117. licèt alijs verbis, & alij distinguunt tres gradus suspicionis. Soto lib.3. de iustitia, quæst. 4. art.3. addit quartum gradum, & rationabiliter, vt videbimus. D. Thomas ponit in primo gradu suspicionem illam, qua quis leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipit. Verùm vt inquit Soto vbi suprà differunt dubitatio, & suspicio: quia vt suprà disp.6. cap.3. diximus, & habet Scotus in 3. distin. 39. ar. 2. versiculo, *vniuersaliter autem*, dubius est ille, qui non magis assentit vni parti quàm alteri, sed est pendulus in vtranque partem. Suspicio verò, vt elicitur ex Aristotele 6. Ethicorum cap. 3. est adhesio alteri parti contradictionis, sed cum formidine; eodem enim modo se habent opinio, & suspicio. Primus ergo gradus est cum quis dubitat ex leuibus circunstantiis de aliquo opere exteriori proximi, an sit bonum, vel malum: de opere enim interiori cordis, quod nullis signis exterioribus manifestatur, nullus potest facere iudicium, nec habere dubitationem, vel suspicionem: quia de illis nulla potest haberi probatio. Vnde si quis velit malè suspicari de cogitationibus cordis, vel externis, sed omnino occultis alicuius, est actus omnino malus, & iniustus, & peior, quàm iudicium temerarium. Dubitatio ergo potest esse solum de operibus quę aliquo indicio exteriori probari possunt: quod si tale sit, vt quis propter illud dubitet, sed in nullam partem assentiat, est primus gradus suspicionis, & iudicij temerarij licèt impropriè: reducitur tamen ad iudicium temerariũ, quia est primus gradus ad illud, & est peccatum veniale: quia fit iniuria proximo ex leuibus indicijs dubitare de bonitate eius, & eum minus estimare, quàm prius; est tamen veniale peccatum: quia oritur ex tentatione humana, sine qua vita ista non ducitur, vt habet glosa super illud 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* — Quãdo iudicium temerariũ sit pctm̃ mortale, vel veniale. Tres gradus suspicionis.

5 Secundus ergo gradus deinde est suspicio, nimirum cum aliquis ex leuibus indicijs non solum dubitat de opere proximi, an sit bonum, vel malum, sed adheret alteri parti contradictionis, sed cum formidine; & hoc est peccatum maius quàm prius, tamen non exit limites peccati venialis: quia non est assensus firmus, & iudicium propriè determinatum. 2. Gradus.

6 Tertius gradus est, quando aliquis ex leuibus indicijs, & non sufficientibus iudicat opus proximi malum: siuę quando ex leuibus indicijs, & argumẽtis intellectus deducit conclusionem certam, quod opus illud proximi sit malum. Et hoc est propriè iudicium temerarium, & peccatum mortale. Si autem indicia sint vehementia, & vrgentia secundùm communem existimationem hominum, iudicium est rectum, & iustum, & nullum est peccatum. Exemplis hęc omnia declarantur. Si quis videat Caium cum fœmina inhonesta loquentem, vel euntem cum illa in aliquem locum, & statim certò iudicet eos velle peccare, est iudicium temerarium hoc tertio modo: quia illud loqui solum, vel cum illa progredi non est indicium sufficiens ad verè iudicandum, & certò asserendum illos velle peccare: & ideo esset peccatum mortale. Si autẽ ex illa loquutione, & progressione cum muliere illa inhonesta dubitet, vel suspicetur illos velle peccare, sed non iudicet certò, non peccat: quia ista sunt indicia sufficientia ad generandum dubitationem, & suspicionem in secundo gradu, non autem firmum iudicium. Econuerso quando adsunt indicia violenta, & idonea ad iudicandũ opus — 3. Gradus. Exemplis res manifestatur.

opus proximi esse malum, nõ est iudicium temerarium, sed iustum, vt si quis videat Caium iuuenem suspectum cum muliere suspecta, & in loco suspecto, & infami, & obseruantes ne videantur ab aliis; & ex his indicijs iudicet eos velle peccare, non est iudicium temerarium, sed iustum: quia ista indicia sunt idonea ad deducendam hanc assertionem, verum esse illos velle peccare. Similiter si quis videat virum cum fœmina in lecto, & similia. Hæc enim sunt indicia vehementia.

4. Gradus.

7 Quartus gradus est, quando iudex ex suspicione, siue ex leuibus indiciis, vt diximus in præcedenti gradu, procedit ad condemnandum aliquem de crimine illo, de quo per illa indicia suspicatur. Et hoc est peccatum mortale grauissimum, & pertinet ad iniustitiam, & tenetur ad restitutionem, vt infra dicemus.

Iudiciũ temerarium, vt sit peccatum mortale requirit, vt sit de obiecto graui.

8 Obseruandum est autem in tertio gradu ad hoc, vt indicium illud sit peccatum mortale requiri, quod sit de obiecto graui, nimirum de opere, quod sit peccatũ mortale. Vnde iudicare, quod aliquod opus proximi sit peccatum veniale, etiam ex leuibus, & insufficiẽtibus indicijs, non est plus quàm peccatum veniale. Et hoc est de se euidens.

Triplex radix iudicij temerarij.

9 Obseruandum est adhuc, quod triplex assignatur causa, & radix, ex qua oritur suspicio, & iudicium temerarium. Prima est, quia aliquis ex se ipso malus est: ideo opera aliorum putat esse mala secundùm illud Eccl. 10. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens omnes stultos estimat*. Secunda radix, & causa est odium proximi: ex eo enim quod aliquis odio habet aliquem, iudicat facilè opera eius esse mala. Tertia causa est experientia longa defectuum alterius. Vnde Philosophus 2. Rethoricorum dicit, quod senes sunt valde suspiciosi: quia multoties experti sunt aliorum deffectus. Verùm hęc tertia causa diminuit rationem suspicionis; experientia enim potius tendit ad certitudinem, quàm ad suspicionem; non enim omnino sine ratione aliqualiter suspicatur de aliquo opere ex aliquo indicio, qui experientia didicit hæc indicia solere esse vera, licèt sint leuia, & remota.

Duas priores radices quõ intelligat Soto.

10 Verùm duas priores radices ita intelligere videtur Soto vbi suprà, quod quotiescunque quis ex illis, vel dubitat, vel suspicatur actionem proximi esse malum, licèt non faciat iudicium firmum, sit peccatum mortale.

Reijcitur.

Hoc autem mihi videtur omnino improbabile. Nam licèt D. Thomas dicat huiusmodi gradus suspicionis oriri ex illis tribus causis, & radicibus, & idem asserat Alensis vbi suprà aliis verbis; tamen non dicunt duos priores gradus suspicionis ex illis radicibus prouenientes, esse peccata mortalia. Et reuera sine fundamento hoc dicitur; nam donec intellectus firmiter non iudicat ex illis leuibus indicijs opus proximi esse malum culpæ mortale, non est peccatum mortale: quia hæc suspicio oritur ex humana tentatione, sine qua vita humana non est, vt dicebat D. Thomas ex glosa suprà illud 1. ad Corinth. 4. *nolite ante tempus iudicare*. Et expressè patet per auctoritatem eiusdem glosę vbi suprà, quæ est D. Augustini tractatu 90. in Ioan. adductum ibi à D. Thoma, quæ habet hæc verba. *Si ergo suspiciones vitare non possumus: quia homines sumus, iudicia tamen, idest diffinitiuas firmasque sententias continere debemus*. Et Aristoteles 2. de Anima tex. 5. adductus à Soto, inquit, cogitare possumus cum volumus, opinari verò non; hoc est abstinere à iudicando non est semper in nostra potestate: ergo primus gradus, & secundus suspicionis, cum non sint in nostra potestate non possunt esse peccatum mortale. Ideo quantumcunque quis sit prauæ vitæ, & odio aliquem prosequatur, & ex his radicibus oriatur suspicio, dummodo non progrediatur ad iudicium firmum, semper est peccatum veniale solum, nunquam mortale.

Iudiciũ temerariũ esse peccatũ mortale ꝓbatur.

11 Quod autem iudicium temerarium, scilicet tertij gradus sit peccatum mortale (de iudicio enim temerario quarti gradus nulla est difficultas; cum apertè sit cõtra iustitiam, & rationes, & auctoritates, quæ probant de iudicio temerario tertij generis, multo magis concludãt de quarto genere) probatur primò auctoritate illa Saluatoris Matth. 7. *Nolite iudicare neque iudicabimini*. Nã sensus obuius est, nolite quemquam condemnare, neque condemnabimini; seù nolite ex indicijs incertis deducere aliquem esse prauum; & tunc neque Deus condemnabit vos; sed vobiscum faciet hanc misericordiam, vt vos etsi mali sitis, non vt malos condemnet. 1. Ratio.

12 Secundò probatur ex illo ad Romanos secundo, *in quo alius iudicas teipsum condemnas*. Et ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum*. Vbi glos. ait. *De quibus incertum est, quo animo fiant, siue periculo nemo iudicat*. Denique clara est auctoritas 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare quò ad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum*. Vbi videtur assignare causam, propter quam nemo debet quẽquam iudicare: quia illa, quæ quis certa putat, incerta & dubia sunt; ex dubiis ergo, & incertis facere iudicium firmum est peccatum mortale. 2. Ratio.

13 Tertiò probatur ratione. Iudicare aliquem esse malum, est auferre bonam famam, & opinionem illius apud nos ipsos; priuare autem aliquem bona fama apud nos ipsos est actus contra iustitiam, sicut auferre illi famam per detractionem apud alios: quia fama est melius bonum, quàm res aliæ temporales, vt suprà diximus: ergo qui iniustè sic famam proximi apud se illi aufert, aufert illi magnum bonum: hoc autem fit per iudicium temerarium: ergo iudicium temerarium est peccatum mortale contra iustitiam, & obligat ad restitutionem, scilicet ad deponendum illud iudicium temerarium, licèt exterius illud non sit communicatum; tunc enim esset detractio, de quà iam suprà egimus. 3. Ratio.

Ad iudiciũ temerariũ cõcurrit actus voluntatis.

14 Sed aliquis objiciet. Iudiciũ est actus intellectus: at actus intellectus non est peccatum: quia peccatum nõ est nisi sit voluntarium. Respondetur, quod etsi iudicium temerarium sit actus intellectus, est tamen imperatus à voluntate. Voluntas enim est, quæ consentit, vel imperat intellectum definire, & deducere actionem illam esse malam ex indicijs illis leuibus. Ideo homo tenetur in tali casu cohibere intellectum ne assentiat, seu deducat huiusmodi conclusionem ex huiusmodi leuibus indicijs.

De peccatis infidelitatis.

Idem dicendum de peccatis infidelitatis, hæresis, & aliis huiusmodi. Voluntas enim tenetur cohibere tentationes, & suspiciones inducentes ad illas; & donec voluntas non plenè assentit intellectum iudicare illas suggestiones esse veras, non peccat. Vnde ad cognoscendum quando aliquis huiusmodi suspicionibus, & cogitationibus adheserit, & iudicium temerarium fecerit, est interrogandus,

Interrogationes faciendæ ad cognoscendũ, quando volũtas cõsentiat.

An tunc perceperit se habere huiusmodi cogitationes, ac iudicium, & perceperit esse iudicium temerarium, & hæresim, & similia, & tamen noluerit sic iudicare, & credere; vel voluerit iudicare, & credere sic esse. Si primum nullum est peccatum. Secundo modo maximè: tũc enim est apertè plenus, & perfectus cõsensus, vt suprà diximus agendo de conscientia erronea.

Quæ sint indicia leuia.

15 Quæ autem sint indicia leuia, & non sufficientia ad rectum iudicium faciendum, ex quibus oritur iudiciũ temerarium patebit aliquo modo ex dicendis infrà de indicijs in iudicio publico: illud tamen est certum hoc pendere ex iudicio virorum prudentium.

Tria ad iudicium temerarium, qđ est peccatum mortale requiruntur.

16 Ex dictis colligitur ad iudicium temerariũ, quod est peccatum mortale, tria requiri. Primò, quod sit iudicium certum, & definitum absque vlla hæsitatione. Secundò, quod sit ex indicijs insufficientibus, & leuibus. Tertiò, quod sit de culpa graui, quæ sit peccatum mortale, & reddat personam infamem. Quod si huic iudicio addat externam condemnationem iudex in iudicio externo, est quàm grauissimum peccatum, & multo magis aduersatur iustitiæ, & obligat ad restitutionem famæ, & damnorum illatorum. Iudicium rectum è conuerso est, cum indicia sunt violenta, vt cum omnia signa mali apparent, nulla boni, & sunt idonea, & sufficientia, vt su-

prà

prà diximus. Et tunc hoc indicium non eſt peccatum; im mò iudicium tale externum eſt ſanctum, & iuſtum. Quæ autem fides, & certitudo requiratur, infra dicemus; non enim requiritur notitia demonſtratiua, & intuitiua; cui nulla poſſit ſubeſſe falſitas; ſed ſufficit fides humana, ſcilicet per teſtes, & indicia regulariter facientia fidem apud homines.

An liceat iudicare bonū eſſe malum, & malum bonū.

17 Tandem eſt dubitatio, An quis peccet ex aliquibus indicijs ſuſpicando bonum eſſe malum, & malum eſſe bonum. Et quidem ſuſpicando bonum eſſe malum, iam dictum eſt eſſe peccatum; ſed, An ſuſpicando malū eſſe bonum ſit peccatum, facit difficultatem: quia dicitur Iſa. 5. *Veh vobis qui dicitis bonum malum, & malum bonum ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Reſpondet Alenſis vbi ſuprà, membro 8. quod bonum, & malum eſt duplex. Alterum, quod eſt apertè, & clarè bonū; & alterum clarè, & apertè eſt malum. Alterum eſt bonum, & malum, quod non eſt clarè bonum, nec clarè malum: quia non conſtat clarè, An id ſit bonum, & an illud ſit malum. De primo ait, nulli dubium eſſe eum peccare, qui dicit bonum malum, & malum bonum. Et de hoc intelligitur auctoritas adducta ex Iſaia. De ſecundo bono, & malo autem eſt diſſimilis ratio: nam bonum, & malum eo modo dicendum eſt eſſe bonum. Probatur, quia quod apparet eſſe bonum ex indicijs, debet iudicari, ſeu opinari eſſe bonum: quia ſic ex parte rei apparet, & ratio recta dictat. Si verò eſt malum: quia tamen adhuc non conſtat eſſe malum, debemus ſuſpicari, ſeu opinari eſſe bonum. Probatur, quia de quolibet præſumendum eſt eſſe bonum, donec conſtet eſſe malum. Vnde Apoſtolus ad Philippenſes 2. hortatur nos ad habendū, ſeu ad arbitrandum alios nobis eſſe ſuperiores ex humilitate. Si ergo aliquis ſit malus; tamen ex aliquo indicio etiam leui iudicemus eum eſſe bonum, non peccamus, ſed eſt actus bonus. Præterea in quolibet inſtanti poteſt quis conuerti ad Dominum ſi vult; & ſi conuertatur, bonus eſt: proniores autem debemus eſſe ad bonum, quàm ad malum: ergo ſi ſuſpicemur de aliquo quod ſit bonus, non peccamus.

Solutio.

De iudicio publico quis, & quotuplex, & qui competens iudex dicatur, de criminibus, & modis procedendi circa illa. Cap. II.

18 NVnc differendum eſt de peccatis in iudicio publico, & quomodo iudex, accuſator, reus, teſtes, & alij peccantes in iudicio publico teneantur ad reſtitutionem. Notandum eſt autem ex Alexandro Alenſi 3. p. quæſt. 40. & alijs communiter ad iudicium publicum multa genera perſonarum conuenire. Et quidem ad ſubſtantiam iudicij tria genera perſonarum ſunt neceſſaria. Iudex, reus, & actor. Nullum enim iudicium fieri poteſt ſine iudice, reo, & actore. Aliæ deinde pſonæ ordinariè quoque interueniunt, ſcilicet teſtes, licèt nō ſubſtātialiter. Aliæ verò contingēter adueniūt. Nihilominus vſus hēt, vt ordinariè interueniāt, vt aſſeſſor, aduocatus, Procurator, tabellio, ſiue notarius, executor, ſiue miniſter iuſtitiæ.

Ad ſubſtātiā iudicij tria genera perſonarum requiruntur.

1. Notab.

19 Incipiendo ergo à iudice. Notandum eſt primò, quod de iudice variæ aſſeruntur diuiſiones, ſed iſtæ ſunt potiores, & neceſſariæ. Prima iudex eſt quadruplex, ſcilicet ordinarius, delegatus, arbiter, & arbitrator. Iudex ordinarius eſt, qui ex dignitate, ſeu officio ſuo habet iuriſdictionem, ita quod ex tali officio, & dignitate ei competit iuriſdictio. Huiuſmodi in ſpiritualibus eſt Papa in tota Eccleſia, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Primates, Epiſcopi in ſuis diœceſibus. In ordinibus regularium. Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, Prępoſiti, & alij qui ſupremam poteſtatem habent in aliquo Conuentu, vel Collegio, & ſimili. Iudex delegatus, ſeu commiſſarius eſt, qui ex cōmiſſione alicuius ſuperioris iudicis iuriſdictionem habet, & hic poteſt eſſe iudex ſpecialis deputatus ad aliquas certas cauſas particulares, vel generalis ad omnes lites, & cauſas in aliquo loco, vel prouincia iudicandas. Iudex arbiter eſt ille, qui eligitur à partibus ex communi conſenſu in iudicem, & obligantur ſub pœna ſtare illius ſententiæ, qui etiam dicitur iudex compromiſſarius. Et hic tenetur ferre ſententiam ſeruato ordine iuris, & litigantes tenentur ſententiæ eius latæ. Iudex arbitrator eſt ille, qui ex litigantium conſenſu eligitur, vt cauſam, & litem dirimat amicabiliter. Et iſte non tenetur ferre ſententiam ſeruato iuris ordine, ſed pro arbitrio ſuo ſeruata æquitate iuris naturalis. Ratio autem huius diſcriminis inter iudicem arbitrem, & arbitratorium, quod ille teneatur ſeruare ordinem iuris, iſte verò non, oritur ex voluntate litigantium, qui enim conſtituunt aliquem iudicem ſuum arbitrum, non ponunt iura ſua in pectore iudicis, vt ipſe iudicet ſecundùm æquitatem naturalem, vt ſibi libet; ſed volunt, vt iudicet ſecundùm iura ſua propria; ſed qui eligunt iudicem arbitrarium, ponunt omne ſuum ius in pectore ipſius iudicis, vt rem ipſe dirimat, prout æquum ſibi videtur, ſiue deroget aliquo modo iuribus particularibus ſiue non.

Iudex ordinarius quis dicatur.

Iudex delegatus quis ſit.

Iudex arbiter quis ſit.

Iudex arbitrator quis ſit.

20 Dubium autem eſt, An Vicarius Generalis Epiſcopi, & eadem ratione, An Vicarius Prælati habentis iuriſdictionem ordinariam ſit iudex ordinarius, an delegatus. Reſpondetur loquendo de Vicario Generali Epiſcopi communem opinionem tenere eſſe iudicem ordinarium. Sic Innocentius, Hoſtienſis, Andreas in cap. *tua nobis*, de offic. Vicarij. Et Abbas in cap. *licet*, de officio delegati. Ceſſat tamen hoc officium Vicarij Generalis ob mortem Epiſcopi ſecundùm omnes. Abbas in cap. *quoniam* de officio iudicis delegati, & in hoc conuenit cū iudice delegato, vt infrà videbimus. Vicemgerentes verò Principum ſecularium ſupræmorum, vt Proreges, Legati, Papæ, & huiuſmodi, dicuntur iudices ordinarij, ſed differunt à Vicarijs Generalibus Epiſcoporum, quod officium legatorum, & proregum non ceſſat obitu Papæ, & Principis, quando abſolute ſunt delegati; Si autem ad beneplacitum ceſſaret, vt habetur cap. *Legatos*, de offic. legati. loquendo verò de Vicarijs, vel ſubſtitutis alicuius officialis habentis poteſtatem ordinariam iuriſdictionis, eſt diſtinguendum, poteſt enim eſſe triplicis generis. Vel enim eſt Vicarius ex diſpenſatione iuris. Vt Archidiaconus, qui ipſo iure eſt Vicarius Epiſcopi, cap. 1. de officio Archidiaconi. Vel eſt factus Vicarius ab eo ſuperiore, à quo eius iudex ordinarius etiam factus eſt. Vt ſi quis fiat Vicarius alicuius Epiſcopi à Papa, & ſic de alijs prælatis, vt generali, prouinciali, guardiani in ordinibus regularium: eſt enim eadem ratio. Vel denique conſtituitur, & fit Vicarius ab eo officiali, vel prælato, qui habet iuriſdictionem ordinariam. In duobus prioribus caſibus Vicarius, & Vicegerens habet poteſtatem ordinariam ex conceſſione iuris, & Principis, ſicut olim iuriſdictionem ordinariam habebat Legatus, & Vicarius proconſulis. Vicarius verò tertij generis regulariter non habet iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam; niſi in caſibus permiſſis à iure: nimirum quando iudex ordinarius eſt legitimè impeditus, vt propter morbum, aut propter abſentiam legitimam, vt tradit optimè Couaruuias lib. 3. variarum reſolutionum, cap. 20. num. 4.

An Vicarius habeat poteſtatem ordinariā, vel delegatam.

21 Differunt autem iudex ordinarius, & delegatus præſertim in tribus. Primò, quia auctoritas iudicis delegati ceſſat ob mortem iudicis delegantis; niſi à iure, vel ab ipſo delegante aliter fuerit ordinatum. Auctoritas autem iudicis ordinarij non ceſſat ob mortem illius, à quo conſtitutus eſt iudex. Vnde auctoritas Epiſcopi, vel Generalis ordinis alicuius regulariū, & ſimiliū nō ceſſat ob mortem Pontificis, ſed durat, quò ad iudex ille ordinarius viuit; niſi ob aliquod demeritum ſuſpendatur, vel priuetur ab officio: ceſſare autem auctoritatem in iudice delegato intelligitur, re integra exiſtente. Ex cap. *gratum*, & cap. *licet* de officio iud. delegat. Res autem dicitur integra ſecundùm Panormitanum in cap. *relatum*, & cap. *gratum*, & cap. *licet* de officio iudicis delegati,

Differētia inter iudicem ordinarium, & delegatū.

Res integra quæ dicatur.

quando

quando Iudex nondum citauit partem, seu reum. Tunc enim iudicium inceptum est, quando facta est citatio, iuxta cap. fin. de officio legati, & capit. *gratum*, de officio iudicis delegati. Cessat etiamsi delegans sit depositus ab officio, vel renuntiauerit officium, vel sit excommunicatus publicè, vt colligitur ex Abbate, & alijs Doctoribus eisdem cap. eodem titulo.

2. Differentia.

22 Secunda differentia inter iudicem ordinarium, & delegatum est, quod ordinarius ex iure proprio habet suam potestatem, & eius executionem; ita quod hæc potestas ab eo non est reuocabilis ad nutum illius, qui eum constituit, sed solum ex iustis de causis. At delegatus non habet iuridictionem illam; neque executionem illius proprio iure, sed iure alieno. Vnde ad nutum delegantis absque vlla causa potest illi auferri. l. quæcunque, §. qui mandatum, ff. de officio eius cui mandata est iurisdictio, ex l. more maiorum, ff. de iurisdictione omnium iudicū.

3. Differentia.

23 Tertia differentia est, quod ordinarius regulariter potest delegare alteri suam potestatem. l. more maiorum, ff. de iurisdictione omnium iudicū. Et cap. *cum Episcopus*, de officio iudicis ordinarij in 6. iudex verò delegatus non potest suam auctoritatem delegare alteri. Quod intelligitur de delegatis cuiuscunque inferioris à Principe, qui non habet potestatem aliquam superiorem secundùm ius, tàm ciuile, quàm canonicum iuribus superius adductis eo titulo de iudicis delegati. Fallit verò in delegato à supremo Principe nullum superiorem habente ex priuilegio, l. à iudice, C. de iudiciis, & cap. *Pastoralis* de officio iudicis deleg. nisi specialiter caueat Princeps in commissione ne alium deleget; sed per se ipsum rem iudicet.

Iudex alius Ecclesiasticus alius secularis.
Causa alia secularis, alia ecclesiastica.
Causa alia ciuilis, alia criminalis.

24 Secundò principaliter Notandum est, quod iudex duplex est, vel ecclesiasticus, vel secularis. Ecclesiasticus est, qui à Papa, & superiore ecclesiastico constituitur. Secularis, qui à Principe seculari. Et sic causa iudicialis est duplex, scilicet ecclesiastica, & secularis. Ecclesiastica pertinet ad iudicem ecclesiasticum; secularis ad secularem, & vtraque causa, tàm ecclesiastica, quàm secularis diuiditur in ciuilem, & criminalem. Ciuilis est in qua agitur de vindicatione rei pecuniariæ, cap. super prudentiam 12. quæst. 2. Criminalis est, in qua directè agitur de crimine puniendo ad publicam vindictam, aut absoluendo. cap. *At si clerici*, & cap. *cum non ab homine*.

Crimina sunt in triplici discrimine.
Crimina merè ecclesiastica q.

25 Crimina verò sunt in triplici discrimine: quædam sunt merè ecclesiastica, quædam merè secularia, quædā mixto fori. Merè ecclesiastica sunt, quorum cognitio pertinet ad solum iudicem ecclesiasticum, etiam si à laicis, & secularibus perpetrentur, vt hæresis, schisma, & quæ sapiunt hæresim, vel schisma, cap. *ad abolendam* de hæreticis. Simonia, vt in toto titulo de simonia; violatio ecclesiasticæ immunitatis, cap. *seculares* de foro competenti in 6. causa faciendi separationem; Tori ex adulterio, vel ob alia crimina, vt constat titulo de diuortijs. Cōpulsio ad sacramenta suscipienda, cap. *ad prædicandum* 2.2. quæst. 19. Restitutio rei alienæ per iniustitiam ablatæ, cap. *si sacerdos*, de officio ordinarij permanere in excomm. per annum, cap. *grauem*. De pœnis, & quædam alia.

Crimina merè secularia.

Crimina merè secularia sunt, quæ ad iudicem secularem pertinent, & sunt homicidium, furtum, rapina, contumelia à laicis commissa.

Crimina mixti fori.

26 Crimina mixti seu communis fori, scilicet, quæ iudicari possunt, tàm à foro ecclesiastico, quàm seculari, & in quibus datur præuentio, quæ est, quod delictum ab eo iudice cognoscatur qui in iudicando præuenerit, sunt visura, vt patet in toto cap. de vsuris, adulterium cap. 1. de officio ordinarij. Concubinatus Concilium Trid. sess. 24. cap. 8. & cap. *is qui* dist. 34. Sodomia, cap. *clerici*. De excessu prælatorum. Blasphemia in Deum, vel Sanctos, cap. *statuimus*. De maledict. peccatum contra pacem, cap. *Nouit*. de iudicijs. Item de validitate iuramenti. Abbas in cap. *cum contingat*, de iure iurando. Sacrilegium 18. q. 4. cap. *quisque*.

3. Notab. Crimina alia publica, & alia priuata.

27 Obseruandum est etiam alios secundùm ius ciuile fieri diuisiones criminum. Alia enim dicuntur publica, & alia priuata. Publica, quæ in Deum, Principem, & publicum bonum tendunt. Priuata, quæ contra bonum priuatum alicuius personæ particularis tendunt, vt furtum, damnum datum, & huiusmodi. Crimina prioris generis dicuntur publica: quia spectat ad omnes accusare. Priuata ad solam personam læsam. Et damnatus pro crimine publico infamis est, pro priuato nequaquam. De iure canonico verò omnia crimina sunt publica; sed hæc materia delictorum est adeò immutata à statutis, & consuetudinibus diuersorum locorum, vt hodie vix distinguantur crimina publica à priuatis, vt tradit Iulius Clarus lib. 5. receptarum, §. 1. nu. 5. & 6.

Crimina quædam leuia, quædā grauia, seu atrocia, & quædā atrocissima.

28 Alia item est distinctio ab eodem prædicto loco tradita num. 7. & communiter recepta. Crimina quædam sunt leuia, quædam grauia, & atrocia, & quædam grauissima, siue atrocissima. Quomodo autem leuia à grauibus, & grauia à grauissimis distinguantur, à Doctoribus non traditur certa regula; sed aliqui dicunt standum esse arbitrio iudicis, & prælati. Alij dicunt, quod ex qualitate pœnæ, quæ pro delicto imponitur, dignoscitur. Vnde regulariter crimina quibus imponitur pœna mortis, vel naturalis, vt decapitatio, vel suspensio in furca; vel mors ciuilis, vt damnatio ad triremes perpetua, dicuntur grauia, & atrocia. Attrociora seù grauissima sunt ea, pro quibus imponitur aliquod genus mortis magis pœnale, vt cum præcipitur reum igne comburri, vel in frusta scindi, vel rotæ inserri, & similia, vt hæresis, sodomia, latrocinium ad viam publicam. Leuia crimina sunt reliqua quibus non infligitur pœna mortis, nec naturalis, nec ciuilis.

Delicta grauia religiosorū q.

29 Inter religiosos verò, siue regulares grauia delicta, vt ex regula D. Benedicti cap. 24. & Turrecremata in expositione illius habetur, & sumi potest ex D. Thoma 2.2. quæst. 186. ar. 9. sunt culpæ mortales, scilicet quæ fiunt contra leges diuinas, & humanas obligantes ad peccatum mortale, & contra essentialia regulæ, quæ sunt tria vota, & in regula D. Franc. vltra ea quæ sunt contra vota, sunt ea quæ sunt contra præcepta particularia ibi posita. Leuia sunt, quæ fiunt contra alias obseruationes ordinatas in regula, vel constitutionibus, sed non sub pœna peccati mortalis, vt violatio silentij, & similia. In vtroque autem membro datur latitudo. Nam inter leuia, vnum est leuius altero; & inter grauia, vnum est grauius altero. Nam, vt ait Turrecremata in expositione prædictæ regulæ. *Cui est dubium, quod vasis confractio taciturnitatis violatione est leuius; aut libidinibus nuncupatam Deo castitatem commaculare perniciosius sit, quam baculo monachum cedere?* Hæc autem omnia prælatus habet iudicare secundùm legum decreta, habita ratione personarum, & criminis, modo, & scandalo. Subiungit enim *Tamen id summopere in hac re aduerte, & velim, & rogo totam rei huius rationem ex prælati iudicio pendere, qui adhibito legum delectu, personarum varietate, criminis admissi, modo, hominum scandalo, & quæ sunt huius loci ad eorum rationem iudicij vim, vel temperare, vel acuere studeat.*

Prælatus tenetur punire crimina atrocia etiam morte ciuili.

Proinde prælatus crimina attrocia si quæ à regularibus committuntur tenetur punire etiam morte ciuili, vt tradendo ad triremes in perpetuum si delictum expostulat, & qualitas personæ, & scandalum, vel mitiori pœna, prout qualitas delicti, & personæ exposcit. Præsertim verò in duobus criminibus debet punire, scilicet in dilapidatione, & fraude bonorum Monasterij, & scortatione, quia hæc in maximum detrimentum Monasteriorum damnum, & dedecus cedunt. Insuper in contumaces, & inobedientes; obedientia enim est neruus disciplinæ regularis.

Prælatus leuia crimina non debet iudicialiter inquirere.

Leuia verò crimina non debet iudicialiter inquirere, sed paternè, vt dicam infra cap. 5. nisi essent talia, quæ ex contemptu, & ratione scandali, & damni publici læthalia fierent, & essent punienda, vt grauia. Vnde neque in his Monachus, & Regularis potest

Regularis in leuibus criminib. non potest appellare, nisi leuior excedat in correctiõe.

test appellare, nisi prælatus excederet in correctione. Quæ omnia colliguntur ex cap. *ad nostram*, & cap. *reprehensibilis*, de appellationibus, & ex glosa in cap. *ad nostram*. Et habentur expresse cap. *cum beatus*. dist. 45. & cap. *cum speciali* de appellationibus in fine. Et si hæc distinctio obseruaretur à prælatis religionum multa scandala tollerentur inter regulares, & disciplina regularis floreret.

3. Notab. Quis sit iudex competent.

30 Notandum est tertiò, ad iudicem, vt rectè iudicet, tria requiri. Primò vt sit iudex competens, idest vt iurisdictionem habeat ad sententiam ferendam: quia sententia lata à non suo iudice, est nulla ob carentiam potestatis iurisdictionis. Secundò requiritur scientia competens, alioquin multos errores committet ex impetitia. Tertiò requiritur bonitas, idest vt habeat illas conditiones, quas leges requirunt in iudice. Nimirum, vt non sit infamis, suspectus, quales sunt hostes, Actoris, vel Rei. Item cognati, vel amici eorundem, de quibus infra agendo de causis recusationis iudicis.

Iudex cõpetens potest esse multis modis.

31 Iudex competens alicuius potest esse multis modis; sed præcipuè tribus, scilicet ratione causæ; ratione personæ, & ratione loci: quando ergo causa est spiritualis, & ecclesiastica merè, iudex competens est iudex ecclesiasticus. Quando causa est secularis merè; iudex competens est secularis. Et quando causa, & crimen est mixti fori, ille est iudex competens, qui habet præuentionem. Ratione causæ, vt clericus non est subditus iudici seculari, ob immunitatem ecclesiasticam. Ratione loci, vt cum quis ratione originis est subditus alicui Principi: quia in eius ditione natus est: vel quia habet domicilium in eius ditione, vel ratione delicti, scilicet, quia perpetrauit delictum in loco, & ditione illius Principis. De quibus latè Iulius Clarus in Practica criminali q. 31. & recentiores.

4. Notab. Iudex vel pcedit ex officio, vel ad instantia partis.

32 Quartò, Notandum est iudicem in causa criminali duobus modis procedere posse secundùm Iulium Clarum in Practica criminali q. 3. & communiter approbatur. Nam vel procedit ex officio, vel ad instantiam alicuius alterius; nimirum publici officialis; Vel accusatoris, vel partis; Vel quærelam præponentis, quod sua interest postulantis. Quando procedit ex officio, per modum inquisitionis procedere dicitur. Ad instantiam autem alterius duobus modis contingit, scilicet vel per accusationem, vel per denuntiationem, seu quærellam, & hoc est, quod communiter dicitur iudicem tribus modis procedere posse in causa criminali, scilicet per inquisitionem, per accusationem, & per denuntiationem. Et desumitur ex cap. 2. *qualiter, & quando*, de accusationibus, & ad hos omnes alij reducuntur, qui ab aliquibus afferuntur, vt loco citato dicit Iulius Clarus. Nimirum procedere per exceptionem, per euidentiam delicti, propter deprehensionem rei in flagranti delicto; aliquando per postulationem: patet autem, quod omnes isti modi ad illos duos priores reducuntur ex consuetudine, vt infrà videbimus; omnes enim reducuntur ad modum procedendi per inquisitionem, & ex officio: quia modus procedendi per accusationem rigorosus recessit ob aula. Nihilominus facilioris doctrinæ gratia hanc distinctionem de triplici modo procedendi sequemur, scilicet per inquisitionem, accusationem, & denuntiationem.

Iudex nũquã procedere potest sine accusatore, & quomodo.

33 Obseruandum est ergo certum esse apud omnes in iudicio regulariter nunquam esse licitum procedere sine accusatore, vel actore. Hoc habetur, l. descripto, §. *Si quis accusatorem*, ff. de muneribus, & honoribus. Hoc tamen non intelligitur de accusatore vero, sed vel de vero, vel de æquiualenti. Nam videmus iudices procedere per denuntiationem, vel per euidentiam criminis patrati, cap. *euidentia*, de accusationibus, & cap. *manifesta* 2. q. 1. aliqñ ex officio pp diffamationem criminis contra aliquem. Ratio autem est, quia denuntiatio, & euidentia criminis, & famæ gerunt vicem accusationis. Tribus ergo modis iudex procedere põt ad cognoscendum, & puniẽdum aliquẽ de crimine. Primò, ex officio, seu per inquisitionem. Et hic est, qoando iudex non ad instantiam alicuius mouetur ad cognoscendum de aliquo crimine. Sed ex semetipso. Secundò, procedere potest ad instantiam accusatoris. Tertiò, ad instantiam denuntiantis, quæ postea est multiplex, vt infra dicam agendo de modo procedendi per denuntiationem. De vnoquoque istorum seiunctim est dicendum.

Tres modi procedẽdi in causa criminali.

5. Notab. Modus procedẽdi criminaliter, vel ciuiliter in eadẽ causa.

34 Quintò Notandum, quod iudex, & prælatus de ipsis criminibus in iudicio potest adhuc duobus modis procedere. Vno modo criminaliter. Alio modo ciuiliter. Criminaliter agit, quando agit de crimine ad vindictã publicam. Agit verò ciuiliter, quando non ob vindictã publicam; sed solum ad obtinendum id, quod partis litigantis interest. Et si agitur de crimine pro aliqua pœna imponenda, quando agitur de eo, vt applicetur fisco dicitur criminalis, quando agitur de eo, vt pœna applicetur particulari alicui litiganti, dicitur agere ciuiliter. Hæc Iulius Clarus in Practica criminali, ex quãpluribus Doctoribus ab eo citatis, quæst. 1. in principio. Addit tamen ipse, quod causa criminalis potest esse duplicis generis, sicut crimina sunt duplicis generis. Quædam enim sunt, quæ directè tendunt contra bonum commune, vt hæresis, crimen læsæ Maiestatis, & similia. Et ex his oritur tantùm vna actio, quæ est ad bonum publicum vindicandum. Quædam sunt directè contra bonum priuatè personæ, & deindè consequenter contra bonum publicum, vt homicidium, furtum, & huiusmodi. Et ex his oritur duplex actio. Vna quæ tendit ad vindictam publicam. Alia quæ tendit ad vindictam boni priuatæ personæ. Actio ex criminibus primi generis competit cuicunque; actio secundi generis parti offensæ tantùm. Quando ergo agitur de crimine ad vindictam publicam, & simul ad vindictam particularem, causa est criminalis, & processus est criminalis. Verùm si actor particularis agat de crimine non ad vindictam publicam, sed solum ad restitutionem, seu refectionem damnorum partis. Vel agatur tantùm ad pœnam aliquam extraordioariam (Duplex enim est pœna ordinaria, & extraordinaria. Ordinaria est, quæ à lege, & statuto imponitur alicui delicto; puta pro homicidio, pœna capitis. Extraordinaria est pœna inferior ordinaria, vt si pro homicidio quis puniatur in pecunia, vel ad carcerem pro aliquo tempore, vel mittatur in exilium, vel priuetur dignitate, vel aliquo officio) Vel denique agatur tantùm via exceptionis, vt sic. g. quis reppellatur à testificãdo, vel si testificauit, vt dictum eius non recipiatur, illæ causæ dicuntur ciuiles, & ciuiliter procedere, non criminales, neque criminaliter procedere.

Causa criminalis potest esse duplicis generis.

Pœna ordinaria, & extraordinaria.

35 De modo procedendi ciuiliter in criminibus solent assignari hæc exempla. Si iudex agit de crimine alicuius, vt ille amoueatur ab officio, vel beneficio, & dignitate. In hoc enim casu non intenditur publica vindicta criminis, sed bonum communitatis; sicut in alijs ciuilibus causis intenditur commodum partis, vel id quod sua interest. Item cum Prælati inquirunt ex officio de vita, & moribus, de idoneitate ordinandi, eligendi, & promouendi ad dignitatem, beneficia, vel officia, vel ad remouendum aliquem ab officiu: quia non est vtilis, idoneus, & similia. De his tamen aliqui dubitant: quia reuera videntur causæ criminales: quia spectant ad vindicandum publicum damnum; tamen vt ait Iulius Clarus prædicto loco in fine communiter ciuiles appellantur, & pro talibus habentur: quia non proceditur ad vindictam aliquam publicam. Quod tamen intelligit si priuatio illius dignitatis, officij &c. non esset pœna ordinaria illius criminis, sed extraordinaria.

Exempla procedẽdi ciuiliter in criminib.

36 In hoc genere inquisitionis ciuilis non est necesse, vt procedat infamia, vel aliquod indicium criminis, vt cap. sequenti dicam, quia vt dictum est non proceditur contra aliquem ad vindictam publicam; sed solum ad vtilitatem boni communis promouendam.

6. Notab.

37 Sextò, est etiam dignum consideratione, An iudex

An iudex pro officio suo possit accipere ali quod munus à litigantibus.

dex exercendo officium iustitiæ possit licitè accipere aliquod munus à litigantibus, vel potius teneatur ad restitutionem. Ideo pro eius dilucidatione Notandum est, quod omnia ea, quæ iudex solet accipere pro iustitia ministranda, reducuntur ad tria capita. Alia enim sunt stipendia pro officio exercendo. Alia dicuntur expensæ, quas facit exercendo officium. Alia dicuntur munera, quæ afferuntur iudici à litigantibus. Ad propositum quantum ad stipendium est communis sententia, quod quando per legem statuitur, vel per conuentionem stipendiũ est statutum officio iudicis, Iudex non possit aliquid à litigantibus accipere pro exercendo suo officio. Vnde qui habet stipendium sic assignatum non potest accipere sportulas, quæ dicuntur munera in iure. Secus si non haberet stipendium assignatum. Et hoc est certum de iudice seculari, siue sit ordinarius, siue delegatus. Et etiam de iudice ecclesiastico, siue ordinario, siue delegato, quãdo habet beneficium: quia beneficium datur propter officium, quod habetur clarè in cap. *cum ab omni* de vita, & honestate clericorum, & tradunt Abbas, & Ioannes Andreas in dicto cap. & Syluester verbo *Iudex* 1. quæst. 8. & Angelus verbo *Iudex* num. 6. Gabriel Biel in 4. dist. 15. quæst. 6. concl. 4. hoc probat auctoritate Deuteronomij 16. vbi iudicibus dicitur *non accipiatis personã, nec munera eius*, & affert alias Decretales.

Iudex habens stipẽdium assignatũ non potest accipere sportulas.

Quid quãdo officiũ est tenue.

38 Quod si quis quærat, quid dicendum quando beneficium est tenue, quod non sufficit ad alendum iudicem? Respondet Gabriel vbi supra, neque etiam in hoc casu iudicem posse accipere aliquid: quoniam eo ipso, quod acceptauit beneficium, acceptauit quoque officiũ, & onus, quod ad illud sequitur. Quod si adhuc dicas habens beneficium insufficiens, censetur non habere beneficium. Hoc non valet: quia beneficium ecclesiasticum quantuncunque modicum est beneficium ecclesiasticũ; & qui illud habet, gaudet priuilegijs beneficiorum. Ideo debet quoque subire onera illorum, vel non acceptare.

An iudex possit petere aliquid pro stipendijs suis officialibus.

39 An vero iudex possit petere aliquid pro stipendijs suorũ officialium. Multa dicunt Syluester, Angel. & alij verbo *Iudex*. De iudice seculari, siue ordinario, siue delegato concedunt posse aliquid accipere. De ecclesiastico verò ordinario dicunt multi non posse petere aliquid à litigantibus, sed de suo beneficio debet prouidere.

An petere possit pro expensis.

40 Quantum ad expensas, siue sit iudex ordinarius, siue delegatus, potest expensas petere, quas facit pro officio exercendo: quia id sibi à nulla lege positiua, vel naturali prohibetur. Sic Panormitanus, Syluester, Angelus vbi suprà. Si verò sit iudex ecclesiasticus ordinarius non potest accipere aliquid in sua diœcesi, propter eandem rationem adductam superius, quia redditus beneficij dantur illi pro victu, & expensis. cap. *cum Apostolus*. De censibus, & in consecutione ecclesiæ cap. *cum sit Rom.* De simonia. Delegatus verò Papæ potest petere expensas moderatas: quia est extra suum domicilium cap. *Statutum*. De rescriptis, §. *insuper* in 6. & Doctores citati vbi suprà.

An liceat accipere munera. Munus duplex.

41 Quantũ ad munera distinguuntur: munera enim vno modo dicuntur sportulæ, quæ sunt omnia illa, quæ dari solent iudicibus, vel in cibo, vel in pecunia à litigantibus, quæ nunc communiter dantur in pecunia ad quandam computationem bonorum, de quibus fiunt iudicium; & hoc contingit in ciuilibus tantum, & ista sunt stata, & taxata à Principe, & lege loco stipendij, vbi vel non est stipendium aliud, vel non est sufficiens, vt patet ex prædictis Doctoribus, & vsu, ac consuetudine. Alio modo accipitur munus pro quacunque re data iudici in cibo, potu, vel pecunia, vel aliqua re pecunia appreciabili pro exercitio iudicij, vel ad expediendam causam, vel ob aliquam aliam causam iustam, vel iniustam. Et ista sunt adhuc duplicis generis. Vel enim sunt *xenia*, idest quædam esculenta, vel poculenta, quæ dantur iudicibus ad esum, vel potum, sed intra paucos dies consumi possunt, vt infra tres, vel quatuor dies, & ad summum intra decem dies. Alia sunt munera in pecunia, vel in alijs rebus non poculentis, neque esculentis.

42 Loquendo de munere accepto pro sportulis, certum est iudicem ordinarium ecclesiasticum illas non posse recipere à litigantibus, vt dictum est suprà: quia redditus beneficij illi sufficere debent, & habetur ex cap. 1. *Cum ab omni* de vita, & honestate clericorum superius adducto, & idem statuitur de iudice delegato, cap. eodẽ. Loquendo de iudicibus secularibus, illis licet, iuxta consuetudinem, & statuta locorum; loquendo de muneribus acceptus pro xenio omnibus licet secundùm Doctores citatos. Ratio est, quia communiter sunt in pauca quantitate; vnde non sunt talia, quæ possint animum iudicis corrumpere. Accipiendo verò munera pro aliqua re in potu, & in pecunia, quæ excedat xenia, omnibus est prohibitum illa accipere, tàm ecclesiasticis, quàm secularibus. Et de hoc genere munerum loquitur Dominus in Deuteronomio loco supracitato, & D. Augustinus ad Macedonium dum dicit *non licet iudicem vendere iustum iudicium, & si liceat aduocato vendere iustum patrocinium, & iurisconsulto rectum consilium*. Et tenentur, qui recipiunt, ad restitutionem, vt dictum est suprà agendo de restitutione.

43 Vltimò, dubium est, An si Prælatus, vel iudex negligat condemnare delinquentem, teneatur ipse in conscientia pœnam illam soluere. Respondetur, quod sic D. Thomas 2. 2. quæst. 67. ar. 4. ad quartum, non tenetur eã ad soluendum, si est pœna corporalis, sed ad damnum, quod ex illa non punitione sequitur ad Rẽpublicam, vel ad particularem personam; hoc enim est maximum malum: quia malefactores ex hoc audacius fiunt, & particulares ex negligentia iudicis amittunt sua, quod est iniustitia magna.

7. Notãdũ. Si Prelat. & Iudex negligat punire delinquentẽ tenetur ipse subire pœna.

De modo procedendi per inquisitionem, seu ex officio vbi de inquisitione generali, & paterna, & correctione fraterna. Cap. III.

44 Secundùm Abbatem in cap. 2. *qualiter, & quando*. De accusationibus communiter receptum, duplex est inquisitio, scilicet generalis, & specialis. Generalis est, quando iudex ex officio suo generaliter inquirit non cõtra certam personam, sed in communi, an sit facinorosi homines in prouincia, vel ciuitate, vel loco. Hoc habetur l. congruit, ff. de officio præsidis. Et cap. 1. de officio ordinarij. Hoc modo Episcopus inquirit, an sint criminosi in diœcesi sua. Et regularium superiores inquirũt in suis visitationibus, an in Prouincia, vel Conuentibus sint criminosi. Hæc autem est adhuc duplex. Nam aliquando ignoratur crimen: quia nec constat de ipso, neque adest diffamatio, quod sit commissum, sed quæritur, an sit commissum, vt dictum est in exemplo de Episcopo inquirente, an in diœcesi sint facinorosi, & quam faciũt etiam iudices seculares per bannum, & proclamationẽ in principio sui officij, de qua Iulius Clarus in practica criminali, quæst. 3. in qua præcipiunt, quod quicunque sciat malefactores &c. debeant denuntiare &c. Alia est inquisitio generalis quando crimen est notorium, sed ignoratur reus. Vt exempli gratia. Iacet in via publica homo interfectus ab aliquo; ignoratur tamen, quis eum occiderit; Tunc iudex ex officio inquirit, quis huiusmodi homicidium perpetrauerit. Inquisitio specialis verò est cum iudex in speciali contra certum malefactorem ex aliquo inditio, vt ex diffamatione, vel aliquo alio inquirit, ad ipsum puniendum ob publicam vtilitatem. Prius agemus de inquisitione generali, deinde de speciali cap. sequenti.

Inquisitio generalis, & specialis.

Inquisitio generalis, episcopi, & superiorũ regularũ q.

Inquisitio specialis q.

45 Inquisitiones autem istæ duæ generales, licèt habeant hanc differentiam, quod in prima crimen non est notorium, nec publicum. In secunda verò est notorium, sed tamen reus est occultus, nihilominus de vtraque videtur esse eadem ratio, quò ad inquisitionem. Has inquisitiones

An inquisitio generalis sit licita

quiſitiones generales videntur confundere Doctores, vt Soto lib. 5. de iuſtitia, & iure, quæſt. 6. ar. 2. concl. 2. Nauarrus in Man. cap. 18. num. 38. & alij. Præcipua autem difficultas circa illas eſt, An ſint licitè, id eſt, An iudex poſſit ex officio inquirere, quando crimen eſt notorium, ſed tamen reus ignoratur omnino; ac nullum inditium contra vllam perſonam particularem habetur, quod commiſerit hoc crimen. Et hoc idem dubium eſt, An Iudex, & Prælatus poſſit in viſitatione inquirere in communi, an aliquod crimen ſit ab aliquo commiſſum; cum tamen, an aliquod crimen commiſſum ſit, non conſtet: qui modus inquiſitionis eſt familiaris in viſitationibus Epiſcoporum, & Prælatorum regularium ad ſeruandum monaſteria, & collegia in vita regulari, & virtutibus, & à vitijs remota. Et ratio dubitationis eſt: quia ſecundùm omnes regulariter non eſt procedendum contra aliquem ſine accuſatore, vel actore, l. reſcripto, §. *Si quis accuſatorem*. ff. de muneribus, & honoribus. Et cap. *Qualiter, & quando*, de accuſationibus apertè ſtatuitur, vt iudex per inquiſitionem non procedat, niſi præcedente publica fama contra aliquem.

Ratio dubitationis.

46 In hac re difficili ſunt duæ opiniones. Prima eſt negatiua, quam tenet Soto eodem lib. 5. de iuſtitia, & iure, quæſt. 6. art. 2. concl. 2. & 5. (licèt ſit varius, vt eſt videre apud eum in principio concl. 3. & in progreſſu illius) & lib. de ratione tegendi ſecretum, m. 2. quæſt. 6. dub. 4. Syluester verbo *correctio*, quæſt. 8. Caietanus 2. 2. quæſt. 69. art. 1. & quidam alij. Fundamenta huius opinionis ſunt iura adducta, in quibus ſtatuitur, quod ſine accuſatore, vel infamia nemo procedat contra aliquem, & cap. *cum oportet*, extra de accuſationibus. Et confirmatur: quia Lucæ 16. Vilicus non fuit vocatus in iudicium, donec infamia eum non prodidit. Et Gen. 18. Clamor Sodomorum, & Gomorreorum multiplicatus, fuit cauſa vt Deus deſcenderet ad iudicandum eos populos.

Opinio negatiua.

Fundamēta huius opinionis.

Confirmatio.

47 Alia opinio eſt affirmatiua nimirum licere iudici generali inquiſitione procedere, licèt nulla infamia, vel inditium præceſſerit contra aliquem. Hanc tenent Innocentius in cap. *bonæ memoriæ* 2. de elect. & ibi Abbas, qui aiunt totum mundum hanc praxim obſeruare; & fuit Bartoli in l. fin. C. de quæſtionibus. Iulius Clarus in practica criminali, quæſt. 6. nu. 4. verſiculo *ſcias*, & quæſt. 5. nu. 4. verſiculo *poterit igitur*. Nauarrus in Man. cap. 18. nu. 38. & alij multi. Hæc opinio probatur, quia alioquin multa crimina impunita manerent. Sed Auctores contrariæ opinionis dicunt, non lædi Rempublicam ſi aliqua delicta relinquantur iudicio diuino punienda. Secundò probatur ergo apertè per cap. *euidentia*, de accuſationibus, & cap. *manifeſta*, 2. quæſt. 1. in quibus apertè decernitur, quod euidentia delicti patrati non indiget clamore accuſatoris. Tertiò, quia quod nemo procedere poſſit contra aliquem per inquiſitionem, niſi fama præcedat, pendet ex iure humano; At ius humanum per conſuetudinem contrariam tollitur; ſed conſuetudo introduxit, vt iudex ſine præuia diffamatione generaliter inquirat de crimine: ergo. Quartò, quod fama debeat præcedere inquiſitionem, ſolum habet locum in inquiſitione ſpeciali contra certam perſonam; & Canones allegati de illa loquuntur. Quintò denique Epiſcopi, & Prælati habent in vſu imponere excommunicationem in genere contra eos, qui iniquè detinent alienam rem, niſi infra certum tempus reſtituant: ergo.

2. Opinio, quæ eſt affirmatiua.

1. Ratio p allata opinione.

Reſponſio aduerſariorum.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

48 Hæc opinio mihi approbanda quoque videtur propter rationes adductas, præſertim: quia hoc expreſsè habetur cap. *de off. ordinarij* in Clementinis; ibi enim præcipitur, quod Epiſcopi inuigilent circa exceſſus clericorum, vt metu pœnæ abſtineant; ſine autem huiuſmodi inquiſitionibus in generali multa crimina clericorū, & aliorum impunita abirent: ideo talis inquiſitio eſt neceſſaria, & eſt valde vtilis, quando Prælatus non odio, vel paſſione, vt proximum lædat, ſed ex ſolo zelo boni publici procedit. Probatur etiam ex cap. *quoniam quidem*

2. Opinio approbat.

Inquiſitio generalis é vtilis quando Prælatus nō procedit ex odio.

dist. 18. vbi præcipitur, quod Epiſcopi, & conſequenter Prælati regularium bis in anno viſitent Prouincias ad corrigendum deprauata.

49 Non eſt ergo dubium hanc opinionem eſſe verā; tamen adſunt quædam dubia. Nam videtur primò in tali viſitatione iudex præcipere, vt crimen detegatur proximi contra ordinem iuris, ſcilicet, quia nulla præcedant indicia ſufficientia: hoc autem repugnare videtur legi naturæ. quia læditur fama, & vita proximi irrationabiliter: ergo.

1. Dubiū.

50 Præterea ſi iudex poſſit ſic per inquiſitionem procedere quando conſtat de crimine, videtur, quod etiam poſſit procedere, licèt non conſtet de crimine; ſed ſolum præceſſerit publica fama de delicto commiſſo. v. g. non conſtat iudici furtum eſſe commiſſum; ſed tamen fama eſt commiſſum eſſe, & fur eſt occultus. videtur, quod iudex poſſit procedere per viam inquiſitionis ad inueniendum furem, ſtante illa opinione; hoc autem videtur falſum: quia ante omnia debet conſtare de delicto, vt colligitur ex tex. in vulgata l. 1. §. *item illud*, ff. ad Syll.

2. Dubiū.

51 Præterea reus interrogatus ſic generaliter à iudice non videtur eſſe obligatus ad ſe prodendum. Idem dicendum de ſocio criminis: quia nullum indicium conſtat contra illum, & ſic faceret contra ordinem iuris: ergo talis inquiſitio non videtur licita, nec vtilis.

3. Dubiū.

52 Præterea idem dicendum videtur de teſtibus. Nā etſi aliquis ſiue ſolus, ſiue cum alijs, ſciat crimen aliquod eſſe commiſſum, & ſciat malefactorem; tamen quia non præcedit accuſatio, vel diffamatio, vel denuntiatio non tenetur ad ipſum manifeſtandum: ergo illicita, & inutilis eſt talis inquiſitio generalis.

4. Dubiō.

53 Reſpondetur, dimiſſis varijs modis procedendi, quos aſſignant Canoniſtæ in cap. *nouit* de iudicijs. Duplex eſt modus procedendi ſecundùm Theologos. Alius per modum correctionis. Alius per modum iudicij. Procedere per modum correctionis pertinet ſolum ad iudicem eccleſiaſticum: quia talis correctio introducta eſt à Chriſto Domino in Euangelio Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus* &c. Sed præter hunc modum procedendi per correctionem competit etiam ei modus procedendi per modum iudicij: quia Prælatus eccleſiaſticus eſt ſuperior, & habet ius in ſuos ſubditos, quos nedum corrigere, ſed etiam punire poteſt. Iudex autem ſecularis ſolum per modum iudicij procedere poteſt: quia correctio fraterna non eſt illi commiſſa à Chriſto Domino, ſed Prælato eccleſiaſtico. *Dic Eccleſiæ*, id eſt Prælato.

Solutio.

Duplex modus procedendi p modū correctionis, & per modum iudicij ſecundō Theologos.

54 Differt autem modus procedendi per modum correctionis à modo procedendi per modum iudicij: quia Prælatus in primo modo ſe habet, vt pater; & finis eius eſt emendatio ſui ſubditi; ſicut ſcopus, & finis denunciationis fraternæ eſt emendatio fratris. Modus autem procedendi iudicialis habet pro ſcopo vindictam. Ad primum enim omnes obligantur ex charitate. Ad ſecundum obligantur ex iuſtitiæ. Atque alijs modis differunt, de quibus infra cum agemus de modo procedendi per denuntiationem.

Differētia inter modum procedendi iudicialiter, & per correctionem.

55 Ad propoſitum ergo quando Prælati viſitando Prouinciam, Conuentum, & huiuſmodi faciunt inquiſitionem generalem, An quis aliquod crimen perpetrauerit, & multo magis ſi ſit perpetratum aliquod crimen notoriè, & publicè, ſed ignoratur reus, vt Prouinciam ſeruet immunem à peccatis, & ſubditos contineat in obſeruatione ſuę regulæ, & ne alij ſint in ſcandalum: (Hoc enim eſt munus ordinarium Epiſcoporum, & Superiorū ordinum regularium, vt expreſsè ſtatuitur in Clem. c. 1. de officio ordinarij, vt ſuprà diximus) & præcipiunt ſubditis in vniuerſali, vel in particulari, vt qui ſciat crimen aliquod, ipſum manifeſtet, hoc eorum præceptum debet intelligi ſano modo, ſcilicet ſaluo ordine fraternæ correctionis, vt habet D. Thomas 2. 2. quæſt. 33. ar. 7. ad quintum, & Scotus in 3. diſt. 40. quæſt. 1. verſiculo *quantum ad iudicialia*, & omnes conſentiunt. Vnde ſi Prælatus ex-

Præcepta ſuperiorū, qualiter intelligēda.

presse præcipiat contra hunc ordinem peccat, & subditus illi obedire non tenetur: quia non tenemur obedire Prælatis in ijs, quæ sunt contra legem Dei.

Regula seruāda in tali casu.

56 In tali visitatione ergo hæc regula seruanda est. Vel crimina latentia sunt emendata iam, & reus cessauit ab illis, & tunc est regula certa subditum non teneri ad denuntiandum, seu reuelandum illa Prælato; neque vt patri, neque vt iudici. Non vt patri: quia correctio Prælati, vt est pater, tendit ad correctionem fratris: ideo si frater est emendatus, nemo tenetur eum denuntiare prælato; neque prælatus tenetur ad eum corrigendum, cum iam sit correctus. Neque illi denuntiari debet vt iudici: quia cum sit crimen occultum, nullum attulit damnum publico bono propriè; sed solum illi particulari; & hoc damnum per correctionem est ablatum: ideo fama eius debet conseruari. Si verò crimina latentia non sunt emendata; aut sunt priuata, vt concubinatus, adulterium, & similia, quæ non recipiunt immediatè bonum publicū, sed bonum particularis personæ; & hæc denuntianda sunt prælato fraternè, & vt patri ad emendationem fratris, facta prius illi monitione inter ipsum solum; & si illa non profit non obstante, quod crimen sit occultum, coram duobus testibus est facienda, & si noluerit resipiscere, prælatus tunc via paterna absque infamatione ipsius debet eum corrigere, non iudicialiter, imponendo pœnitentiam salutarem, quæ sit in ædificationem fratrum, non in confusionem rei; & prout in constitutionibus regularium habetur. Et reuera si hic modus corrigendi esset in vsu, & non statim prælatus haberet in vsu venire ad iudicialem modum, & ad pœnitentiam pœnalem, & quæ infamet, multa scandala vitarentur. Neque enim turpe est corrigi à suo superiore paternè, & recognoscere suum errorem coram eo, & fratribus cum dolore, & pœnitentia. Quod si corrigatur, & pœnitentiam acceperit, prælatus non debet vlterius procedere ad iudicialem inquisitionem.

Quando subditus ad admonitionē prælati nō vult corrigi, quid agendum. Opi. Durādi, & Altisiodorēsis. Refellitur à Caietano & Soto. Opinio D. Th. & Caietani. Fundamētum allata opinionis.

57 Verùm si nec ad admonitionem prælati corrigi velit, sed neget se crimen commisisse, & dubium sit, quod deterior euadat, incertum est, an vlterius sit procedendū ad inquisitionem iudicialem. Nam Durandus in 4. dist. 19. quæst. 4. & Altisiodorensis lib. 3. tractatu 25. cap. 2. dicunt, si peccatum est occultum, licèt peccator sit rebellis, & contumax, non esse denuntiandum prælato. Sed contra hanc opinionem arguunt Caietanus, & Soto vbi infra, quia est contra expressum præceptum Christi, qui dicit huiusmodi peccatorem, licèt occultum, denuntiandum esse ecclesiæ, & prælato; & contra D. Augustinum in regula. D. Thomas autem, & Caietanus 2. 2. quæst. 33. art. 8. ad primum dicunt esse denuntiandum ecclesiæ si sit rebellis; hac tamen conditione, si sit spes correctionis: quod si dubitetur eum euasurum deteriorem, cessandū esse omnino à denuntiatione, si peccatum est, vt dixi, priuatum. Ratio est, quia cessat finis præcepti, scilicet emendatio. Quod si corrigatur prælatus non debet vlterius procedere.

Quid si ad admonitionem superioris nolit corrigi. Opi. Soto, Azorij, & multorum Canonistarum.

58 Verùm si neque ad admonitionem prælati corrigi velit, Soto de iustitia, & iure lib. 5. quæst. 5. art. 1. & quæst. 6. art. 2. Azorius, 3. par. lib. 13. cap. 21. dubio 9. cum multis Canonistis Innoc. Hostiensi, Andrea, Abbate in cap. *Nouit.* de iudicijs, tenent, in hoc casu non posse quidem talem denuntiationem euangelicam transire ad forum iudiciale seculare: quia Christus Dominus ordinauit talem denuntiationem fieri prælato ecclesiæ. *Dic ecclesiæ.* Non iudici seculari; sed tamen transire posse, & debere ad forum iudiciale ecclesiasticum, atque prælatū posse formiter informationem capere, & indè procedere ad priuationem officij, beneficij, &c. licèt Soto dicat solum posse procedere ad sententiam excommunicationis coram testibus, coram quibus facta est admonitio.

Ordo seruandus secūdum Azorium.

Atque Azorius proponit hunc ordinem. Prius frater peccans corripitur secretò, vt resipiscat, quo resipiscente, vlterius non proceditur. Si verò non resipuerit, secundò corripitur coram duobus testibus, qui delictum nouerint. (D. Thomas autem 2. 2. quæst. 33. art. 8. ad primum dicit, correctionem hanc esse faciendam etiam per productionem testium, si crimen sit occultum, ex quo apparet ipsum intelligere non necessarium illos testes esse prius conscios criminis illius, sed à correctore crimen eis reuelari debere, & deindè eos induci, vt aduertant, & cognoscant crimen illud, & postea coram illis eum corrigat, vt ex erubescentia emendetur, & hoc idem docet Caietanus eodem loco) Si autem se emendauerit, non defertur ad prælatum; sin minus denuntiatio fit prælato, qui prius tanquam pater secretò monet, & curat, vt frater emendetur, quo emendato non vltra procedit; sin minus fit transitus ad iudicialem denuntiationem. Nam tunc crimen denuntiatur prælato tanquam iudici, & prælatus tanquam iudex incipit procedere per inquisitionem contra eum excommunicando, nisi infra certum tempus à peccato destiterit; & quia excommunicatus dignus est priuatione officij, & beneficij, priuat eum officio, & beneficio, si in excommunicationem inciderit. Et sic denuntiatio euangelica transit in iudicialem, nō quidem directè, & primariò, sed per consequentiam, vt Abbas in loco citato.

Modus dicendi D. Thomæ.

Denuntiatio euangelica quō in iudicialem euadat.

59 Hæc vltima opinio Canonistarum mihi placet, & puto eam esse veram, sed supponit vnum, quod est valdè dubium in hac correctione fraterna. Supponit quod cū frater corrigitur coram duobus testibus, illi duo testes crimen illud agnouerint, & consequenter videtur velle, quod correctio fraterna, de qua Christus Dominus loquitur fieri habeat solum de eo peccato, quod plures sciunt, non autem de eo, quod vnus solus scit, vt patet; At hoc videtur esse falsum, quia præceptum de correctione fraterna videtur esse de peccato occulto, ita quod vni soli sit manifestum. Vnde dicit Dominus, *si peccauerit in te frater tuus*, idest si peccauerit *coram te*, ergo loquitur de peccato, quod non duobus, vel tribus testibus, sed vni solum est notum. Vnde D. Thomas, & Caietanus loco citato contra Durandum tenent, quod correctio intelligatur de peccato occulto, & noto soli ipsi correctori, & dicunt tunc correctorem debere reuelare hoc peccatum alijs duobus testibus, vt illi peccatum illud obseruent, & deinde corrector coram illis reprehendat peccantem, & conuincatur, & erubescat; & hoc aiunt si sit spes emendationis; & aiunt expedire aliquam iacturam in fama pati, vt peccati morbus sanetur. Medicus enim cum totū corpus sanare non potest, abscindit membrum putridū, vt corpus reliquum sanetur; sic melius est amputare famam minori tamen modo, quo fieri potest, vt anima à peccato sanetur, & Caietanus ad hanc suam sententiam confirmandam adducit D. Augustinum in regula, quem prius D. Thomas adduxit, & Durandus iam exposuerat.

Allata sententia non plenè satisfacit, quia supponit vnum quod est dubiū.

Resolutio difficultatis.

60 In hac re satis perplexa mihi videtur consequenter ad dicta superius cum Scoto in hac dist. 15. quæst. 4. ar. 1. de eo, qui coram duobus, vel tribus peccauit, distinguendum esse cum Durando. Quod peccatum proximi (loquendo de graui, non autem de leui, nisi leue ex circunstantijs fiat lethale, & graue iuxta distinctionem allatam superiori cap. leuia enim per simplicem correctionem emendantur) tribus modis se habere potest; Primò, quod sit nulli nociuū, sed illi soli, qui illud commisit, & quod sit priuatum, & occultum, ita quod vni soli sit manifestum; Secundò, quod sit quidem priuatum, & illi peccanti soli nociuum, sed tamen aliqui plures, vt tres, vel quattuor illud nouerint, non tamen peccatum sit diffamatum; Et tertiò, quod peccatum priuatum sit diffamatum. Loquendo de peccato primo modo, correctio fraterna ante omnia fieri debet ipsi soli absque vllo teste ab eo, qui nouit illud peccatum. Quod si emendetur, vlterius non est procedendum. Si verò non emendetur, & sit spes emendationis, si aliquibus duobus viris grauibus reueletur, puta patri, magistro, vel alicui viro graui, quem soleat valde reuereri, opinio D. Thomæ habet

locum:

locum: quia licet reuelare hoc peccatum occultum illi, vel illis, atque cum illis peccatorem corripere, vt emendetur. Ratio enim D. Thomæ, & Caietani habet hic locum, ſcilicet, quod negligenda eſt famæ aliqualis iactura, vt ſanetur anima à vulnere peccati. Atque in hoc caſu ſi non corripiatur peccator, progrediendum eſt ad denuntiationem ad prælatum paternam ſolum, non autẽ ad iudicialem. Et hoc ſi ſit adhuc ſpes emendationis per paternam correctionem prælati; ſi autem non adſit hæc ſpes, ſed potius dubitatur de maiori ruina, non eſt vlterius procedendum ad iudicialem denuntiationem. Et hoc videtur velle D. Thomas, & Caietanus, immò, & Soto dum lib. 5. de iuſtitia, & iure, quæſt. 5. ar. 1. dixit, *hæc delicta priuata denuntianda ſunt tantummodo fraternè ad emendationem fratris.*

61 Et quidem, quod debeat procedi ad denuntiandum prælato charitatiuè, & fraternè conuincitur ex ratione prædicta D. Thomæ, quia propter ſaluandam animam debet negligi aliquale detrimentum famæ. Neque Durandus hoc negat, ſed maximè aſſerit; immò addit id, quod etiam Soto habet lib. 5. de iuſtitia, & iure, quæſt. 6. ar. 2. concl. 3. quod ſi probabiliter credatur, quod prælatus, vt bonus vir, & non vt iudex poſſet prodeſſe peccatori, & non obeſſe, poteſt fieri denuntiatio in ſecreto, vt adhibeat remedium. Et hoc modo intelligitur dictum D. Auguſtini, 21. quæſt. 6. cap. *Hoc videtur*. Si autẽ timeretur, quod prælatus non vt pater, ſed vt iudex velit procedere, non eſſet procedendum ad denuntiationem etiam fraternam: quod Soto vbi ſuprà dixit eſſe rem euidentem, vt reuera eſt, & rationibus Durandi conuincitur. Nam denuntiatio iudicialis fit prælato ad hoc, vt de peccato inquirat, & peccatorem corripiat, & puniat; ſed ad hoc non poteſt prælatus accedere, niſi peccatum illud poſſit probari, at cum eſt occultum, ita quod vnus tantũ, ſcilicet corrigens ſciat, non poteſt iudicialiter probari; ideò vana eſt hæc denuntiatio iudicialis. Si autem quis dicat, quod licèt denuntiatio iudicialis locum non habeat ſtatim antequam peccatum ſit communicatum duobus, vel tribus teſtibus, tamen habet locum poſt notificationem, quia tunc per illos teſtes poterit probari. Cõtrà arguit Durandus, quia vel inductio teſtium fit ad probandum factum, vel ad probandum admonitionem eſſe factam. Non ad probandum factum, quia aut ad probandum præteritum, aut ad obſeruandum futurum. Non primum, quia factum præteritum non poteſt probari per eos teſtes: quia de eo nihil ſciunt de viſu, & certa ſcientia, ſed ſolum ex relatione alterius. Non ſecundũ, quia non tenemur eſſe exploratores proximi, vt habet D. Auguſtinus de verbis Domini ſerm. 16. *Admonet nos Dominus noſter non negligere inuicem peccata noſtra nõ quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas.* Teſtes ergo non ſunt adhibendi ad explorandum, & obſeruandum, an proximus peccet. Si aũt per teſtes probetur admonitio non iuuat ad iudicialem inquiſitionẽ, & ſententiam, quia teſtes de auditu ab alio non faciunt fidem: & ideò inductio iſta teſtium in crimine occulto non eſt neceſſaria, & proindè productio iſta teſtium nõ iuuat ad procedendum ad iudicialem inquiſitionem. Prætereà denuntiãs in tali caſu ſe exponit periculo, quod denuntiatus eum accuſet ſuperiori de calumnia, negando vera eſſe delicta, de quibus denuntiatur. Ex his ſequitur denuntiationem correctionis fraternæ præceptum à Chriſto Domino non intelligi de denuntiatione iudiciali quando peccatum eſt occultum, ſed ſolum quando peccatum eſt publicum, ita quod poteſt probari, vt infra dicam; & hoc modo intelligit etiam D. Auguſtinus in regula, & hæc eſt ſententia Durandi loco citato, & eſt vera.

Quomodo præceptum domini de correctione fraterna intelligat.

62 Quando verò peccatum eſt priuatum quidem, & contra bonum particularis perſonæ directè, ſed tamen eſt notum duobus, vel tribus, ita quod poteſt probari, tunc ordo correctionis fraternæ ſeruandus eſt, vt primò peccator corrigatur priuatim ſine teſtibus, & ſi emendetur, vlterius non procedatur. Si verò non corrigatur, procedatur ad admonitionem coram duobus, vel tribus teſtibus, qui iam peccatum illud nouerint. Quod ſi reſipiſcat, vlterius non eſt procedendum; ſi verò non corrigatur, tunc procedendum eſt ad denũtiationem paternam prælato, vt patri, vt corrigat peccatorem. Si emendabitur, vlterius non eſt procedendum; ſi autem non corrigatur, tunc procedendum eſt ad iudicialem denuntiationẽ, & tunc habet locum vltima ſententia Canoniſtarum, & ipſa rebellio, & contumacia inſeruit pro accuſatore, & poteſt ex illa procedere ad informationem iudicialem canonicam.

63 Et hoc modo videtur intelligenda auctoritas Saluatoris, & præceptum de correctione fraterna, quia apertè ait Chriſtus Dominus, quod ſi proximus, qui peccauit non audiat, & non corrigatur per admonitionem prælati, prælatus vlterius procedat ad excommunicationem, *Si eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* Vult ergo, quod prælatus procedat ad punitionem; ſi autem vult, quod puniatur per ſententiam excommunicationis, conſequenter vult quoque, quod puniatur alijs pœnis, quæ ad excommunicationem ſequuntur, vt quod priuetur officio, & beneficio, & alijs pœnis puniatur, ſi permanſerit obſtinatus.

Auctoritas Saluatoris de correctiõe fraterna quõ intelligenda.

64 Hoc eodem modo intelligit D. Auguſtinus in regula 3. cap. 21. tomo 1. (de quo libro aliquis dubitant, an ſit D. Auguſtini, illi nempè, qui negant D. Auguſtinum inſtituiſſe Monachos, ſed iſti voluntariè errare volunt, hoc enim ſolum in odium ordinis Monachorum, & regularium mendaciter proferunt; certum eſt enim, vt alibi diximus, D. Auguſtinum monachos inſtituiſſe, & præceptis, & ſermonibus direxiſſe, proinde non eſt mirum, ſi hanc regulam quoque illis condiderit, in qua non niſi vtilia documenta, & præcepta inueniuntur, & ſtilo ſuo valdè conſentanea ſunt.) apertè enim ibi loquitur de peccatis manifeſtis aliquibus pluribus, licèt non omnibus ſint nota, nec notoria; non autem loquitur de occultis, quæ vnicus tantùm teſtis noſcat. Nam habet hæc verba cap. 20. *In inceſſu ſtatu, habitu, in omnibus motibus veſtis nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* & cap. 21. ſtatim ſequenti. *Oculi veſtri etſi iaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nullam; Neque enim quando proceditis fœminas videre prohibemini, ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle criminoſum eſt.* & paulo infra. *Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, & illius in ſe diligit fixum, ab alijs ſe non videri cum hoc fecerit. Videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur.* Ecce quod loquitur de peccato, quod corã pluribus fit, & quod à plurib. videri, & cognoſci poteſt, hoc aũt vt ſuprà cum Scoto in q. iſta 4. ar. 1. diximus, eſt peccatũ publicum, & põt iudicio probari, (nõ autem loquitur de peccato occulto) & de hoc deinde ſubinfert D. Aug. faciendam eſſe correctionem fraternam; nam c. 23. habet hæc verba. *& ſi hanc de qua loquor oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduertitis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur. Si autem poſt admonitionem iterum, vel alio quocunque die idipſum eum facere videbitis, iam velut vulneratum ſanandum prodat quicunque hoc potuerit inuenire. Prius tamen & alteri, vel tertio demonſtrandum, vt duorum, vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri.* & infra poſtquam dixit, ſi non ſe emendauerit debere deferri ad Præpoſitum, habet hæc verba. *Conuictus verò ſecundùm Præpoſiti, vel etiam præsbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur, non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat, & hoc, quod dixi de oculo nõ figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandiſque peccatis, diligenter, & fideliter obſeruetur cum dilectione hominum, & odio vitiorum.*

Auctoritas D. Aug ex regula de correctione fraterna quõ intelligatur. Regula D. Aug. reuera eſt D. Auguſt.

Peccata, de quib. fieri debet correctio fraternæ ſunt publica ex ſua natura, licet nõ notoria, & vnus tantũ illa nouerit.

rum. Loquitur ergo de peccatis publicis, non tamen omnibus, neque notorijs, sed aliquibus tantùm.

Quid quãdo peccatũ est contra bonum cõmune.

65 Ex his patet quomodo prælatus, & iudex in inquisitione generali de peccato priuato, & de peccato publico, sed noto tantùm aliquibus paucis, se gerere debet; nã de peccato publico, idest de peccato, quod affert directè damnum communitati, & bono publico, vt est hæresis, proditio Principis, & in Religionibus si sit peccatum scandalosum, & afferens perniciem ordini, & statui religionis, & sit ruina ipsorum religiosorum eos sollicitando ad malum, de quibus diximus suprà cap. 2. nec possit aliter obuiari malo publico, tunc omnes communiter tenent, deueniendum esse ad denuntiationem iudicialem, & subditos teneri ad manifestanda hæc crimina non solum prælato, vt patri, sed vt iudici, immò teneri ad accusandum delinquentem ipsi prælato: & hoc est verum secundùm omnes: & idem dicendum de eis, per quos imminet periculum tertiæ personæ, quamuis in his non sit necessarium ita crebrò venire ad denuntiationem iudicialem, quia alia via potest impediri huiusmodi malũ: & sic patet ad primam dubitationem qualiter iudex in inquisitione generali sit auscultandus, & illi obediendũ.

D. Tho. 2. 2. q. 33. ar. 7. & alijs suis locis.

Ad primũ dubium.

Ad secundũ dubiũ, quando nõ constat de delicto sed sola fama adest publica.

66 Ad secundam dubitationem respondent Iulium Clarum quæst. 5. & 6. & alios Doctores suprà citatos pro vltima opinione asserere, quando delictum est notorium, & de ipso constat ipsi iudici generaliter, posse procedere per inquisitionem generalem, vt dictum est; At quando non constat de corpore delicti, nihil dicunt quò ad inquisitionem. Iulius Clarus quæst. 4. solum distinguit de criminibus, quædam enim sunt, quæ relinquunt vestigia, vt homicidium, & huiusmodi; quædam verò sunt, quæ non relinquunt vestigium, vt furtum sine fractione aliqua hostium, vel capsæ, adulterium, coitus nefarij sine fractura, & huiusmodi. Et quò ad primum inquit certũ esse, non posse procedere, nisi constet de corpore delicti; de secundis verò ait, iudicem ad querelam teneri procedere; An vero per inquisitionem possit procedere nihil dicit. Azorius tamen 3. par. lib. 13. cap. 16. asserit Bartolum in l. 1. ff. de quæstionibus, §. *qui quæstionem* tenere apertè iudicem posse generaliter inquirere de crimine, præcedente publica fama delicti. Et ratio est, quia sicut præcedente fama cõtra auctorem criminis potest iudex inquirere contra eundem auctorem, sic præcedente fama criminis in generali potest iudex generaliter inquirere de crimine. Et hoc ego puto verum quando fama oritur non ab inimicis, sed à personis fide dignis, vt suo loco dicam, cum de fama præcedente ad inquisitionem specialem criminis agam infrà. Sic enim maximè in religionibus multa scandala, & crimina auferuntur, & nulli fit præiudicium, quia in speciali contra neminem proceditur. Facta autem inquisitione generali, & reperto aliquo inditio contra aliquem particularem, iudex timoratus, & prudens poterit iudicare, an sit deueniẽdum ad specialem inquisitionem contra aliquem particularem, illa enim inquisitio generalis nulli particulari præiudicat, etiamsi tunc in ea aliquid contra aliquem particularem resultet, sed opus est deuenire ad specialem inquisitionẽ, quæ est illa quæ deindè officit. Vndè videmus esse in vsu in visitationibus prælatorum facere huiusmodi visitationes de vita, & moribus, quæ quando fiunt sine passione, sed sincerè, multum iuuant ad continendum regulares in obseruantia; sicut maximum detrimentum, & confusionem in ordine afferunt, quando iudex non ex sinceritate, sed liuore, & passione ad diffamandum, vel nocendum alicui, has inquisitiones facit.

Inquisitio generalis facta sincerè, iuuat valdè, facta verò liuore, & odio, maximè nocet.

Ad tertiũ dubium.

67 Ad tertium dubium respondetur consequenter ad dicta superius, reum non teneri ad se prodendum in tali inquisitione, licèt iudex generaliter sic inquirendo licitè interroget reum; Ratio est, quia reus, vt suprà diximus, cum est occultum crimen, non tenetur se manifestare iudici interroganti eum de crimine commisso, sed solum cum est legitimè conuictus, vt dixi cum Scoto, vel saltem adest semiplena probatio, vt alij volunt. Vndè cũ huiusmodi non adsint, cum sit hæc inquisitio generalis à iudice, licèt sit iustè interrogatus, non tenetur ad se prodendum.

68 Et cum dicitur, ergo hæc inquisitio generalis non est vtilis. Respondetur hoc non sequi; nam secundùm prædictos auctores, qui eam licitam esse docent Abbatem, Bartolum, Innocent. vbi suprà, Iulium Clarum in pract. crimin. quæst. 50. num. 3. & alios suprà citatos, & consentit Syluester verbo *inquisitio*, 1. quæst. 5. vers. 4. est vtilis vt ex ea deueniatur ad specialem inquisitionem cõtra eum, qui fuerit repertus reus in generali inquisitione; generalis enim inquisitio non prodest ad torquendum, neque ad puniendum, seu condemnandum eum, qui per illam malefactor fuerit inuentus, sed solum ad inueniendum testes, & indicia, per quæ iudex cognoscere possit quis fuerit malefactor, & eo inuento postea iudex possit contra eum venire ad specialem inquisitionem. Inuento enim per inquisitionem generalem aliquo teste omni exceptione maiori, vel aliquibus idoneis indicijs, poterit publicus officialis, & fiscalis proponere accusationem, vel ipse iudex, & prælatus ex illo teste, vel indicio motus, poterit ex officio procedere ad inquisitionem specialem: quia testis, seu indicium repertum per generalem inquisitionem inseruet sibi pro accusatore, vel denuntiante, vt dictum est suprà, vt possit contra particularem indiciatum procedere iudicialiter. Necessarium est tamen, vt ait Syluester vbi suprà, & alij, atque ex dictis patet, in speciali inquisitione examinare denuò omnes, qui in inquisitione generali examinati fuerunt, & indicia illa denuò comprobari: quia ex primis attestationibus in generali inquisitione factis non potest damnari inquisitus. Vndè si in secunda inquisitione testes dicta in priori negarent, non potest vlterius procedere. Si autem testes prima dicta confirment, & indicia prætera confirmentur, potest, & debet iudex, & prælatus ad vlteriora procedere. An verò ante examinationem, seu repetitionem testium, vel solum post repetitionem possit, & debeat procedere ad capturam, vel citationem, sunt variæ opiniones, de quibus Iulius Clarus in practica criminali, quæst. 28. & nos infrà.

Inquisitio gñalis ad quid sit vtilis.

69 Quod dictum est de reo, dicendum est de socio criminis: nam socius criminis quoque est reus: ideò sicuti reus, & malefactor non tenetur se prodere, ita nec socius criminis. Neque reus tenetur prodere, & manifestare socium criminis, quia hoc etiam redondaret in detrimentum eius manifestum; nam reus semel detectus posset iure interrogari à iudice de socio criminis, & sic teneretur prodere socium criminis. Vndè hæc manifestatio esset euidenter contra seipsum, vt est malefactor, & proinde sicut malefactor non tenetur prodere se, neque socius criminis tenetur manifestare socium criminis, quia vtriusque eadem est ratio; consentit Azorius vbi suprà cap. 16. *Tertia difficultas.*

Quod dictũ est de reo, dicendum est de socio criminis.

70 Ad quartum dubium sunt varij modi dicendi, quos refert Azorius loco citato vers. *Quarta difficultas.* Aliqui enim dicunt, quod testis siue solus, siue cum duobus, vel tribus alijs nouerit malefactorem, non tenetur ad prodendum malefactorem, quia non potest procedere iudex contra malefactorem, nisi prius præcedat diffamatio contra ipsum; in casu autem isto generalis inquisitionis non præcedit infamia contra malefactorem, licèt præcedat fama de crimine, ideò testis non potest manifestare reum occultum.

Ad quartũ dubium. 1. Opinio.

71 Hæc opinio reijcitur, quia si crimen sit commissum coram tribus, vel quatuor, non est amplius secretũ, ideò sicut testis ille potest illum malefactorem accusare, ita potest, & debet detegere iudici, quia crimen non est occultum, sed publicum, licèt non sit notorium; in tali ergo casu testis non aufert famam malefactori, quia iam illam amiserat peccando publicè.

Reijcitur.

72 Alij è conuerso, & hos sequitur Azorius, dicunt, quod

Aliorũ opinio.

quod siue solus, siue cum alijs nouerit, tenetur manifestare. Ratio eorum est, quia iudex licitè inquirit per hanc inquisitionem generalem, & licitè interrogat: ergo testis tenetur respondere veritatem. Item quia casu isto posset testis ille denuntiare malefactorem: ergo potest prodere eum. Item vnus testis facit semiprobationem: ergo sicut vnus testis tribuit iudici ius torquendi reum, & ipsi interroganti reus tenetur respondere iuridicè, ita testis solus potest reuelare malefactorem. Hæc opinio quò ad id, quod ait si testis solus nouerit malefactorem, teneri ad manifestandum, est reijcienda propter rationes adducendas infra.

1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.
Reijcitur.

Aliorũ responsio, ꝗ probatur.

73 Alij ergo respondent, & rectè, quod vel testis solus, & nullus alius nouit malefactorem, vel ille cum alijs duobus, vel tribus nouit. Si solus, non potest, nec debet manifestare malefactorem. Ratio dicta est supra ad primam dubitationem de correctione fraterna; nam cum vnus testis solum scit crimen aliquod, crimen illud dicitur nõ publicũ, quia non potest probari in iudicio, sed est occultum, & secretum, ideò testis ille non potest manifestare, quia, vt dicebat Durandus, reus posset se defendere, & ipsum crimen negando accusare testem de calumnia; & propter alias rationes ibi adductas. Vel testis vnà cum alio, vel duobus, aut tribus, ita quod possit haberi plena, vel semiplena probatio, & tunc tenetur ad manifestandum malefactorem, vt diximus suprà ad primum dubium declarando, quando liceat transire à denuntiatione fraterna ad iudicialem. Ratio est, quia crimen illud, etsi reus sit occultus, idest non diffamatus, vt notorius, tamen est publicum: quia publicè nimirum coram duobus, vel tribus est commissum: ideò actio illa est publica, & sic dum manifestatur à teste ipsi iudici, non lædit famam eius: quia reus sic publicè peccans fecit sibi læsionem famæ suæ: ideò sibi est imputandum: ergo nihil impedit, nec excusat testem, ne obediat iudici, quia in hoc casu non violatur præceptum naturæ de seruanda fama proximi.

Confirmatio.

74 Confirmatur, quia alioquin hæc inquisitio generalis esset frustra, si enim testes, qui malefactorem nouerunt, non possent eum manifestare, quia diffamatio notoria non præcessit, inutilis, & illicita esset talis inquisitio; & iam ostensum est esse licitam: ergo dicendum est, testem in hoc casu teneri ad manifestandum.

75 Vbi iterum obseruandum puto, quod si testis cognoscat probabiliter, quod superior non intendat scire veritatem, vt malefactorem corrigat, sed aliquo malo fine, & præsertim, quod postea sit relicturus impunitum reum, & sit ille manifestaturus dicta testium, vt inter illos oriatur inimicitia, & reus se vindicet, non puto obligari ad dicendam veritatem: quia non tenetur suo testimonio suffragari malo, & peccato, & damnum graue sibi parare, sed solum ob iustitiam. Vnde cum finis debitus præcepti cessat, cessat & obligatio.

Ad rationes Azorij.

76 Ad rationes Azorij respõdent ad primam, quod vt dicebant D. Thomas 2. 2. quæst. 33. ar. 7. ad quintum, & Scotus ibi adductus, quãdo superior præcipit aliquid, quod est contra legem diuinam, non est audiendus, nec illi obediendum. In proposito autem quando crimen est occultum; est autem occultum quando vnus solus id nouit, non potest Prælatus præcipere, vt subditus illud peccatum reuelet: ideò inquisitio generalis non est licita, nec obligat quando crimen est notum vni soli.

Ad secũdã

77 Ad secundam respondetur falsum esse in casu isto posse crimen occultum denuntiare iudicialiter propter eandem rationem, vt infra dicemus.

Ad tertiã.

78 Ad tertiam respondetur vnum testem simul cum accusatore, vel denuntiante, vel fama præcedente facere semiprobationem, non autem ipsum denuntiantem, vel accusatorem solum, ideò argumentum assumit falsum.

Iudex qui in inquisitione generali ante semiplenam probationẽ medio iuramento quærit veritatem nõ peccat.

79 Ex dictis deducitur cõtra Nauarrum in Man. cap. 18. num. 41. iudices eos, qui medio iuramento in inquisitione generali ante semiplenam probationem quærunt à testibus, vel à reo, vt dicant veritatem de omnibus, de quibus interrogabuntur, non peccare. Ratio est, quia iudex ignorat, an crimen sit commissum coram pluribus, vel non, sed sit occultum: ideò implicitè intelligit, vt reuelent, si crimen est reuelabile, idest si est publicum; si autem sit occultum, non intelligit quod reuelet. Et quod sic debeat intelligere patet: quia debemus intelligere eos velle facere interrogationem iustam; est autem iusta accepta in prædicto sensu. Et tunc testis, si crimen est occultum, debet dicere se nescire: quia scilicet nescit, vt reuelet: quia est secretum, quod non potest reuelare: Quomodo Christus Dominus dixit Apostolis se nescire diem iudicij. Idem dicendum de reo quando non constat ei esse conuictum. Hæc de inquisitione generali.

De modo procedendi per inquisitionem specialem.
Caput Quartum.

80 Dicebamus iudicem procedere posse primò ex officio, & per inquisitionem. Secundò ex accusatione. Tertiò ex denuntiatione, & alios modos addere, qui ad hos reducuntur, de quibus infra. Dicebamus etiam, modum procedendi per inquisitionem esse duplicem, scilicet per inquisitionem generalem, & per inquisitionem specialem. Egimus de generali in præcedenti cap. nunc agendum est de inquisitione speciali. Specialis autem inquisitio est illa, vt suprà dicebamus, qua iudex, & prælatus specialiter inquirit de crimine aliquo contra aliquam personam particularem, vt eam puniat pœna debita ob bonum publicum. Loquimur enim de inquisitione speciali iudiciali, non fraterna; nam de fraterna egimus cap. præcedenti. Circa autem hanc inquisitionem, videndum est, quæ requirantur vt sit valida, nec vlla iniuria afficiatur reus, neque iudex peccet. Ad hoc autem cognoscendum, notandum est, quod quattuor sunt necessaria ad substantiam inquisitionis. Primò, quod iudex sit competens. Secundò forma canonica. Tertiò, quod præcedat infamia, vel indicia. Quartò, quod adsit materia debita. Neque enim de quocunque malo formari potest inquisitio iudicialis. Quod autem iudex debeat esse competens, idest qui habeat potestatem iurisdictionis debitam, dictum est cap. 2. huius disput. ideò nunc necesse est tria solum tractare. Primò quæ forma seruanda sit in tali inquisitione. Secundò, quæ præcedere debeant antequam prælatus, & iudex procedere incipiant ad informationes accipiendas. Tertiò de quibus delictis possit fieri inquisitio.

Quattuor sunt necessaria ad substantiã inquisitionis

81 Quantum ad formam, communiter ad substantiam eius, scilicet, vt sit valida, secundùm iura requiruntur quinque, prout colligitur ex Archid. 3. par. tit. 9. cap. 7. 8. & 9. secundùm Syluestrum verbo *inquisitio*, 1. quæst. 5. & alios communiter. Primum vt nominetur modus procedendi in principio processus. Secundò persona inquirens cum officio significante potestatem iurisdictionis ad inquirendum. Tertiò quod nominetur persona, vel personæ, contra quam, vel contra quas in speciali inquiritur. Quartò nominetur delictum, de quo inquiritur. Quintò nominetur locus, & tempus, quibus delictum commissum est. Vnde forma inquisitionis sic se habet secundùm Syluestrum vbi supra. *Hæc est inquisitio, quæ fit per Caium prætorem contra Titium, qui iniquè interfecit Seium tali loco, & tali mense, die, & anno.* In hac forma ponitur modus procedendi, dum dicitur *hæc est inquisitio*. Ponitur persona habens potestatem iurisdictionis, dum dicitur, *per Caium prætorem*. Ponitur persona delinquentis cum dicitur, *Contra Titium*. Ponitur delictum, cum dicitur *qui iniquè interfecit Seium*. Ponitur locus, & tempus, cum dicitur, *in tali loco, tali die, mense, anno*.

De forma inquisitionis specialis.

82 Et quoniam in inquisitione speciali contra aliquã personam particularem debet semper præcedere infamia, seu diffamatio, vt nunc infra dicam, in huiusmodi inquisitione in initio processus debet vltra quinque adducta, addi, quod præcessit infamia hoc modo, vt obseruat Syluester loco citato. *Hæc est inquisitio, quæ fit per Caium Prætorem contra Titium de eo, quod fama publica præcedente, & clamosa insinuatione referente non quidem a maleuolis, & suspectis, sed ab honestis, & fide dignis ad aures eius peruenit, quod interfecit iniquè Seium tali loco, & tali tempore.* Hæc autem forma est omnino necessaria ad substantiam inquisitionis, & hac non seruata, inquisitio, & processus est nullus, cap. *quæritur*, & cap. *inquisitionis*, & cap. *cum oporteat.*

Exemplũ formæ inquisitionis

Ante omnia debet præcedere fama iuridica.

83 Quantum ad secundum nimirum, quæ præcedere debeant inquisitionem, est communis opinio debere præcedere famam publicam à viris honestis, & non maleuolis ortam, & non semel, sed sępius: adeò quod oportet prius constare famam publicam esse, e.g. Caium perpetrasse tale delictum, antequam iudex incipiat procedere ad informationem contra ipsum.

84 Hæc opinio communis fundatur in cap. *qualiter, & quando* 2. & cap. *inquisitionis*, & cap. *cum oportet de accusationibus*, ibi enim præsertim cap. *qualiter, & quando* 2. Pontifex ostendit ex Sacra Scriptura non licere iudici procedere ad inquirendum contra personam aliquam priuatam, & multo minus contra prælatum, nisi prius præcedat diffamatio, & clamorosa insinuatio, non semel, sed sępius, quod delictum, de quo inquiritur, perpetrauerit. Nam Lucæ 16. Villicus non fuit vocatus in iudicium antequam fama eius malę administrationis peruenisset ad aures domini, dixit enim, *quid hoc audio de te? redde rationem vilicationis tuæ*, & Genesis 18. Dominus ait, *descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Ex his auctoritatibus elicitur iudicem, & prælatum aduersus neminem debere inquirere, nisi prius clamor, & fama, eum perpetrasse tale delictum, peruenerit ad ipsum.

Fundatur etiam in ratione naturali, quia nemo censendus est malus, nisi aliqua indicia, & signa hoc indicẽt, vt supra cap. 1. diximus agendo de iudicio temerario. Formando autem processum sine præuia diffamatione, illa persona per huiusmodi processum infamaretur. Præterea vt habet Iulius Clarus in practica criminali, q. 5. versiculo *scias*, introductum fuit, vt aliquid præcedat ipsam informationem iudicialem, nimirum infamia, vel accusatio, vel denuntiatio, ne iudices ex odio, vel inuidia, vel ira, vel vindicta contra aliquem procederent, & infamarent innocentes, & eos vexarent.

85 Hanc sententiam tenent omnes auctores vtriusque opinionis in præcedenti cap. adducti de inquisitione generali, & rationes, quas adducebant ij, qui negabãt inquisitionem generalem esse licitam sine præuia diffamatione, concludunt hic de inquisitione speciali: in hac enim maximè habent locum, vt patet ex prædictis auctoritatibus, & rationibus.

86 Ideò hodie (inquit Azorius cap. 17. d. 3. in praxi) fit prius inquisitio, seu informatio secreta de diffamatione, & facta informatione, si constet iudici diffamationẽ esse veram, & ortam non à personis maleuolis, sed à fide dignis, & hæc fama, & clamor non semel, sed sępius ad aures iudicis peruenerit, citatur reus ad comparendum, personaliter, quo comparente, debent ei tradi capitula super ijs, de quibus fieri debet inquisitio, quæ doctrina traditur à glosa cap. 2. de accusationib. in 6. Verùm Iulius Clarus in practica criminali quæst. 6. versiculo *successiuè quæro*, & eadem quæst. num. 1. dicit hanc praxim communiter de consuetudine non seruari, immo seruari oppositum, (immò inquit hanc praxim de diffamatione hodiè non seruari, nisi quando alia indicia haberi non possunt,) & proinde quod iudex debet habita informatione super infamia, si reus est præsens, illum interrogare, si verò est absens, illum citare, & interea perquirere indicia fortiora super ipso crimine, & versiculo sequenti inquit in fine, non recipi prius indicia super famam, & copiam illorum dari reo, & postea, si neget, inquiri indicia super crimine, sed simul eodem contextu assumendã esse informationem super famam, & super delictum, & deinde copia eorum omnium simul defertur reo ad se defendendum. Indicium enim famæ, inquit, solum licèt sufficiat ad inquirendum, neque sine ea iudex possit ex suo officio, idest hoc modo procedendi, qui est per inquisitionem, assumere informationes, non tamen sola sufficit ad torturam, sed requiruntur alia indicia, vt habet ipse Iulius Clarus cum communi, quæst. 21. versiculo *fama sola*, nu. 1.

87 Vnde de consuetudine inquit eadem quæst. 6. nu. 1. hanc praxim seruari communiter. Iudex constito sibi de delicto, modo quo infra dicam, assumit informationes in genere, & interrogat primò testes, quos putat de negotio esse informatos super veritate criminis, scilicet, an sciant quis maleficium illud commiserit, & si dicant se nescire, tunc interrogat eos super diffamationem neminem nominando, sed in genere interrogando contra quem delicti illius fama laboret; & si ex eorum dictis resultet probatio famæ contra aliquem, tunc specialiter contra eum procedit, vel per citationem, vel per capturã iuxta qualitatem indiciorum, vt infra dicam. Adeò quod eodem contextu iudex assumit informationes super veritatem criminis, & super diffamationem. Atque subiungit, se nunquam fieri aliquem processum vidisse, qui inciperet ab huiusmodi diffamatione, sed semper præcedere quærelam, vel denuntiationem. Eadem practica criminali, quæst. 3. versiculo *hinc infertur*, inquit, post multam disputationem supertus habitam, quod modus procedendi, qui modernis temporibus obseruatur, est quidam modus, in quo potest concurrere mixtura, seu cumulatio vtriusque remedij, scilicet, ex officio, & ad instantiam partis, & vnum ab altero non impeditur, quinimò multoties concurrit denuntiatio, inquisitio, & accusatio in eodem processu. Verùm ista vera sunt, quando omnes illi modi procedendi concurrunt; at nos loquimur quando vnus solus modus procedendi occurrit iudici, scilicet per inquisitionem, nulla extante accusatione, vel denuntiatione; tunc enim ex sola infamia necessarium est procedere, ideò tunc illa forma est seruanda, quam habet, q. 6. num. 1. scilicet, vt accipiat informationem de fama, & si ex illa resultet aliquid contra delinquentem, debet procedere ad vlteriora, & accipere omnia indicia, quæ potest antequam citet, & examinet reum.

Praxis cõmuniter seruata.

88 Quomodo autẽ fama probetur, docet Iulius Clarus in practica quæst. 6. versiculo *sciendum*, & sequentibus, inquit autem probari posse etiam per duos testes tãtùm, atque omnes in hoc concordare, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum. Sed huiusmodi deponentes super fama debent reddere sufficientem causam scientiæ, alias non probant. Et hæc est regula generalis, & omnes concordant, vt Simancas de Hæreticis cap. 63. nu. 16. & alij; debet enim testis deponere de his, quæ sensu corporis percipiuntur. An verò debeant dicere, quod illud audiuerunt à maiori parte populi, vel sufficiat, quod dicant, se audiuisse illud publicè, est magna contentio inter Bartolum, & Baldum. Nam Bartolus teste Iulio Claro vbi suprà versiculo *debent etiam*, tenuit, quod non sufficiat dicere, se audiuisse publicè, sed sit necesse dicere, se audiuisse à maiori parte populi: nam inquit contingere posset, quod testis illud audiuerit in loco publico, sed à paucis, vel etiam ab vno solo, & tunc clarum est, quod nõ probaret famam publicam, & Bartolum multi sequuntur. Ex altera parte Baldus in cap. *litteras* nu. 2. dicit sufficere, quod dicat se audiuisse publicè. Et hanc opinionẽ dicit Iulius Clarus esse communem, & seruari in curia Romana, quam in probationibus deberent omnes aliæ Curiæ imitari; si enim illa conditio Bartoli requireretur,

Quõ fama probetur.

Testis debet reddere scientiæ suæ caus. aliter non probat.

Quæstio inter Bartolum, & Baldum.

tur, difficilè esset reperire idoneos testes ad probandam famam.

Fama oriri debet à fide dignis.

Limitatio prædictæ regulæ.

89 Debent insuper nominare eos, à quibus audiuerunt, vt iudex possit perpendere ex eorum qualitate, quanta fides sit illis habenda, & si non interrogentur, nõ faciunt probationem; debet enim fama habere originẽ à personis honestis, & fide dignis, non autem à maleuolis, vel improbis secundùm omnes, teste Iulio Claro eadem quæst. versiculo *sed quid*, quam regulam tamen limitat ipse Iulius Clarus, nisi agatur de re turpi. Nam eo casu non esset contemnenda fama, quæ ortum haberet à personis turpibus, e. g. Si agatur de re commissa in lupanari, poterit oriri fama à meretricibus, & lenonibus, non autem à Doctoribus, vel equitibus, qui non solent ibi conuersari: ideò hæc fama tunc non erit contemnenda a iudice. Demum debent scire huiusmodi testes quid sit fama; Vndè si interrogentur à iudice, quid sit fama, & respondeant se nescire, inquit Iulius Clarus versu sequenti, esse communem opinionem, quod non probent: propter quod ipse putat difficilem esse probationem famæ. Verùm ego puto nullum esse idiotam, qui non sciat quid sit fama in reipsa, licèt forsan diffinitionem ipsam nominis, vel vt affertur à legistis ignorare possint, si sint idiotę; sed nemo est, qui nesciat famam esse vocem publicam populi de aliqua re: ideò ex hac parte non puto esse difficilem probationem illius.

De inquisitione ciuili de crimine.

90 Obseruandum est tamen ex iure communi posse inquiri speciali inquisitione etiam aliquando contra aliquem de aliquo crimine absque eo, quod præcedat aliqua infamia, sed hæc non est inquisitio iudicialis criminalis ad puniendum publica pęna ob bonum publicum; sed est inquisitio ciuilis de crimine, de quo suprà cap. 2. diximus, vt cum prælatus, vel iudex inquirit de vita, moribus, & idoneitate eligendi, instituendi, confirmandi, ordinandi, & promouendi ad ordines, dignitates, beneficia, vel officia; similiter cum inquiritur, an inter personas contrahentes matrimonium sit aliquod impedimentũ, & huiusmodi; in his enim casibus inquisitio est requisitio testimonij boni *ab his qui foris sunt* secundùm Paulũ 1. Timot. 3. ne quis indignus præficiatur huiusmodi gradibus. Vndè in Concilio Cartaginensi habentur hæc verba, *Non fuit frustra à patribus institutum, vt de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur, & populus: quia de vita, & moribus præsentandi, quod nõnunquam ignoratur à pluribus scitur a paucis*. Hæc ergo inquisitio pertinet ad prælatum potius, vt est paterfamilias, cui incumbit prudenter prospicere gregi suo, & officia rectè dispensare, quàm ad eum vt est iudex, & iudicialis punitor.

An sine infamia præcedente fieri possit inquisitio.

Opi. Caie. & Soto.

Opin. Nauarri opposita.

Opi. Caietani, & Soto reijcitur

91 Verùm occurrit dubitatio grauis, An sine infamia præcedente contra reum, sed ex solis indicijs aliquibus possit iudex procedere per inquisitionem contra eum, contra quem sunt indicia. Hic sunt duæ opiniones contrariæ. Aliqui asserunt, sufficere, vt Caietanus 2. 2. q. 69. ar. 1. & Soto lib. 5. de iustitia, quæst. 6. ar. 2. concl. 5. & videtur consentire D. Thomas loco cit. art. 2. nullam rationem eos adducere video, nisi auctoritatẽ D. Thomæ. Alij vt Nauarrus in Manuali cap. 18. num. 38. tenet nequaquam licere. Et pro se adducit caput *super his*, & cap. *qualiter, & quando* 2. de accusationibus, atque inuehitur in Caietanum, & Soto, qui vt dixi, oppositum tenent. Et re uera Caietanus, & Soto non loquuntur consequenter. Nam eodem loco vterque eorum enixe sustinet sine diffamatione in inquisitione speciali minimè iudicem procedere posse; & adducũt cap. *inquisitionis*, in quo hoc expresse prohibetur, & adducunt etiam specificationem ipsius Decretalis, quam Soto appellat argumentum vrgentissimum, inquit enim Decretalis, quod etsi duo, vel plures testes iurati affirmant cuiuspiam crimen, de quo tamen ille nulla infamia laborat, non procedant in ipsum via inquisitionis. Ex quo deducit Soto, si illi, qui iurati sunt, non sufficiunt ad hoc vt iudex inquirere possit, quomodo illi, qui nondum iurati sunt, interrogari possunt, vt quem nulla insinuauit infamia, ipsi prodant? minimè ergo consequenter loquuntur, dum volunt deinde disiunctiuè, vel per infamiam præcedentem, vel per indicia non existente fama, posse procedere iudicem per modum inquisitionis. Auctoritas autem D. Thomæ eos non iuuat, quia ibi loquitur de casu, quo quis interrogatus à iudice tenetur fateri veritatem, quod est quid diuersum. Aliud est enim, An iudex possit interrogare per viã inquisitionis testes contra aliquem non præcedente fama; & An præcedente fama, vel indicijs, quis interrogatus teneatur fateri veritatem. Nam hoc secundum fieri potest, vt infra videbimus in testibus. At primum est id, quod est in controuersia, & quod Nauarrus, & ipsi affirmant fieri non posse.

1. Distin. Indicia triplicis generis.

92 Breuiter ergo pro decisione huius rei, quæ satis est implicita, est primò distinguendum cum Iulio Claro in practica criminali quæst. 20. num. 1. indicia esse in triplici discrimine. Quædam dicuntur leuia. Quædam grauia. Quædam vrgentia, siue grauissima. Quæ autem indicia sint leuia, quæ grauia, & quæ grauissima non potest certa doctrina, nec regulis diffiniri, sed dicunt Doctores cõmuniter, quod hoc totum relinquitur iudicio, & arbitrio boni viri, & iudicis, qui secundùm qualitatem personæ, delicti, & demonstrationum, seu suspicionum iudicabit indicium esse graue, vel leue, vel vrgens; aliqua tamen exempla infra subijciemus agendo de indicijs.

2. Distin.

93 Secundò distinguendum est de inquisitione. Tribus enim modis accipitur inquisitio, vt colligitur ex Iulio Claro eadem quæst. 20. num. 2. & quæst. 3. num. 2. & sequentibus, & hæc distinctio est obseruanda, quia æquiuocatio in hac re parit magnam confusionem. Vno modo accipitur inquisitio pro primo principio formationis processus; & in hoc sensu quærere, An infamia debeat præcedere inquisitionem, est quærere, An iudex absque infamia præcedente contra aliquem possit incipere formare processum, & accipere informationem contra illã personam. Alio modo accipitur inquisitio pro illa informatione, quæ sufficit ad citandum reum, & ad ipsum interrogandum de crimine. Et hæc differt à priori, quia ad priorem sufficiunt indicia leuia, & nisi grauia emergunt, non proceditur vlterius in processu, nec citatur, nec examinatur reus. Si verò grauia indicia emergant, proceditur ad citationem, & examinationem, & ad torturam. Tertio modo accipitur pro inquisitione, seu pro informatione, quæ sufficiunt ad condemnandum, & ista debent esse indicia vrgentia, seu probationes plenæ, vt suo loco dicam.

94 De hac tertia nunc non est sermo. Tota difficultas est de prima, & secunda Inquisitione: & quidem ad secundam inquisitionẽ, quæ sufficit ad citandum, & examinandum reum, Iulius Clarus vbi suprà versiculo *ad formandam*, tenet de iure requiri diffamationem, & indicia, & hanc esse communem opinionem Doctorum, & malefacere iudices, qui sine diffamatione probata transmittunt inquisitionem contra aliquem, & citant, vel examinant; & talem inquisitionem de iure esse nullam. Subiungit tamen, quod vsus contrarium obtinuit, quia iudices sunt prompti ad huiusmodi inquisitiones formandas, & quod stante hac consuetudine, seu potius corruptela potest fieri conclusio, quod inquisitio hæc, quæ de iure esset nulla, si innitatur probabilibus indicijs, erit sufficiens ad citandum (de iure enim communi necessariũ esset prius citare ante quamcunque informationem, alioquin nullus esset processus, sed per consuetudinem fit contrarium. Iulius Clarus q. 11.) & transmittendam inquisitionem, & ad examinandum, non tamen ad torturam.

95 Ex his ergo habemus, quod caput illud *inquisitionis*, & cætera iura prohibent inquisitionem, qua quis citetur, examinetur &c. nisi præcedat diffamatio, licèt vsus obtinuerit contrarium. Dubium est, An etiam intelli-

gaui

gant de inquisitione primo modo, quæ propriè est inquisitio, vt habet Iulius Clarus q.3. citata num. 2. & mihi quidem videtur pars affirmatiua vera. Nam in cap. *oporteat* de accusationibus, apertè Pontifex præcipit, quod sinè diffamatione criminis non procedatur contra illum Episcopum, contra quem inimici suggesserant iudicibus enormia. Ergo non vult Pontifex, quòd vllo modo incipiat accipi informatio, & cap. *inquisitionis* eodem titulo Pontifex non vult, quod etiam præcedentibus iuratis testibus contra aliquem de crimine aliquo, possit sumi aliqua informatio, nisi contra eum præcedat diffamatio: habet enim hæc verba. *Ad hæc respondemus nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamorosa insinuatio non præcesserit propter dicta huiusmodi puniendum: quinimò super hoc depositiones contra eum recipi non debere: cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt. Nec ad petitionem eorum, qui libellum informationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam.* Vult ergo Pontifex, quod nulla depositio possit per inquisitionem suscipi contra aliquem, nisi præcedat diffamatio. Quod si quis ad Iudicem accedat porrigendo libellum diffamationis occultum, non vult quod iudex procedat per inquisitionem, sed videtur tacitè insinuare, quod qui huiusmodi diffamationem, vel libellum infamationis porrigit, si vult quod iudex procedat, det libellum non in occulto, sed per accusationem, vel denuntiationem, qui sunt modi publici, & ordinarij notificandi crimina. Accedit quod nomine inquisitionis in iure significatur actus primus, quo iudex per viam inquisitionis inquirit de crimine: ergo, cum Pontifex loquitur de inquisitione, de primo actu intelligit.

Quid si prat at seruetur de facto.

96 Verùm quia, vt ait Iulius Clarus, vsus contrarium obtinuit, hæc iura non videntur habere vim, si quidem per consuetudinem notam ipsis Pontificibus videntur abrogata. Ideò Iulius Clarus inquit hanc esse practicam, quæ modò seruatur, quod ad primam inquisitionem sufficiunt indicia leuia ad inquirendum contra aliquem, ad citandum verò, & examinandum grauia indicia requiruntur, & multo grauiora ad torquendum.

3. Distin.

97 Adhuc tamē ternò est distinguēdum de crimine: secundùm enim qualitatem criminis, sic etiam est procedendum. In primis obseruandum est, vt suprà diximus, & probat Iulius Clarus in practica criminali, q. 4. nu. 1. quod debet constare de corpore delicti, seu de crimine perpetrato: nisi enim constet delictum commissū fuisse, nunquam iudex debet procedere per viam inquisitionis, quod adeò verum est, quod licèt reus confiteretur delictum aliquod commisisse, non potest condemnari, nisi constet de ipso delicto aliter, quàm per confessionem eius. Quod tamē est verum de eo crimine, quod relinquit vestigia, vt homicidium, incendium domus, coitus nefarius cum fractione, & huiusmodi: tunc enim iudex ante omnia debet visitare locum, atque proprijs oculis inspicere delictum, vel mittere Notarium, qui inspiciat cadauer, & recognoscat delictum, cuius recognitio appellatur per Italiam *visum & repertum*, & deinde procedere per inquisitionem generalem ad inuestigandum malefactorem si nullum adsit indicium, vel fama contra aliquem particularem: si verò adsit fama, vel indicium contra aliquem, tunc contra eum per specialem inquisitionem procedat, quod si inueniat indicia grauia, & probetur fama, ad citandum, & alia facienda debet procedere: sin minus debet silere. Quando verò delictum non est permanens, nec relinquit vestigia, vt quando solo animo perficitur, vt hæresis, vel licèt facto consummatur, tamen non relinquit vestigium, vt adulterium, & alij coitus nefarij sinè fractura, furtum pariter sinè fractura, & similia, potest, & debet iudex procedere immediatè contra delinquentem, si fama contra eum præcedat, vel aliqua indicia secundùm practicam hodiernā, absque eo quod inquirat super veritate criminis, & debet procedere modo prædicto nunc suprà.

Debet in primis cōstare de corpore delicti.

Limitatio.

98 Obseruandum est etiam, An crimen sit graue, & directè contra bonum publicum, vt hæresis, & crimen læsæ maiestatis, ad hæc enim quæcunque leuia indicia sufficiunt ad inquirendum propter eorum grauitatem, ideò quàm citò debet iudex ad inquisitionem properare. Similiter cum in Religionibus crimen est permanens, vel si non est permanens, adest tamen diffamatio, & cedit in damnum publicum Religionis, debet Prælatus ad inquisitionem properare. Quando verò crimen est directè in damnum tertij, tenetur quidem iudex ad inquirendum, sed non ità celeriter, procedere, tamen tenetur, si enim læsus dimiserit offensam, poterit licitè non procedere viterius, vt tenet D. Thomas 2.2. quæst. 20. art. 4.

99 Vbi illud iterum obseruo, quod ait D. Thomas loco citato, iudicem absolutum, siuè Principem supremum posse remittere pœnam reo, si pars offensa dimiserit, si hoc publicæ vtilitati expediat, aliter non: ex quo apparet, Principem inuito offenso non posse eum absoluere à pœna debita, etiam si crimen sit solum in damnum particularis alicuius: & ratio est, quia Princeps debet seruare ius suum vnicuique.

Princeps non potest dimittere pœnā reo, nisi satisfacta parte.

100 Quando verò debeat procedere ad capturā sunt variæ opiniones. Aliqui dicunt statim porrecta accusatione debere iudicem procedere ad capturam, & pariter dicerent existentibus leuibus indicijs debere carcerari. Alij verò dicunt non debere carcerari, nisi adsint legitima indicia. Sed Iulius Clarus quæst. 28. art. 2. vtramque reijcit, quia si prima esset vera, esset in optione cuiuscumque vilis personæ facere carcerari quemlibet probū, & insignem virum: si secunda de facili reus posset fugam capere, & eludere iudicem. Dicit ergo, quod iudex habita aliquali informatione de delicto, debet iubere reū capi, si crimen sit tale quod pro ipso pœna corporis sit infligenda, & quia tota materia indiciorū est arbitraria, poterit iudex videre quæ indicia sufficiant ad facere, v. g. capi: & hoc facere tenetur iudex quando dubium est de fuga, non tamen debet statim eum examinare, sed solum cum adsunt indicia grauia, quę sufficerent ad eum citandum, & ad mittendam ei inquisitionem si esset absens, vt diximus suprà.

Quādo iudex debeat procedere ad capturā.

101 Ex dictis deducitur, iudicē non posse quoque de iure inquirere contra socios criminis, neque interrogare reum confessum de aliquo crimine de socijs, nisi præcedat infamia secundùm iura, vel aliqua indicia secundùm consuetudinem, vt dictum est suprà præterquam in criminibus exceptis. Hic tamen sunt varij modi dicendi quantum ad vsum, & consuetudinem, vt est videre apud Iulium Clarum in practica q. 21. num. 4. Sed ipse ait in vno solo casu licere interrogare de socijs criminis, scilicet quando conspicitur ex confessione rei, & processu, quod ipse commisit delictum ad instantiam alterius mandantis, tunc enim licet interrogare de mandante.

Nō potest iudex interrogare de socio criminis, nisi præcedat infamia.

Alij addunt, quando crimen est tale, quod ab vno solo patrari non potest, quod est rationabile. Soto ait tunc posse quando crimen esset in detrimentum tertij, vel boni publici futurum, non præteritum. Item quando ipse reus narrando suum delictum, nominet socium, tunc enim, inquit Iulius Clarus, licet inquirere contra eum.

102 Ex eodē fundamento oritur, quod non potest licitè iudex interrogare reum confessum de aliquo crimine de alijs, de quibus non est diffamatus, neque constant indicia contra eum. Quæ est sententia communis Caietani, Soto vbi suprà, & aliorum, vt ait Iulius Clarus in practica q. 64. num. 44. versiculo *successiuè quæro.* tamen de cōsuetudine inquit Iulius Clarus seruatur contrariū in tota Italia, & specialiter in furtis, & crimine assassinij, & in ijs criminibus, quæ connexa sunt delicto confesso.

103 Quātum ad tertium principale, nimirū quæ sint delicta, de quibus fieri potest, & debet inquisitio, Syluester

De quibus delictis fieri debet inquiſitio.

ſter verbo *inquiſitio* 1.q.a. enumerat multos caſus in iure expreſſos, contra quos fieri pôt inquiſitio. Verùm hodie inquiſitio factũ eſt remediũ ordinariũ procedendi in iudicio contra quẽcunque malefactorẽ, & quæcunque crimina. Ideò pôt procedere iudex per inquiſitionẽ contra quodcunque crimen, & maleficium. Quæ autem ſint crimina in genere, contra quæ iudex, & prælatus procedere poteſt per inquiſitionem, ſunt illa, quæ ſuprà cap. 2. enumerauimus, quorum aliqua diximus pertinere ad iudicẽ eccleſiaſticum ſolùm, quædam ad ſecularem tantùm, & quædam eſſe mixti fori. Explicauimus etiam quæ delicta religioſorum cadant ſub hoc iudicio.

De modo procedendi per accuſationem, denuntiationem, & alijs modis. Cap. V.

104 CIrca hunc modum procedendi D. Thomas 2. 2. quæſt. 68. quattuor tantùm tractat. Primò, An homo teneatur accuſare. Secundò, An accuſatio facienda ſit in ſcriptis. Tertiò, Quando accuſatio ſit vitioſa. Quartò, Qualiter malè accuſantes ſint puniendi. Nos tamen ſex breuiter explicabimus, in quibus ea, quæ dicit D. Tho. & quædam alia magis neceſſaria explicabimus.

Primum ergo explicandum eſt, quid ſit accuſatio, & quomodo ab alijs modis procedendi iudicialiter differat. Secundum, quæ conditiones, & ſolemnitates requirantur ad accuſationem, ſeu quæ ſit forma libelli accuſationis. Tertium, An ad accuſationem debeat præcedere admonitio ſecreta, ſeu fraterna correptio. Quartum, An quis obligetur aliquando ad accuſandum. Quintum, An iudex aliquando poſſit ſine accuſatore procedere. Et ſextum quot modis accuſatio reddatur iniuſta.

105 Quò ad primum. Hæc eſt diffinitio communis accuſationis, quam attulit Fel. in rubrica de accuſationibus, num. 3. quam Iulius Clarus in practica criminali q. 12. num. 1. dicit eſſe approbatam ab omnibus Doctoribus. *Accuſatio eſt delatio alicuius criminis ad vindictam publicam, legitima interueniente ſubſcriptione.* Circa hãc diffinitionem poſſent multa quæri an ſit legitima, verùm quia in prax. multa, quæ ad eius ſolemnitatem pertinent ſecundum iura, in deſuetudinem iuerunt, de ea breuiter agemus. In hac diffinitione ſunt tres particulę. Prima eſt *delatio criminis*. Secunda *ad vindictam publicam*. Tertia *legitima interueniente ſubſcriptione*. Prima particula eſt genus: nam accuſatio eſt vna ſpecies delationis criminis ad iudicem; & per hoc conuenit cum denuntiatione, & quærela; diſtinguitur autem ab inquiſitione, quia, vt diximus, in inquiſitione iudex procedit abſque vlla delatione criminis, ſed ſola præcedente infamia, vel aliquibus indicijs, vt diximus ſuprà. Altera particula, *ad publicam vindictam*, ponitur ad differentiam cuiuſcunque alterius delationis, quæ non fit propter publicam vindictã; & ſic diſtinguitur ab actione actoris quando agit ſolum propter ſuum bonum particulare. Per vltimam particulam differt à denuntiatione, quia in illa non requiritur ſubſcriptio, vt videbimus. Sed iſta magis patebunt ex cõditionibus, ſeu ſolemnitatibus ad eam ſecundùm iura requiſitis.

Accuſationis diffinitio.

Solemnitates requiſitæ ad accuſationem. 1. Condit.

106 Quantum ergo ad conditiones, ſeu ſolemnitates requiſitas ad accuſationem. Prima eſt, vt accuſatio fiat per libellum, ſiue per ſcripturam quandam breuem, quæ contineat intentionem accuſatoris clarè, contra reum. An verò neceſſarium ſit, vt accuſatio in libello producatur, vel ſufficiat quærella verbalis apud acta iudicis, quã tabellio in ſcriptis redigat, eſt contentio inter Doctores. Sed Iulius Clarus prædicta quæſt. 12. num. 4. ait in praxi ex conſuetudine ſufficere quærellam verbalem modo prædicto; dummodo aliæ conditiones, & ſolemnitates in iure requiſitæ adſint.

2. Condit.

107 Ad formam, & ſolemnitatem accuſationis ſecundò requiritur, quod accuſator inſcribat, ſeu ſubſcribat dictum libellum; inſcribere enim, & ſubſcribere pro eodem accipiunt Doctores in hoc caſu: & hæc conditio requiritur de iure cõi ſecundùm omnes, teſte Iulio Claro vbi ſuprà quęſt. 12. verſiculo *Dixi quoque*, & ſequentibus. Forma autem illius ſubſcriptionis eſt, quod accuſator ſe obliget ad ſimilitudinem pœnæ, quæ eſt pœna talionis, niſi probet plenè, vel ſemiplenè; & ad proſequutionem accuſationis vſque in finem. Hanc ſubſcriptionem introduxerunt leges meritò ad reprimendum temeritatem accuſantium, vt ſcilicet timore ne deficiant in probationibus, & cogantur ſubire pœnam talionis, non eſſent ita procliues ad accuſandum. Verùm hodie de conſuetudine ablata eſt hæc ſubſcriptio. Ratio eſt, quia etiam eſt ablata pęna talionis, vt ait Iulius Clarus prædicta quæſt. 12. verſiculo *Cæterum*, & quæſt. 81. num. 3. & ideò iſta ſubſcriptio eſt ſuperflua. Et ratio, propter quam pœna talionis eſt caſſata, eſt, quia ob rigorem huius pœnæ multi ſe retrahebant ab accuſando, atque ità delicta impunita remanebant; pauci enim reperiebantur, qui cum periculo ſui capitis vellent accuſationis crimen proponere, & ideò conſuetudo admittit quoſcunque ad accuſandum reiectis his pœnis, & abſque tali ſubſcriptione, & obligatione.

De conſuetudine hęc ſubſcriptio eſt ſublata. Pœna talionis cur ablata ſit.

108 Notat tamen Iulius Clarus quęſt. illa 81. num. 3. quod etiam hodie ſi aliquis faceret capi aliquem, qui eſſet innocens, & appareret, quod id per calũniam feciſſet, fortè ipſe non euitaret pœnam talionis: & in facti contingentia Iulius Clarus dicit ſe vidiſſe aliquos ad huiuſmodi pœnam talionis fuiſſe damnatos. Hodiè hæc ſubſcriptio euanuit, quia vt diximus ſuprà, nunc in accuſatione libellus accuſationis non producitur, ſed ſolum quærella verbalis, qua recepta à notario in ſcriptis, fiſcalis deputatus à iudice proſequitur accuſationem, & quærellam, vel etiam per inquiſitionem, & ex officio procedit iudex.

109 Tertia conditio, ſeu ſolemnitas requiſita de iure eſt, quod in libello exprimatur dies, & annus, quo iudici quærella, & accuſatio eſt expoſita. Hæc conditio etiam hodie de conſuetudine ſeruatur. Nam etſi libellus accuſationis non porrigatur; tamen notarius in actis ſuis recipit quęrellam in ſcriptis, ideò in ea debet notare diem, & annum, quo quærella fuit expoſita. Dicit tamen Iulius Clarus quæſt. illa 12. num. 51. quod ſi huiuſmodi tempus non notaretur, ipſe non putaret quærellam eſſe nullam: quia non iudicat eſſe de ſubſtantia accuſationis, ſed ſolũ ait tunc notarium eſſe priuandum officio tanquam imperitum, vel ſuſpectum. 3. Condit.

110 Quarta conditio, & ſolemnitas eſt, quod apponatur dies, annus, & locus, quo delictum fuit commiſſũ, & nomen delinquentis, & delicti, & accuſatoris: & quidem iſta omnia etiam hodiè de conſuetudine ſeruantur: quia ſunt de ſubſtantia accuſationis, ſiue quęrellæ, niſi enim omnia iſta apponãtur, incerta redditur accuſatio, Nec reus poſſit ſe defendere probando negatiuam arctatam, neque poſſet conuincere teſtes de falſo; (ſi opus eſſet,) poſito autem die, anno, & loco patrati delicti, reus poteſt probare negatiuam, quod illud crimen non commiſerit: quia eſt negatiua coarctata ad certum locum tẽpus, & delictum, quæ poteſt probari: poteſt enim probare eo tempore alio loco fuiſſe, & proindè illud crimen non commiſiſſe. 4. Condit.

111 Quò ad tertium principale, An omnem accuſationem præcedere debeat neceſſariò certa admonitio. De hac quæſtione ſunt duæ opiniones. Prima aſſerit eſſe neceſſarium præmittere fraternam correctionem; ſed hoc explicant diuerſimodè. Aliqui enim dicunt in foro conſcientiæ neceſſarium eſſe, quod admonitio præcedat, vt Durandus in 4. diſt. 19 quæſt. 4. ad primum. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus Matth. 18. præcipit fieri correctionem fraternam antequam prælato fiat denũtiatio. Item, quia accuſatio fieri debet cum minori detrimento honoris, & famæ proximi quo poteſt: ergo niſi moneatur proximus antequam accuſetur, fit illi iniuria: quia ſi

An monitio præcedere debeat accuſationem. 1. Opinio.

2. Opinio.

moneretur, posset corrigi, & sic non esset accusandus. Alij, vt Caietanus 2. 2. quæst. 33. ar. 7. dicunt, quod quando accusatio est de præcepto, non tenetur quis facere monitionem, quia non obstante, quod ille corrigeretur, iste tenetur accusare, vt si quis commisit crimen contra bonũ publicum, vt contra Principem, & similia.

3. Opinio.

Alij vt Soto libro quinto, de iustitia, quæst. 5. art. 1. dicunt, quod non est necessaria admonitio etiam quando accusatio est licita, licèt non sit in præcepto contra Caietanum. Item neque quando accusatio est in præcepto, cum crimen est perpetrandum, & est in damnum publicum, & nõ adest certitudo, quod crimen per correctionem impediatur. Si autem adsit ista certitudo, debet fieri correctio. Si verò crimen sit contra bonum particulare alicuius personæ, & sit spes, quod per correctionem impediatur crimen, & delictum, debet præcedere. Si autem nõ sit spes, non est præmittenda correctio.

Opinio vera.

112 Alij ex aduerso omnino sunt oppositæ sententiæ. Nam dicunt in accusatione nullam præcedere debere correctionem fraternam, quæ est communior, & vera, & eam sequitur Nauarrus in cap. *inter verba*, conclus. 6. num. 171. & alij multi, & ratio eius est. Primò, quia in cap. *qualiter, & quando* x. de accusationibus, apertè dicitur *sicut denuntiationem debet præcedere correctio fraterna, sic accusationem legitima inquisitio*. Ergo ad accusationem non prærequiritur admonitio. Secundò, ratio naturalis id ostendit: quia accusatio non habet pro scopo correctionem fratris, sed vindictam publicam; correctio autem fraterna habet pro scopo emendationem: ergo accusatio ex vi, & natura sua non requirit correctionẽ præuiam. Præterea accusatio fit etiam de criminibus præteritis, immò vt plurimum de his. Item de his criminibus, de quibus frater est emendatus. De his autem patet nullam esse necessariam fraternam correctionem: ergo.

Ad rationes pro prima opinione.

113 Ad argumenta pro prima opinione, respondetur ad auctoritatem Saluatoris dimissis alijs responsionibus, quod Christus Dominus præcepit, correctionem fraternam fieri ad emendationem fratris, hic enim est scopus eius; Vndè cum non speratur emendatio fratris, illud præceptum non obligat secundùm omnes, & proinde correctio fraterna non ordinatur de se ad accusationem, vel ad denuntiationem iudicialem fratris ad prælatum, vel ad iudicem, immò directè opponitur accusationi, & denuntiationi, quia quærit emendam fratris, non punitionem publicam; tamen per accidens ordinatur ad eandem accusationem, scilicet in casu contumaciæ, scilicet, quod frater correctus a prælato non velit se corrigere. De intrinseca ergo rectitudine accusationis non est, vt præcedat correctio fraterna, sed illi accidentaliter coniungitur: ideò accusatio sine vlla præuia correptione iustè fieri potest.

Correctio fraterna quõ accusationi nectatur.

Ad secũdã.

114 Ad secundam respondetur accusationem ordinari ad publicam vindictam criminis ob publicum bonum, ideò in accusatione non est habenda ratio famæ, vel honoris priuatæ personæ, sed publici boni, nimirum vt crimina puniantur ad deterrendos homines à maleficijs, & vt pax Reipublicæ seruetur.

An quis obligetur aliquãdo ad accusandũ.

115 Quantum ad quartam, An quis obligetur aliquando ad accusandum, sunt quoque duæ opiniones.

1. Opinio.

Prima est Angeli in verbo *accusatio*, & glosæ 2. quæst. 6. cap. *quapropter*, & expressè habetur l. 1. C. *vt nemo inuitus agere, vel accusare cogatur*. Et ratio est, quia satis est ad publicum bonum, quod quis deferat crimen quantũcunque nociuum publico bono iudici per quærellam verbalem, vel denuntiationem.

2. Opinio.

Alia sententia est D. Thomæ 2. 2. quæst. 68. ar. 1. Caietani ibi, & Soto lib. 5. de iustitia, quæst. 5. ar. 1. qui asserunt in aliquo casu nos teneri ad accusandum, nimirum cum crimen est in damnum Principis, & Reipublicæ, vel alicuius innocentis, quod sinè accusatione vitari non possit. Sed est dicendum, has duas opiniones non esse contrarias.

Resolutio.

Prima non enim loquitur de accusatione propriè dicta in qua accusator se subscribebat ad pœnam talionis, quæ modò non est in vsu, & de hac est verum, neminem teneri ad accusandum. Secunda opinio loquitur de accusatione, quæ nunc per consuetudinem est introducta, in qua subscriptio ad pœnam talionis, nec aliæ solemnitates requiruntur, sed fit per denuntiationem, & quærellam verbalem, vt suprà diximus, & sic est vera, & coincidit cum prima opinione.

An iudex sine accusatore possit procedere.

116 Quantum ad quintam, An iudex sine accusatione possit procedere, breuiter respondetur ex dictis suprà accipiendo accusatorem propriè pro eo, qui porrigit libellum cum subscriptione, &c. sine dubio posse, quia dãtur alij modi procedendi, scilicet per denuntiationem, & inquisitionem. Accipiendo verò accusatorem largè pro omni eo, quod viam aperit iudici ad procedendum contra aliquem, dicendum est, iudicem non posse procedere. Dictum est enim suprà, iudicem non posse procedere, nisi adsit aliquod impellens ad procedendum. In modo enim procedendi per inquisitionem debet præcedere fama, vel indicia, in alijs accusatio, vel quærella, vel denuntiatio: quia iudex ad libitum non potest procesfare homines, nec eos vexare.

De consuetudine vnusquisque accusare potest.

117 Qui verò possint accusare non opus est nunc disputare: quia etsi de iure communi multi repellantur, tamen de consuetudine nullus excipitur: quia ex quo nunc iudices ex officio suo procedunt, vel per inquisitionem, vel per verbalem quærellam, aut per denuntiationem factam à fiscali, nunquam repellunt quærellam ab alio porrectam, licèt ille de iure communi non posset accusare.

Quot modis accusatio iniusta reddatur.

118 Quò ad sextam, scilicet, quot modis accusatio fiat iniusta, dicendum est tribus modis, vt habetur 2. q. 3. cap. *si quem pœnituerit*, & Gratianum, quem D. Thomas sequutus est 2. 2. quæst. 68. ar. 3. Primo modo per calumniam, scilicet quando accusator falsum crimen imponit: & hic eo ipso mortaliter peccat, & tenetur restituere omne damnum indè sequutum accusato. cap. fin. de calumniatoribus. Secundò per tergiuersationem, nimirum quando accusator in totum à lite recedit sine auctoritate iudicis; sic enim videtur terga vertere accusationi, & ideò dicitur tergiuersator.

Limitatio.

Obseruandum est tamen, quod si accusator recedat ab accusatione, vel quia inuenerit accusatum esse innocentem, vel ex misericordia, & pietate, vel aliquo alio bono fine in foro conscientiæ non peccat, licèt in foro exteriori puniri deberet secundùm iura. Tertiò per præuaricationem, quando scilicet accusator cum reo colludit adiuuans partem aduersam, contra quam procedit. Quod fit vel falsas probationes adducendo, veras dissimulando, vt accusatus se tueri possit. Vbi est obseruandum, quod si verum est crimen, de quo quis est accusatus, præuaricator peccat mortaliter, quia malitiosè impedit punitionem culpæ, quod est contra bonum publicum. Si tamen hoc faceret, quia cognosceret accusatum esse innocentem, vel ob pietatem, & charitatem, vt suprà diximus, dummodo non vteretur aliqua falsitate, & fraude, non peccaret, vt habet D. Tho. vbi suprà ad secundum.

An officiales non denũciantes peccent.

119 Dubitatur, An officiales, vt fiscalis, & cæteri officiales, qui ex officio accusare tenentur, peccent mortaliter si non denuntient delinquentes, vt portantes arma prohibita, transferentes merces de vno loco in alium, absque eo, quod soluant gabellas, damnificantes, &c. Respondetur ex Nauarro in Manuali cap. 17. num. 122. & alijs, illos in duobus casibus saltem non peccare mortaliter. Primus quando non denuntiant eos, qui faciunt contra leges humanas eo, quia id faciant in extrema, vel graui necessitate. Ratio est, quia lex humana non destruit charitatem, ideò in tali casu non obligantur denũtiare. Secundò, quando delinquentes sunt consanguinei, affines, aut etiam amicitia arcta coniuncti cum ijs, qui leges, & statuta condiderunt. Ratio est, quia præsumitur legislatores, illos nõ subijcere prædictis legibus, & statutis.

ſtatutis. In reliquis omnibus caſibus officiales prædicti peccant, quia faciunt contra ſuum officium, & iuramentum, & præiudicant bono publico. An verò teneantur ad reſtitutionem, dictum eſt ſuprà agendo de reſtitutione bonorum fortunæ.

An officiales iuſtè ſcrutentur crimina hominum. Opi. Soto.

120 Aliud dubium eſt, vtrum officiales iſti peccent ſcrutando crimina priuatorum, & iuſtè inſtituantur fiſcales ad hoc munus. Reſpondetur Soto lib. 5. de iuſtitia, & iure, quæſt. 5. ar. 1. improbat hanc conſuetudinem. Inquit quidem rectè inſtitui fiſcales, vt curam habeant ærarij publici, & delictorum in perniciem boni publici; ſed ad ſcrutandum priuatorum crimina, inquit, non eſſe iuſtum; nec D. Thomam, nec alios Sanctus eam conſuetudinẽ probaturos: quia inquit poſcere vltionem talium criminum priuatorum pertinet ad ſolas priuatas perſonas, quæ iniuria affectæ ſunt. Cæterùm immeritò hanc

Reijcitur.

conſuetudinem damnat. Nam in primis delictum cum eſt commiſſum, ita quod poſſit inueſtigari, & probari, non eſt amplius ſecretum, ſed natura ſua publicum, ideò imputandum eſt delinquenti, quod publicetur. Præterea niſi eſſent iſti publici officiales deputati, quamplurimi priuati læderentur, qui non auderent delictum accuſare ob potentiam inimicorum, vel prauorum hominum.

Forma procedendi in accuſatione, quæ hodiè ſeruat.

121 Ex his omnibus colligitur, quod in forma procedendi per accuſationem licèt ſecundùm ius commune requirantur multæ ſolemnitates, de quibus Iulius Clarus in practica criminali quæſt. 18. tamen hodiè de conſuetudine ſeruatur eadem practica, quæ in modo procedendi per inquiſitionem, quem ſuprà explicauimus. Nimirum comparet accuſator coram iudice, & ei dicit, quod vult accuſare N. de tali crimine, & ei profert in ſcriptis accuſationem ſecundùm formam ſuperius explicatam, vel verbaliter illam ſignificat, quam notarius in ſcriptis recipit, & inſerit actis ipſius iudicis. Deinde procedit ad examinationem teſtium, & ad verificandum indicia propoſita ab accuſatore; & ſi iudici appareat reperiri indicia ſufficientia ad citandum reum, citat, ſi eſt abſens, & non timeatur de fuga ipſius, dando terminos ad comparendum ad arbitrium ſuum. Vel procedit ad capturam, vt ſuprà diximus ſi eſt dubium de fuga rei, & examinat eum, & deinde proſequitur verificare cætera indicia, quæ emergunt, quo ad poteſt. Deinde tranſmittit copiam indiciorum reo. Quid deinde agere debeat ſecundùm conſuetudinem, infrà cap. vltimo agendo de expeditione proceſſus, dicemus.

De denuntiatione.

122 Dicebamus ſuprà denuntiationis varias ſpecies à Canoniſtis adduci in cap. *Nouit.* de iudicijs, præcipuè quatuor, ſcilicet Euangelicam, Canonicam, Iudicialem, & Regularem. Sed meliùs cum Theologis ad duas ſpecies reducuntur, ſcilicet in denuntiationem delicti fraternam, ſeu paternam, qua ſcilicet crimen denuntiatur prælato ad emendationem fratris. Et in denuntiationẽ iudicialem, qua ſcilicet denuntiatur crimen prælato, & iudici ad publicam punitionem criminis. Et dicitur denuntiatio publica; & aliquando ad proſequendum iniuriam, & damnum proprium particulare, & dicitur denuntiatio priuata. Hanc etiam denuntiationem iudicialem dicebamus eſſe duplicis generis, ſcilicet criminalem, & ciuilem. Criminalis eſt, quæ tendit ad publicam punitionem. Ciuilis eſt, quæ ordinatur ad impediendum aliquem ab aliquo beneficio, vel officio, vel ad remouendum ab eo, & ſimilia, vt ſuprà diximus cap. 2.

Denuntiationis ſpecies ad duas reducũtur.

An denuntiatio ſit remediũ ordinarium.

123 Eſt verò dubium, An denuntiatio ſit remedium ordinarium, vel extraordinariũ. De iure canonico eſt remedium ordinarium: quia c. *qualiter*, & *quando* 2. de accuſat. dicitur quod iudex poteſt procedere per viam inquiſitionis, vel accuſationis, vel denuntiationis. De iure ciuili eſt extraordinarium, quia per denuntiationem ſecundùm illud proceditur ſolùm in certis caſibus. Sed dimiſſa hac contentione Iulius Clarus in practica criminali, quæſt. 7. num. 1. inquit, denuntiationem non eſſe modum diſtinctum à modo procedendi per inquiſitionem. Nam denuntiatio nihil aliud operatur, niſi quod ſuccedit loco diffamationis, vel quærellæ, & ſic aperit viã iudici ad inquirendum ex officio contra aliquem, qui aliàs de iure non poſſet, non præcedente quærella, vel diffamatione, vt ſępè ſuprà dictum eſt. Ita ergo procedit iudex ex officio, quando procedit ex denuntiatione, quàm quando procedit ex diffamatione ſola.

Forma denuntiandi quæ.

124 De forma autem denuntiationis, & ſolemnitatibus illius ait Iulius Clarus quæſt. 7. num. 11. de conſuetudine, omnes illas ſolemnitates iuris ſeruandas eſſe, quę in accuſatione, excepta ſubſcriptione, quæ etiam vt diximus ſuprà, nunc in accuſatione non ſeruatur. Vndè accuſatio, & denuntiatio hodie in idem coincidunt. Requiruntur ergo in denuntiatione iſta. Expreſſio criminis, perſonarum, loci, & temporis. Subdit tamen, quod licèt denuntiator non teneatur ſe ſubſcribere ad pœnam talionis, debet tamen ipſa denuntia, quam vult dare iudici, eſſe in ſcriptis, aut debet eam verbaliter exponere notario, qui ipſo dictante, illam ſcribit, & redigit in actis ipſius iudicis. Atque ex Ang. de maleſic. ro. l. *ea quidem*, poſt numerum 12. & ex Boſſio in m. de denunt. nu. 14. ſubiungit hanc conſuetudinem, & praxim ſeruari in toto mundo.

An accuſator, & denũtiator abſoluto reo, condemnãdus ſit in expenſis. Limitatio.

125 Sed nunquid ſi reus abſoluatur, denuntiator erit condemnandus in expenſis ratione calumniæ? Reſpondetur de iure communi teneri, ſed vt inquit Iulius Clarus vbi ſuprà quæſt. 7. verſiculo *ſed inquirit*, & quæſt. 18. verſiculo *poſtea*, num. 2. hæc etiam ſatisfactio tam quò ad accuſatorem, quàm quò ad denuntiatorem, receſſit ab aula. Subiungit tamen hoc intelligi quantum ad præſumptionem, quæ oritur ſimpliciter ex non probatione delicti, non autem ſi appareret de vera calumnia, quia tunc procederet communis opinio, quod deberet non ſolum in expenſis, ſed grauius puniri arbitrio iudicis, vt ita dicit idem Iulius Clarus eadem practica criminali, q. 81. verſiculo *ſed quæro*. Addit inſuper opinionem communem locum habere de accuſatore, & denuntiatore, qui non ex neceſſitate officij, ſed ſponte accedunt ad accuſandum, vel denuntiandum: ſi enim de illo conſtaret eſſe calumniatorem, deberet puniri pœna talionis etiam his temporibus, vt tradit Iulius Clarus prædicta q. 81. eodem verſiculo.

De modũ procedendi cõtra captũ in fragranti.

126 Addunt alij duo modi procedendi contra delinquentem, nimirum per deprehenſionem alicuius in fragranti crimine. Et alius quando crimen eſt notorium. Isti enim duo modi procedendi reducuntur ad primum modum, ſcilicet ad modum procedendi per inquiſitionem. Quò ad primum inquit Iulius Clarus in practica criminali quæſt. 8. num. 1. Iudicem non ſolum poſſe inquirere contra eum, ſed etiam poſſe procedere vſque ad diffinitiuam ſententiam iuris ordine ſeruato. Obſeruat tamẽ communem practicam hanc eſſe, quod vel delictum eſt graue, vel leue. Si delictum ſit graue, ita ꝙ pœna eius ordinaria ſit pœna capitis, non debet iudex ſtatim procedere ad condemnationem, ſed debet eum examinare; & ſi confiteatur, condemnare: ſi verò neget, debet eum torquere, quia illa deprehenſio in crimine eſt indicium ſufficiens ad examinandum, & torquendum, non autem

Cõmunis practica ꝙ ſeruatur.

ſufficit ad condemnandum; & tortura debet infligi pro qualitate delicti, & conditione perſonæ, & ſi confiteatur, tunc debet exequi ſententia contra illum, ſi verò non confiteatur, non poteſt condemnari, niſi ſint teſtes aliundè, & aliæ probationes præter ipſam deprehenſionem in fragranti eum conuincentes plenè; & danda eſt illi copia proceſſus, & defenſiones, & in reliquis procedendum eſt ſicut in modo procedendi per inquiſitionem. Quando verò delicta ſunt leuia, & perſonæ ſunt viles, ſtatim ad executionem pœnæ ſolet iudex procedere. Vndè inquit, videmus practicari, quod deprehenſi per officiales iudicis in furto vuarum ſolent per ciuitates deferri cum vuis ad collum appenſis; ſic ẽt deprehenſi cũ armis vetitis ſolẽt ſtatim cõpelli ad ſoluẽdã pęnã impoſitã.

Quando

De modo procedendi contra crimen notorium.

127 Quando etiam crimen est notorium, dicitur autem crimen notorium, quando delictum est notorium, & malefactor quoque est notorius, ita quod nulla tergiuersatione celari potest, vt docet Iulius Clarus quæst. 9. num. 1. vt est illud crimen, quod committitur coram populo, vel maiori parte populi, vi vicinia, collegio, vel maiori parte viciniæ, oppidi, collegij, vt aliàs diximus. Et in particulari notat, quod ad hoc vt delictum dicatur notorium, requiritur, quod ita sit euidens, malefactorem illud fecisse, vt non habeat vllam excusationem, vel defensionem, v. g. posset quis, qui publicè occidit aliquem, dicere, quod occidit ad suam defensionem: ideò ad hoc vt delictum illud dicatur notoriū, oportet q̄ sit euidens, eum occidisse, non ad sui defensionem, sed iniquè, & iniustè. In hoc autem casu ait Iulius Clarus num. 4. iudicem debere formare processum, in quo de notorietate delicti commissi, & commissi a tali delinquēte, constet; ad quod probandum debent examinari non duo, vel tres testes, quia illi non probant delictum esse notorium, sed debet examinare maiorem partem viciniæ, vel collegij super delicti commissione, atque deinde tradere copiam processus reo, & terminum ad se defendendum, & alia facere, quæ in alijs modis procedendi fiunt.

De modis procedēdi per quærellam, & per indicia.

128 De modo procedendi per quærellam, dictum est explicando modum procedendi per accusationem. Quærella enim successit his temporibus loco accusationis. Similiter de modo procedendi per indicia dictum est agendo de modo procedendi per inquisitionem, tamen hoc magis manifestabitur ex dicendis de materia indiciorum. De his duobus modis qui plura quærit, videat Iulium Clarum in practica citata, quæst. 10. & quæst. 20. & 21.

De ijs, quæ ex parte rei contingunt in iudicio. Caput Sextum.

129 SEcunda persona, quæ concurrit ad substantiam iudicij est reus, ideò nunc de ipso agendum est. D. Thomas 2. 2. quæst. 69. & alij communiter quattuor tractant circa reum, ad quæ alia reducuntur, & quorum multa ex dictis explicata manent. Primum est, An reus peccet mortaliter negando veritatem in iudicio. Secundo vtrum liceat se defendere calumniosè. Tertiò, An liceat declinare iudicium per appellationem. Quartò, An liceat reo condemnato per violentiam se defendere si adsit facultas. De his ergo, & annexis est breuiter agēdū.

An reus teneatur dicere veritatem in iudicio.

130 Quantum ad primum, est communis sententia quando reus interrogatur à iudice iuris ordine seruato, sub pœna peccati mortalis teneri ad veritatem dicendā, etiam si inde condemnandus sit ad mortem; si verò non interrogatur iuris ordine seruato, non teneri; non posse tamen dicere mendacium. Sic D. Thomas vbi supra. Scotus in hac dist. 15. quæst. 4. ar. 3. & alij. Prima pars probatur, quia iudex competens est superior, & reus est illi subditus; Subditus autem tenetur obedire superiori in his, quæ non sunt contra iustitiam, sed iustitiæ conformia. Quod autem sit conforme iustitiæ, vt ritè interrogatus confiteatur veritatem, probatur, quia reus tenetur dicere veritatem superiori iudici; excusatur autem solum quando crimen est occultum, & ideò tunc potest negare se fecisse illud delictum, quia non dicit mendacium, intendit enim dicere, quod non fecit publicè, vt supra diximus disp. 53. cap. 2. explicando quartam quæstionem Scoti ar. 3. Quando autem iudex interrogat iuris ordine seruato, tam delictum non est occultum, sed publicum, ideò illa cautella tunc non iuuat reum; & sic si non aperit veritatem iudici dicit mendacium superiori, & sic peccat: & si iudex adhibet iuramentum est sacrilegium. Secunda pars probatur rationibus adductis supra disp. 53. cap. 2. ex Scoto, vbi hanc difficultatem explicauimus.

Ordo iuris quando seruetur. & reus legitimè interrogetur.

131 Verùm hic difficultas occurrit, quando reus, legitimè interrogetur, & seruetur ordo iuris. De hoc diximus suprà disp. 53. cap. allegato, & diximus cum Scoto ordinem iuris quò ad reum expetere quod nedum præcedat infamia, vel vnus testis omni exceptione maior, sed requirit, quod sit plenè conuictus: quia in criminalibus magis creditur ipsi reo confitenti contra se, quam alijs quibuscunque: proinde magis se infamat confitendo proprio ore, quàm per dictum vnius testis, vel aliquorū indiciorum, qui semiplenè probent, & propter alias rationes ibi adductas.

Cur ordo iuris sit seruandus.

132 Quod autem ordo iuris exposcat, vt fama, vel testes, vel indicia præcedant antequam interrogetur reus, patet ex dictis in modo quocunque procedendi; iudex enim non potest inquirere, nec procedere contra reum, nisi aperiatur sibi via aliquo illorum trium, vel quinque modorum procedendi suprà allegatorum. Neque enim iudex, vel superior potest ad libitum procedere contra aliquem subditum, & eum vexare, sed solum quando vel fama, vel indicium aliquod, vel quærella, seu accusatio, vel denuntiatio, aut in fragranti est deprehensus, vel cōmissum crimen est notorium, vt suprà dictum est. Et deinde facta inquisitione, si indicia, quæ eum mouerunt ad procedendum non verificentur, nec aliquid ex processu resultet, non potest examinare, nec interrogare reum, sed solum quando adsunt sufficientia indicia, & illa sint probata, vt infra agendo de indicijs, & testibus dicemus. Vbi etiam apparebit, quando reus sit conuictus plenè, vel semiplenè.

Iudex non potest ad libitum procedere contra reum.

An reus cō fessus possit interrogari de socijs criminis.

133 An verò reus confessus, & conuictus possit à iudice interrogari de socijs criminis, & de alijs criminibus, de quibus contra eum nullum est indicium, nec fama, diximus suprà agendo de modo procedendi per inquisitionem.

An reus negans verū crimen teneatur ad restitutionē damni passum accusatori.

134 An verò reus negans veritatem de crimine, de quo legitimè, & iuris ordine seruato interrogetur, teneatur ad restitutionem damni, quod passus est denūtiator, vel accusator, Respondetur, quod de consuetudine nunc accusator non tenetur ad pœnam talionis, neque ad vllam pœnam, licèt non probet, vt diximus supra agendo de modo procedendi per accusationem. Neque tenetur ad restitutionem si non est plenè conuictus, vt diximus suprà disp. 53. cap. 2. Cum verò est plenè conuictus, tenetur ad restitutionem famæ; quia negando virtualiter, eū calumniatorem dicit, & sic facit illi iniuriam simul, & iudici, cui in hoc casu tenetur obedire, quia nullam habet excusationem celādi veritatem; excusatio enim erat conseruatio propriæ famæ: at quando est plenè conuictus, licèt ipse non fateatur crimen, iam famam amisit, & ideò illa excusatio cessat.

An liceat reo calumniosè se defendere.

Secundum, quod proponunt Doctores de reo discutiendum est, An liceat reo se calumniosè defendere. Ad hoc dubium omnes respondent, cum reus iuris ordine seruato interrogatur de crimine vero, nulli dubium esse, quod debet dicere veritatem, vt dictum est nunc suprà in hoc cap. At dubium est, quando reus interrogatur iuris ordine non seruato, An tunc liceat illi per calumniam se tueri. Ad hoc etiam respondent omnes, licere reo in hoc casu non dicere veritatem, tamen ei non licere mentiri, seu mendatium dicere. Prima pars probatur, quia aliquis non tenetur omnem veritatem confiteri, sed illā solum, quam iudex potest, & debet iustè ab eo inquirere secundùm ordinem iuris, ideò cum non seruatur rectitudo debita in interrogando, non tenetur dicere veritatē. Et de hac parte nulla est difficultas, vt supra diximus. Sed de secūda est difficultas, quomodo stent simul, quod non teneatur confiteri veritatem, & tamen non possit dicere mendacium, nec mentiri; nam non videtur posse non dicere veritatem, nisi mentiatur.

Opi. Soto.

135 Aliqui ergo respondent, reum posse dicere, se nihil scire de illo crimine. Sic Soto lib. de ratione tegendi secretum m. 3. quæst. 3. non autem licere reo dicere, se non commisisse illud crimen. Ratio eius est: quia dicendo primum non mentitur, quia quæ scimus, aliquando

scimus

scimus vt dicamus, aliquando vt non dicamus. Potest ergo dicere iudici, nihil scio de hoc crimine, quia subintelligit, vt dicam tibi. At si negaret, se illud commisisse, diceret mendatium, & mentiretur, quod non licet in iudicio.

Hæc opinio reijcit.

136 Hæc opinio reijcitur à recẽtioribus, & iure: quia frustranea videtur illa distinctio inter dicere nihil scio de hoc crimine, & non feci hoc crimen, quia tam est mẽdacium dicere se nihil scire de illo delicto, vt puta homicidio, quàm dicere se non commisisse illud delictum. Quod verò aliqua sciamus, quæ non ordinentur ad dicendum alijs; quæ verò, facimus, ordinentur vt Soto inquit, seu quod aliqua scire possimus, quæ dicere non teneamur, omnia verò quæ facimus, teneamur dicere, nulla ratione, ac fundamento stabili innititur.

Opinio auctoris.

137 Ideò dicendum cum Scoto suprà distin. ista 15. quæst. 4. art. 3. quæ nunc est communis opinio, reum sic contra iuris ordinem interrogatum, posse dicere, se non commisisse tale delictum, intendendo dicere, se non cõmisisse publicè, non autem priuatè: cum enim persona iudicis sit publica, & interroget in publico, & in publico reus sit innocens, quia nondum delictum est probatum, non mentitur dicendo, se illud delictum non commisisse, quia intendit non commisisse publicè, vt iudex, & forum illud prætendit, scilicet publicè.

138 Confirmatur hæc assertio ex simili casu in ciuili posito à Couaruuia libro variarum resolutionum cap. 2. num. 4. & Azorio 3. par. lib. 13. cap. 25. dubio 10. e. g. Titius accepit mutuò centum à Caio, & eidem eandem pecuniam restituit; tamen Caius negat Titium hanc pecuniam sibi restituisse, & eum conuenit in iudicio, neque Titius potest probare, se pecuniam istam restituisse Caio, & si coram iudice fateretur se accepisse centum à Caio, sed restituisse, damnaretur à iudice ad restituendum, quia iam confiteretur se accepisse mutuò, restituisse autem non posset probare. Quæritur in hoc casu, An Titius posset iurare, se nihil accepisse mutuò à Caio. Respondẽt enim Couaruuias, & Azorius, & rectè, quod posset iurare licitè, nec iuraret falsum. Ratio est, quia responsio ista Titij est accipienda iuxta interrogationem iudicis. Iudicis autem interrogatio debet accipi in hoc sensu. Accepisti mutuò centum à Caio, quæ tenearis ei soluere? & ideò responsio debet strictè accipi, vt correspondeat intentioni iudicis, vt sit sensus. Non accepi à Caio centum, quæ ipsi restituere tenear. In his ergo, & similibus casibus potest cum iuramento intendere iurare strictè, scilicet ad intentionem propriam veram quando adest dolus, & deceptio scienter, vel ignoranter in deferente iuramentum, quod tradit Nauarrus quoque in Manuali cap. 9. num. 8. & 9. & alios citat, & est communis sententia.

An reus per appellationem possit declinare iudicium.

139 Tertium principale propositum de reo est, An possit per appellationem iudicium declinare. In hac re communis est sententia Theologorum, reum posse appellare, quando confidit, & sincerè arbitratur sibi iniustitiam fieri à iudice; quando verò noscit sententiam iudicis esse iniustam, & vult appellare ad differendam moram sententiæ, non potest licitè appellare. Prima pars probatur, quia vnusquisque ex iure naturæ se, suaque defendere potest ea tutella, & defensione, quam ratio naturalis ei non denegat; sed appellatio est tutella, & remedium ad se defendendum, quod reo non est prohibitũ a natura: ergo licet ei illud adhibere. Et confirmatur, quia Paulus Cæsarem appellauit, Actorum 25. Tandem declinare iudicem inferiorem, vt superiorem adeat, nullã facit iniuriam inferiori, quia non violat obedientiam. Demum 2. quæst. 6. cap. *omnis oppressus*, Dicitur, quod omnis oppressus liberè sacerdotis, si voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur. Secunda pars probatur, quia qui subdolè appellat, facit iniuriam iudici, imponit enim ei falsum, nimirum quod iniustam sententiam tulerit contra eum. Vnde 2. quæst. 6. cap. *quicunque* præcipitur, vt tales appellationes non recipiantur, & cap. *omnino*, Iubetur huiusmodi appellantes omnino puniri.

Obiectio.

140 Si quis obijciat dictum D. Pauli ad Rom. 13. *omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus*, at appellatio est recusatio iudicis: ergo appellare contrariatur Apostolo.

Solutio.

Respondetur breuiter, quod cum iudex inferior transgreditur fines iuris, & facit iniustitiam reo, non est amplius superior, ideò subditus non transgreditur obedientiam, si illum recuset, & ad superiorem maiorem recurrit, cui ipse iudex quoque est subditus, & nemo tenetur obedire inferiori iudici, nisi in his, quæ sunt conformia iudicis superioris voluntati.

An religiosi appellare possint.

141 Sed quis quærat, An liceat religiosis, seu regularibus appellare. Respondetur in cap. *ad Romanam*, 2. q. 6. Zephertnus Papa vniuersis fidelibus concedit facultatem appellandi ad Romanum Pontificem, & proinde hoc etiam religiosis, & regularibus est licitum, nec potest ab inferioribus impediri; tamen vt diximus suprà agendo de modo procedendi per inquisitionem, obseruandum est, in religione esse duplicem modum procedendi, scilicet per modum paternæ, & fraternæ correctionis,

Quãdo regularis nõ potest appellare.

& quando superior procedit hac via contra subditum, si non excedit in corrigendo, subditus non potest appellare, sed solum quando excedit, vt habetur cap. *ad nostram*, & cap. *inquisitionis*, de appellationibus. Quando verò prælatus procedit per modum inquisitionis iudicialis, si subditus sentit se grauari, potest appellare, vt eisdem cap. diffinitur, & per glosarum dicta, præsertim in cap. *ad nostram*. Melius autem esset religioso patienter iniustitiam ferre, quàm appellare, quia piorum hominum, quales esse debent regulares, est res duras perferre. Nam vt dicebat D. Petrus *quæ est gratia, si peccantes colaphizati sufferitis*. Licèt iniuriam deppellere regulari liceat: tamen hoc minus habet deppellendo iniuriam, quod meriti coronam amittit.

Appellationis practica.

142 Appellationis materia est quotidiana, & multa de ea tractant Doctores, vt est videre apud Marantam in Speculo suo aureo par. 6. quæ ad nostrum institutum non pertinent. Notandum est tamen; quod appellatio à Maranta sic diffinitur vbi suprà num. 1. *Appellatio est prouocatio ad maiorem iudicem ratione grauaminis illati, vel inferendi*. Loco generis ponitur *prouocatio*, quia prouocatio est, quid communius comprehendens iudicialẽ, & extraiudicialem appellationem: quicunque enim implorat auxilium iudicis, dicitur prouocare iudicem.

Reclamatio quid.

Differt verò appellatio à declamatione, & supplicatione: quia reclamatio refertur ad illas sententias, à quibus de iure non potest appellari.

Supplicatio quid.

Supplicatio enim est reclamatio à sententia Principis, à qua non potest appellare propter reuerentiam Principis, sed si sentit se grauatum, potest supplicare ad eundem Principem, vt ipse eandem causam reuideat, & suo grauamini prouideat. Vndè appellatio differt à supplicatione in multis, sed præsertim,

Appellatione pendente executio sententiæ non fit.

qa appellatione pendente non põt fieri executio sententiæ, vt constat toto titulo, *Nihil innouari appellatione pendente*; sed pendente supplicatione potest fieri executio.

143 Notandum est autem differre appellationem à recusatione, vt infra dicam, & quia sepissimè accidit in processu criminali fieri recusationes iudicum, & iniustitia fieri potest in multis, oportet hic causas adnotare, vt aliqualem cognitionem lectores huius materiæ habeãt, præsertim regulares, qui ab his practicis alieni sunt.

Differẽtia inter appellationẽ, & recusationem.

Differt ergo appellatio à recusatione, quia recusatio est actus suspensiuus iudicij, quo recusatur iudex ob aliquam causam iustam à reo, qua recusatione stante iudex non potest ad aliquem actũ procedere in illa causa, & si procedat processus est nullus secundùm Doctores, quos citat Maranta vbi supra parte 6. num. 24. titulo *quando appellatur*. Appellatio verò propriè dicitur, quando aliquis in iudicio se aggrauat ab aliquo actu iudiciario tendente in eius læsionem habendo recursum ad superiorem, vt dictum est in diffinitione appellationis; Vbi præcipuè illud est notandum, quod recusatio iudicis debet fieri in

Quãdo recusatio iudicis est facienda.

principio ante litem cõtestatam, & quemcunque alium actum: quia si non fiat in principio, reus videtur acceptare iudicem, & eum recusare postea amplius non potest, nisi de nouo superuenirer causa recusationis, quia potest in quacunque parte litis opponi, etiam post conclusionem, si postea superuenit causa recusandi; Si tamen post recusationem de nouo litigat cum illo iudice, videtur renuntiare recusationi, ideò non potest amplius eum recusare, nisi noua causa subuenerit.

144 Causæ autem recusationis quamplurimæ assignantur à Maranta eodem loco num. 27. & sequentibus, sunt autem 40. ab eo enumeratæ, & collectæ ex Lanfranco in cap. *quoniam contra*, in versu *recusatione*, de probat. & ex Doctoribus, præsertim ex Abbate in caput *suspicionis*, de officio del. & in cap. *postrem.* & cap. 2. *requiris*, & cap. *cum specialis*, de appellat. & per Doctores, maximè Iaso. in l. 1. apertissimè, Cod. de Iud. sunt autem

Causæ propter quas potest iudex recusari.

istæ. Prima, quando iudex est familiaris alterius partis, quæ familiaritas debet esse magna, quia modica non sufficit. Secunda, quando iudex ordinarius est suspectus ex aliqua causa iusta, etiam eius Vicarius est suspectus, & recusari potest. Tertia, quando iudex est consanguineus alterius partis. Quarta, quando dominus est suspectus, tota familia eius est suspecta, & tota potest recusari. Quinta, quando quis vellet esse iudex in causa propria. Vndè nec Rex, nec Imperator debet esse iudex in causa propria, sed debet delegare. Si tamen nollet alteri delegare, posset esse iudex in causa cum suo subdito, non cum alieno. Sexta, quando iudex est consanguineus inimici alterius partis. Septima, quando iudex est commensalis alterius partis, vel inimici alterius partis. Octaua, si iudex est conterraneus alterius partis. Nona, quando iudex est subditus aduersarij mei, puta quia est suffraganeus, vel vassallus, & quando iudex est subditus inimici mei. Decima, quando iudex fuit aduocatus alterius partis in illa causa, quam vult iudicare. Secus, quando fuit aduocatus

Hæc in regula nõ valdè spectanda.

in alia causa separata. Vndecima, si iudex nimis fauet alteri parti demonstrando ei nimiam amicitiam, & alterã partem grauando, nam modica amicitia non sufficit ad recusandum. Duodecima, quando altera pars alloquitur iudicem secretò in aure. Decimatertia, quando iudex animosè, & iniustè, seu extraiudicialiter procedit cõtra aliquem. Decimaquarta, qñ iudex habet consimilem causam cum illa, quam vult iudicare, quia præsumitur iudicare taliter, prout vellet in sua causa iudicari. Decimaquinta, quando pars recusans habet aliquam causam cũ iudice tanquam cum priuato, vt quia litigat cum illo in alia causa. Decimasexta, quando iudex noluit exercere actum humanitatis cum parte, vt quia noluit admittere partem ad osculum pacis. Decimaseptima, quando iudex fuit minatus alteri parti, quod ei noceret. Decimaoctaua, quando iudex non vellet aliquem salutare, quia præsumitur inimicus. Decimanona, quando prælatus vellet esse iudex in causa suæ ecclesiæ: potest enim reddi suspectus propter præsumptam affectionem. Vigesima, quando iudex fuit consultor tantùm in vna causa, & propalauit votum suum pro vna parte, secus si non propalauit votum suum. Vigesimaprima, quando iudex est datus ad petitionem alterius partis. Vigesimasecunda, quando iudex fuit testis in eadem causa, in qua vult iudicare. Vigesimatertia, quãdo iudex est canonicus, & alius canonicus eiusdem ecclesiæ litigat cum alio, coram eo, pars enim aduersa potest illum recusare. Vigesimaquarta, quando litigator, impetrauit iudicem in causa sua eũ, qui erat suus dominus, quia altera pars potest eum recusare. Vigesimaquinta, quando iudex est socius alterius partis. Vigesimasexta, si ipse iudex procurauit se fieri iudicem. Vigesimaseptima, quando pars appellauit ab iudice ob grauamen, ille iudex redditur suspectus parti, quæ appellauit. Vigesimaoctaua, quando iudex accepit aliquam donationem ab altera parte. Vigesimanona, si iudex, à quo est appellatum, subrogetur in causa appellationis, quia redditur suspectus in illa causa, in qua iam pronunciauit. Trigesima, quando iudex aliàs fuit inimicus alterius partis, licèt modò sit reconciliatus. Trigesimaprima, quando causa aliquomodo spectaret ad commodum, vel incommodum iudicis, vt quia tenetur de euictione. Trigesimasecunda, si iudex fuit ab altera parte corruptus prece, vel pretio, vel si timet aduersarium meum, vel ex aliqua causa eum nimis diligit. Trigesimatertia, si iudex est homo illiteratus, vel imperitus, vel grossus, & causa est ardua, & subtilis. Trigesimaquarta, si iudex esset nimis seuerus, & crudelis. Trigesimaquinta, si iudex est indiscretus. Trigesimasexta, si iudex consueuit esse iniquus. Trigesimaseptima, si iudex est cõpater alicuius partis. Trigesimaoctaua, si iudex non vult audire aduocatum in causa, licèt causa sit clara, potest ex hoc recusari. Trigesimanona, omnis causa, quæ est sufficiens ad remouendum procuratorem, vel arbitrum, illa eadem sufficit ad remouendum iudicem.

De modo appellãdi.

145 Quantum ad modũ, & formam appellandi, Maranta eodem loco nu. 129. præscribit ex Doctoribus hũc modum. Appellatio debet fieri ab inferiori iudice ad superiorem. Secundò debet continere nomen appellantis, & appellati, & continentiam sententiæ, à qua appellatur. Tertiò debent peti Apostoli, aliàs non valet appellatio, & debent peti instanter, & instantissimè, idest quod sæpius petantur, sed sufficit, si vnico actu petantur sæpius in vno, & eodem libello. Per Apostolos autem hic intel-

Per Apostolos quid intelligat.

ligitur scriptura, seu litteræ iudicis à quo appellatur ad iudicem, ad quem appellatur, in quibus significat iudici, quod vel admisit, vel non admisit appellationem, & isti Apostoli sunt triplicis generis. Aliqui dicuntur dimissorij, & sunt quando iudex admittit appellationem, & scribit litteras dimissorias ad iudicem, ad quem eas mittit cum ipso appellante. Aliqui dicuntur Apostoli refutatorij, & sunt quando iudex non vult admittere appellationem, & scribit iudici ad quem litteras, in quibus significat qualiter reiecit appellationem. Aliqui dicuntur Apostoli reuerentiales, & sunt quando appellatio non erat admittenda, tamen iudex propter reuerentiam iudicis superioris illam admittit, & litteris hoc significat iudici, ad quem. Forma istorum Apostolorum habetur apud Specul. in 3. par. Speculi in titulo de appellat. §. *sequitur*, per totum. Non est necessarium nominare iudicem, ad quem appellatur, sed sufficit dicere, appello ad iudicem competentem. Debet appellatio produci coram iudice, à quo infra decem dies à lata sententia, & deinde præsentari iudici ad quem, narrando ei materiam causæ, atque supplicando pro litteris inhibitionalibus. Et si non

Appellatio coram honesta persona.

possit haberi copia iudicis à quo, vel propter metũ eius, qui appellat, vt quia timeat eum adire, potest appellare coram honesta persona. Et practica appellationis in hoc casu, quia quis non potest appellare coram iudice à quo, vel ob metum, vel ob absentiam, est hæc. Debet adhibere secum iudicem, idest personam illam honestam corã qua vult appellare, notariũ, & testes (sufficit etiam vnus probatus vir) & coram eo facere appellationem, & declarare, & protestari, quod volebat appellare à grauamine facto super tali re coram iudice à quo, sed quia iudex est absens, vel quia timet eum, appellat nunc extra iudicialiter coram ea honesta persona. Vel potest adire iudicem ad quem, & coram eo proponere supplicationem appellatoriam absque eo, quod alter sit appellatum coram iudice à quo. Et potest schedula appellationis præsentari iudici in quocunque loco, vel etiam magistro actorũ ad effectum ne sententia transeat in rẽ iudicatam.

Appellatio debet fieri iusta spatium 10. dierum.

146 Dictum est spacio decem dierum debere fieri appellationem, quia alioquin transactis illis decem diebus à lata sententia, res transit in rem iudicatam, nec potest amplius appellare, & hoc intelligitur, dummodo sententia lata sit notificata appellanti, quia si illam ignorauerit, poterit etiam post dies decem, immò post mensem, & annum, & vltra appellare.

Et

Sententia diffinitiua quæ.

Et hoc est verum tàm de appellatione à sententia diffinitiua, quàm interlocutoria. *Sententia diffinitiua est diffinitio iudicialis controuersiæ finem imponens, continens absolutionem, vel condemnationem.* Quę diffinitio est Abbatis in rubr. extra de re iudicata colum. vltima, & Spec. in titulo de sententia, §. 1.

Sententia interlocutoria quæ.

Sententia interlocutoria est sententia iudicis, quæ fertur inter principium, & finem causæ super aliquo incidente, vel emergente, vt habet Speculator vbi suprà. §. 2. & alij passim.

147 Qui appellauit, post præsentationem appellationis habet spacium vnius anni ad prosequendam appellationem de iure communi, & si impeditur à prosecutione datur alius annus, & denique si adsit impedimentum datur alius annus. Sic Maranta, qui alios citat parte 6. versiculo *quando aliter*, num. 228. & appellatio fit de omnibus grauaminibus tàm iudicialibus, quàm extraiudicialibus.

Stante appellatione iudex nihil innouare potest.

148 Vlterius communis opinio est, vt suprà dictum est, quod lite pendéte iudex à quo nihil innouare potest, neque termino in illo decem dierum dato ad appellãdũ à iure, quod si aliquid innouet, est nullum, & dicitur *attentatum* quidquid fecerit.

Iudex tenetur admittere appellationem.

Vlterius obseruandum est, regulam generalem esse, quod iudex, à quo tenetur admittere appellationem, quamcunque etsi ipsam non admittit, punitur, & iudex non defferens, mittitur ad superiorem, cap. *de priore*, de appellationibus, quod verum est exceptis casibus, quibus prohibetur appellatio. Et sunt isti collecti à Maranta vbi suprà, num. 280. & sequentibus.

Quibus casibus non potest quis appellare.

Primò, quando quis bis appellasset. Secundò, quando per tertiam sententiam non infertur nouum grauamen, secus si infertur. Tertiò, quando aliquis fuit verus contumax, quia non auditur appellans. Ille autem est verus contumax, qui fuit citatus personaliter, & potuit comparere in termino, & non cõparuit, & citatio debet illi personaliter fieri, vel debet scripturam videre, alioquin licèt ei vxor, vel alius notificet, potest dicere se illis non credidisse, & ideò iste dicitur fictus contumax, non verus.

Verus contumax, qui dicatur.

Vnde talis contumax fictus non punitur, verus autem maximè; & hoc intelligitur dummodo non procurauerit, quod citatio ad ipsum non perueniret. Quartò, quando aliquis est conuictus per probationem claram, non dubiam, & confessus, hic enim appellare non potest, cap. *cum speciali*, §. 2. de appell. secus si per tormenta, quia tunc appellat. Similiter si sit solum conuictus, sed non confessus appellat; vel si sit confessus, sed non conuictus appellat: quia illa duo confessio, & quod sit conuictus, copulatiuè requiruntur.

Contrariã sententiam tenet Iul. Clarus.

Contrarium tamen huius tenet Iulius Clarus quæst. 94. tenet enim quod sola confessio, vel sola testium comprobatio delicti, quia plenè conuincatur, sufficiat, quod non possit appellare. Quintò non datur appellatio in casibus notorijs, cap. *cum speciali*, de appellationibus. Alij multi casus dantur in iure, & secundùm Doctores, in quibus non potest appellari. Et Marãta vbi suprà enumerat 45. casus, quos qui vult videre, legat ipsum si libet; dat tamẽ regulam generalem hanc, nunquam appellari posse ab illis casibus, in quibus committitur aliquid à lege, vel à Principe in potestate iudicis, vt faciat illud, vel nõ faciat; Si enim tunc faciat, vel non faciat, non potest grauatus appellare. quia iudex non tenebatur illud facere ex concessione Principis.

Regulares cur possint appellare.

149 In speciali autem 27. casus, in quo quis non potest appellare adductus à Maranta est de regularibus, in quit enim eus non posse appellare à correctione superioris sui, nisi modum excedat, quia illa fit pro salute animæ. Quod probat ex ijs capitibus, quæ nos adduximus suprà agendo de modo procedendi per inquisitionem, scilicet ex cap. *ad nostram*, ex cap. *reprehensibilis* in fine, ex cap. *cum speciali*, de appellat. & ex glosis, & doctoribus ibidẽ. Quando ergo contingat regularem aliquem appellare à correctione eo, quod videatur sibi excedere, debet iudex à quo dare Apostolos saltem reuerentiales, ne videatur odio correctionem fecisse. Clericus autem secularis potest appellare à correctione, quia secundùm Abbatẽ in prædicto capite maior est potestas Abbatis, & Superioris regularis in monachum, & regularem, quam Episcopi in clericum secularem.

Vbi illud obserua in quibusdam religionibus esse in vsu pro correctione alicuius paruæ transgressionis, priuare regulares pane, & vino, & pitantia, quæ sibi pro vna vice contingeret pro prandio, vel cœna; hæc autem pœna communiter iudicatur excedere, quia sine pane non est possibile viuere. *Priuatio panis est pœna grauis, nimis.* Nunquam ergo pœna priuationis panis esset imponenda; sed neque etiam vini, quia ieiunium in pane, & aqua est pœna satis grauis, minores sunt carceres ad paucos dies, genuflexiones publicæ, & aliæ mortificationes regulares.

Sed est dubium, an in causa appellationis iudex à quo sit citandus? *An iudex à quo in appellationibus sit citãdus.* Respondet Iulius Clarus quæst. 94. num. 9. Aliqui dicunt, quod est citandus iudex, aut syndicus fisci. Aliqui dicunt, quod solum debet citari quando ex officio processit. Iulius Clarus autem prædicta quæst. 94. nume. 9. ait, nunquam vidisse citari iudicem à quo, etsi ageretur etiam de condemnãdo ipso iudice propter sordes, vel iniustitiam, sed benè, quod est citandus fiscus, cuius interest in causa appellationis. Hæc de appellatione sufficiant.

150 Quartum, quod de reo discutiendum proposuimus, est, an liceat per vim se defendere. *An reo liceat se tueri à iudice.* Ad quod breuiter dicitur, quod si est iustè damnatus ad mortem, non licet sed defendere. Probatur, quia Apostolus ad Rom. 13. ait: *qui potestati resistit ordinationi Dei resistit, & ipse sibi damnationem acquirit.* Præterea iudex iustè agit contra reum eum damnando: ergo non potest reus iustè se tueri, quia esset contradictio, quod iudex possit iustè dãnare, & reus possit iustè se tueri: quia bellum non potest esse iustum ex omni parte. Si verò aliquis non sit iustè damnatus, potest se tueri, vbi scandalum non adsit, quod valdè turbaret populum. Hæc assertio probatur, quia iudex non habet potestatem ad iniquitatem faciendam, sed ad iustitiam, ideò in hoc casu cessat eius potestas. Vnde Ezechiel 22. dicebat de iudice iniquo. *Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendũ sanguinem.* Sicut ergo licet se tueri à lupo: quia non habet potestatem super nos, sic licet se tueri à iudice iniusto citra turbationem grauem populi.

151 Verùm hic sunt aliqua dubia, quæ tractantur à Caietano 2. 2. quæst. 69. ar. 3. Soto lib. 5. de iustitia, & iure quæst. 6. ar. 3. Couaruuia lib. 1. variarum resolutionum cap. 20. num. 10. Azorio 3. par. lib. 13. cap. 24. ad quæ breuiter respondendum est resolutè.

1. Dubiũ. An liceat reo fugere ex carcere.

Primum est, an si reus, qui in carcere detinetur, videat hostium carceris apertũ, licitè fugere possit. Respondetur, quod vel est damnatus ad carcerem in pœnam alicuius delicti commissi, & tunc non potest fugere: quia tenetur soluere pœnam, ad quã est damnatus iustè; neque enim hæc pœna carceris est sibi inflictiua mortis, ita quod non fugiendo videatur sibi causare mortem; eo enim casu teneretur fugere, nisi esset martir, qui ob confessionem fidei vellet expectare mortem, tunc enim posset, & teneretur non fugere, si verò ibi detineatur tanquam in custodia, siue sit cõdemnatus ad aliquam aliam pœnam subeundam, siue non, sed debeat condemnari, potest fugere. Ratio est, quia non est condemnatus ad carcerem tanquam ad pœnam, sed est ibi, vt in custodia, ideò pertinet ad officiales diligenter eum custodire, ne fugiat, vnde si sibi aliquid accidat, sibi imputent.

152 Sed quid si iam erat damnatus ad aliquam pœnam subeundam, & fugit extra carcerem, tenetur ne illam pœnam subire? Respondetur quod si est corporalis, quam alius ei infligere debeat, vt capitis amputatio, vel vulneratio, & similis, nequaquam. Ratio est, quia non est in vsu, vt quis sibi hanc pœnam infligat: ideo sententia iudicis intelligitur, vt patiatur illam pœnam ab alio

sibi infligi, non quod ille sibi eam debeat infligere; secus si sit alia pœna, quàm corporalis, vt solutio pecuniæ, exilij, & huiusmodi, quia istas homo ipse per se subire solet.

2. Dubiū. An liceat reo effringere carcerem, & fugere.

153 Secundum dubium est, an liceat reo damnato ad pœnam corporalem iustè effringere carcerem ad fugiendum? Respondetur licere dummodo non inferat vim, vel iniuriam officialibus, & custodibus, quia illi iustè custodiunt, & detinent eum: ergo ille non potest iustè eis vim inferre: Fundamentum est, quia bellum non potest esse iustum ex vtraque parte; in proposito est iustum ex parte custodum detinere reum: ergo non potest esse iustum ex parte rei illis resistere. Licet autem absque illatione violentiæ fugere, quia hæc lex, & conditio videtur esse inter reum, & custodem carceris, quod si reus fugiat, custos subeat periculum, & sic custos videtur assumere officium custodis cum periculo subeundi pœnam, si reus fugiat.

3. Dubiū. An liceat iuuare reū ad fugiendam.

154 Tertium dubium est, an liceat iuuare reum ad fugiendum, & frangendam carcerem, vt amicis propinquis, & similibus? Respondetur dimissis alijs opinionibus, quod si loquamur de iure naturæ sicut reo licet fugere, sic alijs licet eum adiuuare in fuga, præbendo instrumenta, & alia apta ad fugam arripiendam: qui enim sic cooperatur fugæ rei, non cooperatur ad aliquid secundùm se illicitum: Neque effringere fores, & carcerem est inferre vim custodibus, quia carceres sunt inanimati, ideò non sunt capaces iniuriæ, nec violentiæ; sicut nec fit iniuria, nec violentia feris, vt leonibus, & similibus, si à martire aliquo damnato ad eas, illas occidat. Neque quis damnatus ad mortem, facit vim funis, quibus est ligatus, si illas rumpat, & euadat: ideò sicut licet occidere feras si possit, & rumpere funes, quibus est ligatus reus si possit ad fugiendum mortem; ita licet effringere fores, & carceres, & consequenter illos adiuuare in tali casu non est peccatum. Verùm de iure positiuo, quia leges ob bonum publicum maximam pœnam statuerunt huiusmodi adiutoribus, non licet: quia oportet obedire præcepto Principis, in quo intendit grauiter obligare; huiusmodi autem præcepta, & leges sunt quæ obligant transgressorem ad grauem pœnam; signum est enim legislatorem velle efficaciter obseruantiam illius legis.

Quid de iure positiuo

4. Dubiū. An liceat muneribus custodē carceris corrumpere.

155 Quartum dubium est, an liceat muneribus custodem carceris corrumpere, vt eum fugere sinat? Respondetur licere, quia reus habet ius fugiendi, & conseruandi vitam suam, ideò licet ei pecunia, & donis eam sibi conseruare. Quod si dicas. Non licet reo modo illicito procurare fugam; sed corrumpere custodem pecunia, & donis, est modus illicitus, quia custos ex officio tenetur custodire reum, & non custodiendo peccat: ergo reus hortando, vel inducendo custodem ad eum dimittendum, cooperatur ad peccatum custodis. Respondetur non licere inducere directè custodem pecunia, & muneribus ad sinendum eum fugere, vt puta, paciscendo secum, ego do tibi tantam pecuniam, vt sinas me fugere, sed licèt indirectè, idest muneribus conciliando sibi beneuolentiam custodis, ex qua prudenter pateat sibi viam, absque vi, & dolo, ad fugiendum, vt puta inducendo ad non claudendum ita arctè carcerem, ne illi reo tantum displiceat, quodammodo assecurando, quod non sit fugiturus. Nam sic faciendo, tuetur ius suum, nec facit vim, nec fraudem; Custos autem debet cauere sibi, quia posset, si diligenter aduerteret.

An reus dānat⁹ ad mortem, vt fame pereat, nactus occasionē euadendi, licitè euadere possit.

156 An reus damnatus, vt famæ pereat, possit euadere, cibum sibi ministratum ab amico comedendo; & an reus damnatus ad mortem, nactus occasionem fugiendi ex carcere, fugere teneatur, de quibus D. Thomas 2. 2. quæst. 69. artic. 4. ad secundum, tenet affirmatiuam partem. Diximus suprà agendo de restitutione bonorum corporis.

De indicijs, & testibus, quibus proceditur contra reum; de aduocato, & notario. Caput Septimum.

157 Dictum est suprà agendo de modo procedendi per inquisitionem, quod præcedente fama, vel delicto notorio, sed ignorato reo, iudex per inquisitionē generalem debet inquirere ab ijs, quos putat posse de delinquente habere aliquam cognitionem quis sit reus, & reperto aliquo indicio contra aliquem particularem, debere venire ad inquisitionem particularem contra reum particularem, ad quam parauit viam inquisitio generalis, & ex indicijs subsequentibus debere venire ad citationem, ad examinationem, torturam, & sententiā: ideò oportet videre quæ indicia requirantur ad inquirendum, citandum, capiendum, examinandum, torquēdum, & condemnandum.

158 Tres autem sunt species indiciorum secundùm Doctores communiter, vt habet Iulius Clarus in practica criminali quæst. 20. num. 1. Aliqua sunt leuia, aliqua grauia, aliqua grauissima, seu violenta; leuia sufficiunt ad inquirendum specialiter contra reum; vnde quando in generali inquisitione hæc leuia emergunt, potest iudex procedere ad inquisitionem specialem; Hæc tamen non sufficiunt vt ille, contra quem proceditur, habeatur in numero reorum. Neque sufficiunt ad capturam, nisi timeatur fuga, & sit delictum graue; Neque sufficiunt ad citandum, & multo minus ad examinandum, vel torquendum.

Tria sunt genera indiciorum. Indicia leuia quæ.

159 Indicia grauia quæ sufficiunt ad citandum, & mittendum copiam reo, vt compareat ad se defendendum ab ijs indicijs, quæ contra eum constant apud iudicem; sufficiunt ad capiendum, examinandum, & etiam ad torquendum, & ad ponendum in numero reorum; ideò iudex diligenter debet considerare hanc differentiam indiciorum, ne ex leuibus indicijs contra aliquem, mittendo libellum citationis, eum publicet pro reo, & ei auferat famam. Vnde talis processus est nullus, vt ait Iulius Clarus eadem quæst. 20. num. 3. Vnum horum indiciorum grauium est plusquam simplex suspicio, & minus quàm semiplena probatio, & ista propriè dicuntur indicia; leuia verò propriè dicuntur suspitionis, ideò hæ differentiæ considerandæ sunt. Indicia grauissima, & violenta sunt, quæ sufficiunt ad condemnationem, sunt enim non solum plusquam semiplena probatio, sed etiā quasi plena probatio.

Indicia grauia quæ.

Indicia grauissima q.

160 Obseruandum est tamen secundùm Doctores communiter, quod non potest dari certa quædam regula ad cognoscendum quæ sint indicia leuia, & quæ grauia, & quæ grauissima, & violenta, sed hoc totum pendet ex iudicio, & prudentia iudicis, tota enim hæc materia est arbitraria; Nihilominus quædam exempla possunt adduci, ad quorum similitudinem de alijs fieri poterit iudicium. Exemplum indicij leuis est assertio morientis, vel vulnerati, grauis inimicitia, fama, dictum socij criminis, vnius testis quamuis inhabilis: hæc etiam aliquando ratione loci, facti, & personæ qualitatis possunt esse grauia indicia, ideò ad iudicem hoc cognoscere spectat; & tūc sufficiūt ad facienda ea, ad quę faciūt indicia grauia.

Exempla indicij leuis.

161 Exemplum indicij grauis est fuga alicuius à loco delicti antequam inquisitio formetur, hæc enim est signum, quod timet, quia perpetrauerit delictum. Item dicta duorum, vel plurium sociorum criminis, si cum iuramento, & in tortura, dictum suum sustineant, vt habet Iulius Clarus q. 21. num. 12. & 13. Item inimicitia capitalis quando oritur ex graui offensa est indicium graue, non tamen ad examinandum, nec ad torquendum secundùm Iulium Clarum prædicta q. 21. nu. 29. quamuis dicat aliquos propter solam inimicitiam capitalem reos torquere, quod ipse damnat. Item confessio extraiudicialis est indicium graue, & sufficit quoque ad torturam. Iulius Clarus vbi suprà nu. 30. Itē confessio iudicialis, sed

Exempla indicij grauis.

facta

facta coram iudice non competente, vt si clericus confiteatur delictum coram iudice seculari, & postea neget in iudicio coram ecclesiastico, potest torqueri. Iulius ibidem. Item confessio facta coram iudice competenti, sed non sedente pro tribunali, sufficit ad torturam, sed non ad condemnandum. Item confessio facta in tormentis, & extra tormenta non ratificata, facit indicium ad de nouo torquendum; non tamen qui sic bis, vel ter confiteretur in tormentis, & extra tormenta negaret, deberet torqueri continuò donec ratificaret, sed Iulius Clarus, inquit, quod sufficeret repetere torturam vsque ad tertiam vicem, & si extra torturam negaret, deberet dimitti. Item minæ præcedentes delictum, quando fiunt à viro potente, & malæ famæ, & solito eas executioni mandare, faciunt indicium graue, & sufficiens ad torturam quando ignoratur malefactor; sed tamen Iulius Clarus ait, quod hæc distinctio in Ducatu Mediolanensi non seruatur, sed probatis minis reus subijcitur torturæ. Mendacium, & inconstantia rei in examine non semper est indicium graue, sed quando est circa substantialia negotij; Iulius Clarus tamen dicit, quod ex sola variatione, & inconstantia rei, si non adesset aliquod aliud adminiculum, non exponeret eum ad torturam. Item multo magis de trepidatione, & timore; sunt enim aliqui ita timidi, quod ad præsentiam solam iudicis trepidant, & titubant, & nesciunt quid dicant, cum tamen sint innocentes. Item furtum inuentum apud aliquem si sit malæ famæ; & si sit bonæ famæ, & rem illam publicè teneat expositam, vel sit solitus res similes emere, non facit indicium ad torturam.

Quousque potest repeti tortura.

Exemplũ indiciorũ grauissimorum.

162 Exempla indiciorum grauissimorum possunt esse. Si quis visus sit exire ex aliqua domo cum facie pallida, & gladio sanguineo in manu, quæ domus non habeat nisi vnum hostium, & intus repertatur homo mortuus, hoc est indicium violentum, & grauissimum. Aliqui dicunt hoc sufficere ad condemnandum pœna ordinaria. Iulius Clarus eadem quæstione 21. num. 29. tamen dicit possitum esse in arbitrio iudicis vt condemnet, vel torqueat, sed melius est condemnare pœna extraordinaria. Alia exempla similia haberi possunt. In crimine hæresis, hæc sunt indicia violenta, si quis hæreticum adorauerit, seu suo more ei reuerentiam exhibuerit, communionem, vel consolationem ab eis receperit, vel similia, quæ ad eorum ritum pertinent, perpetrauerit. Secundùm Emericum in Directorio Inquisitorum quæst. 55. num. 7. & Pegnam in Commentario ibidem. Qui enim facit aliquod prædictorum factorum, videtur violenter se indiciare esse hæreticum.

Indicia vigẽtia in casu hæresis.

163 Obseruandum autem est, indicium vnumquodque debere esse probatum, sufficit autem vnus testis de visu, vel de auditu proximo, & immediato, qui sit omni exceptione maior. Si vero testis non deponit de visu, vel de auditu proximo, sed de aliquo actu remoto, vel etiam proximo ipsi maleficio, requiritur probatio duorum, vel trium testium; vt si quis dicat se audiuisse de nocte Titium percutientem Seium, non sufficit, sed requiritur, quod hoc plures dicant, & quod sint tales, qui non possint decipi, quia optimè noscant vocem Titij.

Indicia debent esse ꝓbata.

164 De testibus D. Thomas 2. 2. quæstio. 70. quærit quatuor. Primò, an homo teneatur ad testimonium ferendum. Secundò, an duorum, vel trium testimonium sufficiat. Tertiò, an alicuius testimonium repellatur absque eius culpa. Quartò, an perhibere falsum testimonium sit peccatum: ideò nos ista quoque per ordinem cum quibusdam dubijs absoluemus.

De testib.

165 Quò ad primum distinguendum est, vel testis requiritur a iudice ad dicendum testimonium, vel non à iudice, nec superiore, sed ab alio, vel à nullo requiritur, si primum, certum est testem teneri ad dicendum testimonium cum requiritur a iudice competenti, iuris ordine seruato: quia vnusquisque tenetur obedire superiori in his, quæ iustitiæ sunt. Ordo autem iuris est, quod iudex iustè interroget iudex; tunc autem iustè interrogat testem, quando interrogat de crimine publico, & manifesto, seu facto coram aliquibus pluribus, vel præcessit infamia; non autem quando interrogat de crimine occulto, quod nemo scit, nisi ille vnicus testis; tunc enim testis cum sciat crimen illud esse occultum, & neminem alium illud scire, non tenetur manifestare, vt suprà diximus. Cum verò est publicum, idest plures sciunt illud delictum, cum interrogatur à iudice, tenetur fateri veritatẽ, vt suprà diximus. Ex quo reijcitur id, quod dicunt Soto libro 5. de iustitia, & iure, quæst. 7. art. 1. ad primum, & Azorius 3. par. lib. 13. cap. 27. dub. 2. nimirum cum iudex procedit per accusationem, vel denuntiationem, testem teneri dicere verum; cum verò procedit per inquisitionem, nequaquam. Nam siue iudex procedat per inquisitionem, siue per accusationem, vel denuntiationem, si crimen est occultum, & secretum, non tenetur testis vnquam illud manifestare; si verò est publicum, idest coram pluribus factum tenetur, tam cum procedit via inquisitionis, quam cum procedit via accusationis, siue denuntiationis, (nam quandoque aliquis ex solis suspicionibus leuissimis potest aliquem diffamare, vel accusare, licet certò non sciat, & tunc licèt fiat processus de illo crimine, tamen crimen est occultum, quia re vera vnicus testis illud scit, ideò non tenetur confiteri) vt diximus suprà, quia non tollitur fama proximo, cum peccatum sit publicum, & ipse testis teneatur obedire superiori, & dicere publicè, quod scit publicè. Secus de reo, quia non tenetur fateri crimen suum etiam publicum, nisi constet sibi esse iam publicatum, & esse probatum, quia plus sibi creditur in iudicio, quam cuicunque alteri. Vel saltem debet scire esse semiprobatum secundum alios omnes.

An homo teneatur ad dicendum testimoniũ.

Assertio Soto reijcitur.

Quando testis teneatur dicere veritatem.

Quando reus teneatur fateri veritatem.

166 Difficultas est circa id, quod ait D. Thomas eodem primo art. & alij communiter, quod cum præcessit infamia, testis tenetur fateri verum. Nam potest aliquando peccatum esse occultum, ita quod vnus testis tantum sciat illud, & nullus alius certò, sed aliquis alius ex suspicione, vel imaginatione aliqua diffamet reum perpetrasse illud crimen, licèt ille certò hoc non sciat, sed ex coniecturis satis remotis, & sic fama præcedat. Ego in hoc casu dico, testem non teneri dicere verum, quia requiritur quod fama sit veridica, & orta à personis fide dignis, & quæ sciant certè delictum ab eo commissum fuisse; scimus enim sæpissimè rumores aliquos similes esse vanos. Solum ergo tenetur, quando fama est vera, & notoria: quando autem vnicus testis solum adsunt, & scit nullum alium siue scire posse, scit consequenter famam esse falsam. Si etiam reus sint accusatus, vel denuntiatus, scit eos illud non posse scire, ideò non tenetur dicere veritatem coram iudice, quia crimen est occultum.

Alius casus an testis teneatur dicere veru.

167 Si verò testis requiratur ad dicendum testimonium, non à iudice, neque à superiore, cui obedire tenetur, est distinguendum, quia vel requiritur ad dicendum testimonium pro liberatione alicuius innocentis à morte, vel à quacunque alia pœna, seu infamia falsa, vel etiam ab aliquo damno iniusto, & tunc dicendum est obligari ad dicendum testimonium, licèt requirens non sit iudex, neque superior. Ratio est, quia ex charitate tenetur vnusquisque ad subueniendum innocenti; immò licèt non sit requisitus ab aliquo, nec à iudice, neque à non iudice, tenetur ex se facere quod in se est, vt veritatem denuntiet alicui, qui possit ad hoc prodesse: hoc probatur ex eodem vinculo charitatis. Vndè Psal. 81. dicitur, *eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris*. & Prouerb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*. Si verò requiratur ad dicendum testimonium super his, quæ pertinent ad condemnationem alicuius, dicendum est, neminem teneri ad dicendum testimonium, si requiratur ab aliquo, qui non sit superior, nec iudex. Ratio est, quia in hoc casu occultare veritatem nulli nocet: & licet in hoc casu immineat periculum accusatori, non est curandum: quia ipse in hoc periculum se sponte iniecit. At si requiratur à

Quid si testis requiratur à non iudice.

iudice, tenetur dicere veritatē iuris ordine seruato, idest si peccatum est publicum, vt suprà diximus, non autem si peccatum est occultum, vel ipse solus tantùm sciat.

168 Hinc oritur differentia inter testem requisitum à iudice, & requisitum à non iudice. Nam si requisitus à iudice non fert testimonium, & ex hoc sequitur aliquod damnum illi, pro quo debebat ferre testimonium, & noluit, tenetur ad restitutionem: si verò requisitus à non iudice, non dicit testimonium, vel ad subueniendum innocenti non se offert, & ex hoc sequitur damnum innocenti, non tenetur ad restitutionem. Ratio discriminis est, quia in primo casu obligatur ex lege iustitiæ, ideò non dicendo testimonium facit contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem damni illati. In secundo casu facit solum contra charitatem, ideò non tenetur ad restitutionem damni si quod sequitur, sed solum peccat mortaliter pro qualitate rei.

Quid si testis ob timore grauis damni nō dicit veritatem.

169 Sed dubium occurrit. An si testis omittat in iudicio dicere veritatem, quia timet sibi aliquod graue malum, & ex occultatione veritatis sequatur aliquod damnum proximo, teneatur ad restitutionem. Respondetur non teneri: quia in hoc casu est veluti reus, quia confessio veritatis faceret ipsum reum, & obnoxium pœnæ, & qua timet reus autem ex iustitia non tenetur fateri veritatem contra se, nisi sit conuictus plenè, vt suprà diximus, vel saltem nisi sit semiplenè probata. Vndè in hoc casu poterit negare veritatem, intendendo negare illam rem esse veram publicè, vt diximus de reo. Sed quid si timet sibi ab aduersario mortem, vel damnum aliquod notabile? Respondetur, similiter non obligari: quia lex iustitiæ, & charitatis non obligant cum tanto discrimine ad subueniendum proximo, quod etiam asserunt Soto de ratione tegendi secretum memb. 2. quæst. 7. dubio 5. & Azorius lib. 13. c. 27. dub. 6. vbi addunt quod si dicat mendaciū, esset mendacium officiosum, quod est peccatum veniale tantùm.

An testes singulares faciant plenam probationem.

170 Secundò agendum est de sufficientia testium in probationibus, & primò, An testes singulares faciant plenam fidem ad condemnandum aliquem. Hæc quæstio est multum agitata. De ea agunt Directorium Inquisitorum 3. p. q. 72. & Pegna ibi in com. Iulius Clarus in practica criminali q. 53. num. 18. 19. & 20. Couaruuias lib. 3. variarum resolutionum cap. 3. nu. 4. in fine. Azorius 3. p. cap. 27. dubio 7. D. Thomas vbi suprà art. 2. ad secundum, ibi Caietanus, & Soto lib. 5. de iustitia, & iure q. 7. art. 2. & alij plurimi citati à Pegna in prædicto commentario. Breuiter communior opinio est negatiua. Pro cuius intelligentia est notandum, quod ille dicitur testis singularis propriè, qui solus est, nec habet in depositione per omnia contestem, & concordem: sic pratica Papiensis in forma appo. contra testes. Versu, *Suntque etiam singulares*, nu. 1. Ex hoc habetur, quod testes contestes sunt illi, qui omnino conueniunt, & concordes sunt de eodem actu numero commisso ab eadem persona, eodem loco, & tempore.

Testis singularis qui. Testes contestes qui.

171 Ex quo colligitur, quod quando duo deponunt de aliquo facto, sed non conueniunt de tempore, non sunt contestes; vt si vnus dicat, se audiuisse Bucerum Bononiæ asseruisse non dari Purgatorium, & alius dicat, se audiuisse Bucerum Romę asserere non dari Purgatoriū; isti etsi testificentur de eodem delicto numero, non tamen conueniunt de loco, ideò non sunt contestes. Item si vnus dicat, se audiuisse Bucerum Bononiæ prima die Martij prædicasse non esse Purgatorium; alter verò dicat, se audiuisse eundem Bucerum prædicasse secunda die Martij non esse Purgatorium, non sunt contestes, sed singulares. Sic D. Thomas, & alij locis citatis dicuntur autem testes singulares, quia sunt varij in substantia facti, videntur enim loqui de diuersis factis, non de eodem.

Singularitas testium est triplex.

Sed obseruandum est, multiplicem esse singularitatem testium. Quædam est obstatiua. Secunda est cumulatiua, seù adminiculatiua. Tertia est diuersificatiua. Ita Blancus singulariter, & verè in cap. *licet causam*, nu. 11. de probationibus, & alij multi. Obstatiua est quando ex dictis testium nascitur repugnantia, aut contrarietas, vt cum vnus affirmat, alter verò negat: hoc casu dictum vnius testis aut debilitat, aut infringit, aut non probat. Cumulatiua est quando dictum vnius testis coadiuuat dictum alterius, vt cum vnus deponit de facto, alter de fama, vel vnus de visu, alter de auditu; & hæc faciunt semiplenam probationem. Diuersificatiua est ea quæ nascitur diuersitas rei in substantia, vt cum vnus testis dicit aliquid factum esse vno loco, & tempore, & alius dicit illud esse factum alio tempore, vel alio loco; & in hoc casu dictum vnius non destruit dictum alterius, sed potius coadiuuat, & corroborat. Notanter autem dicitur hanc singularitatem diuersificatiuam intelligi de diuersitate in substantia facti: quia diuersitas in accidentibus non facit testes esse singulares, immò discrepare in illis magis comprobat eos esse contestes. Adducit exemplum D. Thomas vbi suprà ad secundum, vt si duo testes conueniant de facto, tempore, & loco, sed differant circa circunstantias istas, an tempus fuerit nubilosum, vel serenum, vel domus fuerit picta, aut non, aut aliquid aliud huiusmodi, quia talis discordia non præiudicat dictis testium, quoniam homines non solent circa talia multum solicitari, vndè à memoria facilè elabuntur. Quinimò aliqua similis discordia in talibus facit testimonium magis credibile. Vndè D. Chrysostomus super Matt. hom. 1. tom. 2. inquit si in omnibus concordarent, etiam in minimis viderentur ex condicto eundem sermonem proferre: hoc tamen spectat iudicare ad prudentiam iudicis.

Contestes sufficiūt ad cōdemnandum reum.

Ad propositum cum testes sunt omnino contestes, & omni exceptione maiores, sufficiunt ad condemnandum reum ad pœnam ordinariam. Ratio ex sacra scriptura est, quia ex ore Christi, *in ore duorum, vel trium stat omne verbum*. Ratio naturalis etiam dictat, quod dictum multorum magis contineat veritatem, quam dictum vnius: ideò cum reus sit vnus qui negat, & multi sint testes qui affirmant, cum actore, seù accusatore, rationabiliter institutum est de iure diuino, & humano, quod stetur dicto testium, qui sunt plures. Quando autem proceditur via inquisitionis, cum fama præcedente, vel illa re, quæ aperuit viam iudici ad inquirendum contra reum, sufficit cum duobus testibus contestibus; si verò sint tres, vel plures, multo magis. Si autem testes sint singulares quacunque singularitate cum ipso actore, vel fama præcedente, non sufficiont ad pœnam ordinariam condemnandum; & hæc assertio intelligitur nedum de singularitate obstatiua, de qua nulli est dubitatio, sed etiā de singularitate cumulatiua, & diuersificatiua in substantia. Et hæc est communior sententia, quam cum D. Thoma loco citato plures alij Canonistæ docent, vt est videre apud Iulium Clarum q. 53. versiculo *dixi etiam*. Pegna in Directorio Inquisitorum 3. par. q. 72. comm. 121. in probatione secunda axiomatis.

Testes singulares nō probāt plenè.

Et dicta assertio intelligitur, quod ex huiusmodi testibus singularibus non solùm non probatur aliquod delictum in specie, seù in indiuiduo, sed neque etiam in genere, e.g. ex dictis singularibus aliquorum, quorum vnus dicat talem mulierem tali die commisisse adulterium, & etiam alio die commisisse adulterium cum alio, non probat illam mulierem esse in genere adulteram: & eadem ratione plures testes singulares non probant aliquem in genere esse hæreticum. Et ratio est, quia non potest deduci vniuersale, nisi ex particularibus, quo dempto particularibus, ruit vniuersale: ergo non potest colligi aliquā mulierem in genere esse adulteram, nisi aliqui actus particulares adulterij de illa constent; nec potest colligi aliquem esse hæreticum in communi, nisi constet cum habere aliquam hæresim in particulari. At testes singulares non probant aliquem actum adulterij mulierem illam perpetrasse, quia ad huiusmodi legitimam probationem requi-

requiruntur contestes plures. Et idem dicendum, & multò magis de hæresi. Vnde licèt aliqui oppositum tenuerint, communior est hæc sententia, quam Pegna loco citato multis auctoritatibus, & rationibus probat.

172 Ratio autem, propter quam plures testes singulares non sufficiant ad condemnandum aliquem, est, quia non est maior ratio cur credendum sit dicto vnius, quàm alterius, quando vnus affirmat, & alter negat, sed tunc solum credendum est dicto, quando illud affirmatur à multitudine, quæ multitudo consistit in duobus, vel tribus, vt dictum est nunc suprà, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum.

Cum ergo sunt plures testes singulares, est ac si vnus testis contra reum affirmet, & reus neget, ideò non magis credendum est vni, quàm alteri.

Et quia iudex debet esse facilior ad absoluendum, quàm ad condemnandum, nam de proximo debemus habere opinionem bonam, nisi nobis constet oppositū, vt suprà agendo de iudicio temerario dixi, debet iudicare, reum verum dicere, non autem testem.

Plores testes singulares sufficiūt ad torturam.

173 Sufficiunt tamen plures testes singulares ad torturam, & aliquando ad sententiam extraordinariam, vt tradit Emericus in Directorio Inquisitorum 3. p. quęst. eadem 72. & Pegna in comm. versiculo *hæc tamen conclusio*, & alij ab eo citati.

Duo videntes per idē foramen, sunt contestes.

Obseruandum est tamen aliquando testes singulares facere etiam probationem plenam quando conueniunt in omnibus, sed differunt solùm in temporis quodam paruo interuallo, vt si vnus ex foramine vidit Titium committere adulterium cum Titia, & statim alius per idem foramen vidit eundem committere illum actum adulterij cum Titia. Et in crimine hæresis, si quis ex foramine videt Caium flagellare Crucifixum, & statim alius per idem foramen (per quod ambo simul videre nō poterant) videt eum flagellare Crucifixum, & similia, isti sunt contestes.

An quis sine culpa repellatur à testificādu.

174 Tertiū, quod proposuimus explicandum est, An quis iustè reijciatur à dicendo testimonium. Ad quod breuiter respondetur licere. Ratio est, quia testimonium hominum de aliqua re non habet veritatem demonstratiuam, sed probabilem tantùm, quia in actibus humanis non potest haberi certitudo demonstratiua, sed sufficit certitudo probabilis, quæ vt in pluribus veritatē attingat: proinde quando aliquid adest in contrarium, ista probabilitas diminuitur, & testimonium redditur inefficax.

175 Contingit autem quandoque, quod probabile sit aliquem non esse firmum, & certum in dicenda veritate, & ideò prohibetur à iure à dicendo testimonium. Quod autem aliquis probabiliter sit suspectus non esse firmum in veritate dicenda, quandoque colligitur ex culpa aliqua illius, & quandoque non ex culpa eius, sed aliūde. Ex culpa, vt cum quis est infidelis, vel infamis, vel aliquo crimine notatus, propter quod repellitur à dicendo testimonium: sine culpa sua verò, vt ex defectu rationis, vt pueri, amentes, & mulieres, quæ propter sexus debilitatem, inconstantes reputantur; in criminibus tamen exceptis mulieres admittuntur, cuiusmodi sunt simonia, hæresis, crimen læsæ maiestatis, crimen monetæ falsæ, proditio Patriæ. Aliquando propter affectum, vt sunt amici, consanguinei, & domestici. Aliquando ex aliqua exteriori conditione, vt sunt pauperes, serui, & illi, quibus imperari potest. De his enim probabile est, quod de facili possunt induci ad dicendum testimonium contra veritatem; vndè duobus versibus explicantur omnes ij, qui à testimonio ferendo repelluntur, & sunt isti.

Quæ crimina excepta dicantur.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

Exceptiones contra testes quæ.

176 Hinc oritur, quod inter exceptiones, quę in iudicio proponuntur circa testes, principalis est exceptio personæ, quod non possit testificare, vel quod eius testimonium ratione personæ non sit admittendum, quia scilicet persona testis subiecta est prædictis defectibus. Notat tamen Iulius Clarus quæst. 53. num. 5. quod qui apponit contra testes, nisi probet crimina opposita, tenetur de actione iniuriarum, & dicit esse communem opinionem; hoc tamen non est in vsu. Vnde de consuetudine aduocati in exceptionibus semper ponunt illam particulam, *quod citra animum iniuriandi, &c.* Secundum caput exceptionum respicit processum ipsarum attestationum, quia scilicet testes minùs legitimè recepti sint, puta quia sine iuramento deposuerunt; vel aliàs minùs legitimè examinati fuerint. Tertium caput exceptionum est circa dicta testium, puta quia sint falsi, contrarij, singulares, & quod non concludenter deponant. Testis, qui in sua depositione falsus probatur omnino vt periurus reijcitur, & hæc est communis opinio. Et hoc est verum licèt testimonium sit falsum in vno dicto solùm, quia vbi testis est suspectus in vno, meritò est suspectus in omnibus, quæ etiam est communis opinio. Iulius Clarus vbi suprà. num. 7. & 8. Sed hoc intelligitur quando est falsus in substantialibus, non autem quando est falsus in accidentalibus, de quibus suprà diximus.

2. Caput exceptionum.

3. Caput exceptionum.

Quid quando testis ē cōtrarius sibi ipsi.

177 Sed dubium est, quādo testis est sibi contrarius, ita quod semel vnum dicit, & deinde aliud totum oppositum asserit. In hac re sunt diuersæ opiniones. Aliqui dicunt standum esse priori dicto. Alij standum esse secundo dicto. Iulius Clarus quæstio. illa 53. num, 11. decidit quæstionem sic distinguendo. Quando testis dixit vnum extra iudicium, deinde in iudicio dixit contrarium, standum est dicto in iudicio. Quando testis vnum dixit in iudicio cum iuramento, deinde extra iudicium illud dictū reuocauit, standum est primo dicto, quia est iudiciale. Quando semel in iudicio cum iuramento dictum vnum deponit, & in alio iudicio oppositum cum iuramēto deposuerat, in hoc casu testis, vt falsarius puniri debet. Sed si quæratur cui dicto standum sit. Respondit standū esse priori dicto: quia iam ius est acquisitū parti ex illo, ideò ab illo recedere non debet sine eius culpa. Verùm si sit casus, in quo testis torqueatur, standum est dicto, in quo in tortura perseuerat. Sed quid si testis in primo iudicio dixit se nihil scire, deinde in secundo deponit de veritate facti? Respondetur, quod nihil probat, & est communis opinio. Quando testis in eadem instantia, & inter easdē personas contraria deposuit est distinguendum, quod vel in eadem depositione dicit contraria, & est singularitas obstatiua, nec statim se corrigit, nec adest iusta causa correctionis, & tunc illi non creditur. Quando sibi contradicit in alio examine, non tamen simpliciter dicendo se errasse in primo dicto, sed simpliciter loquendo, tunc si possunt eius dicta cōcordari, & secundum reduci ad primum, debent concordari. Quando dicit, se velle primum dictum suum corrigere, si illud vult facere incontinenti, est admittendus, cap. *præterea* de testibus cogend. & dicitur hoc casu, *incontinenti* antequam alloquatur partem. Si verò velit illud corrigere ex interuallo, non auditur, sed tanquam falsarius, & periurus debet puniri. Solet autem torqueri, & dicto, in quo perseuerat in tortura stari, licèt illud dictum etiam permanentis in tortura cum sit hominis periuri sit valdè debilitatum, nec valeret ad torquendum eum, contra quem deponit. Quando verò non ipsemet testis, sed alia pars petit ipsum testem de nouo examinari; si est pars contra quam producitur, non debet audiri, quia timetur de subornatione; Si verò est pars pro qua deponit, vtique auditur, sed standū est primo dicto si sibi contradicit. Hæc Iulius Clarus quæst. illa 53. à nu. 6. vsque ad 16. & tandem consulit præsertim in causis criminalibus, vt quantum fieri potest iudices abstineant à repetitionibus ipsorum testium propter subornationes.

178 Subdit num. 16. quod si testis primo loco deposuit per verbum *credo*, & secundo loco per verbum assertiuum veritatis, standum est dicto secundo. Si tandem testis non contrariatur de directo dicto suæ depositionis,

nis, sed negat se deposuisse vt notarius scripsit, tunc est distinguendum; Nam vel tractatur de puniendo ipsum testem de falso, & tunc tantùm creditur testi, quantum notario; vel tractatur cui magis sit credendum, & tunc creditur magis notario. Tamen Iulius Clarus subiungit, quod ad tollendum omnes controuersias, bonum esset, quod iudices assisterent notario in recipiendis testibus. Nam eo casu non auditur testis postea dicens se non ita deposuisse, vt scripsit notarius, immò si tunc contrarium deponat, potest puniri de falso.

Alia exceptio contra testes.

179 Alia exceptio est, quod testes sint singulares, de qua suprà diximus, quod non sufficiunt ad pœnam ordinariam, sed ad extraordinariam, vel ad torturam prout iudici videtur pensatis qualitatibus delicti, personarum, & dictorum.

Alia exceptio contra testes.

180 Alia exceptio est, quod testium dicta non concludant. Hoc contingit cum testis non reddit causam scientiæ, hæc enim conditio simpliciter est necessaria, vt suprà diximus, aliàs dictum eorum non probat, nec facit indicium. Possunt etiam exceptiones contra testes adduci secundũ contingentiam facti, de quibus tunc iudex, & aduocatus prudens iudicare poterit. Hæc Iulius Clarus in reliqua parte illius quæstionis.

Quid si dictum testis est obscurũ

Sed quid dicẽdum, si dictum testis sit obscurum? Respondetur esse interpretandum in fauorem rei. Glosa in cap. *in præsentia*, de probationibus, & cap. *inter dilectos*, de fide instrumentorum, quod intelligitur ordinariè, & regulariter, quia in certis casibus iudicatur contra reum, vt in testamento inofficioso iudicatur in fauorem testamenti; in causa matrimoniali, in fauorem matrimonij; in causa libertatis, in fauorem libertatis hominis; in causa possessionis, in fauorem possidentis; in dotibus, in alimentis, in causis pijs semper iudicatur in fauorẽ pietatis.

181 Sed dubium est, an testis de auditu sufficiat ad probationem plenam? Respondetur siue sit actus, qui solo auditu percipiatur, vt blasphemia, siue sit actus in facto, quod videtur, requiritur, quod testis sit de visu proximo, & immediato, quia vox potest fingi, & quis circa illam potest decipi: ideò non sufficit, si quis dicat, audiui Titium blasphemantem, si illum non vidit blasphemantem, sed necesse est, quod sit sibi præsens, ita quod videat illum dum blasphemat. Iulius Clarus quæst. 21. num. 3. Si etiam deponat inuerisimilia, vel impossibilia, vt si dicat, se vidisse de noctu Caium occidisse Seium, & tamen dicat non luxisse Lunam, neque aliquod lumen accensum adfuisse, vel erat ita distans, vt non posset cognuscere, vel videre factum, vel personas concurrentes ad factum, de quo testificatur, repellitur à testimonio, nec illi fides adhibetur.

An dicere falsum testimonium sit semper peccatum mortale.

182 Vltimo loco propositum erat, an dicere falsum testimonium sit semper peccatum mortale. De hoc dubio egimus suprà agendo de iuramento, & mendacio. Sed breuiter dicitur, quod quoties adest iuramentum, semper est peccatum mortale: solent autem testes semper cum iuramento de dicenda veritate interrogari. Secluso autem iuramento, considerando testimonium falsum secundum se, tunc est peccatum mortale ex suo genere, tamen propter leuitatem materiæ potest esse veniale. Sed dubium est, an omne mendacium in iudicio sit peccatum mortale, & videtur quod sic, quia semper præmittitur iuramentum de dicenda veritate in ijs, de quibus interrogabitur, ergo quodlibet mendacium etiam de re vili, & leui erit periurium. De hac re Caietanus 2. 2. quæst. 69. art. 2. & Soto lib. 5. de iustitia, & iure quæst. 6. art. 1. contendunt, Caietano asserente semper esse peccatum mortale, & negante Soto. Mihi videtur vera opinio Soto. Sed hac ratione quam ipse non tangit, quia intentum iudicis est dare iuramentum de dicenda veritate in substantialibus, non accidentalibus, ideò mendacium in substantialibus est periurium, non in accidentalibus, cuiusmodi sunt, quæ sunt de materia leui, ideò mendacium in his non est peccatum mortale, quia non est periurium, cum non sit contra mentem iudicis præbentis iuramentum. Quod confirmatur ex dictis nunc suprà agẽdo de exceptione testis quò ad falsum; nullus enim habetur pro falso teste, nisi in substantialibus dicat falsum, & mendacium. Sed quid si putabat se dicere verum, & tamen deinde recordatus est se falsum dixisse in damnum proximi? Respondetur teneri ad corrigendum se, si possit sine sua infamia, & periculo magno vitæ, vel honoris, quia sic testificando non peccauit.

De aduocato.

183 Suprà agendo de conscientia erronea multa diximus de aduocato. Breuiter nunc occurrit dicendum, aduocatum esse eum, qui apud eum, qui iurisdictioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel alienis desiderio contradicit, & qui ex professo huiusmodi causis agendis incumbit.

Dubium primum. An gratis patrocinari teneat.

184 Dubium primum est, an teneatur patrocinari gratis pauperibus. Respondetur non semper teneri, sed tunc tantùm, cum videt pauperi aliter prouideri non posse. Prima pars patet: quia patrocinari pro paupere est opus misericordiæ: ad opera autem omnia misericordiæ nemo tenetur, quia est impossibile: ergo ad illa non tenetur, quæ cum latent, vel ab eo remota sunt, nec quærere tenetur indigentes, nec tenetur ad illos, qui ab alijs sublenantur, sed solum in extrema, vel graui necessitate; Vndè si alicui indigenti patrocinio alius subuenire possit, & sit in promptu, non tenetur sub pœna peccati mortalis. Probatur hæc secunda pars, quia dicitur Ioannis 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera misericordiæ sua ab illo, &c.* Et primò tenetur ad magis priuatos, si omnibus non possit, iuxta illud 1. Tim. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet fidem negauit.*

185 Verùm occurrit difficultas circa illud dictum, quod tunc quis excusatur à peccato mortali, si non faciat opus charitatis, quando alius sit in promptu ad succurrendum pauperi illi: nam vnusquisque semper solet se excusare cum non facit eleemosinam pauperi, vel aliquod simile opus charitatis, dicendo quod alij meliorẽ commoditatem habent, quam ipse. Sed breuiter est dicendum, hoc intelligi sic, quod excusatur tunc quando adsit alius in potentia proxima paratus ad subueniendũ, ita vt firmiter credat eũ subuenturum illi pauperi in illa necessitate; quod si de proximo videt neminem esse adiuuaturum, tenetur adiuuare sub pœna peccati mortalis. Hoc idem dicendum de medico.

186 An verò aduocatus causam iniustam tueri possit, diximus suprà agendo de peccatis contra conscientiam, vbi ostendimus quomodo suam conscientiam in causis dubijs formare possit.

De stipendio aduocati.

187 Quantum ad stipẽdium, certum est aduocatum posse petere stipendium pro suo patrocinio: peccat tamẽ quando petit de eo, quod non est sibi debitum, vel maius, quàm sit sibi debitum. Quantum verò sit præmium, & stipendium debitum, non potest quædam certa regula determinari, sed consideranda sunt circumstantiæ rei, locorũ, tps, & personarũ. Nam pro qualitate negotij, causæ, laboris, peritiæ, curæ, & industriæ, aduocati taxandum est stipendiũ, & hoc verum est, vbi per legẽ, & consuetudinem stipendium non est taxatum. Conuentio autem de certo stipendio siue vincat litem, siue non vincat, potest fieri ab aduocato cum cliente, immò & de certo aliquo palmario sibi dando vltra stipendium si vicerit litẽ; sed debet fieri hæc conuentio in principio, vel fine litis, non autem in medio. Dicit tamen Nauarrus in Manual. cap. 25. nu. 30. quod si sinè dolo, & fraude fiat in medio, non putat peccare in foro conscientiæ, quia inquit, tunc cessat præsumptio, qua in hoc casu mititur forum externum, scilicet quæ est, ne fiant fraudes ad vincendum litem. Non potest etiam pacisci de quota parte litis, puta dimidia, aut tertia, aut quinta sibi danda, ne præbeatur occasio volendi vincere per fas, & nefas, ex iuribus adductis à Nauarro vbi suprà. Si verò litigator transigat cum ad-

uersario

aduersario sine dolo, & fraude, quia scilicet videt litem dubiam, non tenetur soluere totum stipendium, sed partem pro rata laboris; secus si dolo, & fraude transigit, tunc enim potest totum stipendium petere, quia per ipsum non stetit, & hoc nisi aliquod aliud pactum fuerit inter illos: & idem dicendum, si aduocatus fortuito casu non possit fungi officio suo, debet enim habere stipendium pro rata parte, qua laborauit.

188 Cauere autem debet præ cæteris aduocatus à falsitatibus, dolo, & fraude in defendenda causa, & maximè ne sit præuaricator; præuaricator autem, vt diximus loquendo de accusatore, est qui fauet pacti aduersæ publicè, vel occultè. Item qui aduersario indicat secreta notabilis momenti suæ partis.

Præuaricator quis.

189 Quò ad notarium, seu tabellionem, Nauarrus cum Doctoribus à se allegatis in Man. cap. 25. num. 52. ait in his peccare mon aliter. Primò cum non seruat aliquod capitulorum à se iuratorum: quorum primum est, quod conficiet instrumenta, de quibus rogatus fuerit nil veritatis; addendo, nec falsitatis miscendo. Secundum, quod non reuelabit, quod secretò sibi commissum fuerit, nisi iusta de causa. Tertium, quod non conficiet aliquod instrumentum sciens de aliquo contractu vsurario, nec de alio quouis illicito. Quartum, quod retinebit de omnibus instrumentis, quę dederit prothocolum, seu registrum. Quintum, quod erit fidelis ei, à quo est creatus notarius, & admonebit eum ea, quæ sciuerit in eius damnum vergere. Sextum, quod nullo amore, odio, spe, vel timore officio suo abutetur.

De notario Capitula iurata à notarijs.

190 Peccat deinde si occultat instrumentum necessarium parti, vel rumpit, vel mutilat, aut falsat. Item si per ignorantiam, aut malitiam malè aliquod instrumentum conficit addendo aliquas clausulas obscuras, vel necessarias omittendo, propter quas aliquis suum legatum amittit. Item si debitas solemnitates omittit dolo, aut lata culpa; quæ sunt nomen notarij, signum, testes, dies, mensis, & annus. Item qui die festo propter auaritiam conficit instrumentum, cum in alium diem commodè differre possit. Et qui rogatus à pauperibus non habentibus vnde soluere possint, non vult scribere eorum instrumenta, nec in publica forma tradere: licèt quando adest facultas soluendi, licitè possit mercedem suam petere, quæ taxanda est secundùm consuetudinem locorum, vel pensatis debitis circunstantijs, vt dictum est suprà de aduocato.

De reliquis pertinentibus ad complementum iudicij. Caput Octauum.

191 Acceptis informationibus testium, & indicijs sufficientibus, procedit iudex ad citandum, vel capiendum reum. Si reus non compareat contra contumacem, tanquam contra confessum proceditur ad condemnationem; fuga enim seu contumacia sufficit pro confessione. Iulius Clarus in practica criminali quæst. 45. num. 1. & est communis sententia; Si verò sponte compareat, vel capiatur, solent iudices statim adhibito notario super crimine eum interrogare, & eius examen, quod vulgò *constitutum* dicitur, in acta redigi facere, (licèt de iure communi secus, sed consuetudo præualet) & si neget delictum, examinatur nihilominus super eo delicto, & reus tenetur respondere; & si reus nollet respondere, vel responderet per verba dubia, vt non recordor, nescio, vel peteret dilationem ad respondendum, vel petat copiam processus, & indiciorum contra se antequam respondere velit, non est ei danda, sed potest, & debet cogi per torturam, vt respondeat ad interrogata clarè, & dilucidè. Et hoc intelligitur, vt diximus suprà dummodo contra reum confici de fama, vel de indicijs, vel aliàs semiprobatio, quia aliter non teneretur, & iudex contra iustitiam faceret, si his non existentibus cogeret reum respondere per torturam. Iulius Clarus eadem quæstio.

Reus nolens respondere debet cogi per torturam.

num. 6. & 9. (Sed reus posset hoc incommodum fugere negando, quia tunc non cogitur fateri veritatem, & potest intendere, quod non fecit delictum illud publicè, &c. vt suprà diximus.)

192 Solent etiam de consuetudine iudices statim in principio examinis præmittere delationem iuramenti reo, & testi de dicenda veritate; quam practicam tamen multi damnant, licèt ab ea recedendum non esse dicant propter consuetudinem, quia, inquiunt, datur occasio reu peierandi, quia nullus reus propter huiusmodi iuramentum fatetur delictum. Sed vt dixi suprà cap. 3. in fine, hæc practica non est illicita, neque peccat iudex dando iuramentum, neque reus negando veritatem, quia intentio iudicis in dando hoc iuramentum debet esse, vt dicat veritatem in foro iudiciali, & publicè si tenetur eã dicere in foro iudiciali, & publicè: quia nõ est præsumendum, quod iudex velit reum fateri delictum contra rationem rectam, & debitum modum. Intelligit ergo, qđ reus fateatur delictum, si illud est publicum, vel notoriũ, non autem si est secretum, & occultum: ideò si reus scit delictum esse occultum, vel licèt sit publicum, idest commissum coram duobus, vel tribus, non tamen adhuc scit curiam esse informatam de hoc delicto, neque deuenisse ad publicum forum, non tenetur fateri delictum, sed solum quando ex examine, & productione dictorum testium iudex conuicit reum, se scire tenim, delictum illud commisisse, & eum esse conuictum, vel saltem esse semiplenè probatum delictum. Vnde videmus, quod licèt reus in principio neget delictum, deinde fateatur, non punitur tanquam periurus de consuetudine in foro exteriori, vt suprà diximus: ergo signum est, quod non habetur pro periuro. Nulla autem ratio assignari posse videtur, nisi quia negando intendit negare non absolutè se fecisse delictum, sed non fecisse publicè, & notoriè, & eo modo, quo iudex prætendit, & sic non peccat, nec est periurus.

De iuramento dando reo, & testib. in principio examinis.

193 In examine autem, seu constituto faciendo debet iudex recto tramite procedere ad inuestigandam veritatem, non autem vt reum inuoluat, & sine mendacijs, quia nunquam licet mendacium dicere, neque debet facere interrogationes, quibus ipsi reo auferat suas defensiones. Exemplum affert Iulius Clarus eadem q. nu. 11. Vt si reus confiteatur, se aliquem percussisse, aut vulnerasse, non debet iudex eum interrogare, an lex illo vulnere decesserit, quia ex hac interrogatione aufert reo facultatem probandi, quod ex illo vulnere ille non est mortuus; Neque illa interrogatio iuuat fiscum, quia satis est fisco, quod ille vulneratus mortuus sit, ex hoc enim fatis fundat intentionem suam, quod ille reus per illud vulnus, illum interfecerit. Et sic de alijs. Qua in re opus est experientia, & practica magna in examinando.

194 Si reus in examine fateatur delictum, potest puniri ex tali confessione, præmissis tamen defensionibus, vt infra dicam; Si verò neget, debent testes iam examinati repeti de nouo cum iuramento, ac si nunquam fuissent examinati; & si fint tales testes, quibus nõ esset adhibenda fides, sine tortura debent de nouo torqueri, ac omnia illa fieri, quæ in primo examine facta fuerunt. Et debet reus citari ad videndum eos iurare, & deponere contra eum, & facere confrontationem, vt videatur quid reus respondeat, & an testes persistant in depositione. Et Iulius Clarus prædicta q. num. 13. & 14. dicit repetitionem testium prædicto modo esse de substantia processus, quia testes examinati antè litem contestatam, idest ante interrogationem, & depositionem rei, nullius sunt valoris; tamen confrontationem dicit non esse de substantia, licèt quandoque sit in vsu, maximè quando depositio testis non potest verificari, nisi ex inspectione rei; tunc enim necesse est, vt testis in præsentia reum recognoscat. Sed in eatu solius recognitionis testis non debet exhiberi solus propter periculum subornationis, sed cum alijs quattuor, vel quinque, qui sint similes quantũ

Reus confessus punitur.

fieri

fieri poterit persona, vestibus, &c. Et quandoque alium pro alio adducere, vt in iudicio D. Athanasij contigit, Nam cum accusaretur à quadam muliere subornata ab Arianis, quod eam carnaliter cognouisset, & hoc in Concilio publico assereret, loco D. Athanasij se se obtulit in Concilio N. fingens se esse Athanasium, & dixit, ego ne mulier violaui te? illa autem petulanter respondit, maximè, tu in quidem me violasti, & petebat vindictam à iudicibus. Vnde hoc modo falsitas mulieris est cognita, & eius petulantia reiecta, & D. Athanasius, vt innocens absolutus fuit. In casu tamen sancti officij vitanda est confrontatio testium cum reo, quia in eo officio prohibetur publicatio nominum testium. Pegna in Directorio 3. p. comm. 23.

Exemplū D. Athanasij.

195 Facta depositione testium, & confrontatione, solent iudices priusquam reum carceribus, vel fideiussoribus relaxent, petere licentiam à reo procedendi ad formandum processum vsque ad sententiam inclusiuè, & ea obtenta, facere eis monitionem generalem, vt singulis diebus, & horis adesse debeant processui faciendo per ipsum iudicem, tàm circa receptionem testium, quàm quæcunque alia vsque ad diffinitiuam sententiam, quæ monitio, præcedente licentia prædicta, operatur quod non requiritur amplius citatio, sed si non præcedat licentia, posset reus appellare ab hac monitione, protestando, quod vult ad omnes actus citari, & tunc monitio illa nullius esset momenti.

196 Deindè solent publicare processum offensiuum, atque decernere copiam processus reo, atque intimare ei certum tempus ad se defendendum; & si reus petat aliquando dilationes temporis, de consuetudine poterit iudex eas concedere, quæ sibi videbuntur licitæ, Iulius Clarus quæst. 49.

De defensionib. reorum.

197 Tunc reus facit suas defensiones, quæ ex pluribus capitibus desumuntur, primò per exceptionem de nullitate processus; processus autem validus est ille, in quo seruantur omnia solemnia, & substantialia secundùm ordinem iuris; inualidus verò, & nullus est in quo aliquid ex dictis solemnitatibus deficit; solemnitates requisitæ sunt, vt præcedat libellus, litis contestatio, publicatio, & conclusio cum alijs solemnitatibus, de quibus habetur in l. 1. & Auth. *offeratur* C. de litis contest. & in l. *prolatam*, & ibi Bartolus, & Doctores C. de sententia. & cap. *quoniam contra* de probationibus. hoc autem intelligitur de iudicio ordinario, secus de iudicio summario. Summarium autem iudicium est, in quo iudex sine solemnitatibus prædictis procedit, sed solum substantialia seruantur, de quo in Clementi. *sæpè*. & diffinitur esse illud, in quo iudex procedit summariè. simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij. Summarium ergo iudicium tunc est nullum, & processus est nullus, quando aliquod substantiale omittitur. Substantialia autem, & accidentalia; per quæ iudicium summarium distinguitur ab ordinario, explicantur in illa Clementina, & à Glosa ibidem hæc verba. *Iudex qui datus est simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij procedere potest sine libello, litis contestatione, & ferijs inductis fauore hominum, amputat dilationes, abbreuiat lites, repellit frustratorias exceptiones, & appellationes, refrenat iurgia partium, & multitudinem testium. dat simul terminum ad ponendum, & articulandum primò, secundò ad producendum omnia acta, & munimenta causæ, interrogat partes vbi suadet æquitas non citat peremptoriè ad sententiam quam profert stans, etiam conclusione non facta. Citare tamen tenetur, & recipere petitionem in scriptis verbotenus tunc scribendum in actis. Item iuramenta calumniæ, veritatis, vel malitiæ probationes necessarias, & defensiones legitimas, & facta remissione protestibus producendis debet tunc instrumentum recipere. Tenetur partes ad sententiam citare, quam tenetur in scriptis ferre etiam secundùm acta causæ.* Nullus autem iudex potest procedere summariè, nisi ex speciali commissione Principis absolute nullum superiorem agnoscentis, vt notat Glosa in dicta Clementina in principio in verbo *mandamus*, & alij. Nunquam autem censetur Princeps committere, quod iudex agat summariè, nisi in rescripto, vel litteris expressè dicat, vt summariè agat, quod est Decisio Rotæ Romæ in decisione 358. & alij, quos Maranta citat part. 4. dist. 9. nu. 5.

Solemnitates requisitæ ad processum.

Iudicium duplex, ordinarium, & summariū. Summarium iudiciū qd.

Qui potest summariè procedere.

198 Obseruandum est autem regularibus communiter ferè per suas constitutiones particulares concessum esse, vt in causis procedant summariè, & nos quidem minores Conuentuales habemus id expressum in constitutionibus Alexandrinis cap. 7. in quo multa statuuntur circa formationem processus criminalis in religione à superioribus, quæ diligenter essent inspicienda, & obseruanda à superioribus, & Prælatis, quia sunt statuta particularia religionis, quæ in illis derogant iuri communi, licèt alia addit, & magis extendi possent, quo loco etiam prohibetur appellatio (Sed hoc statutum eget moderamine propter quorundam superiorum ignorantiam, passionem, & pertinaciam innocentes damnantes, & noxios liberantes, & absoluentes.) Vndè in cap. *olim*, de iudicijs, habetur, quod ordo iuris non est vndequaque à regularibus obseruandum. Vnde licèt non omnino seruandus sit, tamen in quibusdam est seruandus, vt in casu appellationis, cum aliqua iniustitia expressè committitur, vt suprà loquendo de appellatione diximus. Atque regulares summariè, & de plano procedere debere iuris Canonici peritissimi docent, vt Panormit. in cap. *si quis contra clericum*, & in cap. *contingat*, de foro competenti. & Lapus allegat. 73. vbi asserunt monachos ad apices iuris non teneri, & fundantur in cap. *qualiter & quando* 2. in fine. de accusationibus, & cap. dicto *olim*, eodem titulo.

Regularibus concessum est, vt procedāt summariè.

Regula præscripta in constitutionibus Alexandrinis Minorum conuentuo. quò ad formationem processus.

199 Redeundo autem ad iudicium ordinarium, multis de causis processus potest esse nullus, quarum 30. adducit Maranta in suo Speculo par. 4. dist. 16. per totum, Iulius Clarus in sua practica criminali quæst. 50. adducit quinque tantùm quas omitto, & q. 51. vsque ad 60. adducit alias exceptiones contra processum, quas reus potest producere in iudicio, & sunt præscriptio temporis à die commissi criminis, quod delictum non sit commissum; exceptio contra testes, de quibus diximus suprà explicando qui repellantur à dicendo testimonium; exceptio contra confessionem propriam; exceptio quod licitè potuit facere delictum à se commissum; exceptio quod aliàs fuerit ab eo crimine absolutus. Item quod habet pacem à parte offensa. Item quod delictum sibi à Principe fuit remissum: potest etiam proponere exceptiones, quæ delictum minuant, de quibus idem Iulius Clarus q. 60. quæ apud eum videri possunt.

200 Factis defensionibus solet publicari etiam processus defensiuus sed hæc publicatio non est necessaria sicut publicatio, & traditio copiæ processus offensiui: quia ista est necessaria ad hoc vt reus possit se tueri; copia autē defensiui, nequaquam: quando tamen adesset accusator, posset tradi, & dantur termini tàm reo, quàm accusatoribus ad producendum si quid aliud habent, & his finitis dicitur concludi in causa, idest terminari, & finiri productionem actorum processus. Vnde concludere in causa est reum renunciare omnibus defensionibus, & probationibus producendis. tunc enim dicitur esse in causa conclusum, quia finis causæ est impositus. Dicunt tamen Doctores in causis criminalibus nunquam cōcludi, quia reus etiam post quascunque dilationes, & terminos, potest semper aliquid adducere si emergat ad suam defensionem. Iulius Clarus q. 61. in fine.

Concludere in causa quid.

201 Vbi nihil vlterius superest ad agendum tàm ex parte accusatoris, quàm accusati, iudex debet diligenter considerare processum tàm offensiuum, quàm defensiuum, & perpendere quid ex ipso processu resultet. Si reus ex indicijs, & probationibus sit conuictus, vel confessus, debet condemnari. Si semiplena resultet tantùm contra eum probatio, debet torqueri. Si verò neque semiplenè est conuictus, tunc tanquam deficiente proba-

Finito processu quid agendum.

tione

tione eſt dimittendus, & abſoluendus. Dixi quod quando contra reum delictum non eſt ſaltem ſemiplenè probatum debet abſolui, quia eſt vera concluſio iuris, quod actore, ſeu accuſatore non probante, reus eſt abſoluendus, ita Iulius Clarus cum alijs q. 62. num. 1. Forma autem abſolutionis eſt, quod ſi aliter quàm per torturam probet innocentiam ſuam, abſoluitur diffinitiuè, neque poteſt deindè amplius contra eum ea ea cauſa procedi, etiam ſi noua indicia emergant, ex eodem Iulio Claro, quæſt. 57. verſiculo *ſed hic quæro*. Si verò ipſe non probat ſuam innocentiam niſi per torturam, vel ſi non adſint indicia ſufficientia ad torquendum, vel ad imponēdam aliquam pœnam extraordinariam, tunc abſoluitur quidem, non tamen diffinitiuè, ſed ſtantibus rebus prout ſtant: & hoc caſu ſi ſuperueniant noua indicia, de nouo contra eum proceditur non obſtante tali abſolutione. Qui etiam per torturam purgauit indicia, deberet fortè abſolui diffinitiuè, nihilominus Iulius Clarus eadem q. 62. ait conſuetudinem obtinuiſſe, vt ille etiam dimittatur ſub hac forma, rebus ſtantibus prout ſtant.

Forma abſolutionis iudicialis.

Quādo de nouo proceditur cōtra reū nō obſtāte abſolutione.

An ſi reus abſoluatur actor in expenſis debeat condemnari.

202 Quādo reus abſoluitur, debet ne actor condemnari in expenſis? Reſpondetur ex Iulio Claro eadem q. num. 4. quod ſi accuſator debet condemnari, condemnari debet de calumnia. Calumnia autem eſt duplex, ſcilicet vera, & præſumpta; Vera eſt quando quis ſciens, aut ſcire debens aliquem eſſe innocentem imponit contra eum accuſationem, aut quærellam; Præſumpta eſt quando accuſator non probat delictum, vel quando poſt cœptum iudicium ab accuſatione deſiſtit; in his enim caſibus præſumitur calumniari. Loquendo de calumnia præſumpta, nunquam calumniator condemnatur in expenſis; Loquendo de calumnia vera ſi iudex procedit ſimpliciter ſuper accuſatione, ſeu quærella, accuſator debet puniri in expenſis, & damnis; Si verò iudex procedit ſimpliciter ex officio, & inſtante ſolo fiſco; dicendum eſt fiſcalem procuratorem non condemnari in expenſis, quia de ipſis officialibus benè præſumitur. Si procedit ex officio, ſed alio inſtigante, & prouocante inquiſitionem, ſi talis promotor eſt verè calumniator, debet in expenſis condemnari. In foro autem conſcientiæ non tenetur delator, niſi de dolo, & lata culpa, vt aliàs ſuprà dictum eſt. Et in eodem iudicio abſque nouo proceſſu calumniator poteſt condemnari, ſed debet præcedere ſententia abſolutoria delati, & deinde condemnatoria accuſatoris. Sed quid ſi accuſator dicat, ego volo ſtare cum reo in tortura, & eum conuincere, debet ne audiri? Reſpondit Iulius Clarus ibidem nu. 6. negatiuè, ſi enim hæc practica admitteretur, multa ſequerentur abſurda.

Delator in foro conſcientiæ nō tenetur niſi de dolo, & lata culpa.

Quid ſi accuſator dicat ſe velle ſtare in tortura cum reo, & eū cōuincere.

203 Quandoque autem cum delictum eſt ſemiprobatum, loco torturæ, indicitur reo purgatio canonica, de qua in Decretali tit. de purgatione canonica, ſed in foro ſeculari non eſt in vſu, maximè verò in Eccleſiaſtico, & maximè inter regulares. Et ſi reus purgat ſe, abſoluitur: Sin minus, vt reus condemnatur. Vt plurimum verò ſubijcitur torturæ, ſed diligenter debet cauere iudex, quoniam ſi iniuſtè torqueat aliquem, & moriatur in tortura, debet plecti capite; & ſi non moriatur, punitur pœna extraordinaria. Non eſt autem inferenda vbi pro delicto non imponitur pœna corporalis, & vbi delictū poteſt aliter probari, quàm per torturam, quia ad torturam non deuenitur, niſi in ſubſidium aliarum probationum, & ſi delictum eſt permanens, debet prius conſtare de corpore delicti, & facilius deuenitur ad torturam in delictis occultis, vt ſunt adulterium, venenatio, falſum, & ſimilia. Quæ indicia ſint ſufficientia ad torturam, dixi ſuprà agendo de indicijs, & teſtibus. Quæ perſonæ vetitò torqueri non poſſint, fusè ibi Iulius Clarus tradit. vide ſi placet ibi.

De tortura

Cauenda à iudice in tortura dāda.

Quid ſi reus appellet à decreto torturæ.

204 Habitis ergo indicijs ſufficientibus, iudex facit decretum veniendi ad torturam, quo facto reus ſubijcitur torturæ. Sed quid ſi reus appellet ab illo decreto, quæ eſt appellatio à ſententia interlocutoria? Reſpondit Iulius Clarus eadem quæſt. num. 29. ex conſuetudine eſſe ſublatam omnem huiuſmodi appellationem in criminalibus ea ſtatutis ſpecialibus; tamen de iure communi dicit ſuperſedendum eſſe à tortura ſecundum communiorem opinionem, quia ſtante appellatione nihil eſt innouandum. Quando autem ſunt plures rei torquendi, incipiendum eſt regulariter à magis ſuſpecto; ſed quando ſunt æqualiter ſuſpecti, incipiendum eſt à timidiori, & debiliori, ſic Iulius Clarus eadem q. num. 28.

Gradus torturæ.

205 Decreta tortura iudex debet ſcire varios eſſe gradus torturæ, neque enim omnes rei eodem modo torquendi ſunt, ſed aliqui grauius, aliqui leuius ſecundùm qualitatem delicti, & indiciorum, quæ in proceſſu reſultant, & in hac re maximā partem habet iudicis arbitriū, quia de hac re certa regula trahi non poteſt, cum caſus ſint accidentales, & varij. Inquit tamen Iulius Clarus ibidem num. 30. quod ſecundùm aliquos, gradus torturæ ſunt quinque. Primò minæ de torquendo. Secundò conductio ad locum tormentorum. Tertiò ſpoliatio, & ligatura. Quartò eleuatio in eculeo. Quintò ſquaſſatio. Sed ex conſuetudine, & communiter ait, quod ſunt ſolū tres gradus in tortura. Primus eſt terrere; & ad hunc reducuntur quatuor primi gradus ſuperius adducti, ligatura tñ qñ eſſet atrox, in numero tormentorū ponitur. Secundus eſt ponere in tormentis, & in tormētis interrogare, hoc eſt eleuare, & in ſuſpenſione per aliquod tēpus notabile tenere. Tertius eſt torquere, hoc eſt ſquaſſare, & hi gradus verificantur in vno ictu funis. Acris tortura eſt quando duo ictus funis dantur, & hæc eſt plena tortura. Notat ergo Iulius Clarus num. 32. quod ſi non adſint indicia perfecta, & ſufficientia ad torturam, puta ſi adſit vnus teſtis de viſu, qui non ſit integer, vt ſi ſit infamis, vel adſint duo teſtes ſinguiares deponentes de indicijs remotis, vel huiuſmodi poterit iudex procedere ad primum gradum torturæ, vel ſecundum, non autem ad plenam torturam, quia ad hanc non debet deuenire, niſi adſit vnum indicium ſufficiens, id eſt vnus teſtis omni exceptione maior, vel ſimile, & denique niſi adſit ſemiplena probatio. Aliqui dicunt pro quolibet indicio debere dari tres ictus funis, ſed Iulius Clarus eam opinionem reijcit, & ait conſuetudinem eſſe, quod ſi plura ſint indicia, pro omnibus computatis ſimul dantur duo, vel tres ictus, & nō vltra; & qñ indicia ſunt plura, & vrgentia, torquetur reus interpoſitis diebus, & hoc niſi Princeps aliud præparet. Cum autem reus eſt ſemel ſufficienter tortus, non poteſt repeti tortura, ſed ſolum cum prima vice eſt leuiter tortus; Vnde iudex facit ſcribere in actis, quod cum deponit à tortura animo repetendi eam.

206 Obſeruat etiam iudices non debere vti exquiſitis tormentis, ſed illos duos, ſcilicet torquere per funem, & quando adſit impedimentum torquere per ignem appoſitum ad plantas pedis eſſe à iure, & conſuetudine approbatos, & non alios: & iudices alio modo torquentes, eſſe carnifices, & non iudices. Denique in tortura ait eſſe ſeruandam conſuetudinem prouinciæ, & vt dixi ſuprà, debet eſſe cautus iudex: quia ſi dolo excederet, tenetur de homicidio. Si reus in tortura nihil fateatur, debet iudex eum dimittere, & abſoluere, non abſolutè, ſed ſtantibus deductis, &c. & cum fideiuſſione de ſe præſentando toties, quoties, & ſi noua ſuperuenerint indicia, poteſt iterum torqueri, vt dixi ſuprà. Quandoque etiam quando indicia ſunt vrgentia ſolet deueniri ad condemnationem ad pœnam extraordinariam, maximè ſi reus ſit valde famoſus. Si verò in tormentis reus confitetur, adhuc non eſt ſtandum illi confeſſioni, niſi illam extra tormenta ratificauerit, & in illa perſtiterit, quæ ratificatio debet fieri poſt torturam ſaltem per vnum diem, quia ſi ſtatim fieret, cenſeretur eam facere metu tormentorum; debet etiam fieri extra carcerem, ad bancum iuris, vbi non adſint tormenta, quia videretur metu tormentorum illam facere. Si verò non velit ratificare, debet repeti tortura, non tamen pluſquam bis, vt ſuprà dixi.

ai. Si

xi. Si verò ratificet, debet iudex dare ei terminum ad allegandum suas defensiones contra confessionem suam, & iste terminus est dandus, alioqui fit iniuria reo: quia iam dictum est, quod in causa criminali non concluditur, ideò posset adducere probationes contra suam confessionem, & se innocentem probare, non probando autem debet damnari. Iulius Clarus eadem q. num. sequẽtibus. Quando reus extra tormenta confitetur delictum absque alia confessione in tormentis, potest damnari. Iulius Clarus q. 65. Idem dicendum si reùs sit plenè conuictus, debet enim damnari.

Quid si iudex sciat reum esse innocentẽ. D. Tho 2. 2. q. 67. ar. 2 & alij multi.

207 Sed quid si iudex scit reum esse innocentem, & tamen videt eum ex allegatis esse verè conuictum, vel confessum vi tormentorum legitimè inflictorum? Respondetur esse communem opinionem, eum posse condemnare, neque peccare: quia non secundùm conscientiam, & vt persona priuata, sed vt persona publica, & secundùm acta, & allegata debet iudicare, tenetur tamen vti omni diligentia, vt innocentem liberet. Non tamen tenetur abstinere à munere iudicandi, licèt Abbas, & Imola in cap. 1. de officio ordin. oppositum tenuerit, quia communis opinio est in contrarium ait Iulius Clarus q. 66. num. 2. potest tamen instare apud Principem, vt illum ab illo onere exoneret, vel causam illam alteri delegare.

Quid si delictum sit probatum pro parte, & pro parte non.

208 Sed quid si delictum pro parte sit probatum, & pro parte non? puta aliquis accusatus est, quod percusserit aliquem vsque ad sanguinem; probata est autem percussio, sed non qualitas, scilicet vsque ad sanguinem, quid agendum? Respondetur, quod etiam non probata qualitate condemnatur de principali delicto, de quo est cõuictus, quia lex semper concludit ad commodum fisci, & iustitiæ complementum, ita Iulius Clarus eadem q. 66. num. 4. non tamen condemnabitur de qualitate non probata, sed solum de delicto principali probato. Idem Iulius Clarus quæstio. 31. versiculo *super quibus*.

Absoluto processu deueniẽdum est ad sententiam.

209 Absoluto processu deueniendum est ad sententiam, & ad condemnationem rei ad pœnam debitam delicto secundùm iura, & pro qualitate delicti debet imponere pœnam, neque iudex potest pro libito remittere pœnam, neque non punire reum, vt suprà diximus: à iure autem statutæ sunt pœnæ delictis, quæ videndæ sunt apud iuris Doctores, & eas prosequitur Iul. Clarus in practica criminali quæst. 67. & reliquis sequentibus, ad quẽ lectorem remitto. Scire autem debet crimina principalia esse ista, quæ, & qualia sint, & quibus pœnis puniatur, & explicantur à Iulio Claro in eadem practica criminali lib. 5. Adulterium, assassinium, blasphemiam, falsum, fornicatio, furtum, hæresis, homicidium, incestus, iniuria, læsæ maiestatis, ludus, parricidium, periurium, raptus, sacrilegium, sodomia, stuprum, vsura. Alia sunt delicta, de quibus homo est puniendus, de quibus alij.

Crimina principalia puniẽda q.

Crimina puniẽda apud regulares quæ.

Apud regulares sunt omnia illa, quæ sunt contra vota essentialia, & in detrimentũm monasterij cedunt, & in eorum constitutionibus, & inter alia bonorum monasterij decoctio, & dilapidatio, de quibus egimus suprà cap. 2. qui reliqua cupit videre exactè, ea perquirat apud Iurisperitos, hæc enim tetigimus, vt nostra hæc legentes, aliqualem cognitionem de peccatis, quæ in iudicio publico committuntur, habeãt. Regula enim firma est, quod cum iudex, & alij in iudicialibus actibus concurrentes aliquid contra iura, quæ per consuetudinem non sunt abrogata, vel extra consuetudinem laudabilem, & receptam dolo, vel lata culpa, & ignorantia culpabili agũt, peccant læthaliter, & de damno illato tenentur ad restitutionem, vt ex dictis suprà patere potest, clarum est enim nullibi ferè maius damnum inferri proximo, quàm ex iniustitia facta proximo in iudicio publico: Si enim qui iustitiam ministrare debent, eam subuertunt, actum est de Republica, & bonis omnium particularium.

FINIS.

DISPVTATIO THEOLOGICA

De Sacramento Extremæ Vnctionis,

F. PHILIPPI FABRI FAVENTINI, &c.

In Quartum Librum Sententiarum.

Distinctio XXIII. Quæstio vnica. Disputatio vnica.

Vtrum Extrema Vnctio sit Sacramentum nouæ legis.

Explicatur essentia, & quidditas Sacramenti extremæ vnctionis. *Caput Primum.*

CIRCA tractationem huius Sacramenti, primò explicabo essentiam eius, & quæ ad ipsum pertinent, quæ Scotus breuiter explicat vnica quæstione in hac 23. distin. huius libri; deinde quid in controuersia sit positum considerabo.

Quantum ergo ad primum Scotus more suo, vt suprà dist. 1. quæst. 3. art. 1. & 2. vidimus, & explicauimus disput. 4. Circa hoc Sacramentum duo facit. Primò ostendit possibilitatem, & congruitatem institutionis eius, & de facto fuisse institutum. Secundò explicat diffinitionem, & essentiam eius.

Possibile fuit hoc Sacramẽtum institui.

Quod autem possibile fuerit huiusmodi Sacramentũ institui, declarat sic. Possibile est Deum finaliter remittere venialia peccata: ergo possibile est sibi instituere aliquod signum efficax huiusmodi remissionis finalis peccatorum venialium. Consequentia est euidens, & probatur à simili, seu à minori ad maius. Homo potest instituere aliquod signum sensibile practicum efficax ad significandum efficaciter quodcunque opus suum: ergo multo magis hoc potest Deus. Antecedens experientia patet. Videmus enim homines instituere diuersa signa ad significandum operationes diuersas, vt osculum ad significandam pacem, & similia: est ergo clarum etiam Deum posse instituere aliquod signum sensibile practicum efficax ad significandam hanc operationem suam, scilicet remissionem venialium in extremum vitæ.

Congruũ fuit instituere hoc Sacramentum.

Quòd etiam congruum fuerit probat: quia congruũ est recessurum ab hac vita finaliter à peccatis venialibus absolui. Probatur, quia si peccata venialia non remitterentur homini recedenti ex hac vita essent illi impedimentum ad consequendam gloriam: contingere autem potest, quod homo quantumcunque iustus, & in gratia existens, in exitu, & fine huius vitæ habeat aliqua huiusmodi peccata venialia: quia peccator quasi continuè peccat huiusmodi peccatis venialibus: ergo congruum fuit, vt Deus institueret Sacramentum, quo homo iustus finaliter recessurus ex hac vita absque vllo impedimento rectà tenderet ad gloriam. Quod autem peccata venialia impediant consequutionem gloriæ, Scotus non probat, sed supponit ex doctrina communi Theologorum, quod nihil inquinatum intrabit regnum cœlorum; & quod ideo necesse est omnem culpam quantumcunque leuem dimitti, & purgari; & proinde si homo ex hac vita quantumcunque in gratia discederet, esset onustus peccatis venialibus in Purgatorio, illa purgare cogeretur, antequam gloriam consequeretur, vt ostendimus suprà, agendo de Indulgentijs, & de remissione venialium. Quòd etiam homo quasi continuò peccet peccatis venialibus, patet ex illo, *septies in die cadit iustus.* Prou. 24. & illo *non est homo, qui non peccet.* 3. Regum. c. 8.

De facto hoc Sacramentũ fuit institutum à Christo.

Tertiò probat, quod de facto huiusmodi Sacr̃m fuerit institutum à Christo Domino ex illo Iac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteri Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei.* Ex eo enim loco habemus hoc Sacramentum institutum fuisse à Christo, & promulgatum à Iacobo, de qua re infra contra hæreticos agemus.

Quod autem hoc Sacramentum fuerit de facto institutum ad delendum peccata venialia in fine vitæ, probat Scotus ex illis verbis Apostoli Iacobi, *& si in peccatis fuerit, dimittentur illi.* Nam infert Scotus illud non potest intelligi de peccatis mortalibus, quia illa dimittũtur per Baptismum, & post Baptismum per Pœnitentiam, ex quo sequitur multo minus intelligi posse de peccato originali: quia illud per solum Baptismum dimittitur. Relinquitur: ergo quod intelligatur de peccatis venialibus. Vnde Scotus colligit in calce illius articuli hanc conclusionẽ. Possibile fuisse, & congruum fuisse institui aliquod Sacramentum ad dimittendum peccata venialia in fine vitæ, atque de facto illud fuisse institutum: & illud esse Extremã Vnctionem; & hoc est Sacramentũ nouę legis.

Quæ sit essentia, & diffinitio huius Sacramenti.

Quantum ad secundum principale, scilicet quænã sit essentia, & diffinitio huius Sacramenti, Scotus in hac q. art. 2. ponit diffinitionem eius, ex qua habetur, quæ sit materia, & forma huius Sacramenti: quis sit minister, & reliqua omnia, quæ ad ipsum pertinent. Ponit ergo hanc conclusionem in principio secundi articuli. Sacramentũ institutum à Christo Domino ad delendum peccata venialia in extremo vitæ vocatur Extrema Vnctio; cuius assignari potest talis diffinitio. *Extrema Vnctio est vnctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione diuina efficaciter significans curationem finalem venialium.* Hanc esse diffinitionem bonam, & rectè conuenientem huic Sacramento, probat Scotus. Et primò, quòd hæc diffinitio non sit falsa in se, idest, quòd nullam contineat repugnantiam, nec contradictionem. Nam secundùm Aristotelem 5. Metaph. tex. 17. illa oratio, quę continet aliquam impossibilitatem, vt quod diameter sit commensurabilis costæ est falsa; hæc autem diffinitio Extremæ Vnctionis assignata à Scoto nullam cõtinet repugnantiam: quia nulla ex eius particulis repugnat alteri, vel toti diffinitioni.

Diffinitio Extremæ Vnctionis

1. Particula diffinitionis explicatur.

Explicat deinde singulas particulas eius, quarum prima est *vnctio*, quæ ponitur loco generis: omne enim sacramentũ est signum sensibile; differunt verò ex diuersitate signorum: quia aliud signũ sensibile est Baptismus; aliud Confirmatio; & sic de singulis. Sacramẽtũ illud est signum illud sensibile vnctio, sicut in sacro Baptismi signum sensibile est ablutio, & in alijs aliquid tale; in quo significatur materia proxima huius sacramenti: materia autem remota est oleum; sicut in Baptismo materia proxima est ablutio, materia remota est aqua. Hoc autẽ signum, vnctio, est signum valdè conueniens signato, siue effectui huius sacramenti: sicut enim vnctio exterior fit ad curandum morbum aliquem; sic hæc vnctio exterior significat curationem interiorem animæ à culpis venialibus. Reliquæ particulæ ponuntur tanquam conditiones determinantes significationem huius signi.

2. Particula explicatur. Quib. hoc Sacramentum cõferri debeat.

Secundo loco ponitur illa particula *hoĩs infirmi* ad declarandum, quod hoc sacrm̃ non est quęcunque vnctio hoĩs. Vnde ex hac particula elicitur, quod hoc sacramentum non debet conferri sano, nec qualitercunque exposito periculo mortis: quia nõ ei, cui imminet mors ex periculo extrinsecæ violentię, vt armorum, vel submersionis, vel hmõi, nec qualitercunque infirmo, sed periculosè; ita ꝙ probabiliter sibi immineat exitus de statu viatoris ad terminum viæ. Omnes istæ particulæ, & conditiones desumuntur euidenter ex verbis D. Iacobi suprà allegatis.

3. Particula explicatur.

Additur, *pœnitentis*, quia nullus est capax huius sacri dignè, nisi sit in gratia. Ratio est, quia hoc sacrm̃ nõ est remedium ad acquirendam gratiam: ad hunc enim effectum ordinata sunt solùm sacra Baptismi, & Pęnitentiæ. Propter hãc circũstantiam excluduntur à susceptione huius sacri omnes ij, qui non sunt capaces pniæ, sicuti sunt paruuli; itẽ perfectè innocentes, qui non habent peccata mortalia, de quibus pęnitere teneantur, neque ẽt venialia: qui aũt habent peccata venialia, possunt, & debent pęnitere: ideò isti possunt suscipere hoc sacrm̃. Excluduntur ẽt amentes, & furiosi nisi per volontatem expressam procedentem præsumantur voluisse hoc sacramentum, tunc enim præsumitur eos pœnituisse suorũ peccatorum.

Partes in quibus vnctiões fiũt. 4. Particula explicat.

Additur, *in determinatis partibus corporis*. istæ partes, in quibus hæc vnctio fieri debet, sunt organa potẽtiarũ, per quarum actus frequẽter peccatur venialiter: istæ aũt potentiæ sunt quinque sensus exteriores, & potentiæ motiua, & generatiua. Et quia organa istarum potentiarum q̃nque sũt duplicata, seu gemina, vnctio geminatur: quia fit in vtraque parte, vt quia potentiæ visiuæ organa sunt oculi, qui duo sunt, sunt etiã duæ vnctiones, siue in duab. partib. illius organi fit ista vnctio. Organũ potentiæ auditiuæ sunt aures, quæ duę sunt. Organum potentiæ olfactiuæ sunt nares, quæ duæ sunt. Organum potentia tactiuæ sunt manus, quæ duæ sunt. Organum gustus est lingua, quæ est vna tm̃, sed fungitur duabus muneribus, scilicet gustandi, & loquendi fit vnica vnctio pro ea quæ fit super os, non in lingua, ꝓp abominationem, & est remediũ contra duplex pctm̃ veniale, quod cõmittitur loquutione, & gustu. Propter organũ potẽtiæ generatiuæ fit vnctio ad lũbos, iuxta illud D. Greg. super illud Lucæ *sint lubi vestri præcincti*, &c. inquit enim, *viris luxuria in lumbis est*. Propter organũ potentiæ motiuæ fit vnctio in plãtis pedũ: qa illa est pars principalis motiua, propter vim progressiuã. Sunt ergo duodecim vnctiones specificæ, seu particulares: quia vt dictũ est, aliquę geminantur ꝓp organa geminata; octo in quattuor sensibus, visu, auditu, olfactu, & tactu. Vna in gustu. Duæ in potentia motiua. Et duæ in potentia generatiua. Principales sunt tm̃ septem. Quinque in organis exterioribus quinque sensuum exteriorum; sexta in organo potentiæ motiuæ progressiuæ; septima in organo principali generatiuæ.

5. Particula explicat. Materia remota.

Additur altera particula, *cum oleo*. in qua explicatur materia remota, quæ est oleum oliuarũ, sicut materia Baptismi est aqua naturalis. Subiungit aũt Scotus, quod hoc oleum debet esse simplex, non mixtum cũ balsamo, vt est oleum quod est materia sacri Confirmationis; & adducit rõnem, quæ est. Quia Confirmatio est instituta ad cõfirmandum hoĩem in fide, atque ad corroborandum eũ in illius confessione; in hmõi autem confirmato requiritur non solũ puritas cõscientiæ, quę significatur per oleũ, sed requiritur ẽt odor bonæ famæ significatus per balsamum. At in eo, qui in breui est exiturus de via, sufficit nitor conscientiæ: ideo in hoc sacro Extremæ Vnctionis pro materia solum oleum sufficit. Nam vt diximus suprà in sacro Confirmationis disp. 27. num. 3. oleum sanctum est triplex, scilicet oleum Chrismatis; quod appellatur sãctum Chrisma; & hoc habet admixtum balsamum, & consecratur in die Cęnæ. Est oleum Cathecumenorum, quod est oleum simplex oliuæ benedictum ab episcopo. Est denique oleum infirmorum, quò vnguntur infirmi in extremitate vitæ, quod similiter est oleum simplex oliuæ benedictum ab episcopo, & hoc est materia huius sacramenti Extremæ Vnctionis.

Triplex ẽ oleum sanctum.

6. Particula explicatur. Consecratio ab episcopo requiritur, & quare.

Additur particula, *consecrato ab episcopo*. Quia consecratio episcopalis est necessaria ad hoc, vt oleum sit materia apta. Ratio est, quia communiter in sacris consistẽtibus in vsu solus Baptismus non requirit materiam specialiter cõsecratam, quia materia illius remota est aqua, quam totam Christus Dominus tactu suæ mundissimæ carnis, cũ voluit baptizari à Ioanne, consecrauit, hoc est in vsum prædicti baptismi dedicauit. Alia autem sacra, quæ habent pro materia aliquid corporale, vt vnctiones, requirunt consecrationem, seu benedictionem episcopi, quia vnctiones nunquam benedictæ fuerunt à Christo, vt diximus suprà agendo de Confirmatione disp. 27. nu. 15. cum Scoto, & alijs Theologis.

7. Particula explicatur. Minister huius sacramenti.

Additur, *Ministrata à sacerdote*. in qua particula explicatur minister huius sacri; nam minister huius sacri non solum idoneus, vt licitè exerceat, & ministret sacramentum, sed simpliciter idoneus ad hoc, vt sacrm̃ fiat, est solus sacerdos; Vnde si laicus attentet, non solum peccat, sed nihil facit: sicuti si laicus attentet conficere Eucharistiam, nihil facit, & peccat. Quod autem minister huius sacramenti determinatus sit solus sacerdos, habetur ex verbis allatis D. Iacobi, qui dixit, *inducat præsbyteros*, &c.

8. Particula explicatur. Forma huius sacramenti.

Additur, *Simul verba certa cum debita intentione proferente*. in qua particula explicatur forma huius sacramẽti Extremæ Vnctionis, & simul explicatur simultas prolationis verborum formæ cum vnctione, ac intentio debita in sacerdote. Forma est ista, *Per istam sanctã vnctionem & suam pijssimam misericordiam parcat tibi Dominus, quidquid oculorum vitio deliquisti, seu quidquid per oculum deliquisti*, & sic de alijs sensibus, & potentijs. Vnde forma est septuplex, sicut sunt septem vnctiones principales, quorum organa inũguntur; simultas autem prolationis verborum, & vnctionis requiritur eo modo, quo Scotus suprà dist. 6. q. 3. dixit prolationem verborum in Baptismo cum ablutione requiri simul; nimirum eo modo, quo requiritur in actibus humanis, ita quòd verba nõ prius proferantur completè, quàm incipiat vnctio, vel è conuerso, sed sufficit quod vnum incipiat antequam alterum finiat. Explicatur etiam, intẽtionem debitã requiri, quæ est, vt intendat facere, qđ facit ecclesia, & ista debet esse actualis, vel virtualis, vt docuit Scot. ead. d. 6. q. 5. & 6.

Epilogus.

Hanc diffinitionem esse completam, & exactã patet: nã in ipsa nihil repugnans, & inuoluens contradictionẽ, ponitur, atque per eam explicantur omnia requisita ad hoc sacrm̃: explicatur enim suscipiens, siue quis huius sacramenti sit susceptiuus, & dicitur esse hominem pœnitẽtem infirmum: explicantur partes in quibus hoc sacrm̃ suscipere debet, quæ sunt organa potentiarum septem, vt visum est: explicatur materia remota, quæ est oleum oliuæ simplex benedictum ab episcopo: explicatur materia proxima, quæ est vnctio septenaria principalis, vel duodenaria partialis, vt explicatum est: explicatur etiam forma, quæ sunt illę septem orationes cum septem vnctionibus principalibus proferendę à sacerdote cum debita

inten-

intentione : explicatur minister, qui est solus sacerdos, quod colligitur ex verbis D. Iacobi, vt suprà diximus.

Præter hæc recolenda sunt, quæ suprà diximus de materia, & forma in omnibus sacr̃is. Nam propriè loquendo: materia huius sacr̃i est totũ signum sensibile, scilicet vnctio cum oleo, & verba: forma verò est relatio significationis curationis animæ à pc̃tis venialibus, sicut suprà agendo de Baptismo, diximus, materiam esse ablutionẽ cum verbis, & relationem significationis ablutionis animæ à pc̃tõ esse formam: tñ loquendo sm̃ modum cõem aliorum Theologorum, scilicet, quod illud, quod est minus significatiuũ, & magis determinabile sit materia, illud verò qđ est magis determinatiuũ, & magis significatiuũ sit forma, patet, qđ vnctio est materia ꝓxima, & oleũ materia remota. Forma verò sunt verba prædicta. Nunc remanent q̃dã dubitationes soluẽdæ quod fiet cap. seqq.

Obiectiones hæreticorum adducuntur, & soluuntur. Cap. II.

HÆretici nostrorum tpum sequuti Vueldenses, Albigenses, Vuicleph, & nonnullos alios priores hære ticos negantes hoc sacr̃m, vt est videre apud Guidonem Carmelitam in summa de hæreticis. D. Anto. in summa Theologica p.4.tit.ij.c.7.§.3. Vald. to.2.de sacr̃is c.163. Eneam Syluium epist.130. Bellarm. lib. de Extrema Vnctione, Iodocũ Cotium in suo thesauro, to. 2. lib.6. Soto lib.4. dist.23.q.1. art.1. qui alios citant, varias obiectiones contra hoc sacramentum adducunt; præsertim Lutherus in captiuitate Babilonica cap. de Extrema Vnctione. Caluinus lib.4. institutionum c. 19. §. 18. Kemnitius in examine Conc. Trid. pag. 1102. & alij. Eorum autem obiectiones reijciemus, sententiam catholicam comprobando, præcipuè autem obiectiones sunt istæ.

1. Obiectio hęreticorũ. Prima est contra fundm̃ Catholicorum: nam vt visũ est præcedenti capite fundm̃ Catholicorum, quod Extrema Vnctio sit sacr̃m est auctoritas D. Iacobi allata. *Si q̃s infirmatur inducat presbyteros*, &c. nã ibi habentur omnia requisita ad sacr̃m nimirum symbolum, siue signum sensibile externum significatiuum gratiæ, ꝙ est vnctio; habetur promissio gratiæ, *& si in peccatis sit, dimittentur ei*, etiam habetur institutio facta à Christo, quia Iacobus Apostolus hoc non cõmendaret fidelibus, nisi esset institutum à Christo Dño. quæ tria sunt, quæ requiruntur sm̃ oẽs ẽt hæreticos ad essentiã sacr̃i. Modò hæretici dñt primò epist. illam non esse D. Iacobi. Negat enim eam Lutherus: quia nimis apertè in ea est sermo de necessitate operũ bonorũ ad salutẽ, quod euertit principale dogma eius de sola fide. Quod aũt non sit Iacobi probant ex D. Hiero. quẽ de scriptorib. Ecclesiasticis in Iacobo aiunt dicere veteres iudicasse illam epist. nõ esse Iacobi; & ex Eusebio lib. 2. hist. c. 23. quem dñt asserere epist. illam esse notam. Caiet. etiam in commentarijs in eandem epist. dubitat plurimum, an illa epistola sit D. Iacobi, & dicit rem hãc esse incertã; atque ex salutatione epistolæ, & quibusdam leuibus cõiecturijs hanc dubitationem adauget.

2. Obiect. Secundò dicunt, quod dato, qđ illa epist. sit D. Iacobi, ille nõ poterat instituere sacr̃m, ideo illi nõ esse credẽdũ.

3. Obiect. Tertiò dicunt, quod Iacobus loquatur de vnctione, q̃ tunc erat in vsu ad curandũ morbos corporales; de qua habetur Marc. 6. q̃ aliqui dñt fuisse partim naturalẽ, partim supernaturalẽ. Aliqui verò, esse simpliciter supernaturalẽ, eo modo, quo aqua probaticæ piscinæ curabat, qui illam ingrediebantur: & lutum cũ sputo factũ a Christo, quo curauit oculos cæci nati: non autem volunt eum loqui de Vnctione Extrema, quæ est sacramentum; quod etiam sensit Caietanus in expositione epistolæ illius in eum locum ijsdem ferè rationibus sectariorum.

4. Obiect. Quartò, quia dicunt alium ritum vngendi omnino fuisse tempore D. Iacobi, & alium nostro. Quod probãt; quia Iacobus iubet inungi quoslibet infirmos, qui sanandi erant, & absolutè nullam partem designans. Nos autẽ solum inungimus, vt ipsi dicunt, semimortuos, qui sanandi non sunt, & designamus certas partes corporis.

Quintò, Iacobus tribuit effectum dimittendi peccata orationi fidei, quia inquit *oratio fidei sanabit infirmum*, non vnctioni. At efficacia sacramentorum non pendet ex fide ministri, maximè secundùm nos catholicos: ergo vnctio illa D. Iacobi non est sacramentum. 5. Obiect.

Sextò, arguunt rationibus. Si vnctio infirmorum esset sacramentum, haberet effectum infallibilem; at non habet: ergo minor probatur, quia inquit Lutherus, *constat, quod paucissimi sanantur, cum tamen promissio huius ceremoniæ sit sanitas corporalis*. 6. Obiect.

Septimò, si ex eo, quod Apostoli inungebant infirmos oleo, debet colligi vnctionem infirmorum esse sacramentum; etiam colligi debet esse sacramentum, quod Dominus luto, & sputo, & aqua Siloe sanauit cæcum, & alia similia, quod est manifestè falsum. 7. Obiect.

Octauò, vnctionis ceremonia sine dono curationis originem habuit partim ab hæreticis, vt à Valentinianis hæreticis, vt patet ex Irenæo lib. 1. c. 18. & ab Ethnicis, vt patet ex illo Virgilij. *Corpusque lauant frigentis*, & vngũt. 8. Obiect.

Nonò, ex progressu huius vnctionis colligitur nõ esse sacr̃m, quia initio Apostoli inũgebant oleo simplici ęgrotos, vt illos curarent; deinde cęperunt aliqui addere benedictionem, oleumque consecrare, vt per miracula facta per oleum benedictum à S. Martino apud Sulpitium in vita Sãcti Martini, & Theodoret hist. religiosa cõspicit. 9. Obiect.

Decimò, non extant exempla antiqua, quod Sancti Viri in extremis agẽtes oleo benedicto perũgi voluerint. 10. Obiec.

Extremam vnctionẽ esse sacramẽtum probatur.

1. Ratio pro assertione catholica.

Antequã ad has obiectiones respondeamus: breuiter probatur hanc Extremã Vnctionẽ esse sacr̃m: Probatur autẽ ea rõne, qua probatur, alia sacr̃a, nempe Baptismũ, Eucharistiam, &c. esse sacr̃a nouæ legis, quæ est. Illud est sacr̃m propriè dictum nouæ legis, quod est signũ sensibile, efficaciter significans gratiam, ex institutione diuina, ordinatũ ad salutem hoĩs viatoris. Vel vt viamur modo loquendi cõi, in quo etiam hæretici conueniunt. Illa ceremonia est sacr̃m nouæ legis, quæ habet tres conditiones. Prima, quod sit symbolũ externum, siue sit signum sensibile. Secũda, quod sit institutum à Christo. Tertia, quod habeat promissionem gratiæ, siue quod infallibiliter cõferat gratiam. Hæc propositio patet, quæ enim habent has conditiones, dicimus esse sacramenta.

Notabile principale.

Pro cuius intelligentia, nota, quod non habetur ex sacra scriptura hoc, vel illud esse sacr̃m, neque quod signũ sensibile interioris gratiæ sit sacr̃m: neque enim vbi legitur in sacra scriptura, quod Christus Dñs dixerit Baptismum esse sacr̃m, neque Eucharistiam esse sacr̃m, (quæ tñ hæretici ẽt fatentur esse sacr̃a, licèt alio modo, q̃ catholici) sed est ecclesia, quæ cũ videat in sacra scriptura esse rẽ ipsam sacr̃orum explicatam, nempe esse quædam signa sensibilia instituta à Christo Dño cum promissione gratiæ sanctificantis animam, has res, & signa sensibilia appellat sacr̃a nouæ legis: & dicit, hæc esse tm̃ septem: quia nec plura, nec pauciora huiõi signa reperit in sacra scriptura. Et licèt in sacra scriptura obseruationi mãdatorũ, orationi, & eleemosinæ, & similibus promittatur gratia, & vita æterna, non tamẽ appellantur, nec sunt sacr̃a: quia ista non sunt signa externa significantia, & efficiẽtia, seu continentia gratiam: sed sunt leges, & ordinationes diuinæ ad quarũ obseruationem Deus dat gratiam. At sacr̃a sunt quædã signa sensibilia ex institutione sua significantia efficaciter gratiam. Baptismus enim est signũ quoddã sensibile externum, scilicet ablutio externa corporis, ꝑ quam significatur, quod sicut exterius corpus abluitur à sordibus corporalibus, sic interius abluitur per illã anima à sordibus peccati. Accedit vsus, & traditio ecclesiæ: Vsus enim est explicatio legis. Cum ergo ecclesia semper intellexerit huiõi septem signa instituta à Christo esse sacr̃a, & non alias res, quibus est facta promissio gratiæ, & vitæ æternę; dicendum est hæc sola esse sacramenta. Ex his ergo maiorem istam esse verissimam patet.

Cur eleemosina, oratio, & similia non sint Sacr̃a & cum illis ꝓmittitur gratia.

Minor argumẽti ponitur.

Sub illa maiori sumitur hæc minor; sed sic est, quod Extrema Vnctio est signum sensibile ex institutione diuina efficaciter significans gratiam ordinatum ad salutẽ hominis viatoris: ergo Extrema Vnctio est Sacramentum. Hæc propositio probatur ex allegata Epistola D. Iacobi. Nam vt vidimus, hic habetur symbolum, seu signũ externum gratiæ sanctificantis, quod est Vnctio exterior facta oleo, quæ est curatio exterior à morbis, ideo significat curationem interiorem animæ à morbo peccati. Habetur promissio certa gratiæ iustificãtis, *& si in peccatis erit remittentur ei*. Habetur institutio à Christo, quia Apostolus hanc vnctionem non commendaret, nisi sciret à Christo institutam. Quod si hæretici, vt Kemnitius apud Bellarminium lib. de Extrema Vnctione c. 2. requirant alias conditiones, vt quod institutio talis signi sit facta in nouo testamento, non ad breue tempus durer, & quod gratia ita sit annexa symbolo vt cum exhibetur externum symbolum, gratia conferatur; & quod gratia promissa sit gratia remissionis peccatorum, & quod promissio applicetur ei particulari, qui percipit Sacramẽtum; omnes istæ conditiones sunt in Sacramento Extremæ Vnctionis, vt ibi optimè ostendit Bellarminius. Nã hæc ceremonia est instituta in nouo testamento: quia promulgata est à Iacobo, & scripta in eius Epistola, qui est liber Noui testamenti. Non est ordinata ad breue tẽpus: quia est ordinata, vt exhibeatur infirmis: ergo quãdiu in Ecclesia erunt infirmi, tandiu durabit hoc Sacramentum; Habet annexam gratiam, dicitur enim, *vngentes eum in nomine Domini, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Est promissio gratiæ remissionis peccatorum. *Si in peccatis fuerit dimittentur ei*, demum applicatur particulari personæ, quæ accipit Sacramentum: quia dicitur *vngentes eum*, &c.

In Extrema Vnctione sunt omnes conditiones, quæ etiam secũdũ hæreticos requiruntur ad Sacramentum.

Ad primã obiectionẽ hæreticorũ

Nunc oportet soluere obiectiones hæreticorum, & ostendere hanc Epistolam esse D. Iacobi, & deinde hanc veritatem catholicam, quod hæc Vnctio extrema sit Sacramentum, confirmabimus, ex quibus prima ratio pro assertione catholica euidentiam habere patebit. Quod ergo hæc Epistola sit reuera D. Iacobi, quod negant hæretici, disertè probatur per auctoritatem veterum omnium, qui cathalogum librorum sacrorum scripserunt, quos adducit Bellarminus, vbi suprà cap. 3. nimirum ex Clem. can. vlt. Apostolorum ex Innocentio I. Epist. 3. Gelasio I. in Concilio 70. Episcoporum, qui floruit anno 490. ex Concilio Laodiceno can. vltimo, Carthaginensi 3. can. 47. Florentino, & Tridentino sessione 4. & ex patribus Origene hom. 7. in Iosue, Athanasio in Synopsi, Epiphanio hæresi 76. Hieronymo Epist. ad Paulinũ. Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. Rufino in Symbolo, Damasceno lib. 4. de fide, cap. 18. Isidoro lib. 7. Ethimologiorum cap. 1. Quod siquis neget auctoritatem tot, & tantorum virorum, necessariò sequitur, vt ait Bellarminus ibidem, quod pereat auctoritas omniũ librorom Sacræ Scripturæ: quia aliundè non scimus, qui libri sint canonici nisi ex testimonio, & traditione horũ Pontificum, Conciliorum, & Patrum, qui indicem sacrorum librorum texere voluerunt. Sed præter adducta potest adhuc comprobari ex hoc, quod antiquissimi, & sanctissimi Patres id testantur, vtendo passim sententijs ex hac Epistola desumptis. Dionisius Areopagita lib. cælestis Hierarchiæ cap. 1. inquit. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum*. Maximus in comm. in eum locum inquit. *Signum est, quod vsus est sanctus Dionisius Epistola catholica Beati Iacobi, illinc enim desumptus est hic locus*. Ignatius, qui anno Domini 100. post Christum floruit Epistola ad Ephesios habet hanc sententiam ex cap. 4. Epistolæ Iacobi, *Superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam*. Cassiod. lib. 1. diuinarum lect. c. 8. inquit. *Clemens Alexandrinus epistolam D. Iacobi Attico sermone declarauit, quam nos transferre fecimus in latinum*. Clemens aũt Alexand. vixit circa annum 200. Origenes, qui floruit anno 230. homilia 3. in Exodum, ait. *Ita ergo & nos in virtute crucis Christi extollamus braechia, & eleuemus in oratione sanctas manus, in omni loco sine ira, & disceptatione, vt Domini mereamur auxilium. Hoc idem namque & Iacobus Apostolus hortatur dicens, Resistite autem diabolo, & fugiet a vobis*. Idem habet multis alijs locis. Eusebius Cęsariensis, qui floruit 320. in fati assertores apud Damascenũ in Paral. lib. 1. cap. 9. *tentationes illæ, quæ hominibus contingunt à diabolo excitantur, hæc quippe Apostoli verba sunt. Nemo cum tentatur dicat, quia à Deo tentãtur; Deus enim intentator malorum est, vnusquisque autem tentatur à propria concupiscentia*.

Euseb. Cęsariensis.

Athanasius, qui floruit anno 350. in epistola de Nicena Synodo, ait; *quomodo non odio digni sunt, qui nunc tandẽ contradicunt, hosque, quos prodiderunt, duces suæ hæreseos habere volunt, homines nimirum tales, quales D. Iacobus duplices corde, & instabiles in omnibus vijs appellat*. Cyrillus Hierosolimitanus Cathechesi 4. inquit, *noui testamenti septem Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ epistolas suscipe*.

Athanasius.

Cyril. Hierosolim.

Ex latinis D. Cyprianus, qui floruit anno 250. lib. ad Nouatianum hæreticum, quod lapsis venia non est deneganda, inquit. *Non legisti, tu qui stas, videat ne cadas? 1. Corinth. 10. non legisti Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Hæc autem sententia habetur in epistola D. Iacobi, cap. 4. Diuus Hilarius, qui 350. anno floruit lib. 4. de Trinitate, inquit. *Tum quod hunc nouerit inconuertibilem, & indemutabilem quia per Prophetam dixerit, ego sum Dominus Deus vester, & non demutor: & Iacobus Apostolus dixerit, apud quem non est demutatio*. Quæ sententia habetur cap. 1. eiusdem epistolæ.

D. Cypr.

D. Hilar.

D. Ambrosius, qui floruit anno 370. Tractatu de quadraginta duobus mansionibus filiorum Israel super cap. 33. Numeri, mansione 18. *Tentationes huiusmodi laudabiles esse Iacobus Apostolus testatur dicens, omne gaudiũ existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Hæ namque velut custodia quadam homini adhibentur*.

D. Ambr.

D. Augustinus præfatione in Psalmum 31. ait, *Iacobus in epistola sua contra eos, qui nolebant benè operari de sola fide præsumentes ipsius opera Abrahæ comendauit, cuius Paulus fidem*. Et confirmatur: quia lib. 83. quæstionum 76. dicit Iacobum Apostolum scripsisse illam epistolam contra eos, qui male intelligentes D. Paulum, putabant eas, qui semel credidissent in Christum etiam si facinorosè deinde vixissent, per solam fidem sine operibus saluari posse. Verba eius sunt hæc. *Quoniam Paulus Apostolus prædicans iustificari hominem per fidem sine operibus, non benè intellectus est ab eis: qui sic acceperunt dictum, vt putarent, eum semel in Christum credidissent, etiam si male operarentur, & facinorosè, flagitiosèque viuerent, saluos esse posse per fidem, locus iste huius epistolæ*; nimirum Iacobi, *eundem sensum Pauli Apostoli, quomodo sit intelligendus exponit. Ideoque magis Abrahæ vtitur exemplo vacuam esse fidem, si non benè operetur; quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apostolus vsus est, vt probaret hominem iustificari per fidem sine operibus legis*.

D. Aug.

Ex his, & multis alijs, quæ videri possunt apud Iodocũ Coccium lib. 6. de Sacris scripturis art. 23. & alios patet hanc epistolam esse D. Iacobi Apostoli, hæc autem plurima adduxi: quia in hac epistola multa continentur contra hæreticos præsertim de necessitate bonorum operũ: ideo enim eam negant, quia sciunt illa euidenter eorum dogma principale confutari.

Quod verò Lutherus ait D. Hieronymum existimasse illam epistolam non esse D. Iacobi est falsum. verba D. Hieronymi lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo sunt ista. *Iacobus, qui appellatur frater Domini, &c. vnam tantùm scripsit epistolam, quæ de septem catholicis est, quæ & ipsa a quodam alio sub nomine eius edita asseritur, licèt paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem*. Non asserit ergo, quod non sint Iacobi, sed quod aliquando dictũ est nõ esse Iacobi; nihilominus hoc esse

Ad primã obiectionẽ sumptã D. Hieron.

falsum

falsum procedente tempore compertum est. Cum enim auctoritatem obtinuerit, necesse est agnitum fuisse ab ecclesia, & patribus vanam fuisse illam suspitionem. Vnde ipse Hieronymus pluribus in locis alijs eam vt legitimã Iacobi citat, & eius auctoritate vtitur contra hæreticos, vt contra Iouinianum cap. 24. his verbis, *Transeamus ad Iacobum, qui frater Domini dicebatur tantæ sanctitatis, tantæque iustitiæ & perpetuæ virginitatis, &c. loquitur in epistola sua, nolite errare fratres mei dilecti omne datum donum bonum* &c. At si hæc epistola, non esset certò D. Iacobi, Iouinianus, & hæretici potuissent illam negare, sicut modò negant hæretici; & sic D. Hieronymus nihil concluderet contra illos ex illa epistola.

Ad Euseb. Ad aliud ex Eusebio respondetur similiter falsum esse Eusebium asserere veteres iudicasse illam non esse Iacobi; dicit quidem quosdam dubitasse, sed tamen ab omnibus penè ecclesijs esse receptam. Verba eius sunt in fine capitis illius. *Hactenus de Iacobo cuius illa habetur epistola quæ prima scribitur inter eas, quæ catholicæ appellantur. Sciendum est tamen quod a nonnullis non recipiatur, nec facilè quis antiquorum meminerit eius sicut ne illius quidem, quæ dicitur Iudæ, quæ & ipsa est vna de septem. Nos tamen scimus etiam istas cum cæteris ab omnibus penè ecclesijs recipi.* Licèt ergo aliqui dubitauerint, tamen omnes ferè ecclesiæ illam recipiebant: ergo magis est æstimanda auctoritas omnium ferè ecclesiarum, quam aliquorum dubitatio. Vnde Eusebius in alijs locis, vt vidimus suprà ex Damasceno, eam vt autenticam citat, & sic principale fundamentum hæreticorum ruit.

Ad secundam obiectionem. Ad secundam obiectionem solutio est facilis; Nam falsum est, quod Iacobus instituat eo loco hoc Sacramentum, licèt nonnulli catholici id asseruerint, sed dicimus Iacobum Sacramentum istud iam institutum à Christo promulgasse non instituisse. Omitto temeritatem Lutheri, qui audet se Apostolo opponere.

Ad tertiã obiectionẽ Ad tertiam respondetur esse responsionem voluntariam, & sine fundamento, dicere, quod Apostoli, & Prophetæ vsi fuerint Vnctione naturali ad curandum morbos corporales. Si enim rebus vtilibus naturaliter ad curandum vsi fuissent, abrogassent sibi fidem, & Dei donũ obseruassent; & operationes eorum, vt sanationes morborum, & opera illa, quæ faciebant in confirmationem suæ prædicationis de Christo non fuissent miraculosa, & proinde non potuissent sibi conciliare homines, & fidem Christi propagare. Sed hæretici vt aliquid respondere videantur, non curant an benè hæreant. Dicere autem, quod Apostoli ex dono Dei curarent aliquando, oleo, & alijs rebus corporalibus vtendo, est verum quidem, vt patet Marci 6. Sed res illi naturaliter non habebant illam vim, sed ex dono gratiæ miraculorum dato Apostolis, vt infra dicam.

Quod autem dicit Caietanus hoc loco Iacobi, non esse sermonem de Sacramento Extremæ Vnctionis, est contra omnes catholicos: quia etsi aliqui dixerunt, vt Beda, & alij D. Iacobum hic loqui de Vnctione, quam faciebant Apostoli Marci 6. tamen non negauerunt Iacobum hic loqui de Extrema Vnctione, sed hic & ibi de hoc Sacramento esse sermonem dixerunt; Caietanus autem negat absolutè hoc loco D. Iacobum loqui de Sacramento Extremæ Vnctionis. Est etiam contra Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 1. & can. 1. de Extrema Vnctione: ideo est omnino reijciendus propter rationes cõtra sectarios, quorum rationibus ipse innixus est.

Quod autem non loquatur de Vnctione, qua miraculosè sanabantur infirmi Marci 6. (licèt aliqui catholici existimauerint etiam D. Marcum loqui de hac eadem Vnctione sacramẽtali, vt suprà dixi) patet, quia ipsi Apostoli Marci 6. erant, qui vngebant multos ægrotos. & sanabantur: quia ipsi Apostoli habebant gratiam miraculorum. At Iacobus inquit, quod qui *infirmatur, inducat presbyteros ecclesiæ*, at non omnes presbyteri ecclesiæ, tunc habuerunt donum miraculorum, & maximè intelligendo per sacerdotes, seniores, vt volunt hæretici. Præterea Vnctio illa non erat vniuersalis, ita quod cuicunque infirmo Apostoli illam vnctionem adhiberent, sed aliquibus tantum, inquit textus sacer Marci 6. *Et vngebant oleo multos ægrotos & sanabantur.* At D. Iacobus dat præceptum generale. *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros ecclesiæ*, &c. Præterea vnctio illa Marci 6. semper inducebat sanitatem corporalem; inquit enim sacer tex. *Vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.* At non omnes, qui vngebantur vnctione Iacobi 5. sanabantur corporaliter: quia tunc temporis nemo mortuus fuisset, vt rectè inquit Bellarminus, nisi qui Iacobo non obediuissent, qui fuissent admodum pauci, & maximè si vidissent ad vnctionẽ illam semper sequi sanitatem corporalem. Ex quo sequitur promissionem absolutam factam hic à Iacobo intelligi de sanatione animæ per gratiam, quæ est infallibilis; de corporis verò sanitate non semper, sed cum Deo expedire infirmo videtur. Relinquitur ergo, vt vnctio illa Marci 6. fuerit diuersa ab hac vnctione, de qua D. Iacobus loquitur, atque quod illa fuerit figura, atque insinuatio huius Sacramenti, vt habet sacrum Concilium Tridentinum ses. 14. c. 1. & can. 1. de Extrema Vnctione. Sic enim consueuit Dominus sua Sacramenta prius insinuare, & adumbrare, sicut per Baptismum Ioannis figurauit Baptismum suum. Et hoc modo intelligendi sunt veteres ij, qui vtrunque locum de Sacramento isto intelligunt.

Ad quartam respondetur satis apertè D. Iacobum hãc vnctione insinuasse esse applicandam infirmis & ægrotantibus in extremo periculo vitæ, dum dicit, *si quis infirmatur, inducat presbyteros ecclesiæ & orent super eum*, &c. neque enim de quacunque infirmitate leui credibile est D. Iacobum hanc euocationem, & orationem fieri voluisse, sed de graui, & valde periculosa. Quod autem aiunt, cum non explicare locum, & partes corporis vngendas, est obiectio futilis. Nam satis est nobis, quod habeamus vnctionem istam esse faciendam, & illam habere promissionem liberationis à peccato; & si vtile sit, alleuiationem infirmitatis. Ritus autem deinde nobis innotuit ex vsu ecclesiæ, sicut, & in alijs Sacramentis. Vnde consuetudo ecclesiæ est explicatiua verborum Iacobi. Nam etiã in institutione Baptismi Christus non declarauit in verbo scripto, an totum corpus, vel aliqua pars, & quæ debeat in Baptismo ablui sed ex consuetudine ecclesiæ, & per traditionem ritus innotuit; nõ tamen propter hoc negatur Baptismum nostrum esse eundem, qui à Christo est institutus. — Ad quartã obiectionẽ

Ad quintã obiectionẽ Ad quintam respondetur, quod ibi non est sermo de fide ministri, ita quod necessariò requiratur fides in ministro, & ab illa pendeat effectus Sacramenti; sed ibi est sermo de fide ecclesiæ, in cuius fide administrantur Sacramenta, vt ait D. Bonauentura dist. illa 23. ar. 1. q. 4. siue de fide verbi Dei, quam habent fideles de ipso Christo, & eius Sacramentis, eo modo, quo D. August. tractatu 80. in Ioannem vocat verbum sacramentale, verbum fidei, quia operatur non secundùm quod dicitur, sed secundùm fidem, quam de ipso habent credentes. Vnde hic forma sacramentalis dicitur alleuiare infirmũ, & dimittere peccata, quia est oratio manans à fide, & operans secundùm fidem, quam de ipsa habent fideles.

Ad sextam obiectionẽ Ad sextam respondetur, quod duplex est effectus huius Sacramenti, alter principalis, & certus, scilicet conferre gratiam, & dimittere peccata venialia, nisi infirmus ponat obicem. Alter est effectus secundarius, & minus principalis, qui non semper confertur, sed prout expedit infirmi saluti: ideo hoc non obest quin sit Sacramẽtum. Quod verò obijciunt Caluinus, & alij, quod nos in hoc Sacramento tribuimus actionem totam vnctioni, non autem orationi, est mendacium: quia dicimus, hoc Sacramentum constare ex materia, & forma, & ex vtraque emanare hunc effectum. Et cum dicimus *per hanc sanctam vnctionem*, &c. intelligimus simul etiam per

orationem cum qua confertur simul vnctio, dimitti peccata, & gratiam conferri; sicut cum Apostolus ad Titum primo dixit, *saluos nos fecit per lauacrum*, non excludit passionem Christi, licèt eam non nominet, per quam Sacramentum habet efficatiam.

Ad septimam obiectionem.

Ad septimam patet nullam esse similitudinem inter operationes illas miraculosas, & hãc vnctionem, de qua D. Iacobus. Nam illa particularia miracula pro illa vice facta, & illis rebus adhibitis ad misterium aliquod significandum facta fuerunt, non ad aliquod Sacramentum instituendum; vt cum, luto liniuit oculos cæci nati, & misit ad natatoria Siloe. Neque.n. præcepit ipse Dominus, nec aliquis locus in scriptura habetur, in quo præceperit, quod Apostoli, & fideles huiusmodi rebus vti deberent ad vtilitatem fidelium; neque ibi habetur promissio gratiæ nec mandatum. At in hoc loco Iacobi habemus præceptum, *si quis infirmatur inducat presbyteros, &c.* habetur promissio, *si in peccatis erit, dimittentur ei*: ideò consequentia est nulla.

Ad octauã nonam, & decimã obiectionem.

Ad octauam patet ex dictis, & dicendis infra omnia illa esse mendacia, & fictiones hæreticorum: ex auctoritatibus enim Patrum, quas nunc afferam, patet hanc vnctionem semper in ecclesia pro Sacramento habitã fuisse, atque semper in vsu fuisse.

Secunda ratio principalis pro catholicis ex auctoritatibus.

Sanctus Ephren.

Secunda principaliter assertio catholica comprobatur, & hæreticorum obiectiones esse nullius momenti ostenditur ex auctoritatibus Patrum, ex quibus habemus hoc Sacramentum semper in ecclesia in vsu fuisse. Et primo quidem loco sit Sanctus Ephren, qui anno 300. floruit. De vita spirituali ad Monachum nouitium cap. 7. habet hæc verba, *si charitatis officio perfungens oleo ægrotantem inungis, fac oculos, manus linguamque custodias, ne in vllo temperantiæ, ac modestiæ fines transgrediaris: hoc enim deposcit pietas*. Ex hoc loco habetur apertè tunc temporis fuisse in vsu oleo ægrotantes inungere, atque in ijs organis, & partibus corporis, in quibus nunc in Sacramento Extremæ Vnctionis inũgimus. Ad quid enim hortaretur Ephren Monachum nouitium, vt custodiat oculos, manus, & linguam, ex vsu vnctionis infirmorum, nisi per ipsam vnctionem tunc fuisset in vsu vngere illas partes corporis ad abstergendum peccata, quæ per potentias existentes in illis organis committimus, vt per verba ipsius formæ, innuitur, vt suprà diximus.

D. Ioannes Chrisost.

Diuus Ioannes Chrisostomus, qui floruit anno 400. lib. 3. de sacerdotio, *sacerdotes non solum cum nos regenerant, sed postea habent potestatem indulgendi peccata; infirmatur quis*, inquit Apostolus, *ex vobis accersat præsbyteros ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum*. Vult ergo Chrisostomus ex hoc loco Iacobi haberi, presbyteros habere potestatem dimittendi peccata; at non dimittuntur peccata, nisi per collationem gratiæ, quod fit per Sacramentum: ergo agnoscit, vt rem claram in hoc loco D. Iacobum loqui de Sacramento, & consequenter vnctionem illam esse Sacramentum.

D. Hieronymus.

D. Hieronymus, qui anno 390. floruit ad caput. 14. Oseæ habet hæc verba, *Et ne forsitam putaremus, quia dixerat erumpet radix eius, siue emittet radices suas, quasi libanus de cedris eum loqui & infructuosis arboribus sanctum virum, & conuersum ad Dominum oliuæ fructiferæ comparat, quę dicit in alio loco, Ego sicut oliua fructifera in domo Dei: cuius fructus quinque sapientes virgines parauerunt; ex quo vulnerum mitigatur tumor languentis membra requiescunt, in tenebris lumen accenditur, vnguntur in agone certantes*. Ex his vltimis verbis habetur expressè morem fuisse in agone mortis certantes inungi oleo sancto; hoc autem de nulla alia vnctione potest intelligi, nisi de hac vnctione Sacramentali: quia nullus alius mos est in ecclesia vngendi certantes in agone mortis, nisi hoc Sacramentum. D. autem Hieronymus rem hanc,

Locus efficax.

vt claram tantum tangit. Ex quo contra hæreticos habemus hoc Sacramentum verè esse Extremam Vnctionem, quæ solum adhibetur in extremis vitæ ad confortandum exeuntes ex hac vita contra diaboli tentationes, & ad dimittendum peccata venialia, vt diximus, & infrà dicemus. D. Augustinus sermone 215. de tempore.

D. August. serm 215. de tẽpore.

Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus, & sanguinẽ ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum vngat, vt illud, quod scriptum est impleatur in eo: infirmatur aliquis? inducat præsbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes cum oleo, & oratio fidei saluabit infirmum. Videte fratres, quia qui infirmitate ad ecclesiam cucurrunt, & corporis sanitatem recipere, & peccatorũ indulgentiam merebitur obtinere. Similia habet alijs locis, vt tractatu de rectitudine catholicæ conuersationis lib. 2. de visitatione infirmorum cap. 4. in Speculo, in quo ponit illas sententias, quas ex tota scriptura nos semper obseruare debemus, in fine ponit hanc sententiam D. Iacobi de vnctione olei: ergo ex D. Augustino continet præceptum, & ceremoniam conferentem gratiam omni tempore in ecclesia seruandam. Hæc autẽ est Sacramentum: ergo.

Auctoritates ex Concilijs, & alijs.

Vltimo loco dimissis Concilijs Niceno, idest ex Arabico in latinum conuerso celebrato anno 325. can. 69. Gabilonense 2. can. 48. celebrato anno 813. & alijs particularibus, & Florentino, ac Tridentino, & dimisso consensu ecclesiæ Græcorum cum Latina, quæ in hoc Sacramento nunquam dissensit à Romana, vt patet ex responsionibus Græcorũ ad interrogationes protestantium, vt habetur in censura ecclesiæ Orientalis facta à Hieremia Constantinopolitano capite septimo, & aliorum Græcorum, profero auctoritatem ex Innocentio Primo Pontifice Sanctissimo & doctissimo, qui in Pontificatu anno 402. sedere cœpit, vt patet apud Panuinium à Sanctis Augustino, Hieronymo, & ab alijs comendato: hic

Auctoritas Innocentij I efficacissima.

epistola 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum (quam epistolam, est certissimum ipsius esse, quia de ea nullus dubitat) cap. 8. habet hæc verba respondens petitioni factæ sibi ab Episcopo Eugubino. *Sanè quoniam de hoc sicuti de cęteris consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Cœlestinus diaconus in epistola sua esse à tua dilectione positum illud B. Iacobi Apostoli quod in epistola conscriptum est. Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit laborantem, & suscitabit illum Dominus, & si peccata fecit, remittet ei, quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate ad vngendum. Cæterùm illud superfluum videmus adiectum, vt de episcopo ambigatur, quod præsbyteris licere dubium non est. Nam idcirco de præsbyteris dictum est: quia episcopi occupationibus alijs impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm, si episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem se visitandum, & benedicendũ, & tangere Chrismate sine curatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?* Hic vt vides apertè Pontifex appellat hãc vnctionem, de qua D. Iacobus, Sacramentum, & dicit esse vnum genus Sacramenti: ergo de hoc nullus est ambigendi locus.

Neque turbare debet, q̃d appellet hoc oleũ, oleũ Chrismatis. Neque enim per hoc vult inferre quod sit idem oleum, quod est propriè oleum Chrismatis confectum ex oleo, & balsamo, quod est materia Sacramenti Chrismatis; sed appellat oleum Chrismatis, quia Chrisma est nomẽ Græcum, quod significat vnctionem. Vnde oleum Chrismatis, & oleum vnctionis idem sunt. Cum ergo dicit, quod infirmi oleo sancto Chrismatis inunguntur, est ac si dicat, quod oleo sancto Vnctionis Extremæ inunguntur.

Ex hac etiam auctoritate habetur hoc oleum benedici ab episcopo; & insuper ab vno presbytero conferri,

non

non à pluribus (vt hæretici volunt intelligere D. Iacobū, eo, quia dicit *inducat presbyteros*, in numero plurali, & proinde cum non loqui de hac Vnctione Extrema, quā nos dicimus esse sacramentum) quia Pontifex dicit, non esse ambigendum licere episcopo, quod licet præsbyteris. Cum ergo soli vni episcopo licet conferre hoc sacramentum, significat expressè, idem licuisse cuicūque presbytero, licèt vtatur nomine plurali, vt vtitur quoque D. Iacobus. Nam licèt dicant hoc munus incumbere præsbyteris, non tamen volunt inferre, quod simul pluribus hoc incumbat, sed intelligunt seiunctim, & diuisim vnicuique.

Quod autem ait in vltimis verbis istud Sacramentum non infundi pœnitentibus, loquitur de publicè pœnitentibus, de quibus cap. 7. præcedenti locutus fuerat; & intelligit de illis tempore pœnitentiæ, non post pœnitentiam peractam, & absolutionem obtentam. Neque si inciderint in ægritudinem grauem, quia tunc vult illis hoc Sacramentum posse ministrari, sicut & alia sacramenta, quæ prius dum pœnitentiam agebant, eis negabantur. Multa alia videri possint apud Iodocum Coccii in suo Thesauro, & alijs, quæ breuitatis causa omitto, cum dicta superque sufficiant.

Obiectiones catholicorum contra opinionem Scoti, & earum solutio. Cap. III.

SVpposito, Extremam Vnctionem esse Sacramentum nouæ legis, vt visum est in præcedētibus, oportet quasdam dubitationes inter catholicos agitatas dissoluere. Principalis autem difficultas est de effectu huius Sacramenti. Et quidem omnes catholici conueniunt in duobus. Primum est, quod duplex est effectus huius Sacramēti, qui expressè ponuntur à D. Iacobo. Alter principalis, scilicet dimissio peccatorum, & collatio gratiæ. Alter est minus principalis, & est sanitas corporalis, q̄, vt diximus, non semper consequitur Sacramentum, sed solum quando expedit. Secundum est, quod effectus iste principalis conferendi gratiam ad tollendum peccata, non intelligitur de peccato originali, neque de peccato actuali mortali. Hoc patet, quia peccatum originale dimittitur per solum baptismum; & vnctio extrema supponit infirmū esse baptizatum. Peccatum actuale verò mortale dimittitur solum per pœnitentiam, vt vidimus in disputatione de pœnitentia. Et confirmatur, quia Extrema Vnctio est medicina per modum curationis morbi spiritualis; vnde non supponit peccatorem esse mortuum spiritualiter per carentiam gratiæ gratum facientis; sed solum esse infirmum in vita spirituali, & simul corporali; & proinde esse remedium ad vtrunque subleuandum. Est modò difficultas ad quid se extendat hic effectus principalis, qui est dimittere peccata, & conferre gratiam.

Catholici conueniūt duplicē esse effectū huius sacramenti.

Hìc sunt duæ opiniones principales. Prima est D. Thomæ in hoc 4. dist. 25. quem sequuntur Soto eadem dist. quæst. 1. art. 2. & supplementum Summæ D. Thomæ quæst. 30. Valentia 4. par. disp. 8. quæst. 1. de Sacramento Extremæ Vnctionis, puncto tertio, & multi alij ex recentioribus, qui asserunt proprium effectum huius Sacramēti non esse abstergere, & delere peccata venialia. *sed esse per gratiam sanare, & abstergere peccatorum reliquias, & vestigia, & cicatrices, quæ sunt praua habitudines, puta, prauitas, & procliuitas ad malum, & ineptitudo, torpor, languor, & debilitas ad operandum bonum.*

Opinio D. Tho. & sectatorum.

Hæc est assertio Soto, vbi suprà art. 2. conclus. 4. nam postquam post conclusionem 3. nixus est probare contra Scotum, & alios, quos infra citabimus, effectum proprium Sacramenti huius non esse delere peccata venialia concl. 4. verbis adductis suprà, explicat quis sit proprius effectus huius Sacramenti, quæ est sententia ipsius D. Thomæ.

Non conueniunt tamen Doctores huius opinionis in explicando quid per huiusmodi reliquias peccatorum intelligatur. Valentia loco citato distinguit, dicens, quod per huiusmodi reliquias non intelliguntur dispositiones, & habitus derelicti à peccato: quia isti non tolluntur, nisi per actus contrarios; sed intelligitur difficultas ad bonū, & procliuitas ad malum, quatenus in peccato fuit quoddam experimentum rei vtilis, aut delectabilis, aut etiam vsus humanæ libertatis: quod experimentum propter ipsam peccati illecebram reddit animum pronum ad rursus peccandum, atque etiam adeo ineptum ad bonum.

Quid per reliquias peccatorū intelligatur.

Hanc procliuitatem ait non esse qualitatem realem, aut rem aliquam absolutam, sed respectum quemdam rationis, quo intelligimus, ex quo aliquis peccauit esse magis expositum periculo peccandi, quàm prius esset. Bellarminus lib. 1. de Extrema Vnctione cap. 8. confutata opinione Scoti, & ista D. Thomæ media quadam via incedere videtur, inquit enim, reliquias peccatorum, quæ sunt proprius effectus huius Sacramenti esse duplicis generis. Primi sunt peccata, quæ interdum manent post omnia alia Sacramenta, siue mortalia, siue venialia sint: potest enim contingere, quod quis post confessionē, communionem in peccatum mortale incidat, & ignoret eo peccato se teneri, vel quod confessionem, & communionem non ritè egerit, & hoc ipse ignoret; & istæ sunt reliquiæ peccatorum, quæ per hoc Sacramentum deleantur.

Bellarm.

Secundum genus reliquiarum peccati est quidam torpor, & mœror, & anxietas, quæ ex peccatis relinqui solet, & quæ maximè hominem vicinum morti vexare potest, & istæ sunt, quæ per hoc Sacramentum dimittuntur.

Hæc opinio habet duas partes. Prima est negatiua, quod effectus principalis huius Sacramenti non sit dimittere peccata venialia. Secunda, quod sit dimittere huiusmodi reliquias. Prima pars probatur, & principaliter à Soto, quē deinde alij secuti sunt, & primò sic. Peccatum veniale est quoddam ligamē, & proinde eius dimissio non potest esse nisi per quandam absolutionem sacramentalem, & aliquem dolorem, vel actū dilectionis. At in forma Sacramenti Extremæ Vnctionis nullū est verbum, quod habeat figuram absolutionis, neque ex forma huius Sacramenti requiritur aliquis dolor, vel dilectio: ergo ex forma huius Sacramenti non habetur, quod dimittat culpam venialē. Sed si per hoc Sacramentum dimitteretur pct̄m̄ veniale, Sacr̄m istud non haberet rationem sacramenti, sed sacramentalis cuiusdam; dimitteret enim peccatum veniale eo modo, quo aqua benedicta, & benedictio episcopalis delent peccata venialia, quod est absurdum: quia tunc non esset sacramentum, sed sacramentale quoddam.

Prima rō, quod effectus Extremæ Vnctionis non sit dimittere venialia.

2. Ratio. Secundò, sacramentum pœnitentiæ, vt patet ex sua forma, ordinatur ad delendum tàm peccatum mortale, quàm veniale: quia licèt peccatum veniale non sit materia propria sacramenti pœnitentiæ, tamen potest dimitti, & de facto dimittitur per absolutionem sacramentalem pœnitentiæ: ergo Extrema Vnctio non ordinatur per se ad dimittendum peccata venialia.

3. Ratio. Tertiò, non est dicendum illum esse effectum proprium, & principalem illius sacramenti, qui alia via, quā per sacramentum haberi potest: sed sic est, quod dilectio peccatorum venialium potest haberi per alia remedia, quàm per sacramentum, scilicet per sacramentalia. Vnde D. Thomas 3. par. quæst. 65. art. 1. concedit ad remissionem venialium nullum esse sacramentum institutum, sed satis esse præter sacramentum pœnitentiæ plura sacramentalia: ergo non est dicendum sacramentum Extremæ Vnctionis institutum esse ad delendum peccata venialia.

4. Ratio. Quartò, si remissio venialium esset effectus Extremæ Vnctionis, sequeretur, quod ita commodè posset ministrari sanis, sicut infirmis; sed falsum est ministrari posse sanis, vt patet ex verbis D. Iacobi, qui dicit, *si quis infirmatur*, &c. ergo. Consequentia probatur: quia peccata venialia quotidie committimus: ergo adesset materia

nis, sed negat se deposuisse vt notarius scripsit, tunc est distinguendum; Nam vel tractatur de puniendo ipsum testem de falso, & tunc tantùm creditur testi, quantum notario; vel tractatur cui magis sit credendum, & tunc creditur magis notario. Tamen Iulius Clarus subiungit, quod ad tollendum omnes controuersias, bonum esset, quod iudices assisterent notario in recipiendis testibus. Nam eo casu non auditur testis postea dicens se non ita deposuisse, vt scripsit notarius, immò si tunc contrarium deponat, potest puniri de falso.

Alia exceptio contra testes.

179 Alia exceptio est, quod testes sint singulares, de qua supra dixi, quod non sufficiunt ad pœnam ordinariã, sed ad extraordinariam, vel ad torturam prout iudici videtur pensatis qualitatibus delicti, personarum, & dictorum.

Alia exceptio contra testes.

180 Alia exceptio est, quod testium dicta non concludant. Hoc contingit cum testis non reddit causam sciẽtiæ, hæc enim conditio simpliciter est necessaria, vt supra dixi, aliàs dictum eorum non probat, nec facit indicium. Possunt etiam exceptiones contra testes adduci secundũ contingentiam facti, de quibus tunc iudex, & aduocatus prudens iudicare poterit. Hæc Iulius Clarus in reliqua parte illius quæstionis.

Quid si dictum testis est obscurũ

Sed quid dicẽdum, si dictum testis sit obscurum? Respondetur esse interpretandum in fauorem rei. Glosa in cap. *in præsentia*, de probationibus, & cap. *inter delectos*, de fide instrumentorum, quod intelligitur ordinariè, & regulariter, quia in certis casibus iudicatur contra reum, vt in testamento inofficioso iudicatur in fauorem testamenti; in causa matrimoniali, in fauorem matrimonij; in causa libertatis, in fauorem libertatis hominis; in causa possessionis, in fauorem possidentis; in dotibus, in alimentis, in causis pijs semper iudicatur in fauorẽ pietatis.

181 Sed dubium est, an testis de auditu sufficiat ad probationem plenam? Respondetur siue sit actus, qui solo auditu percipiatur, vt blasphemia, siue sit actus in facto, quod videtur, requiritur, quod testis sit de visu proximo, & immediato, quia vox potest fingi, & quis circa illam potest decipi: ideò non sufficit, si quis dicat, audiui Titium blasphemantem, si illum non vidit blasphemantem, sed necesse est, quod sit sibi præsens, ita quod videat illum dum blasphemat. Iulius Clarus quæst. 21. num. 3. Si etiam deponat inverisimilia, vel impossibilia, vt si dicat, se vidisse de noctu Caium occidisse Seium, & tamen dicat non luxisse Lunam, neque aliquod lumen accensum adfuisse, vel erat ita distans, vt non posset cognoscere, vel videre factum, vel personas concurrentes ad factum, de quo testificatur, repellitur à seipso, nec illi fides adhibetur.

An dicere falsum testimoniũ sit semper peccatum mortale.

182 Vltimo loco propositum erat, an dicere falsum testimonium sit semper peccatum mortale. De hoc dubio egimus suprà agendo de iuramento, & mendacio. Sed breuiter dicitur, quod quoties adest iuramentum, semper est peccatum mortale: solent autem testes semper cum iuramento de dicenda veritate interrogari. Secluso autem iuramento, considerando testimonium falsum secundum se, tunc est peccatum mortale ex suo genere, tamen propter leuitatem materiæ potest esse veniale. Sed dubium est, an omne mendacium in iudicio sit peccatum mortale, & videtur quod sic, quia semper præmittitur iuramentum de dicenda veritate in ijs, de quibus interrogabitur, ergo quodlibet mendacium etiam de re vili, & leui erit periurium. De hac re Caietanus 2. 2. quæst. 69. art. 2. & Soto lib. 5. de iustitia, & iure quæst. 6. art. 1. contendunt, Caietano asserente semper esse peccatum mortale, & negante Soto. Mihi videtur vera opinio Soto. Sed hac ratione quam ipse non tangit, quia intentio iudicis est dare iuramentum de dicenda veritate in substantialibus, non accidentalibus, ideò mendacium in substantialibus est periurium, non in accidentalibus, cuiusmodi sunt, quæ sunt de materia leui, ideò mendacium in his non est peccatum mortale, quia non est periurium, cum non sit contra mentem iudicis præbentis iuramentum. Quod confirmatur ex dictis nunc suprà agẽdo de exceptione testis quò ad falsum; nullus enim habetur pro falso teste, nisi in substantialibus dicat falsum, & mendacium. Sed quid si putabat se dicere verum, & tamen deinde recordatus est se falsum dixisse in damnum proximi? Respondetur teneri ad corrigendum se, si possit sine sua infamia, & periculo magno vitæ, vel honoris, quia sic testificando non peccauit.

183 Suprà agendo de conscientia erronea multa diximus de aduocato. Breuiter nunc occurrit dicendum, aduocatum esse eum, qui apud eum, qui iurisdictioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel alterius desiderio contradicit, & qui ex professo huiusmodi causis agendis incumbit. — De aduocato.

184 Dubium primum est, an teneatur patrocinari gratis pauperibus. Respondetur non semper teneri, sed tunc tãtùm, cum videt pauperi aliter prouideri non posse. Prima pars patet: quia patrocinari pro paupere est opus misericordiæ: ad opera autem omnia misericordiæ nemo tenetur, quia est impossibile: ergo ad illa non tenetur, quæ eum latent, vel ab eo remota sunt, nec quærere tenetur indigentes, nec tenetur ad illos, qui ab alijs subleuantur, sed solum in extrema, vel graui necessitate; Vnde si alicui indigenti patrocinio alius subuenire possit, & sit in promptu, non tenetur sub pœna peccati mortalis. Probatur hæc secunda pars, quia dicitur Ioannis 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera misericordiæ suæ ab illo, &c.* Et primò tenetur ad magis proximos, si omnibus non possit, iuxta illud 1. Tim. 3. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet fidem negauit.* — Dubium primum. An gratis patrocinari teneat.

185 Verùm occurrit difficultas circa illud dictum, quod tunc quis excusatur à peccato mortali, si non faciat opus charitatis, quando alius sit in promptu ad succurrendum pauperi illi: nam vnusquisque semper solet se excusare cum non facit eleemosinam pauperi, vel aliquod simile opus charitatis, dicendo quod alij meliorẽ commoditatem habent, quam ipse. Sed breuiter est dicendum, hoc intelligi sic, quod excusatur tunc quando adsit alius in potentia proxima paratus ad subueniendũ, ita vt firmiter credat eum subuenturum illi pauperi in illa necessitate; quod si de proximo videt neminem esse adiuuaturum, tenetur adiuuare sub pœna peccati mortalis. Hoc idem dicendum de medico.

186 An verò aduocatus causam iniustam tueri possit, diximus suprà agendo de peccatis contra conscientiam, vbi ostendimus quomodo suam conscientiam in causis dubijs formare possit.

187 Quantum ad stipẽdium, certum est aduocatum posse petere stipendium pro suo patrocinio: peccat tamẽ quando petit de eo, quod non est sibi debitum, vel maius, quàm sit sibi debitum. Quantum verò sit præmium, & stipendium debitum, non potest quædam certa regula determinari, sed considerandæ sunt circumstantiæ rei, locorũ, tpis, & personarũ. Nam pro qualitate negotij, causæ, laboris, peritiæ, curę, & industrię, aduocati taxandum est stipendiũ, & hoc verum est, vbi per legẽ, & consuetudinem stipendium non est taxatum. Conuentio autem de certo stipendio siue vincat litem, siue non vincat, potest fieri ab aduocato cum cliente, immò & de certo aliquo palmario sibi dando vltra stipendium si vicerit litẽ; sed debet fieri hæc conuentio in principio, vel fine litis, non autem in medio. Dicit tamen Nauarrus in Manual. cap. 25. nu. 30. quod si sine dolo, & fraude fiat in medio, non putat peccare in foro conscientiæ, quia inquit, tunc cessat præsumptio, qua in hoc casu nititur forum externum, scilicet, quæ est, ne fiant fraudes ad vincendum litem. Non potest etiam pacisci de quota parte litis, puta dimidia, aut tertia, aut quinta sibi danda, ne præbeatur occasio volendi vincere per fas, & nefas, ex iuribus adductis à Nauarro vbi supra. Si verò litigator transigat cum ad-

— De stipendio aduocati.

uersario

uersario sine dolo, & fraude, quia scilicet videt litem dubiam, non tenetur soluere totum stipendium, sed partem pro rata laboris; secus si dolo, & fraude transigit, tunc enim potest totum stipendium petere, quia per ipsum non stetit, & hoc nisi aliquod aliud pactum fuerit inter illos: & idem dicendum, si aduocatus fortuito casu non possit fungi officio suo, debet enim habere stipendium pro rata parte, qua laborauit.

188 Cauere autem debet præ cæteris aduocatus à falsitatibus, dolo, & fraude in defendenda causa, & maximè ne sit præuaricator; præuaricator autem, vt diximus loquendo de accusatore, est qui fauet parti aduersæ publicè, vel occultè. Item qui aduersario indicat secreta notabilis momenti suæ partis.

Præuaricator quis.

De notario Capitula iurata à notarijs.

189 Quò ad notarium, seu tabellionem, Nauarrus cum Doctoribus à se allegatis in Man. cap. 25. num. 52. ait in his peccare mortaliter. Primò cum non seruat aliquod capitulorum à se iuratorum, quorum primum est, quod conficiet instrumenta, de quibus rogatus fuerit nil veritatis tacendo, nec falsitatis miscendo. Secundum, quod non reuelabit, quod secretò sibi commissum fuerit, nisi iusta de causa. Tertium, quod non conficiet aliquod instrumentum scienter de aliquo contractu vsurario, nec de alio quouis illicito. Quartum, quod retinebit de omnibus instrumentis, quę dederit prothocollum, seu registrum. Quintum, quod erit fidelis ei, à quo est creatus notarius, & admonebit eum ea, quæ sciuerit in eius damnum vergere. Sextum, quod nullo amore, odio, spe, vel timore officio suo abutetur.

190 Peccat deinde si occultat instrumentum necessarium parti, vel rumpit, vel mutilat, aut falsat. Item si per ignorantiam, aut malitiam malè aliquod instrumentum confecit addendo aliquas clausulas obscuras, vel necessarias omittendo, propter quas aliquis suum legatum amittit. Item si debitas solemnitates omittit dolo, aut lata culpa; quæ sunt nomen notarij, signum, testes, dies, mensis, & annus. Item qui die festo propter auaritiam conficit instrumentum, cum in alium diem commodè differre possit. Et qui rogatus à pauperibus non habentibus vnde soluere possint, non vult scribere eorum instrumenta, nec in publica forma tradere: licèt quando adest facultas soluendi, licitè possit mercedem suam petere, quæ taxanda est secundùm consuetudinem locorum, vel pensatis debitis circunstantijs, vt dictum est suprà de aduocato.

De reliquis pertinentibus ad complementum iudicij. Caput Octauum.

191 ACceptis informationibus testium, & indicijs sufficientibus, procedit iudex ad citandum, vel capiendum reum. Si reus non compareat contra contumacem, tanquam contra confessum proceditur ad condénationem; fuga enim seu contumacia sufficit pro confessione. Iulius Clarus in practica criminali quæst. 45. num. 1. & est communis sententia; Si verò spontè compareat, vel capiatur, solent iudices statim adhibito notario super crimine eum interrogare, & eius examẽ, quod vulgò *constitutum* dicitur, in acta redigi facere, (licèt de iure communi secus, sed consuetudo præualet) & si neget delictum, examinatur nihilominus super eo delicto, & reus tenetur respondere; & si reus nollet respondere, vel responderet per verba dubia, vt non recordor, nescio, vel peteret dilationem ad respondendum, vel petat copiam processus, & indiciorum contra se antequam respondere velit, non est ei danda, sed potest, & debet cogi per torturam, vt respondeat ad interrogata clarè, & dilucidè. Et hoc intelligitur, vt diximus suprà, dummodo contra reum constet de fama, vel de indicijs, vel adsit semiprobatio, quia aliter non teneretur, & iniuriam faceret, si his non existentibus cogeret reum respondere per torturam. Iulius Clarus eadem quæstio. num. 6. & 9. (Sed reus posset hoc incommodum fugere negando, quia tunc non cogitur fateri veritatem, & potest intendere, quod non fecit delictum illud publicè, &c. vt suprà diximus.)

Reus nolens respõdere debet cogi per torturam.

192 Solent etiam de consuetudine iudices statim in principio examinis præmittere delationem iuramenti reo, & testi de dicenda veritate; quam practicam tamen multi damnant, licèt ab ea recedendum non esse dicant propter consuetudinem, quia, inquiunt, datur occasio reo peierandi, quia nullus reus propter huiusmodi iuramentum fatetur delictum. Sed vt dixi suprà cap. 3. in fine, hæc practica non est illicita, neque peccat iudex dando iuramentum, neque reus negando veritatem, quia intentio iudicis in dando hoc iuramentum debet esse, vt dicat veritatem in foro iudiciali, & publicè si tenetur eã dicere in foro iudiciali, & publicè: quia nõ est præsumendum, quod iudex velit reum fateri delictum contra rationem rectam, & debitum modum. Intelligit ergo, qd reus fateatur delictum, si illud est publicum, vel notoriũ, non autem si est secretum, & occultum: ideò si reus scit delictum esse occultum, vel licèt sit publicum, idest commissum coram duobus, vel tribus, non tamen adhuc scit curiam esse informatam de hoc delicto, neque deuenisse ad publicum forum, non tenetur fateri delictum, sed solum quando ex examine, & productione dictorum testium iudex conuicit reum, se scire reum, delictum illud commisisse, & eum esse conuictum, vel saltem esse semiplenè probatum delictum. Vnde videmus, quod licèt reus in principio neget delictum, deinde fateatur, non punitur tanquam periurus de consuetudine in foro exteriori, vt suprà diximus: ergo signum est, quod non habetur pro periuro. Nulla autem ratio assignari posse videtur, nisi quia negando intendit negare non absolutè se fecisse delictum, sed non fecisse publicè, & notoriè, & eo modo, quo iudex prætendit, & sic non peccat, nec est periurus.

De iuramẽto dando reo, & testib. i principio examinis.

193 In examine autem, seu constituto faciendo debet iudex recto tramite procedere ad inuestigandam veritatem, non autem vt reum inuoluat, & sine mendacijs, quia nunquam licet mendacium dicere, neque debet facere interrogationes, quibus ipsi reo auferat suas defensiones. Exemplum affert Iulius Clarus eadem q. nu. 11. Vt si reus confiteatur, se aliquem percussisse, aut vulnerasse, non debet iudex eum interrogare, an ille ex illo vulnere decesserit, quia ex hac interrogatione aufert reo facultatem probandi, quod ex illo vulnere ille non est mortuus; Neque illa interrogatio iuuat fiscum, quia satis est fisco, quod ille vulneratus mortuus sit, ex hoc enim satis fundat intentionem suam, quod ille reus per illud vulnus, illum interfecerit. Et sic de alijs. Qua in re opus est experientia, & practica magna in examinando.

194 Si reus in examine fateatur delictum, poterit puniri ex tali confessione, præmissis tamen defensionibus, vt infra dicam; Si verò neget, debent testes iam examinati repeti de nouo cum iuramento, ac si nunquam fuissent examinati; & si sint tales testes, quibus nõ esset adhibenda fides, sine tortura debent de nouo torqueri; ac omnia illa fieri, quæ in primo examine facta fuerunt. Et debet reus citari ad videndum eos iurare, & deponere contra eum, & facere confrontationem, vt videatur quid reus respondeat, & an testes persistant in depositione. Et Iulius Clarus prædicta q. num. 13. & 14. dicit repetitionem testium prædicto modo esse de substantia processus, quia testes examinati antè litem contestatam, idest ante interrogationem, & depositionem rei, nullius sunt valoris; tamen confrontationem dicit non esse de substantia, licèt quandoque sit in vsu, maximè quando depositio testis non potest verificari, nisi ex inspectione rei; tunc enim necesse est, vt testis in præsentia reum recognoscat. Sed in casu solius recognitionis testis non debet exiberi solus propter periculum subornationis, sed cum alijs quattuor, vel quinque, qui sint similes quantũ

Reus confessus punitur.

tiem

fieri poterit persona, vestibus, &c. Et quandoque alium pro alio adducere, vt in iudicio D. Athanasij contigit; Nam cum accusaretur à quadam muliere subornata ab Arianis, quod eam carnaliter cognouisset, & hoc in Concilio publico assereret, loco D. Athanasij se se obtulit in Concilio N. fingens se esse Athanasium, & dixit, ego ne mulier violaui te? illa autem petulanter respondit, maximè, tu tu quidem me violasti, & petebat vindictam à iudicibus. Vnde hoc modo falsitas mulieris est cognita, & eius petulantia reiecta, & D. Athanasius, vt innocens absolutus fuit. In casu tamen sancti officij vitanda est confrontatio testium cum reo, quia in eo officio prohibetur publicatio nominum testium. Pegna in Directorio 3. p. comm. 23.

Exemplũ D. Athanasij.

195 Facta depositione testium, & confrontatione, solent iudices priusquam reum carceribus, vel fideiussoribus relaxent, petere licentiam à reo procedendi ad formandum processum vsque ad sententiam inclusiuè, & ea obtenta, facere eis monitionem generalem, vt singulis diebus, & horis adesse debeant processui faciendo per ipsum iudicem, tàm circa receptionem testium, quàm quæcunque alia vsque ad diffinitiuam sententiam, quæ monitio, præcedente licentia prædicta, operatur quod non requiritur amplius citatio; sed si non præcedat licentia, posset reus appellare ab hac monitione, protestando, quòd vult ad omnes actus citari, & tunc monitio illa nullius esset momenti.

196 Deindè solent publicare processum offensiuum, atque decernere copiam processus reo, atque intimare ei certum tempus ad se defendendum; & si reus petat aliquando dilationes temporis, de consuetudine poterit iudex eas concedere, quæ sibi videbuntur licitæ, Iulius Clarus quæst. 49.

De defensionib. reorum.

197 Tunc reus facit suas defensiones, quæ ex pluribus capitibus desumuntur, primò per exceptionem de nullitate processus; processus autem validus est ille, in quo seruantur omnia solemnia, & substantialia secundum ordinem iuris; inualidus verò, & nullus est in quo aliquid ex dictis solemnitatibus deficit; solemnitates requisitæ sunt, vt præcedat libellus, litis contestatio, publicatio, & conclusio cum alijs solemnitatibus, de quibus habetur in l. 1. & Auth. *offeratur* C. de litis contest. & in l. *prolatam*, & ibi Bartolus, & Doctores C. de sententia. & cap. *quoniam contra* de probationibus. hoc autem intelligitur de iudicio ordinario, secus de iudicio sumario. Sumarium autem iudicium est, in quo iudex sinè solemnitatibus prædictis procedit, sed solum substantialia seruantur, de quo in Clementi. *sæpè*. & diffinitur esse illud, in quo iudex procedit sumariè, simpliciter, & de plano sinè strepitu, & figura iudicij. Sumarium ergo iudicium tunc est nullum, & processus est nullus, quando aliquod substantiale omittitur. Substantialia autem, & accidentalia; per quæ iudicium sumarium distinguitur ab ordinario, explicantur in illa Clementina, & a Glosa ibidem hæc verba. *Iudex qui datus est simpliciter, & de plano & sine strepitu, & figura iudicij procedere potest sinè libello, litis contestatione, & ferijs inductis fauore hominum, amputat dilationes, abbreuiat lites, repellit frustratorias exceptiones, & appellationes, refrenat iurgia partium, & multitudinem testium, dat simul terminum ad ponendum, & articulandum primò, secundò ad producendum omnia acta, & munimenta causæ, interrogat partes vbi suadet æquitas, non citat peremptoriè ad sententiam quam profert stans, etiam conclusione non facta. Citare tamen tenetur, & recipere petitionem in scriptis verbotenus tunc scribendum in actis. Item iuramenta calumniæ, veritatis, vel malitiæ probationes necessarias, & defensiones legitimas, & facta remissione pro testibus producendis, debet tunc instrumentum recipere. Tenetur partes ad sententiam citare, quam tenetur in scriptis ferre etiam secundum acta causæ.* Nullus autem iudex potest procedere sumariè, nisi ex speciali commissione Principis absoluti nullum superiorem agnoscentis, vt notat Glosa in dicta Clementina in principio in verbo *mandamus*, & alij. Nunquam autem censetur Princeps committere, quod iudex agat sumariè, nisi in rescripto, vel litteris expressè dicat, vt sumariè agat, quod est Decisio Rotæ Romæ in decisione 358. & alij, quos Maranta citat part. 4. dist. 9. nu. 5.

Solemnitates requisitæ ad processum.

Iudicium duplex, ordinarium, & sumariũ. Sumarium iudiciũ qd.

Qui potest sumariè procedere.

198 Obseruandum est autem regularibus communiter ferè per suas constitutiones particulares concessum esse, vt in causis procedant sumariè, & nos quidem minores Conuentuales habemus id expressum in constitutionibus Alexandrinis cap. 7. in quo multa statuuntur circa formationem processus criminalis in religione à superioribus, quæ diligenter essent inspicienda. & obseruanda à superioribus, & Prælatis, quia sunt statuta particularia religionis, quæ in illis derogant iuri communi, licèt alia addi, & magis extendi possent, quo loco etiam prohibetur appellatio (Sed hoc statutum eget moderamine propter quorundam superiorum ignorantiam, passionem, & pertinaciam innocentes damnantes, & noxios liberantes, & absoluentes.) Vndè in cap. *olim*, de iudicijs, habetur, quod ordo iuris non est vndequaque à regularibus obseruandum. Vnde licèt non omnino seruandus sit, tamen in quibusdam est seruandus, vt in casu appellationis, cum aliqua iniustitia expressè committitur, vt suprà loquendo de appellatione diximus. Atque regulares sumariè, & de plano procedere debere iuris Canonici peritissimi docent, vt Panutmit. in cap. *si quis contra clericum*, & in cap. *contingat*, de foro competenti. & Lapus allegat. 73. vbi asserunt monachos ad apices iuris non teneri, & fundantur in cap. *qualiter & quando* 2. in fine. de accusationibus, & cap. dicto *olim*, eodem titulo.

Regularibus concessum est, vt procedãt sumariè.
Regula præscripta in constitutionibus Alexandrinis Minorum conuentio. quò ad formationem processus.

199 Redeundo autem ad iudicium ordinarium, multis de causis processus potest esse nullus, quarum 30. adducit Maranta in suo Speculo par. 4. dist. 16. per totum, Iulius Clarus in sua practica criminali quæst. 50. adducit quinque tantùm quas omitto, & q. 51. vsque ad 60. adducit alias exceptiones contra processum, quas reus potest producere in iudicio, & sunt præscriptio temporis à die commissi criminis, quod delictum non sit commissum; exceptio contra testes, de quibus diximus suprà explicando qui repellantur à dicendo testimonium; exceptio contra confessionem propriam; exceptio quod licitè potuit facere delictum à se commissum; exceptio quod aliàs fuerit ab eo crimine absolutus. Item quod habet pacem à parte offensa. Item quod delictum sibi à Principe fuit remissum: potest etiam proponere exceptiones, quæ delictum minuant, de quibus idem Iulius Clarus q. 60. quæ apud eum videri possunt.

200 Factis defensionibus solet publicari etiam processus defensiuus sed hæc publicatio non est necessaria sicut publicatio, & traditio copiæ processus offensiui: quia ista est necessaria ad hoc vt reus possit se defendere; copia autẽ defensiui, nequaquam: quando tamen adesset accusator, posset tradi, & dantur termini tàm reo, quàm accusatoribus ad producendum si quid aliud habent, & his finitis dicitur concludi in causa, idest terminari, & finiri productionem actorum processus. Vnde concludere in causa est reum renuntiare omnibus defensionibus, & probationibus producendis, tunc enim dicitur esse in causa conclusum, quia finis causæ est impositus. Dicunt tamen Doctores in causis criminalibus nunquam cõcludi, quia reus etiam post quascunque dilationes, & terminos, potest semper aliquid adducere si emergat ad suam defensionem. Iulius Clarus q. 61. in fine.

Concludere in causa quid.

201 Vbi nihil vlterius superest ad agendum tàm ex parte accusatoris, quàm accusati, iudex debet diligenter considerare processum tàm offensiuum, quàm defensiuum, & perpendere quid ex ipso processu resultet. Si reus ex indicijs, & probationibus sit conuictus, vel confessus, debet condemnari. Si semiplena resultet tantùm contra eum probatio, debet torqueri. Si verò neque semiplenè est conuictus, tunc tanquam deficiente probatione

Finito processu quid agendum.

tione est dimittendus, & absoluendus. Dixi quod quando contra reum delictum non est saltem semiplenè probatum debet absolui, quia est vera conclusio iuris, quod actore, seu accusatore non probante, reus est absoluendus, ita Iulius Clarus cum alijs q. 62. num. 1. Forma autem absolutionis est, quod si aliter quàm per torturam probet innocentiam suam, absoluitur diffinitiuè, neque potest deindè amplius contra eum ex ea causa procedi, etiam si noua indicia emergant, ex eodem Iulio Claro, quæst. 57. versiculo *sed hic quæro*. Si verò ipse non probat suam innocentiam nisi per torturam, vel si non adsint indicia sufficientia ad torquendum, vel ad imponēdam aliquam pœnam extraordinariam, tunc absoluitur quidem, non tamen diffinitiuè, sed stantibus rebus prout stant: & hoc casu si superueniant noua indicia, de nouo contra eum proceditur non obstante tali absolutione. Qui etiam per torturam purgauit indicia, deberet fortè absolui diffinitiuè, nihilominus Iulius Clarus eadem q. 62. ait consuetudinem obtinuisse, vt ille etiam dimittatur sub hac forma, rebus stantibus prout stant.

Forma absolutionis iudicialis.

Quādo de nouo proceditur cōtra reū nō obstāte absolutione.

An si reus absoluatur actor in expensis debeat condemnari.

202 Quādo reus absoluitur, debet ne actor condemnari in expensis? Respondetur ex Iulio Claro eadem q. num. 4. quod si accusator debet condemnari, condemnari debet de calumnia. Calumnia autem est duplex, scilicet vera, & præsumpta; Vera est quando quis sciens, aut scire debens aliquem esse innocentem imponit contra eum accusationem, aut quærellam; Præsumpta est quando accusator non probat delictum, vel quando post cœptum iudicium ab accusatione desistit; in his enim casibus præsumitur calumniari. Loquendo de calumnia præsumpta, nunquam calumniator condemnatur in expensis; Loquendo de calumnia vera si iudex procedit simpliciter super accusatione, seu quærella, accusator debet puniri in expensis, & damnis; Si verò iudex procedit simpliciter ex officio, & instante solo fisco, dicendum est fiscalem procuratorem non condemnari in expensis, quia de ipsis officialibus benè præsumitur. Si procedit ex officio, sed alio instigante, & prouocante inquisitionem, si talis promotor est verè calumniator, debet in expensis condemnari. In foro autem conscientiæ non tenetur delator, nisi de dolo, & lata culpa, vt aliàs suprà dictum est. Et in eodem iudicio absque nouo processu calumniator potest condemnari, sed debet præcedere sententia absolutoria delati, & deinde condemnatoria accusatoris. Sed quid si accusator dicat, ego volo stare cum reo in tortura, & eum conuincere, debet ne audiri? Respondit Iulius Clarus ibidem nu. 6. negatiuè, si enim hæc practica admitteretur, multa sequerentur absurda.

Delator in foro conscientiæ nō tenetur nisi de dolo, & lata culpa.

Quid si accusator dicat se velle stare in tortura cum reo, & cū cōuincere.

203 Quandoque autem cum delictum est semiprobatum, loco torturæ, indicitur reo purgatio canonica, de qua in Decretali tit. de purgatione canonica, sed in foro seculari non est in vsu, maximè verò in Ecclesiastico, & maximè inter regulares. Et si reus purgat se, absoluitur: Sin minus, vt reus condemnatur. Vt plurimum verò subijcitur torturæ, sed diligenter debet cauere iudex, quoniam si iniustè torqueat aliquem, & moriatur in tormenta, debet plecti capite; & si non moriatur, punitur pœna extraordinaria. Non est autem inferenda vbi pro delicto non imponitur pœna corporalis, & vbi delictū potest aliter probari, quàm per torturam, quia ad torturam non deuenitur, nisi in subsidium aliarum probationum, & si delictum est permanens, debet prius constare de corpore delicti, & facilius deuenitur ad torturam in delictis occultis, vt sunt adulterium, venenatio, falsum, & similia. Quæ indicia sint sufficientia ad torturam, dixi suprà agendo de indicijs, & testibus. Quæ personæ verò torqueri non possint, fusè ibi Iulius Clarus tradit, vide si placet ibi.

De tortura

Cauenda à iudice in tortura dāda.

Quid si reus appellet à decreto torturæ.

204 Habitis ergo indicijs sufficientibus, iudex facit decretum veniendi ad torturam, quo facto reus subijcitur torturæ. Sed quid si reus appellet ab illo decreto, quæ est appellatio à sententia interlocutoria? Respondit Iulius Clarus eadem quæst. num. 29. ex consuetudine esse sublatam omnem huiusmodi appellationem in criminalibus ex statutis specialibus; tamen de iure communi dicit supersedendum esse à tortura secundam communiorem opinionem, quia stante appellatione nihil est innouandum. Quando autem sunt plures rei torquendi, incipiendum est regulariter à magis suspecto; sed quando sunt æqualiter suspecti, incipiendum est à timidiori, & debiliori, sic Iulius Clarus eadem q. num. 28.

Gradus torturæ.

205 Decreta tortura iudex debet scire varios esse gradus torturæ, neque enim omnes rei eodem modo torquendi sunt, sed aliqui grauius, aliqui leuius secundùm qualitatem delicti, & indiciorum, quæ in processu resultant, & in hac re maximā partem habet iudicis arbitriū, quia de hac re certa regula trahi non potest, cum casus sint accidentales, & varij. Inquit tamen Iulius Clarus ibidem num. 30. quod secundùm aliquos, gradus torturæ sunt quinque. Primò minæ de torquendo. Secundò conductio ad locum tormentorum. Tertiò spoliatio, & ligatura. Quartò eleuatio in eculeo. Quintò squassatio. Sed ex consuetudine, & communiter ait, quod sunt solū tres gradus in tortura. Primus est terrere; & ad hunc reducuntur quattuor primi gradus superius adducti, ligatura tñ qñ esset atrox, in numero tormentorū ponitur. Secundus est ponere in tormentis, & in tormētis interrogare, hoc est eleuare, & in suspensione per aliquod tēpus notabile tenere. Tertius est torquere, hoc est squassare, & hi gradus verificantur in vno ictu funis. Acris tortura est quando duo ictus funis dantur, & hæc est plena tortura. Notat ergo Iulius Clarus num. 32. quod si non adsint indicia perfecta, & sufficientia ad torturam, puta si adsit vnus testis de visu, qui non sit integer, vt si sit infamis, vel adsint duo testes singulares deponentes de indicijs remotis, vel huiusmodi poterit iudex procedere ad primum gradum torturæ, vel secundum, non autem ad plenam torturam, quia ad hanc non debet deuenire, nisi adsit vnum indicium sufficiens, idest vnus testis omni exceptione maior, vel simile, & denique nisi adsit semiplena probatio. Aliqui dicunt pro quolibet indicio debere dari tres ictus funis, sed Iulius Clarus eam opinionem reijcit, & ait consuetudinem esse, quod si plura sint indicia, pro omnibus computatis simul dantur duo, vel tres ictus, & nō vltra; & qñ indicia sunt plura, & vrgentia, torquetur reus interpollatis diebus, & hoc nisi Princeps aliud pcepit. Cum autem reus est semel sufficienter tortus, non potest repeti tortura, sed solum cum prima vice est leuiter tortus; Vnde iudex facit scribere in actis, quod eum deponit à tortura animo repetendi eam.

206 Obseruat etiam iudices non debere vti exquisitis tormentis, sed illos duos, scilicet torquere per funem, & quando adsit impedimentum torquere per ignem appositum ad plantas pedis esse à iure, & consuetudine approbatos, & non alios: & iudices alio modo torquentes, esse carnifices, & non iudices. Denique in tortura ait esse seruandam consuetudinem prouinciæ, & vt dixi suprà, debet esse cautus iudex: quia si dolo excederet, tenetur de homicidio. Si reus in tortura nihil fateatur, debet iudex eum dimittere, & absoluere, non absolutè, sed stantibus deductis, &c. & cum fideiussione de se præsentantando toties, quoties, & si noua superuenerint indicia, potest iterum torqueri, vt dixi suprà. Quandoque etiam quando indicia sunt vrgentia solet deueniri ad condemnationem ad pœnam extraordinariam, maximè si reus sit valde famosus. Si verò in tormentis reus confitetur, adhuc non est standum illi confessioni, nisi illam extra tormenta ratificauerit, & in illa perstiterit, quæ ratificatio debet fieri post torturam saltem per vnum diem, quia si statim fieret, censeretur eam facere metu tormentorum; debet etiam fieri extra carcerem, ad bancum iuris, vbi non adsint tormenta, quia videretur metu tormentorum illam facere. Si verò non velit ratificare, debet repeti tortura, non tamen plusquam bis, vt suprà di-

xi. Si

xi. Si verò ratificet, debet iudex dare ei terminum ad allegandum suas defensiones contra confessionem suam, & iste terminus est dandus, alioqui fit iniuria reo: quia iam dictum est, quod in causa criminali non concluditur, ideò posset adducere probationes contra suam confessionem, & se innocentem probare, non probando autem debet damnari. Iulius Clarus eadem q. num. sequẽtibus. Quando reus extra tormenta confitetur delictum absque alia confessione in tormentis, potest damnari. Iulius Clarus q. 65. Idem dicendum si reus sit plenè conuictus, debet enim damnari.

Quid si iudex sciat reum esse innocentẽ. D. Tho. 2. 2. q. 67. ar. 2 & alij multi.

207 Sed quid si iudex scit reum esse innocentem, & tamen videt eum ex allegatis esse verè conuictum, vel confessum vi tormentorum legitimè inflictorum? Respondetur esse communem opinionem, eum posse condemnare, neque peccare: quia non secundùm conscientiam, & vt persona priuata, sed vt persona publica, & secundùm acta, & allegata debet iudicare, tenetur tamen vti omni diligentia, vt innocentem liberet. Non tamen tenetur abstinere à munere iudicandi, licèt Abbas, & Imola in cap. 1. de officio ordin. oppositum tenuerit, quia communis opinio est in contrarium ait Iulius Clarus q. 66. num. 2. potest tamen instare apud Principem, vt illum ab illo onere exoneret, vel causam illam alteri delegare.

Quid si delictum sit probatum pro parte, & pro parte non.

208 Sed quid si delictum pro parte sit probatum, & pro parte non? puta aliquis accusatus est, quod percusserit aliquem vsque ad sanguinem; probata est autem percussio, sed non qualitas, scilicet vsque ad sanguinem, quid agendum? Respondetur, quod etiam non probata qualitate condemnatur de principali delicto, de quo est cõuictus, quia lex semper concludit ad commodum fisci, & iustitiæ complementum, ita Iulius Clarus eadem q. 66. num. 4. non tamen condemnabitur de qualitate non probata, sed solum de delicto principali probato. Idem Iulius Clarus quæstio. 31. versiculo *super quibus*.

Absoluto pcessu deueniẽdum est ad sententiam.

209 Absoluto processu deueniendum est ad sententiam, & ad condemnationem rei ad pœnam debitam delicto secundùm iura, & pro qualitate delicti debet imponere pœnam, neque iudex potest pro libito remittere pœnam, neque non punire reum, vt suprà diximus: à iure autem statutæ sunt pœnæ delictis, quæ videndæ sunt apud iuris Doctores, & eas prosequitur Iul. Clarus in practica criminali quæst. 67. & reliquis sequentibus, ad quẽ lectorem remitto. Scire autem debet crimina principalia esse ista, quæ, & qualia sint, & quibus pœnis puniatur, & explicantur à Iulio Claro in eadem practica criminali lib. 5. Adulterium, assassinium, blasphemiam, falsum, fornicatio, furtum, hæresis, homicidium, incestus, iniuria, læsæ maiestatis, ludus, parricidium, periurium, raptus, sacrilegium, sodomia, stuprum, vsura. Alia sunt delicta, de quibus homo est puniendus, de quibus alij.

Crimina principalia puniẽda q.

Apud regulares sunt omnia illa, quæ sunt contra vota essentialia, & in detrimentum monasterij cedunt, & in eorum constitutionibus, & inter alia bonorum monasterij decoctio, & dilapidatio, de quibus egimus suprà cap. 2. qui reliqua cupit videre exactè, ea perquirat apud Iurisperitos, hæc enim tetigimus, vt nostra hæc legentes, aliqualem cognitionem de peccatis, quæ in iudicio publico committuntur, habeãt. Regula enim firma est, quod cum iudex, & alij in iudicialibus actibus concurrentes aliquid contra iura, quæ per consuetudinem non sunt abrogata, vel extra consuetudinem laudabilem, & receptam dolo, vel lata culpa, & ignorantia culpabili agũt, peccant lethaliter, & de damno illato tenentur ad restitutionem, vt ex dictis suprà patere potest, clarum est enim nullibi ferè maius damnum inferri proximo, quàm ex iniustitia facta proximo in iudicio publico: Si enim qui iustitiam ministrare debent, eam subuertunt, actum est de Republica, & bonis omnium particularium.

Crimina puniẽda apud regulares quæ.

FINIS.

DISPVTATIO THEOLOGICA

De Sacramento Extremæ Vnctionis,

F. PHILIPPI FABRI FAVENTINI, &c.

In Quartum Librum Sententiarum.

Distinctio XXIII. Quæstio vnica. Disputatio vnica.

Vtrum Extrema Vnctio sit Sacramentum nouæ legis.

Explicatur essentia, & quidditas Sacramenti extremæ vnctionis. Caput Primum.

CIRCA tractationem huius Sacramenti, primò explicabo essentiam eius, & quæ ad ipsum pertinent, quæ Scotus breuiter explicat vnica quæstione in hac 23. distin. huius libri; deinde quid in controuersia sit positum considerabo.

Quantum ergo ad primum Scotus more suo, vt suprà dist. 1. quæst. 3. art. 1. & 2. vidimus, & explicauimus disput. 4. Circa hoc Sacramentum duo facit. Primò ostendit possibilitatem, & congruitatem institutionis eius, & de facto fuisse institutum. Secundò explicat diffinitionem, & essentiam eius.

Possibile fuit hoc Sacramētum institui.

Quod autem possibile fuerit huiusmodi Sacramentū institui, declarat sic. Possibile est Deum finaliter remittere venialia peccata: ergo possibile est sibi instituere aliquod signum efficax huiusmodi remissionis finalis peccatorum venialium. Consequentia est euidens, & probatur à simili, seu à minori ad maius. Homo potest instituere aliquod signum sensibile practicum efficax ad significandum efficaciter quodcunque opus suum: ergo multo magis hoc potest Deus. Antecedens experientia patet. Videmus enim homines instituere diuersa signa ad significandum operationes diuersas, vt osculum ad significandam pacem, & similia: est ergo clarum etiam Deum posse instituere aliquod signum sensibile practicum efficax ad significandam hanc operationem suam, scilicet remissionem venialium in extremum vitæ.

Congruū fuit instituere hoc Sacramentum.

Quòd etiam congruum fuerit probat: quia congruū est recessurum ab hac vita finaliter à peccatis venialibus absolui. Probatur, quia si peccata venialia non remitterentur homini recedenti ex hac vita essent illi impedimentum ad consequendam gloriam: contingere autem potest, quod homo quantuncunque iustus, & in gratia existens, in exitu, & fine huius vitæ habeat aliqua huiusmodi peccata venialia: quia peccator quasi continuè peccat huiusmodi peccatis venialibus: ergo congruum fuit, vt Deus institueret Sacramentum, quo homo iustus finaliter recessurus ex hac vita absque vllo impedimento rectà tenderet ad gloriam. Quod autem peccata venialia impediant consequutionem gloriæ, Scotus non probat, sed supponit ex doctrina communi Theologorum, quod nihil inquinatum intrabit regnum cœlorum; & quod ideo necesse est omnem culpam quantumcunque leuem dimitti, & purgari; & proinde si homo ex hac vita quantumcunque in gratia discederet, esset onustus peccatis venialibus in Purgatorio, illa purgare cogeretur, antequam gloriam consequeretur, vt ostendimus suprà, agendo de Indulgentijs, & de remissione venialium. Quòd etiam homo quasi continuò peccet peccatis venialibus, patet ex illo, *septies in die cadit iustus*. Prou. 24. & ille *non est homo, qui non peccet*. 3. Regum. c. 8.

De facto hoc Sacramentū fuit institutum à Christo.

Tertiò probat, q̄ de facto huiusmodi Sacr̄m fuerit institutum à Christo Domino ex illo Iac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteri Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei*. Ex eo enim loco habemus hoc Sacramentum institutum fuisse à Christo, & promulgatum à Iacobo, de qua re infra contra hæreticos agemus.

Quod autem hoc Sacramentum fuerit de facto institutum ad delendum peccata venialia in fine vitæ, probat Scotus ex illis verbis Apostoli Iacobi, *& si in peccatis fuerit, dimittentur illi*. Nam infert Scotus illud non potest intelligi de peccatis mortalibus, quia illa dimittūtur per Baptismum, & post Baptismum per Pœnitentiam, ex quo sequitur multo minus intelligi posse de peccato originali: quia illud per solum Baptismum dimittitur. Relinquitur: ergo quod intelligatur de peccatis venialibus. Vnde Scotus colligit in calce illius articuli hanc conclusionē. Possibile fuisse, & congruum fuisse institui aliquod Sacramentum ad dimittendum peccata venialia in fine vitæ, atque de facto illud fuisse institutum: & illud esse Extremā Vnctionem; & hoc est Sacramentū nouę legis.

Quæ sit essentia, & diffinitio huius Sacramenti.

Quantum ad secundum principale, scilicet quā nā sit essentia, & diffinitio huius Sacramenti, Scotus in hac q. art. 2. ponit diffinitionem eius, ex qua habetur, quæ sit materia, & forma huius Sacramenti: quis sit minister, & reliqua omnia, quæ ad ipsum pertinent. Ponit ergo hanc conclusionem in principio secundi articuli. Sacramentū institutum à Christo Domino ad delendum peccata venialia in extremo vitæ vocatur Extrema Vnctio; cuius assignari potest talis diffinitio.

Diffinitio Extremæ Vnctionis

Extrema Vnctio est vnctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione diuina efficaciter significans curationem finalem venialium. Hanc esse diffinitionem bonam, & rectè conuenientem huic Sacramento, probat Scotus. Et primò, quòd hæc diffinitio non sit falsa in se, idest, quod nullam contineat repugnantiam, nec contradictionem. Nam secundùm Aristotelem 5. Metaph. tex. 17. illa oratio, quę continet aliquam impossibilitatem, vt quod diameter sit commensurabilis costæ est falsa; hæc autem diffinitio Extremæ Vnctionis assignata à Scoto nullam cōtinet repugnantiam: quia nulla ex eius particulis repugnat alteri, vel toti diffinitioni.

1. Particula diffinitionis explicatur.

Explicat deinde singulas particulas eius, quatum prima est *vnctio*, quæ ponitur loco generis: omne enim sacramentũ est signum sensibile; differunt verò ex diuersitate signorum: quia aliud signũ sensibile est Baptismus; aliud Confirmatio; & sic de singulis. Sacramẽtũ illud est signum illud sensibile vnctio, sicut in sacro Baptismi signum sensibile est ablutio, & in alijs aliquid tale; in quo significatur materia proxima huius sacramenti: materia autem remota est oleum; sicut in Baptismo materia proxima est ablutio, materia remota est aqua. Hoc autẽ signum, vnctio, est signum valdè conueniens signato, siue effectui huius sacramenti: sicut enim vnctio exterior fit ad curandum morbum aliquem; sic hæc vnctio exterior significat curationem interiorem animæ à culpis venialibus. Reliquæ particulæ ponuntur tanquam conditiones determinantes significationem huius signi.

2. Particula explicatur. Quib. hoc Sacramentum cõferri debeat.

Secundo loco ponitur illa particula *hoĩs infirmi* ad declarandum, quod hoc sacr̃m non est quęcunque vnctio hoĩs. Vnde ex hac particula elicitur, quod hoc sacramentum non debet conferri sano, nec qualitercunque exposito periculo mortis: quia nõ ei, cui imminet mors ex periculo extrinsecæ violentię, vt armorum, vel submersionis, vel hmôi, nec qualitercunque infirmo, sed periculosè; ita ꝙ probabiliter sibi immineat exitus de statu viatoris ad terminum viæ. Omnes istæ particulæ, & conditiones desumuntur euidenter ex verbis D. Iacobi suprà allegatis.

3. Particula explicatur.

Additur, *pœnitentis*, quia nullus est capax huius sacr̃i dignè, nisi sit in gratia. Ratio est, quia hoc sacr̃m nõ est remedium ad acquirendam gratiam: ad hunc enim effectum ordinata sunt solùm sacr̃a Baptismi, & Pœnitentiæ. Propter hãc circũstantiam excluduntur à susceptione huius sacr̃i omnes ij, qui non sunt capaces pniæ, sicuti sunt paruuli; itẽ perfectè innocentes, qui non habent peccata mortalia, de quibus pęnitere teneantur, neque ẽt venialia: qui aũt habent peccata venialia, possunt, & debent pęnitere: ideò isti possunt suscipere hoc sacr̃m. Excluduntur ẽt amentes, & furiosi nisi per voluntatem expressam procedentem præsumantur voluisse hoc sacramentum, tunc enim præsumitur eos pœnituisse suorũ peccatorum.

Partes in quibus vnctiões fiũt. 4. Particula explicat.

Additur, *in determinatis partibus corporis*. istæ partes, in quibus hæc vnctio fieri debet, sunt organa potẽtiatũ, per quarum actus frequẽter peccatur venialiter: istæ aũt potentiæ sunt quinque sensus exteriores, & potentiæ motiua, & generatiua. Et quia organa istarum potentiarum q̃nque sũt duplicata, seu gemina, vnctio geminatur: quia fit in vtraque parte, vt quia potentiæ visiuæ organa sunt oculi, qui duo sunt, sunt etiã duæ vnctiones, siue in duab. partib. illius organi fit ista vnctio. Organũ potentiæ auditiuæ sunt aures, quæ duę sunt. Organum potentiæ olfactiuæ sunt nares, quæ duæ sunt. Organum potentiæ tactiuæ sunt manus, quæ duæ sunt. Organum gustus est lingua, quæ est vna tm̃, sed fungitur duabus muneribus, scilicet gustandi, & loquendi fit vnica vnctio pro ea quæ fit super os, non in lingua, pp abominationem, & est remediũ contra duplex pc̃tm veniale, quod cõmittitur loquutione, & gustu. Propter organũ potẽtiæ generatiuæ fit vnctio ad lũbos, iuxta illud D. Greg. super illud Lucæ *sint lũbi vestri præcincti*, &c. inquit enim, *viris luxuria in lumbis est*. Propter organũ potentiæ motiuæ fit vnctio in plãtis pedũ: q̃a illa est pars principalis motiua, propter vim progressiuã. Sunt ergo duodecim vnctiones specificæ, seu particulares: quia vt dictũ est, aliquę geminantur pp organa geminata; octo in quattuor sensibus, visu, auditu, olfactu, & tactu. Vna in gustu. Duæ in potentia motiua. Et duæ in potentia generatiua. Principales sunt tm̃ septem. Quinque in organis exterioribus quinque sensuum exteriorum; sexta in organo potentiæ motiuæ progressiuæ; septima in organo principali generatiuæ.

5. Particula explicat. Materia remota.

Additur altera particula, *cum oleo*. in qua explicatur materia remota, quæ est oleum oliuarũ, sicut materia Baptismi est aqua naturalis. Subiungit aũt Scotus, quod hoc oleum debet esse simplex, non mixtum cũ balsamo, vt est oleum quod est materia sacr̃i Confirmationis; & adducit rõnem, quæ est. Quia Confirmatio est instituta ad cõfirmandum hoĩem in fide, atque ad corroborandum eũ in illius confessione; in hmõi autem confirmato requiritur non solũ puritas cõscientiæ, quę significatur per oleũ, sed requiritur ẽt odor bonæ famæ significatus per balsamum. At in eo, qui in breue est exiturus de via, sufficit nitor conscientiæ: ideo in hoc sacr̃o Extremæ Vnctionis pro materia solum oleum sufficit. Nam vt diximus suprà in sacr̃o Confirmationis disp. 27. num. 3. oleum sanctum est triplex, scilicet oleum Chrismatis; quod appellatur sãctum Chrisma; & hoc habet admixtum balsamum, & consecratur in die Cęnæ. Est oleum Cathecumenorum, quod est oleum simplex oliuæ benedictum ab episcopo. Est denique oleum infirmorum, quò vnguntur infirmi in extremitate vitæ, quod similiter est oleum simplex oliuæ benedictum ab episcopo, & hoc est materia huius sacramenti Extremæ Vnctionis.

Triplex è oleum sanctum.

6. Particula explicatur. Consecratio ab episcopo requiritur, & quare.

Additur particula, *consecrato ab episcopo*. Quia consecratio episcopalis est necessaria ad hoc, vt oleum sit materia apta. Ratio est, quia communiter in sacr̃is consistẽtibus in vsu solius Baptismus non requirit materiam specialiter cõsecratam, quia materia illius remota est aqua, quam totam Christus Dominus tactu suæ mundissimæ carnis, cũ voluit baptizari à Ioanne, consecrauit, hoc est in vsum prædicti baptismi dedicauit. Alia autem sacr̃a, quæ habent pro materia aliquid corporale, vt vnctiones, requirunt consecrationem, seu benedictionem episcopi, quia vnctiones nunquam benedictæ fuerunt à Christo, vt diximus suprà agendo de Confirmatione disp. 27. nu. 15. cum Scoto, & alijs Theologis.

7. Particula explicatur. Minister huius sacramenti.

Additur, *Ministrata à sacerdote*. in qua particula explicatur minister huius sacr̃i; nam minister huius sacr̃i non solum idoneus, vt licitè exerceat, & ministret sacramentum, sed simpliciter idoneus ad hoc, vt sacr̃m fiat, est solus sacerdos; Vnde si laicus attentet, non solum peccat, sed nihil facit: sicuti si laicus attentet conficere Eucharistiam, nihil facit, & peccat. Quod autem minister huius sacramenti determinatus sit solus sacerdos, habetur ex verbis allatis D. Iacobi, qui dixit, *inducat præsbyteros*, &c.

8. Particula explicatur. Forma huius sacramenti.

Additur, *Simul verba certa cum debita intentione proferente*. in qua particula explicatur forma huius sacramẽti Extremæ Vnctionis, & simul explicatur simultas prolationis verborum formæ cum vnctione, ac intentio debita in sacerdote. Forma est ista, *Per istam sanctã vnctionem, & suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus, quidquid oculorum vitio deliquisti, seu quidquid per oculum deliquisti*, & sic de alijs sensibus, & potentijs. Vnde forma est septuplex, sicut sunt septem vnctiones principales, quorum organa inũguntur; simultas autem prolationis verborum, & vnctionis requiritur eo modo, quo Scotus suprà dist. 6. q. 3. dixit prolationem verborum in Baptismo cum ablutione requiri simul; nimirum eo modo, quo requiritur in actibus humanis, ita quod verba nõ prius proferantur completè, quàm incipiat vnctio, vel è conuerso, sed sufficit quod vnum incipiat antequam alterum finiat. Explicatur etiam, intẽtionem debitã requiri, quæ est, vt intendat facere, qđ facit ecclesia, & ista debet esse actualis, vel virtualis, vt docuit Scot. eadem d. 6. q. 5. & 6.

Epilogus.

Hanc diffinitionem esse completam, & exactã patet: nã in ipsa nihil repugnans, & inuoluens contradictioné, ponitur, atque per eam explicantur omnia requisita ad hoc sacr̃m: explicatur enim suscipiens, siue quis huius sacramenti sit susceptiuus, & dicitur esse hominem pœnitẽtem infirmum: explicantur partes in quibus hoc sacr̃m suscipere debet, quæ sunt organa potentiarum septem, vt visum est: explicatur materia remota, quæ est oleum oliuæ simplex benedictum ab episcopo: explicatur materia proxima, quæ est vnctio septenaria principalis, vel duodenaria partialis, vt explicatum est: explicatur etiam forma, quæ sunt illę septem orationes cum septem vnctionibus principalibus proferendę à sacerdote cum debita

inten-

intentione: explicatur minister, qui est solus sacerdos, quod colligitur ex verbis D. Iacobi, vt suprà diximus.

Præter hęc recolenda sunt, quæ suprà diximus de materia, & forma in omnibus sacr̃is. Nam propriè loquendo: materia huius sacr̃i est totũ signum sensibile, scilicet vnctio cum oleo, & verba: forma verò est relatio significationis curationis animæ à pc̃tis venialibus, sicut suprà agendo de Baptismo, diximus, materiam esse ablutionẽ cum verbis, & relationem significationis ablutionis animæ à pc̃tó esse formam: tñ loquendo sm̃ modum cõem aliorum Theologorum, scilicet, quod illud, quod est minus significatiuũ, & magis determinabile sit materia, illud verò qđ est magis determinatiuũ, & magis significatiuũ sit forma, patet, qđ vnctio est materia ꝓxima, & oleũ materia remota. Forma verò sunt verba prædicta. Nunc remanent q̃dã dubitationes soluẽdæ quod fiet cap. seqq.

Obiectiones hæreticorum adducuntur, & soluuntur. Cap. II.

HÆretici nostrorum ipum sequuti Vueldenses, Albigenses, Vuicleph, & nonnullos alios priores hęreticos negantes hoc sacr̃m, vt est videre apud Guidonem Carmelitam in summa de hæreticis. D. Anto. in summa Theologica p. 4. tit. 13. c. 7. §. 3. Vald. to. 2. de sacr̃is c. 163. Eneam Syluium epist. 130. Bellarm. lib. de Extrema Vnctione, Iodocũ Cotium in suo thesauro, to. 2. lib. 6. Soto lib. 4. dist. 23. q. 1. art. 1. qui alios citant, varias obiectiones contra hoc sacramentum adducunt; præsertim Lutherus in captiuitate Babilonica cap. de Extrema Vnctione. Caluinus lib. 4. institutionum c. 19. §. 18. Kemnitius in examine Conc. Trid. pag. 1102. & alij. Eorum autem obiectiones reijciemus, sententiam catholicam comprobando, præcipuè autem obiectiones sunt istæ.

1. Obiectio hęreticorũ. Prima est contra fundm̃ Catholicorum: nam vt visũ est præcedenti capite fundm̃ Catholicorum, quod Extrema Vnctio sit sacr̃m est auctoritas D. Iacobi allata. *Si q̃s infirmatur inducat presbyteros*, &c. nã ibi habentur omnia requisita ad sacr̃m nimirum symbolum, siue signum sensibile externum significatiuum gratiæ, q̃ est vnctio; habetur promissio gratiæ, *& si in peccatis sit, dimittentur ei*. etiam habetur institutio facta à Christo, quia Iacobus Apostolus hoc non cõmendaret fidelibus, nisi esset institutum à Christo Dño, quæ tria sunt, quæ requiruntur sm̃ oẽs ẽt hæreticos ad essentiã sacr̃i. Modò hæretici dñt primò epist. illam non esse D. Iacobi. Negat enim eam Lutherus: quia nimis apertè in ea est sermo de necessitate operũ bonorũ ad salutẽ, quod euertit principale dogma eius de sola fide. Quod aũt non sit Iacobi probant ex D. Hiero. quẽ de scriptorib. Ecclesiasticis in Iacobo auit dicere veteres iudicasse illam epist. nõ esse Iacobi; & ex Eusebio lib. 2. hist. c. 23. quem dñt asserere epist. illam esse notam. Caiet. etiam in commentarijs in eandem epist. dubitat plurimum, an illa epistola sit D. Iacobi, & dicit rem hãc esse incertã; atque ex salutatione epistolæ, & quibusdam leuibus cõiecturijs hanc dubitationem adauget.

2. Obiect. Secundò dicunt, quod dato, qđ illa epist. sit D. Iacobi, ille nõ poterat instituere sacr̃m, ideo illi nõ esse credẽdũ.

3. Obiect. Tertiò dicunt, quod Iacobus loquatur de vnctione, q̃ tunc erat in vsu ad curandũ morbos corporales; de qua habetur Marc. 6. q̃ aliqui dñt fuisse partim naturalẽ, partim supernaturalẽ. Aliqui verò, esse simpliciter supernaturalẽ, eo modo, quo aqua probaticæ piscinæ curabat, qui illam ingrediebantur: & lutum cũ sputo factũ à Christo, quo curauit oculos cæci nati: non autem volunt eum loqui de Vnctione Extrema, quæ est sacramentum; quod etiam sensit Caietanus in expositione epistolæ illius in eum locum ijsdem ferè rationibus sectariorum.

4. Obiect. Quartò, quia dicunt alium ritum vngendi omnino fuisse tempore D. Iacobi, & alium nostro. Quod probãt; quia Iacobus iubet inungi quoslibet infirmos, qui sanandi erant, & absolutè nullam partem designans. Nos autẽ

solum inungimus, vt ipsi dicunt, semimortuos, qui sanandi non sunt, & designamus certas partes corporis.

Quintò, Iacobus tribuit effectum dimittendi peccata orationi fidei, quia inquit *oratio fidei sanabit infirmum*, non vnctioni. At efficacia sacramentorum non pendet ex fide ministri, maximè secundùm nos catholicos: ergo vnctio illa D. Iacobi non est sacramentum. 5. Obiect.

Sextò, arguunt rationibus. Si vnctio infirmorum esset sacramentum, haberet effectum infallibilem; at non habet: ergo minor probatur, quia inquit Lutherus, *constat, quod paucissimi sanantur, cum tamen promissio huius ceremoniæ sit sanitas corporalis*. 6. Obiect.

Septimò, si ex eo, quod Apostoli inungebant infirmos oleo, debet colligi vnctionem infirmorum esse sacramentum; etiam colligi debet esse sacramentum, quod Dominus luto, & sputo, & aqua Siloe sanauit cæcum, & alia similia, quod est manifestè falsum. 7. Obiect.

Octauò, vnctionis ceremonia sine dono curationis originem habuit partim ab hæreticis, vt à Valentinianis hæreticis, vt patet ex Irenæo lib. 1. c. 18. & ab Etnicis, vt patet ex illo Virgilij. *Corpusque lauant frigentis*, & vngũt. 8. Obiect.

Nonò, ex progressu huius vnctionis colligitur nõ esse sacr̃m, quia initio Apostoli inũgebant oleo simplici ęgrotos, vt illos curarent; deinde cęperunt aliqui addere benedictionem, oleumque consecrare, vt per miracula facta per oleum benedictum à S. Martino apud Sulpitium in vita Sãcti Martini, & Theodoreti hist. religiosa cõspiciẽ. 9. Obiect.

Decimò, non extant exempla antiqua, quod Sancti Viri in extremis agẽtes oleo benedicto perũgi voluerint. 10. Obiec.

Extremam vnctionẽ esse sacramentum probatur.

Antequã ad has obiectiones respondeamus: breuiter probatur hanc Extremã Vnctionẽ esse sacr̃m: Probatur autẽ ea ratione, qua probantur, alia sacr̃a, nempe Baptismũ, Eucharistiam, &c. esse sacr̃a nouæ legis, quæ est. Illud est sacr̃m propriè dictum nouæ legis, quod est signũ sensibile, efficaciter significans gratiam, ex institutione diuina, ordinatũ ad salutem hoĩs viatoris. Vel vt viamur modo loquendi cõi, in quo etiam hæretici conueniunt. Illa ceremonia est sacr̃m nouæ legis, quæ habet tres conditiones. Prima, quod sit symbolũ externum, siue sit signum sensibile. Secũda, quod sit institutum à Christo. Tertia, quod habeat promissionem gratiæ, siue quod infallibiliter cõferat gratiam. Hæc propositio patet, quæ enim habent has conditiones, dicimus esse sacramenta. 1. Ratio pro assertione catholica.

Notabile principale.

Pro cuius intelligentia, nota, quod non habetur ex sacra scriptura hoc, vel illud esse sacr̃m, neque quod signũ sensibile interioris gratiæ sit sacr̃m: neque enim vbi legitur in sacra scriptura, quod Christus Dñs dixerit Baptismum esse sacr̃m, neque Eucharistiam esse sacr̃m, (quæ tñ hæretici ẽt fatentur esse sacr̃a, licèt alio modo, q̃ catholici) sed est ecclesia, quæ cũ videat in sacra scriptura esse rẽ ipsam sacr̃orum explicatam, nempe esse quædam signa sensibilia instituta à Christo Dño cum promissione gratiæ sanctificantis animam, has res, & signa sensibilia appellat sacr̃a nouæ legis: & dicit, hæc esse tm̃ septem: quia nec plura, nec pauciora hmõi signa reperit in sacra scriptura. Et licet in sacra scriptura obseruationi mãdatorũ, orationi, & eleemosinæ, & similibus promittatur gratia, & vita æterna, non tamẽ appellantur, nec sunt sacr̃a: quia ista non sunt signa externa significantia, & efficiẽtia, seu continentia gratiam: sed sunt leges, & ordinationes diuinæ ad quarũ obseruationem Deus dat gratiam. At sacr̃a sunt quædã signa sensibilia ex institutione sua significantia efficaciter gratiam. Baptismus enim est signũ quoddã sensibile externum, scilicet ablutio externa corporis, p quam significatur, quod sicut exterius corpus abluitur à sordibus corporalibus, sic interius abluitur per illã anima à sordibus peccati. Accedit vsus, & traditio ecclesiæ: Vsus enim est explicatio legis. Cum ergo ecclesia semper intellexerit hmõi septem signa instituta à Christo esse sacr̃a, & non alias res, quibus est facta promissio gratiæ, & vitæ æternę; dicendum est hæc sola esse sacramenta. Ex his ergo maiorem istam esse verissimam patet.

Cur eleemosina, oratio, & similia non sint Sacr̃a & cum illis ꝓmittitur gratia.

Minor argumẽti ponitur.

Sub illa maiori sumitur hæc minor; sed sic est, quod Extrema Vnctio est signum sensibile ex institutione diuina efficaciter significans gratiam ordinatum ad salutẽ hominis viatoris: ergo Extrema Vnctio est Sacramentum. Hæc propositio probatur ex allegata Epistola D. Iacobi. Nam vt vidimus, hic habetur symbolum, seu signũ externum gratiæ sanctificantis, quod est Vnctio exterior facta oleo, quæ est curatio exterior à morbis, ideo significat curationem interiorem animæ à morbo peccati. Habetur promissio certa gratiæ iustificãtis, *& si in peccatis erit remittentur ei.* Habetur institutio à Christo, quia Apostolus hanc vnctionem non commendaret, nisi sciret à Christo institutam. Quod si hęretici, vt Kemnitius apud Bellarminium lib. de Extrema Vnctione c. 2. requirant alias conditiones, vt quod institutio talis signi sit facta in nouo testamento, non ad breue tempus duret, & quod gratia ita sit annexa symbolo vt cum exhibetur externum symbolum, gratia conferatur; & quod gratia promissa sit gratia remissionis peccatorum, & quod promissio applicetur ei particulari, qui percipit Sacramẽtum; omnes istæ conditiones sunt in Sacramento Extremæ Vnctionis, vt ibi optimè ostendit Bellarminius. Nã hæc ceremonia est instituta in nouo testamento: quia promulgata est à Iacobo, & scripta in eius Epistola, qui est liber Noui testamenti. Non est ordinata ad breue tẽpus: quia est ordinata, vt exhibeatur infirmis: ergo quãdiu in Ecclesia erunt infirmi, tandiu durabit hoc Sacramentum; Habet annexam gratiam, dicitur enim, *vngentes eum in nomine Domini, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Est promissio gratiæ remissionis peccatorum. *Si in peccatis fuerit dimittentur ei*, demum applicatur particulari personæ, quæ accipit Sacramentum: quia dicitur *vngentes eum*, &c.

In Extrema Vnctio ne sunt omnes conditiones, quæ etiam secũdũ hæreticos requiruntur ad Sacramentum.

Ad primã obiectionẽ hęreticorũ

Nunc oportet soluere obiectiones hæreticorum, & ostendere hanc Epistolam esse D. Iacobi, & deinde hanc veritatem catholicam, quod hæc Vnctio extrema sit Sacramentum, confirmabimus, ex quibus prima ratio pro assertione catholica euidentiam habere patebit. Quod ergo hæc Epistola sit reuera D. Iacobi, quod negant hæretici, disertè probatur per auctoritatem veterum omnium, qui cathalogum librorum sacrorum scripserunt, quos adducit Bellarminus, vbi suprà cap. 3. nimirum ex Clem. can. vlt. Apostolorum ex Innocentio I. Epist. 3. Gelasio I. in Concilio 70. Episcoporum, qui floruit anno 490. ex Concilio Laodiceno can. vltimo, Carthaginensi 3. can. 47. Florentino, & Tridentino sessione 4. & ex patribus Origene hom. 7. in Iosue, Athanasio in Synopsi, Epiphanio hæresi 76. Hieronymo Epist. ad Paulinũ. Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. Rufino in Symbolo, Damasceno lib. 4. de fide, cap. 18. Isidoro lib. 7. Ethimologiorum cap. 1. Quod siquis neget auctoritatem tot, & tantorum virorum, necessariò sequitur, vt ait Bellarminus ibidem, quod pereat auctoritas omniũ librorum Sacræ Scripturæ: quia aliundè non scimus, qui libri sint canonici nisi ex testimonio, & traditione horũ Pontificum, Conciliorum, & Patrum, qui indicem sacrorum librorum texere voluerunt. Sed præter adducta potest adhuc comprobari ex hoc, quod antiquissimi, & sanctissimi Patres id testantur, vtendo passim sententijs ex hac Epistola desumptis. Dionisius Areopagita lib. cęlestis Hierarchiæ cap. 1. inquit. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Maximus in comm. in eum locum inquit. *Signum est, quod vsus est sanctus Dionisius Epistola catholica Beati Iacobi, illinc enim desumptus est hic locus.* Ignatius, qui anno Domini 100. post Christum floruit Epistola ad Ephesios habet hanc sententiam ex cap. 4. Epistolæ Iacobi, *Superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam.* Cassiod. lib. 1. diuinarum lect. c. 8. inquit. *Clemens Alexandrinus epistolam D. Iacobi Attico sermone declarauit, quam nos transferre fecimus in latinum.* Clemens aũt Alexand. vixit circa annum 200. Origenes,

Epistolam D. Iacobi esse reuera D. Iacobi.

qui floruit anno 230. homilia 3. in Exodum, ait. *Ita ergo & nos in virtute crucis Christi extollamus brachia. & eleuemus in oratione sanctas manus, in omni loco sine ira, & disceptatione, vt Domini mereamur auxilium. Hoc idem namque & Iacobus Apostolus hortatur dicens, Resistite autem diabolo, & fugiet a vobis.* Idem habet multis alijs locis. Eusebius Cęsariensis, qui floruit 320. in fati assertores apud Damascenũ in Paral. lib. 1. cap. 9. *tentationes illæ, quæ hominibus contingunt à diabolo excitantur, hæc quippe Apostoli verba sunt. Nemo cum tentatur dicat, quia à Deo tentãtur; Deus enim intentator malorum est, vnusquisque autem tentatur à propria concupiscentia.*

Euseb. Cęsariensis.

Athanasius, qui floruit anno 350. in epistola de Nicena Synodo, ait; *quomodo non odio digni sunt, qui nunc tandẽ contradicunt, hosque, quos prodiderunt, duces suæ hæreseos habere volunt, homines nimirum tales, quales D. Iacobus duplices corde, & instabiles in omnibus vijs appellat.* Cyrillus Hierosolimitanus Cathechesi 4. inquit, *noui testamenti septem Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ epistolas suscipe.*

Athanasius.

Cyril. Hierosolim.

D. Cypr.

Ex latinis D. Cyprianus, qui floruit anno 250. lib. ad Nouatianum hæreticum, quod lapsis venia non est deneganda, inquit. *Non legisti, tu qui stas, videas ne cadas? 1. Corinth. 10. non legisti Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hæc autem sententia habetur in epistola D. Iacobi, cap. 4. Diuus Hilarius, qui 350. anno floruit lib. 4. de Trinitate, inquit. *Tum quod hunc nouerit inconuertibilem, & indemutabilem quia per Prophetam dixerit, ego sum Dominus Deus vester, & non demutor: & Iacobus Apostolus dixerit, apud quem non est demutatio.* Quæ sententia habetur cap. 1. eiusdem epistolæ.

D. Hilar.

D. Amb.

D. Ambrosius, qui floruit anno 370. Tractatu de quadraginta duobus mansionibus filiorum Israel super cap. 33. Numeri, mansione 18. *Tentationes huiusmodi laudabiles esse Iacobus Apostolus testatur dicens, omne gaudiũ existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Hæ namque velut custodia quadam homini adhibentur.*

D. Aug.

D. Augustinus præfatione in Psalmum 31. ait, *Iacobus in epistola sua contra eos, qui nolebant benè operari de sola fide præsumentes ipsius opera Abrahæ comendauit, cuius Paulus fidem.* Et confirmatur: quia lib. 83. quæstionum 76. dicit Iacobum Apostolum scripsisse illam epistolam contra eos, qui male intelligentes D. Paulum, putabant eas, qui semel credidissent in Christum etiam si facinorosè deinde vixissent, per solam fidem sine operibus saluari posse. Verba eius sunt hæc. *Quoniam Paulus Apostolus prædicans iustificari hominem per fidem sine operibus, non benè intellectus est ab eis: qui sic acceperunt dictum, vt putarent, eum semel in Christum credidissent, etiam si male operarentur, & facinorosè, flagitiosèque viuerent, saluos esse posse per fidem, locus iste huius epistolæ;* nimirum Iacobi, *eundem sensum Pauli Apostoli, quomodo sit intelligendus, exponit. Ideoque magis Abrahæ vtitur exemplo vacuam esse fidem, si non benè operetur; quoniam Abrahæ exemplo, etiam Paulus Apostolus vsus est, vt probaret hominem iustificari per fidem sine operibus legis.*

Ex his, & multis alijs, quæ videri possunt apud Iodocũ Coccium lib. 6. de Sacris scripturis art. 23. & alios patet hanc epistolam esse D. Iacobi Apostoli, hæc autem plurima adduxi: quia in hac epistola multa continentur contra hæreticos præsertim de necessitate bonorum operũ: ideo enim eam negant, quia sciunt illa euidenter eorum dogma principale confutari.

Ad primã obiectionẽ sumptã D. Hieron.

Quod verò Lutherus ait D. Hieronymum existimasse illam epistolam non esse D. Iacobi est falsum. verba D. Hieronymi lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo sunt ista. *Iacobus, qui appellatur frater Domini, &c. vnam tantùm scripsit epistolam, quæ de septem catholicis est, quæ & ipsa a quodam alio sub nomine eius edita asseritur, licèt paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* Non asserit ergo, quod non sint Iacobi, sed quod aliquando dictũ est nõ esse Iacobi; nihilominus hoc esse

falsum

falsum procedente tempore compertum est. Cum enim auctoritatem obtinuerit, necesse est agnitum fuisse ab ecclesia, & patribus vanam fuisse illam suspitionem. Vnde ipse Hieronymus pluribus in locis alijs eam vt legitimã Iacobi citat, & eius auctoritate vtitur contra hæreticos, vt contra Iouinianum cap. 24. his verbis, *Transeamus ad Iacobum, qui frater Domini dicebatur tantæ sanctitatis, tantæque iustitiæ & perpetuæ virginitatis, &c. loquitur in epistola sua, nolite errare fratres mei dilecti omne datum donum bonum* &c. At si hæc epistola, non esset certò D. Iacobi, Iouinianus, & hæretici potuissent illam negare, sicut modò negant hæretici; & sic D. Hieronymus nihil concluderet contra illos ex illa epistola.

Ad Euseb.

Ad aliud ex Eusebio respondetur similiter falsum esse Eusebium asserere veteres iudicasse illam non esse Iacobi; dicit quidem quosdam dubitasse, sed tamen ab omnibus penè ecclesijs esse receptam. Verba eius sunt in fine capitis illius. *Hactenus de Iacobo cuius illa habetur epistola quæ prima scribitur inter eas, quæ catholicæ appellantur. Sciendum est tamen quod a nonnullis non recipiatur, nec facilè quis antiquorum meminerit eius sicut ne illius quidem, quæ dicitur Iudæ, quæ & ipsa est vna de septem. Nos tamen scimus etiam istas cum cæteris ab omnibus penè ecclesijs recipi.* Licèt ergo aliqui dubitauerint, tamen omnes ferè ecclesiæ illam recipiebant: ergo magis est estimanda auctoritas omnium ferè ecclesiarum, quam aliquorum dubitatio. Vnde Eusebius in alijs locis, vt vidimus suprà ex Damasceno, eam vt autenticam citat, & sic principale fundamentum hæreticorum ruit.

Ad secundam obiectionem.

Ad secundam obiectionem solutio est facilis; Nam falsum est, quod Iacobus instituat eo loco hoc Sacramentum, licèt nonnulli catholici id asseruerint, sed dicimus Iacobum Sacramentum istud iam institutum à Christo promulgasse non instituisse. Omitto temeritatem Lutheri, qui audet se Apostolo opponere.

Ad tertiã obiectionẽ

Ad tertiam respondetur esse responsionem voluntariam, & sine fundamento, dicere, quod Apostoli, & Prophetæ vsi fuerint Vnctione naturali ad curandum morbos corporales. Si enim rebus vtilibus naturaliter ad curandum vsi fuissent, abrogassent sibi fidem, & Dei donũ obseruassent; & operationes eorum, vt sanationes morborum, & opera illa, quæ faciebant in confirmationem suæ prædicationis de Christo non fuissent miraculosa, & proinde non potuissent sibi conciliare homines, & fidem Christi propagare. Sed hæretici vt aliquid respondere videantur, non curant an benè hæreant. Dicere autem, quod Apostoli ex dono Dei curarent aliquando, oleo, & alijs rebus corporalibus vtendo, est verum quidem, vt patet Marci 6. Sed res illi naturaliter non habebant illam vim, sed ex dono gratiæ miraculorum dato Apostolis, vt infra dicam.

Quod autem dicit Caietanus hoc loco Iacobi, non esse sermonem de Sacramento Extremæ Vnctionis, est contra omnes catholicos: quia etsi aliqui dixerint, vt Beda, & alij D. Iacobum hic loqui de Vnctione, quam faciebant Apostoli Marci 6. tamen non negauerunt Iacobum hic loqui de Extrema Vnctione, sed hic & ibi de hoc Sacramento esse sermonem dixerint; Caietanus autem negat absolutè hoc loco D. Iacobum loqui de Sacramento Extremæ Vnctionis. Est etiam contra Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 1. & can. 1. de Extrema Vnctione: ideo est omnino reijciendus propter rationes cõtra sectarios, quorum rationibus ipse suasus est.

Quod autem non loquatur de Vnctione, qua miraculosè sanabantur infirmi Marci 6. (licèt aliqui catholici existimauerint etiam D. Marcum loqui de hac eadem Vnctione sacramẽtali, vt suprà dixi) patet, quia ipsi Apostoli Marci 6. erant, qui vngebant multos ægrotos & sanabantur: quia ipsi Apostoli habebant gratiam miraculorum. At Iacobus inquit, quod qui *infirmatur, inducat presbyteros ecclesiæ*, at non omnes presbyteri ecclesiæ, tunc habuerunt donum miraculorum, & maximè intelligendo per sacerdotes, seniores, vt volunt hæretici. Præterea Vnctio illa non erat vniuersalis, ita quod cuicunque infirmo Apostoli illam vnctionem adhiberent, sed aliquibus tantum, inquit textus sacer Marc. 6. *Et vngebant oleo multos ægrotos & sanabantur.* At D. Iacobus dat præceptum generale. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ*, &c. Præterea vnctio illa Marci 6. semper inducebat sanitatem corporalem; inquit enim sacer tex. *Vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.* At non omnes, qui vngebantur vnctione Iacobi 5. sanabantur corporaliter: quia tunc temporis nemo mortuus fuisset, vt rectè inquit Bellarminus, nisi qui Iacobo non obedinssent, qui fuissent admodum pauci. & maximè si vidissent ad vnctionẽ illam semper sequi sanitatem corporalem. Ex quo sequitur promissionem absolutam factam hic à Iacobo intelligi de sanatione animæ per gratiam, quæ est infallibilis, de corporis verò sanitate non semper, sed cum Deo expedire infirmo videtur. Relinquitur ergo, vt vnctio illa Marci 6. fuerit diuersa ab hac vnctione, de qua D. Iacobus loquitur, atque quod illa fuerit figura, atque insinuatio huius Sacramenti, vt habet sacrum Concilium Tridentinum ses. 14. c. 1. & can. 1. de Extrema Vnctione. Sic enim consueuit Dominus sua Sacramenta prius insinuare, & adumbrare, sicut per Baptismum Ioannis figurauit Baptismum suum. Et hoc modo intelligendi sunt veteres ij, qui vtrunque locum de Sacramento isto intelligunt.

Ad quartã obiectionẽ

Ad quartam respondetur satis apertè D. Iacobum hãc vnctione insinuasse esse applicandam infirmis & ægrotantibus in extremo periculo vitæ, dum dicit, *si quis infirmatur, inducat presbyteros ecclesiæ & orent super eum*, &c. neque enim de quacunque infirmitate lem credibile est D. Iacobum hanc euocationem, & orationem fieri voluisse, sed de graui, & valde periculosa. Quod autem aiunt, cum non explicare locum, & partes corporis vngendas, est obiectio futilis. Nam satis est nobis, quod habeamus vnctionem istam esse faciendam, & illam habere promissionem liberationis à peccato; & si vtile sit, alleuiationem infirmitatis. Ritus autem deinde nobis innotuit ex vsu ecclesiæ, sicut, & in alijs Sacramentis. Vnde consuetudo ecclesiæ est explicatiua verborum Iacobi. Nam etiã in institutione Baptismi Christus non declarauit in verbo scripto, an totum corpus, vel aliqua pars, & quæ debeat in Baptismo ablui sed ex consuetudine ecclesiæ, & per traditionem ritus innotuit; nõ tamen propter hoc negatur Baptismum nostrum esse eundem, qui à Christo est institutus.

Ad quintã obiectionẽ

Ad quintam respondetur, quod ibi non est sermo de fide ministri, ita quod necessariò requiratur fides in ministro, & ab illa pendeat effectus Sacramenti; sed ibi est sermo de fide ecclesiæ, in cuius fide administrantur Sacramenta, vt ait D. Bonauentura dist. illa 23. ar. 1. q. 4. siue de fide verbi Dei, quam habent fideles de ipso Christo, & eius Sacramentis, eo modo, quo D. August. tractatu 80. in Ioannem vocat verbum sacramentale, verbum fidei, quia operatur non secundùm quod dicitur, sed secundùm fidem, quam de ipso habent credentes. Vnde hic forma sacramentalis dicitur aleuiare infirmũ, & dimittere peccata, quia est oratio manans à fide, & operans secundùm fidem, quam de ipsa habent fideles.

Ad sextam obiectionẽ

Ad sextam respondetur, quod duplex est effectus huius Sacramenti, alter principalis, & certus, scilicet conferre gratiam, & dimittere peccata venialia, nisi infirmus ponat obicem. Alter est effectus secundarius, & minus principalis, qui non semper confertur, sed prout expedit infirmi saluti: ideo hoc non obest quin sit Sacramẽtum. Quod verò obijciunt Caluinus, & alij, quod nos in hoc Sacramento tribuimus actionem totam vnctioni, non autem orationi, est mendacium: quia dicimus, hoc Sacramentum constare ex materia, & forma, & ex vtraque emanare hunc effectum. Et cum dicimus *per hanc sanctam vnctionem*, &c. intelligimus simul etiam per

orationem cum qua confertur simul vnctio, dimitti peccata, & gratiam conferri; sicut cum Apostolus ad Titum primo dixit, *saluos nos fecit per lauacrum*, non excludit passionem Christi, licèt eam non nominet, per quam Sacramentum habet efficaciam.

Ad septimam obiectionem.

Ad septimam patet nullam esse similitudinem inter operationes illas miraculosas, & hāc vnctionem, de qua D. Iacobus. Nam illa particularia miracula pro illa vice facta, & illis rebus adhibitis ad misterium aliquod significandum facta fuerunt, non ad aliquod Sacramentum instituendum; vt cum, liniuit oculos cæci nati, & misit ad natatoria Siloe. Neque.n. præcepit ipse Dominus, nec aliquis locus in scriptura habetur, in quo præceperit, quod Apostoli, & fideles huiusmodi rebus vti deberent ad vtilitatem fidelium; neque ibi habetur promissio gratiæ nec mandatum. At in hoc loco Iacobi habemus præceptum, *si quis infirmatur inducat presbyteros, &c.* habetur promissio, *si in peccatis erit, dimittentur ei*: ideò consequentia est nulla.

Ad octauā nonam, & decimā obiectionem.

Ad octauam patet ex dictis, & dicendis infra omnia illa esse mendacia, & fictiones hæreticorum: ex auctoritatibus enim Patrum, quas nunc afferam, patet hanc vnctionem semper in ecclesia pro Sacramento habitā fuisse, atque semper in vsu fuisse.

Secunda ratio principalis pro catholicis ex auctoritatibus.

Sanctus Ephren.

Secunda principaliter assertio catholica comprobatur, & hæreticorum obiectiones esse nullius momenti ostenditur ex auctoritatibus Patrum, ex quibus habemus hoc Sacramentum semper in ecclesia in vsu fuisse. Et primo quidem loco sit Sanctus Ephren, qui anno 300. floruit. De vita spirituali ad Monachum nouitium cap. 7. habet hæc verba, *si charitatis officio perfungens oleo ægrotantem inungis, fac oculos, manus linguamque custodias, ne in vllo temperantiæ, ac modestiæ fines transgrediaris: hoc enim deposcit pietas*. Ex hoc loco habetur apertè tunc temporis fuisse in vsu oleo ægrotantes inungere, atque in ijs organis, & partibus corporis, in quibus nunc in Sacramento Extremæ Vnctionis inūgimus. Ad quid enim hortaretur Ephren Monachum nouitium, vt custodiat oculos, manus, & linguam, ex vsu vnctionis infirmorum, nisi per ipsam vnctionem tunc fuisset in vsu vngere illas partes corporis ad abstergendum peccata, quæ per potentias existentes in illis organis committimus, vt per verba ipsius formæ, innuitur, vt suprà diximus.

D. Ioannes Chrisost.

Diuus Ioannes Chrisostomus, qui floruit anno 400. lib. 3. de sacerdotio, *sacerdotes non solum cum nos regenerant, sed postea habent potestatem indulgendi peccata; infirmatur quis*, inquit Apostolus, *ex vobis accersat præsbyteros ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum*. Vult ergo Chrisostomus ex hoc loco Iacobi haberi, presbyteros habere potestatem dimittendi peccata; at non dimittuntur peccata, nisi per collationem gratiæ, quod fit per Sacramentum: ergo agnoscit, vt rem claram in hoc loco D. Iacobum loqui de Sacramento, & consequenter vnctionem illam esse Sacramentum.

D. Hieronymus.

D. Hieronymus, qui anno 390. floruit ad caput. 14. Oseæ habet hæc verba, *Et ne forsitam putaremus, quia dixerat erumpet radix eius, siue emittet radices suas, quasi libanus de cedris eum loqui & infructuosis arboribus sanctum virum, & conuersum ad Dominum oliuæ fructiferæ comparat, quę dicit in alio loco, Ego sicut oliua fructifera in domo Dei: cuius fructus quinque sapientes virgines parauerunt; ex quo vulnerum mitigatur tumor languentis membra requiescunt, in tenebris lumen accenditur, vnguntur in agone certantes*. Ex his vltimis verbis habetur expressè morem fuisse in agone mortis certantes inungi oleo sancto; hoc autem de nulla alia vnctione potest intelligi, nisi de hac vnctione Sacramentali: quia nullus alius mos est in ecclesia vngendi certantes in agone mortis, nisi hoc Sacramentum. D. autem Hieronymus rem hanc, vt claram tantum tangit.

Locus efficax.

Ex quo contra hæreticos habemus hoc Sacramentum verè esse Extremam Vnctionem, quæ solum adhibetur in extremis vitæ ad confortandum exeuntes ex hac vita contra diaboli tentationes, & ad dimittendum peccata venialia, vt diximus, & infrà dicemus.

D. August. serm. 215. de tēpore.

D. Augustinus sermone 215. de tempore. *Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus, & sanguinē ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum vngat, vt illud, quod scriptum est impleatur in eo; infirmatur aliquis? inducat præsbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, & oratio fidei saluabit infirmum. Videte fratres, quia qui infirmitate ad ecclesiam cucurrunt, & corporis sanitatem recipere, & peccatorū indulgentiam merebitur obtinere*. Similia habet alijs locis, vt tractatu de rectitudine catholicæ conuersationis lib. 2. de visitatione infirmorum cap. 4. in Speculo, in quo ponit illas sententias, quas ex tota scriptura nos semper obseruare debemus; in fine ponit hanc sententiam D. Iacobi de vnctione olei: ergo ex D. Augustino continet præceptum, & ceremoniam conferentem gratiam omni tempore in ecclesia seruandam. Hæc autē est Sacramentum: ergo.

Auctoritates ex Concilijs, & alijs.

Vltimo loco dimissis Concilijs Niceno, idest ex Arabico in latinum conuerso celebrato anno 325. can. 69. Gabilonense 2. can. 48. celebrato anno 813. & alijs particularibus, & Florentino, ac Tridentino, & dimisso consensu ecclesiæ Græcorum cum Latina, quæ in hoc Sacramento nunquam dissensit à Romana, vt patet ex responsionibus Græcorū ad interrogationes protestantium, vt habetur in censura ecclesiæ Orientalis facta à Hieremia Constantinopolitano capite septimo, & aliorum Græcorum, profero auctoritatem ex Innocentio Primo Pontifice Sanctissimo & doctissimo, qui in Pontificatu anno 402. sedere cœpit, vt patet apud Panuinium à Sanctis Augustino, Hieronymo, & ab alijs comendato: hic epistola 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum (quam epistolam, est certissimum ipsius esse, quia de ea nullus dubitat) cap. 8. habet hæc verba respondens petitioni factæ sibi ab Episcopo Eugubino.

Auctoritas Innocentij I efficacissima.

Sanè quoniam de hoc sicuti de cęteris consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Cœlestinus diaconus in epistola sua esse à tua dilectione positum illud B. Iacobi Apostoli quod in epistola conscriptum est. Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit laborantem, & suscitabit illum Dominus, & si peccata fecit, remittet ei, quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate ad vngendum. Cæterùm illud superfluum videmus adiectum, vt de episcopo ambigatur, quod præsbyteris licere dubium non est. Nam idcirco de præsbyteris dictum est: quia episcopi occupationibus alijs impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm, si episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem se visitandum, & benedicendū, & tangere Chrismate sine curatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi? Hic vt vides apertè Pontifex appellat hāc vnctionem, de qua D. Iacobus, Sacramentum, & dicit esse vnum genus Sacramenti: ergo de hoc nullus est ambigendi locus.

Neque turbare debet, qđ appellet hoc oleū, oleū Chrismatis. Neque enim per hoc vult inferre quod sit idem oleum, quod est propriè oleum Chrismatis confectum ex oleo, & balsamo, quod est materia Sacramenti Chrismatis; sed appellat oleum Chrismatis, quia Chrisma est nomē Græcum, quod significat vnctionem. Vnde oleum Chrismatis, & oleum vnctionis idem sunt. Cum ergo dicit, quod infirmi oleo sancto Chrismatis inunguntur, est ac si dicat, quod oleo sancto Vnctionis Extremæ inunguntur.

Ex hac etiam auctoritate habetur hoc oleum benedici ab episcopo; & insuper ab vno presbytero conferri,

non

non à pluribus (vt hæretici volunt intelligere D. Iacobū, eo, quia dicit *inducat presbyteros*, in numero plurali, & proinde eum non loqui de hac Vnctione Extrema, quā nos dicimus eſſe ſacramentum) quia Pontifex dicit, non eſſe ambigendum licere epiſcopo, quod licet præsbyteris. Cum ergo ſoli vni epiſcopo licet conferre hoc ſacramentum, ſignificat expreſsè, idem licuiſſe cuicumque præſbytero, licèt vtatur nomine plurali, vt vtitur quoque D. Iacobus. Nam licèt dicant hoc munus incumbere præſbyteris, non tamen volunt inferre, quod ſimul pluribus hoc incumbat, ſed intelligunt ſeiunctim, & diuiſim vnicuique.

Quod autem ait in vltimis verbis iſtud Sacramentum non infundi pœnitentibus, loquitur de publicè pœnitentibus, de quibus cap. 7. præcedenti locutus fuerat; & intelligit de illis tempore pœnitentiæ, non poſt pœnitentiam peractam, & abſolutionem obtentam. Neque ſi inciderint in ægritudinem grauem, quia tunc vult illis hoc Sacramentum poſſe miniſtrari, ſicut & alia ſacramenta, quæ prius dum pœnitentiam agebant, eis negabantur. Multa alia videri poſſint apud Iodocum Conū in ſuo Theſauro, & alijs, quæ breuitatis cauſa omitto, cum dicta ſuperque ſufficiant.

Obiectiones catholicorum contra opinionem Scoti, & earum ſolutio. Cap. III.

SVppoſito, Extremam Vnctionem eſſe Sacramentum nouæ legis, vt viſum eſt in præcedētibus, oportet quaſdam dubitationes inter catholicos agitatas diſſoluere. Principalis autem difficultas eſt de effectu huius Sacramenti. Et quidem omnes catholici conueniunt in duobus. Primum eſt, quod duplex eſt effectus huius Sacramēti, qui expreſsè ponuntur à D. Iacobo. Alter principalis, ſcilicet dimiſſio peccatorum, & collatio gratiæ. Alter eſt minus principalis, & eſt ſanitas corporalis, q; vt diximus, non ſemper conſequitur Sacramentum, ſed ſolum quando expedit. Secundum eſt, quod effectus iſte principalis conferendi gratiam ad tollendum peccata, non intelligitur de peccato originali, neque de peccato actuali mortali. Hoc patet, quia peccatum originale dimittitur per ſolum baptiſmum; & vnctio extrema ſupponit infirmū eſſe baptizatum. Peccatum actuale verò mortale dimittitur ſolum per pœnitentiam, vt vidimus in diſputatione de pœnitentia. Et confirmatur, quia Extrema Vnctio eſt medicina per modum curationis morbi ſpiritualis; vnde non ſupponit peccatorem eſſe mortuum ſpiritualiter per carentiam gratiæ gratum facientis; ſed ſolum eſſe infirmum in vita ſpirituali, & ſimul corporali; & proinde eſſe remedium ad vtrunque ſubleuandum. Eſt modò difficultas ad quid ſe extendat hic effectus principalis, qui eſt dimittere peccata, & conferre gratiam.

Catholici conueniūt duplicē eſſe effectū huius ſacramenti.

Hic ſunt duæ opiniones principales. Prima eſt D. Thomæ in hoc 4. diſt. 23. quem ſequuntur Soto eadem diſt. quæſt. 1. art. 2. & ſupplementum Summæ D. Thomæ quæſt. 30. Valentia 4. par. diſp. 8. quæſt. 1. de Sacramento Extremæ Vnctionis, puncto tertio, & multi alij ex recentioribus, qui aſſerunt proprium effectum huius Sacramēti non eſſe abſtergere, & delere peccata venialia. *ſed eſſe per gratiam ſanare, & abſtergere peccatorum reliquias, & veſtigia, & cicatrices, quæ ſunt praua habitudines, putaprauitas, & procliuitas ad malum, & ineptitudo, torpor, languor, & debilitas ad operandum bonum.*

Opinio D. Tho. & ſectatorum.

Hæc eſt aſſertio Soto, vbi ſuprà art. 2. concluſ. 4. nam poſtquam poſt concluſionem 3. nixus eſt probare contra Scotum, & alios, quos infra citabimus, effectum proprium Sacramenti huius non eſſe delere peccata venialia concl. 4. verbis adductis ſuprà, explicat quis ſit proprius effectus huius Sacramenti, quæ eſt ſententia ipſius D. Thomæ.

Non conueniunt tamen Doctores huius opinionis in explicando quid per huiuſmodi reliquias peccatorum intelligatur. Valentia loco citato diſtinguit, dicens, quod per huiuſmodi reliquias non intelliguntur diſpoſitiones, & habitus derelicti à peccato: quia iti non tolluntur, niſi per actus contrarios; ſed intelligitur difficultas ad bonū, & procliuitas ad malum, quatenus in peccato fuit quoddam experimentum rei vtilis, aut delectabilis, aut etiam vſus humanæ libertatis: quod experimentum propter ipſum peccati illecebram reddit animum pronum ad rurſus peccandum, atque etiam adeo ineptum ad bonum.

Quid per reliquias peccatorū intelligatur.

Hanc procliuitatem ait non eſſe qualitatem realem, aut rem aliquam abſolutam, ſed reſpectum quemdam rationis, quo intelligimus, ex quo aliquis peccauit eſſe magis expoſitum periculo peccandi, quàm prius eſſet. Bellarminus lib. 1. de Extrema Vnctione cap. 8. confutata opinione Scoti, & iſta D. Thomæ media quadam via incedere videtur, inquit enim, reliquias peccatorum, quæ ſunt proprius effectus huius Sacramenti eſſe duplicis generis. Primi ſunt peccata, quæ interdum manent poſt omnia alia Sacramenta, ſiue mortalia, ſiue venialia ſint: poteſt enim contingere, quod quis poſt confeſſionē, communionem in peccatum mortale incidat, & ignoret eo peccato ſe teneri, vel quod confeſſionem, & communionem non ritè egerit, & hoc ipſe ignoret; & iſtæ ſunt reliquiæ peccatorum, quæ per hoc Sacramentum delentur.

Bellarm.

Secundum genus reliquiarum peccati eſt quidam torpor, & mœror, & anxietas, quę ex peccatis relinqui ſolet, & quæ maximè hominem vicinum morti vexare poteſt, & iſtæ ſunt, quæ per hoc Sacramentum dimittuntur.

Hæc opinio habet duas partes. Prima eſt negatiua, quod effectus principalis huius Sacramenti non ſit dimittere peccata venialia. Secunda, quod ſit dimittere huiuſmodi reliquias. Prima pars probatur, & principaliter à Soto, quē deinde alij ſecuti ſunt, & primò ſic. Peccatum veniale eſt quoddam ligamē, & proinde eius dimiſſio non poteſt eſſe niſi per quandam abſolutionem ſacramentalem, & aliquem dolorem, vel actū dilectionis. At in forma Sacramenti Extremæ Vnctionis nullū eſt verbum, quod habeat figuram abſolutionis, neque ex forma huius Sacramenti requiritur aliquis dolor, vel dilectio: ergo ex forma huius Sacramenti non habetur, quod dimittat culpam venialē. Sed ſi per hoc Sacramentum dimitteretur pcc̄m veniale, Sacr̄m iſtud non haberet rationem ſacramenti, ſed ſacramentalis cuiuſdam; dimitteret enim peccatum veniale eo modo, quo aqua benedicta, & benedictio epiſcopalis delent peccata venialia, quod eſt abſurdum: quia tunc non eſſet ſacramentum, ſed ſacramentale quoddam.

Prima rō, quod effectus Extremę Vnctionis non ſit dimittere venialia.

Secundò, ſacramentum pœnitentiæ, vt patet ex ſua forma, ordinatur ad delendum tàm peccatum mortale, quam veniale: quia licèt peccatum veniale non ſit materia propria ſacramenti pœnitentiæ, tamen poteſt dimitti, & de facto dimittitur per abſolutionem ſacramentalem pœnitentiæ: ergo Extrema Vnctio non ordinatur per ſe ad dimittendum peccata venialia. **2. Ratio.**

Tertiò, non eſt dicendum illum eſſe effectum proprium, & principalem illius ſacramenti, qui alia via, quā per ſacramentum haberi poteſt; ſed ſic eſt, quod dilectio peccatorum venialium poteſt haberi per alia remedia, quàm per ſacramentum, ſcilicet per ſacramentalia. Vnde D. Thomas 3. par. quæſt. 65. art. 1. concedit ad remiſſionem venialium nullum eſſe ſacramentum inſtitutum, ſed ſatis eſſe præter ſacramentum pœnitentiæ plura ſacramentalia: ergo non eſt dicendum ſacramentum Extremæ Vnctionis inſtitutum eſſe ad delendum peccata venialia. **3. Ratio.**

Quartò, ſi remiſſio venialium eſſet effectus Extremæ Vnctionis, ſequeretur, quod ita commodè poſſet miniſtrari ſanis, ſicut infirmis; ſed falſum eſt miniſtrari poſſe ſanis, vt patet ex verbis D. Iacobi, qui dicit, *ſi quis infirmatur*, &c. ergo. Conſequentia probatur: quia peccata venialia quotidie committimus: ergo adeſſet materia **4. Ratio.**

circa quam hoc sacramentum habet versari, & sic possemus illud eis applicare.

5. Ratio. Quintò ex forma sacramenti Extremæ Vnctionis sic arguit. Forma sacramenti Extremæ Vnctionis est, *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, per auditum*, &c. non autem dicit restrictè quidquid venialiter deliquisti, sed simpliciter quidquid deliquisti per visum, &c. Quod, inquit, potissimum ad peccata mortalia refertur: ergo effectus eius non est solum venialia remittere, sed certè mortalia, quantum ad infirmitates, & languores, qui ex ipsis relinquuntur.

6. Ratio. Sextò, Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. de Extrema Vnctione, inquit effectum huius sacramenti esse peccata, si quæ sint, delere, & reliquias peccati abstergere. Et Bellarminus adiungit, si dicamus effectum Extremæ Vnctionis esse venialia dimittere, non facilè probare possemus eam esse sacramentum; nec D. Iacobus diceret, *& si in peccatis fuerit dimittentur ei*: quia omnes habent peccata venialia. Neque est tutum restringere ad venialia, quod D. Iacobus generatim vocat peccatum, & quod in forma dicimus quidquid deliquisti.

2. Pars opinionis Tomistarum probatur. 1. Ratio. Secunda pars huius positionis, scilicet, quod effectus huius sacramenti sit tollere reliquias peccati, quas suprà ex horum Auctorum mente explicauimus; probatur ab eodem Soto vbi suprà, concl. 4. sic. Primò à sufficienti diuisione. Hoc sacramentum est institutum quodammodo ad remissionem peccatorum. At peccata non remittuntur nisi quò ad culpam, vel quò ad pœnam, vel quò ad huiusmodi reliquias peccatorum; hoc autem sacramentum non remittit peccata, nec originale, nec mortale, nec veniale quò ad culpam: quia sic remittuntur à baptismo, & pœnitentia, neque quò ad pœnam: quia illa partim remittitur in deletione culpæ, pars verò pœnæ, quæ remanet soluenda soluitur in purgatorio. Relinquitur ergo vt hoc sacramentum sit institutum ad delendum reliquias eorundem peccatorum mortalium, vt dictum est.

2. Ratio. Secundò probatur ex similitudine materiæ huius sacramenti. Nam homines vtuntur vnctione corporali olei ad curandum ægritudines, & langnores relictos ex præterita infirmitate, vt membra tota oleo consolidentur, & corroborentur. Sic Vnctio Extrema adhibetur infirmis, qui ob peccata præterita debilitatem spiritualem sentiunt, vt per gratiam illis per hoc sacramentum collatam huiusmodi spirituales effectus conferantur.

Opinio allata reijcit. Hæc opinio Thomistar. à Theologis antiquioribus, & maioris nominis reijcitur, licèt Valentia, & alij dicant esse communem Theologorum in primis à D. Bonau. in hoc 4. dist. 23. ar. 1. quæst. 1. à Ricardo eadem dist. ar. 1. quæst. 5. à Durando eadem distin. quæst. 1. & demum à Scoto in hac dist. qui licèt non impugnet in speciali opinionem D. Thomæ, tamen cum sequatur opinionem D. Bonauen. & aliorum, ac eam egregie explicet, vt vidimus, dicendum est eum iudicasse opinionem D. Thomæ esse minus probabilem.

3. Fundamenta pro dilucidatione hu[ius] difficultatis. Pro intelligentia autem rationum contra ipsam, & pro clara explicatione huius materiæ: Primò obseruandum est, certum esse hoc sacramentum institutum esse pro salute ipsius viatoris in extremo vitæ non pro ipsius vita, vt omnes fatentur. Secundò obseruandum est non esse institutum pro quocunque viatore, sed solum pro illis, qui in illo extremo vitæ sunt in gratia gratum facientes: quod etiam communiter, vt verum conceditur. Tertiò, quod hoc sacramentum est institutum principaliter ad delendum aliquod peccatum. Hoc patet ex verbis D. Iacobi, *& si in peccatis fuerit dimittentur ei*. & ex verbis formæ huius sacramẽti, *indulgeat tibi Deus, quidquid per visum &c. deliquisti*.

1. Ratio. His suppositis sic arguitur. Hoc sacramentum Extremæ Vnctionis est institutum à Christo Domino principaliter ad delendum peccata, quæ reperiuntur in pœnitente in extremo vitæ existente in gratia; sed sic est, quod huiusmodi non sunt reliquiæ peccatorum originalis, & actualis mortalis, sed ipsa venialia: ergo effectus principalis sacramenti Extremæ Vnctionis est dimittere venialia peccata in viatore existente in gratia in extremo vitæ. Maior patet ex suppositis. Minor probatur. Et primo quò ad primam partem. Reliquiæ peccatorum secundùm Soto, Valentiam, & alios eiusdem opinionis non sunt peccata, & culpæ formaliter, sed impropriè, scilicet pœnæ peccatorum. Quod etiam probatur: quia vestigia, quæ relinquuntur à culpa, & peccato, non sunt culpa, nec peccatum, sed effectus, & pœna peccati. At D. Iacobus dicit, quod *si fuerit in peccatis, dimittentur ei*, & in forma sacramenti dicitur, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*. Delinquere est culpa, non pœna: ergo propriè loquendo debet intelligi de culpa: Nulla autem alia esse potest, nisi venialis: ergo propriè loquendo effectus principalis huius sacramenti est dimittere culpam venialem.

Respondet Soto dupliciter. Primò quod Apostolus Iacobus loquitur sub conditione, *si in peccatis fuerit, dimittentur ei*. ex quo insinuat peccata quò ad culpam prius debere esse dimissa, & consequenter hoc sacramentum non ordinari ad dimittendam culpam venialem. 1. Responsio Soto.

Secundò respondet, quod sanare vestigia, & cicatrices relictas à peccato, est etiam remittere peccata: quia remittere peccatum non est nisi peccatum cum omnibus eius vestigijs, & cicatricibus tollere. Vnde Paulus fomitem peccati originalis appellat peccatum, dicens ad Rom. 7. *Ego non operor malum, sed quod habitat in me peccatum*. & 2. Machabæorum 9. de existentibus in purgatorio, qui non soluuntur, nisi à pœnis, dicitur, *vt à peccatis soluãtur*. 2. Respon.

Istæ responsiones non satisfaciunt. Prima facit pro nobis. Nam concedit, D. Iacobum per delicta, & peccata intelligere culpam ipsam, inquit enim D. Iacobum loqui sub conditione innuens culpam debere esse iam dimissam: ergo vult, quod cum D. Iacobus inquit, *& si in peccatis erit, dimittentur ei*. per peccata intelligat culpam, vt sit sensus si in culpis erit, dimittentur ei. Et tunc hæc responsio destruit totam suam positionem, qua non vult, quod in hoc sacramento dimittatur culpa, nec originalis, nec actualis mortalis, nec venialis. Destruit etiam secundam responsionem, in qua vult potius pœnam ipsarum culparum dimitti, non autem ipsam culpam. Denique sequitur ex hac responsione, quod culpa venialis per hoc sacramentum dimittatur. Nam si D. Iacobus loquitur sub conditione innuens peccata quò ad culpã debere esse iã dimissa: ergo sequitur, quod si nõ sint dimissa iam dimittantur per ipsam Extremam Vnctionem. Sensus enim erit, peccata quò ad culpam, cum confertur sacramentum Extremæ Vnctionis, debent esse dimissa; at si non sint dimissa, sed sit in peccatis quò ad culpam, dimittentur ei; quò ad culpam non potest autem intelligi de culpis mortalibus: ergo intelligitur de culpis venialibus. Neque ex eo, quod D. Iacobus loquitur sub conditione, sequitur, qđ non intelligat de peccatis pro culpa, quia D. Iacobus debet loqui vniuocè, & consequenter de peccato: ideo si intelligit peccata quò ad culpam iam debere esse dimissa, dum dicit, & si non sint iam dimissa, per sacramentum Extremæ Vnctionis remitti, debet intelligere quoque de peccatis pro culpa; alioquin non loqueretur consequenter, & faceret sensum absurdum: sensus enim esset hic; in suscipiente sacramentum Extremæ Vnctionis peccata debent esse dimissa quò ad culpam, sed si non sint dimissa quò ad culpam, dimittentur quò ad pœnam, qui est sensus absurdus, vt patet. Reijcitur 1. respõsio.

Secunda responsio quoque reijcitur. Nam vel per vestigia, & reliquias peccatorum mortalium Soto, & eius asseclæ intelligunt prauas habitudines, & depositiones genitas per actus peccatorum in homine; vel intelligunt aliquam qualitatem pœnalem absolutam causantem difficultatem ad operandum bonum, & inclinãtem ad malum, vel aliquem respectum, vel pœnam culpæ mortalis, vel venialis. Sed nullum horum potest esse effectus huius 2. Responsio reijcit.

sacra-

ſacramenti: ergo relinquitur, quod eius effectus ſit delere culpam non mortalem, ſed venialem. Maior eſt euidens ex ſufficienti diuiſione: quia reliquiæ illæ, & veſtigia peccatorum derelicta à culpa non poſſent eſſe niſi vnum illorum: quia nihil aliud in peccato reperitur. Minor vero probatur. Et quò ad primam partem, quod reliquię peccatorum, quæ delentur, non ſint praui habitus, & diſpoſitiones ad peccādum, ipſe Soto, & alij fatentur: quia iſti habitus, & diſpoſitiones non tolluntur per ſacramentum, nec per gratiam, ſed per actus contrarios. Neque poteſt eſſe aliqua qualitas abſoluta, quæ inducat hūc torporem, & ineptitudinem ad bonum, & inclinationē ad malum: quia hæc non poteſt eſſe, niſi habitus, vel diſpoſitio. Nam hæc qualitas non inducitur, niſi ab actibus peccati; at actus non poſſunt inducere aliam qualitatem, niſi habitum, vel diſpoſitionem, vt patet: iſti autē, vt conceſſum eſt, non poſſunt tolli per ſacramentum, ſed ſolum per actus oppoſitos. Neque eſt reſpectus aliquis rationis, vt vult Valentia: quia ens rationis non eſt quid reale; at illa pronitas ineptitudo, ſiue iſtæ reliquiæ peccatorum ſunt entia realia, quia habent effectum realem, qui eſt difficultare animam ad bonum, & inclinare ad malum. Prætetea vſus, & experimentum propriæ libertatis generat habitum in nobis contrarium obedientiæ: ergo ſi peccatum generat hunc vſum in nobis, etiam hoc experimentum generat habitum prauum, qui eſt qualitas abſoluta, quæ non poteſt tolli, niſi per actus contrarios. Et reuera ſi vellent explicare quid importent iſta verba metaphorica, reliquiæ, pronitas, procliuitas, torpor, languor, debilitas, non poſſunt dicere, eſſe aliud, niſi habitus, & diſpoſitiones prauas. Neque enim, puto, dicent eſſe qualitates corporeas naturales, vt ſunt caliditas, grauitas, & huiuſmodi: hæc enim non habent proportionem cum peccato, & ſi ex illis inducerentur eſſet omnino illis accidentarium. Quod ſi velint eſſe qualitates corporeas, non pertinebunt ad effectum principalem huius ſacramenti; ſed ad ſecundarium, ſcilicet ad ſanandum corpus, & ad alleuiationem illam, de qua dicit D. Iacobus, *& alleuiabit eum Dominus*: quæ vt vult Bellarminus, refertur ad torporem, mœrorem, & anxietatem, quæ ex peccato relinqui ſolet; hoc autem non eſt contra nos, quia loquimur de effectu principali. Denique iſtę reliquiæ non ſunt pęnæ peccatorum, quia pœna peccati, vt vult Soto, remittitur partim per remiſſionem culpę, partim per alias ſatisfactiones, vel per pęnam purgatorij. Neque huiuſmodi reliquiæ ſunt peccata mortalia oblita in confeſſionibus, vt vult Bellarminus, quia omnia peccata mortalia, & venialia oblita in confeſſione inculpabiliter per ſacramentum pœnitentiæ delentur: ergo illa non poſſunt dici reliquiæ peccatorum, quæ per aliud ſacramentum habeant deleri. Vnde ſi quis tranſeat ex hac vita ſine ſacramento Extremæ Vnctionis peccata mortalia oblita illi non imputantur. Quod ſi quis obijciat D. Thomas 3. par. quæſt. 72. ar. 7. ad ſecūdum, & quæſt. 79. ar. 3. in corpore tenet quod per ſacramentum Confirmationis, & Euchariſtiæ delentur peccata, de quibus homo non habet conſcientiam, vel de quibus non eſt perfectè contritus, & per gratiam receptam in hoc ſacramento fit perfectè contritus. Ideo hoc debet dici quoque de ſacramento Extremæ Vnctionis, vt deducit ipſe Valentia loco citato, puncto tertio, & alij.

Quomodo Sacramenta Confirmationis, & Euchariſtiæ remittāt peccata mortalia.

Reſpondeo quod etiam Scotus in 4. d. 9. q. vnica, §. 3. *dico* aſſerit per Euchariſtiæ ſacramentum deleri peccata, quæ latent præmiſſa confeſſione, & contritione; quæ eſt doctrina communis, & tamen dicit hac diſt. 23. effectum huius ſacramenti Extremæ Vnctionis eſſe dimittere venialia non mortalia; & D. Thomas, Soto, Valentia, Bellarminus, & omnes aſſerunt peccata mortalia cū ſola attritione dimitti ſolum per ſacramentum Pœnitentiæ: ergo hic effectus eſt ſolius ſacramenti Pœnitentiæ, non Confirmationis, nec Euchariſtiæ, nec Extremæ Vnctionis.

Eſt ergo dicendum, quod pro tanto peccata oblita inculpabiliter, & de quibus non fuit quis perfectè contritus; & denique peccata latentia, vt ait Scotus, dicuntur per iſta tria ſacramenta dimitti, quia etiam in his ſacramentis confertur gratia; vnde hæc gratia iuncta gratiæ adeptæ per ſacramentum pœnitentiæ, & præxiſtenti magis perficit animam, & perfectius conſumat effectum illius, qui eſt delere peccata per ſuum augmentū, & additionem, non autem quia vi ſua, vt ait Catechiſmus Romanus infra adducendus, & ex opere operato, illa ſacramenta habeant illum effectum conferendi gratiam, quæ per ſe, & primo deleat peccata mortalia; & hac ratione poteſt dici, quod ſecundario, & per accidens dimittant peccata latentia, quæ hoc modo poſſunt dici reliquiæ peccatorum mortalium. Alioquin ſequeretur per ſacramentum pœnitentiæ non deleri peccata mortalia, & morientem cum attritione debita cum ſacramēto pœnitentiæ non ſaluari, quod eſt contra omnes, & erroneum. Falſum eſt ergo ſacramentum Extremæ Vnctionis habere pro ſcopo hanc dimiſſionem peccatorū: quia eſſet fruſtra; cum iam hic effectus per ſacramentum pœnitentiæ habeatur. Prætetea torpor, mœror, anxietas, quæ ex peccato oritur, eſt paſſio corporalis, quę non pertinet ad principalem effectum huius ſacramenti, ſed ad alleuiationem, quam facit Dominus, & ſecundùm Bellarminum eſt effectus ſecundarius huius ſacramenti, nō principalis, qui apud Bellarminum eſt tertius, ſcilicet dimiſſio peccatorum. Relinquitur ergo, quod proprius effectus huius ſacramenti ſit dimiſſio venialium culparū, quæ in extremo vitæ ſuperſunt; quæ etiam rationabiliter poſſunt dici reliquiæ peccatorum mortalium, vt infra videbimus.

Secundò principaliter. Si effectus ſacramenti Extremę Vnctionis eſſent reliquiæ peccatorum mortalium, quæ per aliquod ſacramentum poſſent dimitti, ſequeretur, quod peccatum mortale non ſufficienter curaretur per ſacramentum pœnitentiæ. Conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur: quia per ſacramentum Extremæ Vnctionis tollerentur iſtæ reliquiæ, quæ per aduerſarios ſunt per ſacramentum natæ deleri. Falſitas conſequentis eſt euidens, quia non debemus admittere hanc inſufficientiam, cum deroget dignitati ſacramenti; nec ratio vlla cogat, vt patebit ſoluendo rationes aduerſariorum. 2. Rō principalis.

Tertiò, vt arguit Durandus, iſtæ reliquiæ peccatorum, quas iſti ponunt deleri per ſacramentum Extremæ Vnctionis, ſcilicet torpor, inclinatio ad malum, pronitas ad malum, &c. inſunt nobis à natura, licèt ſint quoque effectus peccati originalis tanquam remouentis prohibens (nam per peccatum originale ablatum eſt nobis donum iuſtitiæ originalis, per quòd potentiæ inferiores ſubdebantur rationi, & excitata eſt pugna fomitis in nobis) at effectus naturales non poſſunt dimitti, & tolli per aliquod ſacramentum, ergo falſum eſt effectum huius ſacramenti eſſe dimittere huiuſmodi reliquias. 3. Ratio.

Reſpondet Soto ad hoc argumentum, quod per Extremam Vnctionem non tolluntur fomes, neque inclinationes iſtæ naturales, ſed tamen confertur gratia contra actus prouenientes ab ipſo fomite, & à prauis inclinationibus.

Contrà ergo reliquiæ peccati originalis, & actualis (qui ſunt habitus praui) non dimittuntur per hoc ſacramentum, ſed aliqualiter impediuntur. At D. Iacobus dicit, peccatum dimitti, & omnino tolli: ergo per peccata B. Iacobus non poteſt intelligere fomitem, & iſtos effectus cauſatos à peccato originali.

Præterea, vt inquit idem Durandus, ſi hic eſſet effectus huius ſacramenti, potius eſſet conferendum hoc ſacramentum ſanis, quam infirmis: quia ſani patiuntur eaſdem debilitates, & triſtitias peccatorum; infirmi autem iam amiſerunt ferè vſum rationis, neque poſſunt alacritatem illam, & lætitiam ſentire. 4. Ratio.

Quintò

5. Ratio. Quintò demum confirmatur auctoritate expressa Cathechismi Romani: nam loquens de effectibus sacramenti huius Extremæ Vnctionis habet hæc verba. *Docebunt igitur Pastores hoc sacramento gratiam tribui, quæ peccata & in primis quidem leuiora, & vt cum communi nomine appellantur venialia remittit; exitiales enim culpæ pœnitentiæ Sacramento tolluntur. Neque enim hoc sacramentum primario loco ad grauiorum criminum remissionem institutum est, sed baptismus tantùm, & pœnitentia vi sua hoc efficiunt.* Ponderanda sunt illa verba *vi sua*, idē enim sonant, quod ex opere operato. Cum autem dicit sacramentum Extremæ Vnctionis, non primario, sed secundario dimittere peccata mortalia, intelligi debet, vt suprà diximus, quia confert gratiam, quæ addita priori gratiæ pœnitentiali additæ perfectè perficit animam, & sic potest dici quod deleat reliquias peccati mortalis, & perficiat contritionem.

Resp. Soto. Respondet Soto, quod etsi sani sentiant easdem difficultates, & tristitias, tamē multo magis infirmi; nam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & animus maiorem languorem sentit.

Reijcitur. Sed hæc responsio est nulla, quia res opposito modò se habet. Nam tunc potentiæ inferiores magis pugnant aduersus rationem, quando corpus est sanum, & validū. Vnde cum volumus fomitem domare incumbimus ieiunijs, & afflictionibus, vt carnem subijciamus spiritui; in infirmitate autem videmus experientia hos motus sensuales cessare, & mentem, ac animam magis eleuari in Deum. Est ergo falsum reliquias, quæ tolluntur per sacramentum Extremæ Vnctionis esse has affectiones naturales etiam quò ad actus: quia istæ nunc non augentur, sed deprimuntur. Relinquitur ergo, vt effectus principalis sit dimissio venialium.

Opi. Scoti cōfirmatur & magis explicatur. Est ergo dicendum cum Scoto D. Bonau. & alijs suprà citatis Doctoribus pro opinione Scoti, quod effectus principalis huius sacramenti est dimittere peccata venialia. Nam præter rationes adductas adest congrua ratio adducta à Scoto, nimirum, quia congruum erat, quod viator excessurus ex hac vita finaliter absolueretur à venialibus peccatis, vt rectà posset tendere ad gloriam, quæ est vltimus, & proprius finis hominis. Non posset autem rectà tendere ad gloriam, nisi illa dimitterentur, quia nihil coinquinatum ingreditur Regnum Cœlorum, in extremo autem vitę nemo est ferè, qui non sit onustus peccatis venialibus: quia hæc quasi continuo committimus.

Alia cōfirmatio. Præterea eo tempore homo propter infirmitatem corporalem, & perturbationes mortis instantis est parum aptus ad recolligendum vires suas in Deum, & ad pœnitentiam: ideo congruum fuit, vt institueretur sacramentum, quò hæc venialia, quæ impediunt feruorem charitatis, dimitterentur. Licèt enim peccata venialia non auferant gratiam; tamen impediunt feruorem charitatis, & ad mortale inclinant: ideo valde salutare est tunc temporis habere sacramentum quò illa dimittantur, & huiusmodi impedimenta tollantur, & homo fini suo strictius coniungatur. Hunc autem effectum ex opere operato producit hoc sacramentum conferendo gratiā habitualem, per quam præexistens augetur: supponitur enim vt diximus per hoc sacramentum non deleri peccata mortalia, sed suscipientem esse in gratia gratum faciēte; & hoc pacto gratia collata per hoc sacramentum causat hilaritatem in anima confortat animam; & munit aduersus tentationes diaboli, qui eo tempore magis occasiones quærit animas nostras deuorandi, quàm quouis alio tempore; proinde Deus benedictus voluit suos fideles in extremo vitæ in quò sunt ferè minimè apti ad agendum pœnitentiam propter grauitatem morbi, & aliorum incommodorum hoc præsidio munire.

2. Effect. sacramenti Extremę Vnctionis. Ex hac collatione gratiæ, & remissione venialium sequitur secundus effectus, scilicet alleuiatio mœroris, torporis, inepitudinis, & languoris ad operādum bonum. Isti enim erant effectus peccatorum venialium; & proinde reliquiæ peccatorum possunt dici, quibus ablatis infirmus vigoratur, hilarescit, excitatur in eo fiducia diuinæ misericordiæ tentationibus dæmonis facilius resistit; peccata enim venialia, licèt gratiam non auferant, sunt tamen retardatiua à feruore charitatis; frigefaciūt hominem in amore Dei, & nisi deleantur, sed spernantur, sunt dispositiones ad mortale peccatum: ideo in extremo vitæ in agone illo maximum adiutorium est illis liberari per sacramentum; quibus deinde ablatis morbi incommoda, & labores eius leuius fert infirmus. Et isti sunt effectus, quos significat D. Iacobus, cum ait, *& alleuiabit eum Dominus.*

Vlt. effect. sacramenti Extremę Vnctionis. Vltimus effectus, qui non est proprius, nec semper sequitur est, sanatio corporis, quam Deus, si expedit, confert ipsi infirmo. Hos tres effectus complexus est D. Iacobus in verbis suprà allegatis; & primò incepit à leuiori, cum dixit. *oratio fidei saluabit infirmum.* deinde addidit secundum, cum dixit, *& alleuiabit eum Dominus.* & tandem adiunxit principalem. *& si in peccatis erit dimittentur ei.* Hinc ad rationes aduersariorum.

Ad primā rōnem aduersariorū. Ad primam respondetur falsum esse peccatum veniale requirere aliquam absolutionem sacramentalem; si quidem dimittitur per aquam benedictam, & benedictionem episcopalem, & alia sacramentalia. Quantum verò ad dilectionem sufficit voluntas suscipiendi hoc sacramentum: illa enim volitio est dilectio virtualis Dei, cuius sacramento confidit adiuuari. Præterea possumus negare in hoc sacramento nullam esse figuram absolutionis; nam verbum illud, *indulgeat tibi Dominus*, præsefert significationem absolutionis, & liberationis a peccato, vt patet.

Ad secūdā. Ad secundam in qua faciunt maximam vim respondetur sacramentum Extremæ Vnctionis non ordinari absolutè ad dimittendum peccata venialia, sed ordinari ad dimittendum illa in extremo vitæ, ne sint impedimētum retardatiuum gloriæ consequendæ, & ne sint impedimentum propter eorum effectus, quos diximus ipsi viatori in extremo vitæ, in quo cum hoste maximè pugnare necesse est; & vt perfectius iungatur homo tunc per dilectionem suo factori Deo. Argumentum probat primùm, non secundum, hæc autem duo quàm maximè distant, vt patet ex dictis.

Ad tertiam. Ad tertiam maior est falsa, quia peccatum mortale potest dimitti per pœnitentiam virtutem, & tamen ponitur, & est effectus sacramenti pœnitentiæ: ergo non est inconueniens, quod etsi venialia possent dimitti alia via, quàm per sacramentum, etiam instituatur aliquod sacramentum, per quod dimittantur. Præterea vt dictum est nunc suprà, non est institutum hoc sacramentum simpliciter pro dimissione peccatorum venialium, sed solum pro extremo vitæ in quo homo ob infirmitatem corporalem, tentationes diaboli magis eget adiutorio Dei, quā quouis alio tempore: ideo conueniens valdè fuit, quod præter alia remedia, quibus illi subuenirt potest, institueretur hoc sacramentum, quod gratiam iam præexistente augeret, & huiusmodi tepiditatem venialium tolleret, & confirmaret magis ipsum infirmum.

Ad quartā. Ad quartam iam dictum est, hoc sacramentum non esse institutum absolutè pro dimissione venialium, sed solum pro dimissione venialium in extremo periculo vitæ, ideo non potest applicari sanis.

Ad quintā. Ad quintam respondetur nō esse nouum in sacra scriptura esse hunc loquendi vsum, vt peccatum absolutè nominet, & si de vno genere peccatorum intelligat. Nam cum Christus Dominus instituit sacramentum pœnitentiæ dixit Ioan. 20. *accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt eis.* & tamen certum est eum intellexisse de peccatis actualibus, non de originali. Respondetur ergo huiusmodi locutionem debere exponi, & intelligi iuxta tradita ab ipsa scriptura in alijs locis, alibi autem in sacra scriptura habemus peccatum originale teneri solum

per

per ſacramentum Baptiſmi; babemus peccata actualia mortalia dimitti per ſacramentum Pœnitentiæ: ergo cũ hic aſſignetur aliud ſacramentum ad dimittendum peccata in extremo vitæ, debemus intelligere eum intendere de peccatis venialibus: & coofirmatur, quia eſt maior improprietas, & minus conueniens formæ exponere eã, & verbũ D. Iacobi de dimiſſione peccati mortalis quantum ad infirmitates, & languores, quos relinquit, quàm interpretari de peccatis venialibus quò ad culpam: quia regulariter dimiſſio peccati intelligitur, vel quò ad culpã in loco aſſignato Ioan. 20. vel de pœna, vt 2. Matth. *vt a peccatis ſoluantur*. ideo non commodè hæc verba de peccato mortali explicantur.

Ad ſextũ. Ad ſextam reſpondetur ſacrum Concilium, ſeſſ. 14. in Doctrinalibus, cap. 2. de Extrema Vnctione aſſerere hoc ſacramentum delere delicta ſi quæ ſint, & peccati reliquias abſtergere; tamen eadem ſeſſ. 14. cap. 2. de Extrema Vnctione, vbi loquitur de effectibus huius ſacramenti non nominat reliquias peccati, ſed ſolum delicta, & alleuiationem infirmi: verba eius ſunt. *Si quis dixerit ſacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, ſed iam ceſſaſſe quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema ſit*. Hoc ergo vt certum determinauit. Per priora autem verba in capitibus doctrinalibus oſtendit ſe noluiſſe diffinire hanc diſputationem, quæ eſt inter ſcolaſticos de dimiſſione reliquiarum peccati. Certum eſt, quod dimittit peccata, & alleuiat infirmũ. An verò dimittat reliquias derelictas à peccatis mortalibus non eſt ita certum cum ſit in diſputatione poſitum. Præterea ipſa venialia peccata quodammodo poſſunt dici reliquiæ peccatorum mortalium: quia ex frequẽti perpetratione mortalium ſolemus cadere facilè in venialibus. Ad illud ex Bellarmino, quia non facilè poſſemus probare hanc vnctionem eſſe ſacramentum, negatur hoc ſequi ad probationem: quia omnes habent peccata venialia, dico hoc nõ probare, quod vnctio non poſſit eſſe ſacramentum, quia etiam omnes, & ſi non ſemper, & ita frequenter, habent peccata mortalia, nec ob hoc tamen ſequitur, quod Pœnitentia non ſit ſacramentum. Præterea iam diximus hoc ſacramentũ ordinari, non abſolutè ad dimittendum peccata venialia, ſed ad dimittendum peccata venialia in Extremo vitæ, vt homo tunc perfectius coniungatur Deo, & confortetur, & vigoretur ad reſiſtendum tentationibus diaboli ablatis his impedimentis peccatorum venialium, quæ ſunt retardatiua charitatis, & inductiua ad mortale niſi tollantur. Ad aliud quod non eſt tutum reſtringere ad peccata venialia, quod D. Iacobus generatim nominat peccatum, patet ex dictis ſuprà ad quintum Soto. Hæc enim argumenta Bellarminus deſumpſit ex Soto; dicimus ergo eſſe tutum: quia licèt D. Iacobus loquatur generatim, *& ſi in peccatis fuerit dimittentur ei*. tamen debet explicari iuxta ea, quæ de ſacramentis tradita ſunt. Dictum eſt autem peccata mortalia dimitti per pœnitentiam, atque dimitti quò ad culpam, vel quò ad pœnam; non autem quò ad aliquid, quod relinquant, quia illud nihil aliud videtur eſſe niſi habitus graui, qui per ſacramentum non tolluntur.

Ad primũ pro 2. par. Ad primum argumentum pro ſecunda parte illius opinionis reſpondetur ex dictis patere falſam eſſe minorem quò ad peccata venialia: quia dictum eſt, quod remittit peccata venialia. Quod ſi quis faciat vim in Concilio Tridentino, quod ait remitti peccata, & reliquias peccati; poſſumus dicere quod per reliquias peccati intelligat effectus illos cauſatos à peccatis venialibus in anima, qui ſunt illa tepiditas in charitate, mœror, difficultas ad bonum, & reliqua, quæ diximus per hoc ſacramentum alleuiari, quæ non ſunt reliquiæ peccati mortalis, ſed effectus cauſati à venialibus.

Ad ſecũdũ. Ad ſecundum reſpondetur, quod debilitas, &c. iſta ſpiritualis cum ſit in anima iam ſana per gratiam à peccato mortali, non ſunt reliquiæ peccati mortalis, ſed ſunt reliquiæ, ſeu effectus peccatorum venialium: qui enim eſt in peccatis venialibus, licèt habeat gratiam, non habet feruorem charitatis, babet tepiditatem ad bonum, habet mœrorem, & anxietatem quandam cauſatam ab ipſis peccatis venialibus. Vnde, niſi curentur, ſed ſpernantur, ſępè inducunt ad peccatum mortale: ideo iſtæ ſunt reliquiæ, quæ per hoc ſacramentum tolluntur.

Quædam alia dubia circa hoc ſacramentum explicantur. Cap. IIII.

OCcurrunt adhuc quædam dubia, ſed facilia circa hoc ſacramentum in ſe, & circa ſuas partes, vt circa materiam, & formam, circa miniſtrum, & ſuſcipientẽ, quæ breuiter ſunt explicanda. Circa ſacramentum occurrit dubium: quia videtur, quod non ſit vnum ſacramentum, ſed plura. Nam hoc ſacramentum, ſecundùm quod miniſtratur ab eccleſia, habet plures materias, quia plures vnctiones, & plures formas, vt primo cap. vidimus: ergo ſunt plura ſacramenta. Reſpondet Scotus, quod hoc ſacramentum eſt vnum vnitate integritatis, non vnitate indiuiſibilitatis; ſicut effectus eius non eſt vnus indiuiſibiliter, quia non eſt remiſſio vnius peccati venialis, ſed vnus vnitate plenariæ remiſſionis omnium venialium, vt omnibus remiſſis nihil remaneat retardans à perceptione beatitudinis, quam nobis concedat Deus. Hoc ſacramentũ nõ videtur eſſe vnum. Solutio.

Vnitas integritatis ſ hoc Sacramento eſt aliter quã in alijs. Sed aliquis dicet omnia ſacramenta ſunt vnum vnitate integritatis, quia omnia conſtãt ex rebus, & verbis, quę ſunt diuerſa integrantia vnum ſignum, & vnum ſacramẽtum. Reſpondetur hoc verum eſſe; ſed ſacramentum Extremæ Vnctionis præter hanc vnitatem integritatis habere aliam vnitatem integritatis differentem. Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum, quod ſunt quædam ſacramenta, quæ vnica actione perficiuntur; & licèt duæ vel plures actiones adhibeantur, illæ non variant ſacramentum, quia non ſunt de eſſentia, vt in Baptiſmo vnica ablutio ſufficit; ſi autem adhibeantur tres ablutiones, vt eſt in vſu in Eccleſia Romana, non propter hoc variatur ſacramentum, quia indifferens eſt, vt, vna, vel pluribus perficiatur, & ſic vel, vna, vel omnes tres ſunt vnum ſacramentum. Quædam alia ſacramenta verò ſunt, quæ neceſſariò ad eorum perfectionem requirunt plures actiones, vt Eucharistia requirit conſecrationem corporis, & conſecrationẽ ſanguinis, ex quibus ambabus integratur. Ita hoc ſacramentum Extremæ Vnctionis requirit illas 12. vnctiones tanquam partes integrantes, ita quod niſi omnes adhibeantur, ſed ſolum aliquæ, non eſt perfectum ſacramentum, neque confert gratiam. Eſt tamen differentia inter Euchariſtiam, & hoc ſacramentum Extremæ Vnctionis, quod ſi ſacerdos aliquis conſecret corpus, & non ſanguinem, & nullus alius ſit ſacerdos, qui conſecret ſanguinem, eſt verum ſacramentum, & ſumẽs corpus recipit gratiam; ſed in hoc ſacramento ſi vnus ſacerdos faciat duas, vel tres vnctiones, non conficit ſacramentum, nec confert gratiam, ſed illa ſolum confertur in fine prolationis verborum in vltima vnctione. Illæ ergo plures vnctiones ſunt plures materiæ partiales, & vna totalis; & illæ plures formæ partiales ſunt plures partiales, ſed vna totalis; & ſic eſt vnum vnitate integrali, non ſolum quia conſtat ex diuerſis rebus, quæ ſunt res, & verba, materia, & forma, ſed quia conſtat ex pluribus materijs, & formis partialibus, quę vnam totalem materiam, & formam integrant. Partim cõuenit, & partim differt in integritate ab Euchariſtia.

Alio etiam modo differt ab Euchariſtia, quia ſi vnus ſacerdos conficiat corpus, & non ſanguinem, poſſet alius ſacerdos perficere illud ſacramentum conſecrando vinũ tantùm, quod ab alio omiſſum fuerat, vel incipiendo à principio conſecrationis ſumere aliam hoſtiam, & eam conſecrare: deinde conſecrare ſanguinem, & perficere ſacramentum, vt obſeruauit Soto ex D. Thoma diſt. illa 23. art. 1. In Extrema autem Vnctione ſi vnus ſacerdos faciat duas, vel tres vnctiones, & deficiat, alius non poteſt

test exordiri à capite, & vngere easdem partes, quia esset, ac si super eandem hostiam consecraram consecrationem repeteret, quod non est vllo modo faciendum. Debet ergo persequi alias vnctiones, quæ omissæ fuerãt.

2. Dubiũ. An hoc sacramentum imprimat characterẽ & sit reiterabile.

Secundum aliud dubium est, an hoc sacramentum imprimat characterem. Sed breuiter respõdetur clarum esse secundùm omnes Theologos non imprimere; & hoc est de fide, quia diffinitum est in Concilio Florentino, & Tridentino sess. 7. can. 9. solùm in tribus sacramentis imprimi characterem, & illa solùm esse irreiterabilia scilicet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sacrum. Scotus autem in hoc 4. distin. 6. quæst. 10. §. *sed restant duo dubia*. litt. I. agẽs de charactere Baptismi assignat rationem, propter quam tria tantùm sacramenta imprimant characterẽ, non autem alia, quæ est hæc sumpta ea politijs mundanis.

Cur solum tria sacramenta imprimant characterem.

Nam nullus habet determinatum gradum in familia Regis, quia comedit, vel bibit ad mẽsam Regis, nec quia post offensam Dominus reconciliatur sibi; neque quia multiplicat personas in illa politia. Nam omnes isti actus communes possunt esse omnibus de populo in quocunque gradu; & quia Scotus nihil ibi dicit de Extrema Vnctione, possumus addere, quod neque aliquis dicitur habere gradum in familia Regis, eo quia cum est infirmus, Rex prouidet illi de omnibus necessarijs ad curandum eius infirmitatem, & liberandum à molestijs, quæ illi ea morbo accidunt in extremo eius vitæ, quia ista possunt esse cõmunia cuicunque de populo. At cum quis recipitur in familia Regis habet aliquem gradum ab ijs, qui non sunt de familia Regis; tunc enim euadit familiaris ipsius Regis, qui est gradus eminens super quoscunque alios de populo. Deinde cum vlterius proficit, & constituitur miles ad defendendum Rempublicam, vlteriorem gradum accipit in familia Regis. Demum cum vlterius proficit, & constituitur supremus in familia Regis sub ipso Rege ad constituendos alios in gradib. determinatis in familia Regis; Vt potè si fiat Senescalchus Generalis, vel immediatus sub domino ad constituendos alios in familiam Domini. Si ergo essent aliqua nomina imposita ad significandum huiusmodi gradus in familia Regis sicuti sunt nomina, Sinescalchus Balliuus, & huiusmodi, illi, qui tribus illis modis se haberent in familia Regis, dicerentur habere gradus; non autem illi, qui vel manducarent, & biberent de cibo regio; vel quia esset coniugatus, vel quia rediens esset in gratiam Domini post offensam, vel quia adiutus esset à Rege in infirmitate graui. Sic in proposito, quia Eucharistiæ sacramentum ordinatur ad nutritionem spiritualẽ. Matrimonium ordinatur ad procreationem corporalẽ. Pœnitentia ad reconciliationem annualem. Extrema Vnctio ordinatur ad subleuandum hominem à malis, & corroborandum in extremo vitæ; Hinc est, quod ista quatuor sacramenta non constituunt aliquem in aliquo certo gradu in familia Regis Christi Domini, quæ est Ecclesia, sed possunt esse communia cuicunque membro ipsius ecclesiæ. Ex altera parte vero, quia primus gradus in ecclesia, & quidem vniuersalissimus, est recipi in familiã Christi, quod fit in Baptismo. Secundus verò specialis, est ascribi in militiam ad defensionem fidei Christianæ, quod fit in Confirmatione. Tertius verò est constitui in patrem, & pastorem ad introducendum alios in ecclesiam, & ad dirigendum, & instruendum eos, quòd fit in ordine sacro. Hinc est, quod ista tria sacramenta constituunt certos gradus in ecclesia. Et quia isti gradus, & dignitates in prædicta politia ciuili iterari, non est congruum nimirum reiterare receptionem in familiam, promotionem ad militiam, & prælationem ad docendum, & regendum, sed isti effectus habent rationem permanentis, & perpetuitatis: bene tamen iterari possunt, & de sua natura iterantur nutritio, procreatio, reconciliatio, corroboratio, confortatio à malis in extremo vitæ si pluries quis ab huiusmodi periculis euadat. Ita in proposito non decet reiterare tria sacramenta, scilicet Baptismum, Confirmationem, & ordinem sacrum. Alia verò quatuor non inconuenit, & ideo reiterantur: quia illa habent effectum perpetuum, ista nequaquam. Et hinc euenit, quod in tribus non reiterandis imprimitur character, qui est signum quoddam impressum in anima indelebiliter significans istum gradum, & dignitatem indelebilem receptam ab eo, qui huiusmodi sacramenta suscepit; in illis verò sacramentis, quæ reiterantur, non imprimitur huiusmodi signum, & character significans huiusmodi gradum, & dignitatem perpetuam, quia illã non conferunt. Character enim, vt diximus suprà, agendo de charactere sacramenti Baptismi disp. 24. cap. 1. in principio, & disput. 25. cap. 4. est signum quoddam spirituale indelebile rememoratiuum susceptionis sacramenti illius, quod imprimit characterem, & assimilatiuum alijs, qui susceperunt idem sacramentum, & distinctiuũ ab alijs; & insuper est potestas quædam ministerialis actiua, vel passiua ad aliquam actionem sacramentalem, quæ, vt est dictum, est irreiterabilis, ideo facit sacramentum à quo imprimitur indelebile, & irreiterabile. Sacramentum autem Extremæ Vnctionis, non est huiusmodi, vt vidimus, ideo non est irreiterabile: immò in eadem infirmitate secundùm Soto hac dist. 23. quæst. 2. ar. 3. est reiterabile, si in ea sint diuersi status, vt quod modò sit proximus morti; deinde ab illo periculo recedat; deinde ad idem recidat. Quod est verum quando est euidens recessus à periculo mortis, vt quandoque contingit in infirmitatibus diuturnis. Et sic habetur ratio cõgrua, propter quam hoc sacramentum Extremæ Vnctionis non imprimit characterem, & est reiterabile. Ratio autem principalis est institutio diuina, quæ innotescit per sacram scripturam, & decreta ecclesiæ in sacris Concilijs, vt dictum est suprà.

An sit de essentia, vt oleum benedicatur ab episcopo.

Tertiò est dubium circa materiam, an sit de essentia huius sacramenti, vt oleum benedicatur ab episcopo. Videtur enim quod non sit de essentia, quia ea institutione diuina explicata à D. Iacobo nõ videtur aliud requiri in hoc sacramento nisi materia ipsa remota, quæ est oleum simplex & materia proxima, quæ est vnctio cum verbis formæ. Dicit enim D. Iacobus *vngentes eum oleo in nomine Domini*. Vbi videtur ponere solam materiam, & formam, non autem aliquam benedictionem. Vnde Caietanus 3. par. quæst. 72. ar. 3. tenet non esse de essentia huius sacramenti sicut neque in Confirmatione: eius rationes adduximus agendo de sacramento Confirmationis, & eas cum eius opinione reiecimus, quæ non oportet repetere.

Opi. Caie. reijcitur.

Resolutio dubij.

Respondetur ergo ex praxi ecclesiæ, & traditione apostolica haberi, benedictionem episcopalem requiri non solùm, vt necessariam de præcepto, sed vt conditionem essentialem ad hoc, vt oleum sit materia idonea vnctionis huius, quæ est sacramentum. Vnde hoc explicatum est in Conc. Florentino in instructione Armenorum, & Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. de Extrema Vnctione, vbi habetur ecclesiam ex verbis illis D. Iacobi ex apostolica traditione per manus accepta didicisse materiam huius sacramenti *esse oleum ab episcopo benedictum*. Vnde colligitur esse differentiam inter benedictionẽ aquæ in Baptismo, & benedictionem olei in hoc sacramento, sicut etiam in Confirmatione. Nam illa in Baptismo est accidentalis, & potest separari à Baptismo; hæc verò in sacramento Extremæ Vnctionis non potest separari, alioquin Vnctio non erit sacramentum. Et ex hoc eodem fundamento habetur, quod benedictio sacerdotis simplicis non sufficit: quæ omnia ex patribus antiquæ ecclesiæ etiam comprobantur, præsertim ex Innoc. I. in epistola 1. superius adducta.

Differẽtia inter benedictionem aquæ in baptismo, & benedictionem olei ĩ hoc sacramento.

An facultas benedicendi hoc oleũ possit cõcedi simplici sacerdoti.

An verò posset concedi facultas simplici sacerdoti benedicendi oleum istud modo prædicto, puto respondendum esse negatiuè (sine præiudicio veritatis) vt diximus supra disp. 27. cap. 3. de Consecratione Chrismatis. Diximus enim, quod licèt Papa possit concedere simplici sacerdoti, vt

ti, vt vngat Chrismate, & confirmet; non tamen posse concedere, vt conficiat oleum Chrismatis; idem videtur dicendum de benedictione olei istius sacramenti propter rationes adductas ibi.

Cur oleum debeat benedici ab episcopo.

Adducuntur autem à Theologis variæ congruentiæ necessitatis huius benedictionis, præsertim hæc à Scoto, vt suprà vidimus à D. Thoma, & alijs, quia communiter in sacramentis consistentibus in vsu, solus Baptismus non requirit materiam specialiter consecratam: quia Christus Dominus tactu suæ mundissimæ carnis totam aquã consecrauit, quando voluit Baptizari à Ioan. in Iordane. Similiter in Eucharistia panis, & vinum non benedicitur ad hoc, vt sit materia propria illius sacramenti, quia Dominus noster accipiens illam in manibus suis dedicauit ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Quod si quis dicat est verisimile, quod etiam Dominus tetigerit aliquando oleum, & ideo si ratio ista tactus sufficit ad hoc, vt materia alicuius sacramenti sit apta, non requirit specialem benedictionem, neque oleum illam requirit in hoc sacramento Extremæ Vnctionis. Respondeo non sufficere tactum Christi Domini, quia multa alia tetigit, quæ non ob hoc facta sunt materia alicuius sacramenti; sed requiritur tactus cum applicatione talis materiæ ad sacramentum. Vnde ideo Christus Dominus voluit tangere aquam, & in illa baptizari, vt intelligeretur in illo elemento institui sacramentum regenerationis, & ablutionis animæ à peccato; & in cœna voluit accipere panem, & vinum in manibus suis ad significandum illam ab ipso institui materiam illius præstantissimi sacramenti. Et sic patet ad dubitationem, quod etsi ex verbis illis D. Iacobi non habeatur explicitè requiri benedictionem episcopi, tamen hoc elicitur ex illis ex traditione apostolica accepta per manus ab ecclesia; & ex ratione cõgrua: quia cum hæc materia à Christo Domino non sit specialiter dedicata ab ipso Christo, debet specialiter benedici, & applicari ab ipso episcopo, qui est pastor in ecclesia vicè Christi.

Tactus solus ibi non sufficit ad hoc, vt aliquid sit materia alicuius sacramenti, & quare.

Pertinẽtia ad materiã huius sacramenti explicari debent sicut ea, quæ in materia baptismi.

Reliqua pertinentia ad materiam huius sacramenti debent explicari eo modo, quo explicata est materia in sacramento Baptismi. Nimirum quod debet esse oleum verum, & simplex, & naturale, sicut in Baptismo est aqua naturalis, non autem oleum artificiale, & non naturale, vt oleum nucum, amigdalorum, & huiusmodi. Similiter debet esse simplex, idest non ita mixtum alteri humori, vt amittat esse olei, vel ita ingrossetur, vt non fluat, atque perinde non possit esse aptum ad vngendum, & similia.

De forma huius sacramenti.

Quartò est dubium circa formam huius sacramenti. Dictum est enim esse illa verba, *per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum*, &c. quam certum est esse veram formam: quia illa in Concilio Tridentino loco citato assignatur. At ista forma nullibi reperitur in sacra scriptura: formæ autem sacramentorum debent expressè haberi, & designari in sacra scriptura: ergo. Respondetur, quod etsi forma ista sub his verbis præcisè nõ habeatur in sacra scriptura, habetur tamen in virtute, & hoc sufficit. Nam neque forma Baptismi sub his verbis formalibus. *Ego baptizo te in nomine Patris*, &c. Formaliter habetur. Vnde Græci, vt diximus suprà agendo de Baptismo, loco illorum verborum. Ego baptizo te, dicũt. Baptizetur seruus Christi; & tamen est verum sacramentum. Ita in proposito, cum D. Iacobus dicat. *Si quis infirmatur in vobis inducat presbyteros ecclesiæ, qui orent super eum, vngentes*, &c. Significat verba formæ debere significare effectum huius sacramenti per modum deprecationis. Quare cum habeamus ex traditione apostolica hanc esse formam huius sacramenti, necesse est eam Apostolos ex institutione Christi immediatè visa, & sibi manifestata sub his verbis exposuisse, & expressisse. In ea aũt seruanda sunt ea, quæ diximus suprà in forma Baptismi, quo ad mutationem, & variationem; dummodo enim sensus non mutetur, licèt aliqua verba mutentur, vel varientur, non desinit esse forma, vt ibi diximus de forma Baptismi. Ratio supradicta est de sacramentis in communi, quia materia, siue res, & verba integrant vnum signum sensibile, & magis significant, & determinant verba, quàm res, ideo forma debet esse ex talibus verbis, quę signent illud, quod efficit hoc sacramentum. Vnde qui hac forma verborum non vterentur, vt aliqui, de quibus D. Bonau. dist. 25. art. 1. quæst. 4. qui dicebant hoc sacramentum non habere formam determinatam, & proinde reijciuntur, vel hanc formam ita alterarent, quod esset diuersa in significato ab ista, non efficerent sacramentum.

In hac forma sunt cõsideranda, quæ in forma baptismi.

Quintò dubitatur, An minister huius sacramenti sit sacerdos solus. Ad quod breuiter respondetur, aliquos tenuisse in casu necessitatis, idest loco, & tempore vbi nõ sint sacerdotes, laicus posse hoc sacramentum ministrare, in qua opinione citatur Thomas Valdensis lib. 2. de sacram. cap. penultimo, quæ fundatur super dicto quodam Innoc. I. epistola ad Decentium cap. 8. suprà adducta, quod est, oleo sancto posse vti non solum sacerdotes, sed etiã laicos in suis, ac suorum necessitatibus, quod dictum referunt Beda in c. 6. Marci, & Concilium Vormiense eisdem verbis. Sed hæc opinio communiter reijcitur. Et ratio est, quam suprà adduxit Scotus, & omnes alij communiter afferunt, nimirum, quia D. Iacobus disertis verbis asserit ministrum huius sacramenti esse sacerdotes, inquit enim, *inducat presbyteros ecclesiæ*. Nam licèt vox Græca possit significare, tàm seniorem ætate, quàm seniorem dignitate: tamen secundùm vsum sacræ scripturæ, tàm veteris, quàm noui testamenti, & ecclesię, non significat, nisi sacerdotes. Vnde 1. Tim. 4. cum ait Apostolus, *cum impositione manuum presbyterij*, non potest intelligi, nisi de ministris ecclesiasticis, non autem de senioribus laicis, quomodo hæretici etiam intelligunt illum locum. Est ergo dicendum sacerdotem solum esse ministrum huius sacramenti, non solùm ad licitè faciendum, sed etiam ad simpliciter faciendum; adeo quod si laicus attentet nihil faciet; sicut si non sacerdos attentet conficere Eucharistiam, nihil facit.

5. Dubiũ de ministro

Solus sacerdos est minister huius sacramenti.

Ad auctoritatem Innocentij, & Bedæ respondet Soto in hac dist. 23. quæst. 2. art. 1. eos intelligere, quod licitum sit sacerdotibus, & laicis sanitatis gratia illo oleo benedicto inungere infirmos, non autem quod illa vnctio sit sacramentum. Sed hanc expositionem reijcit Bellarminus lib. de Extrema Vnctione cap. 9. quia vsus, & praxis ecclesiæ habet oppositum. Neque enim dari solet oleum sanctum laicis, vt eo vngantur. Quod si quis adducat exempla de miraculis, quæ olim sancti Eremitæ faciebant oleo sancto, vt est legere apud Sulpitium in vita Sancti Martini, & apud Theodoretum in historia religiosa, & alia quæ adducit D. Thomas quæst. illa. Respondet non conuinci ex his illos Sanctos vsos fuisse oleo illo benedicto ab episcopo, quod est materia propria huius sacramẽti: potuerunt enim illi Sancti vti oleo à se Signo crucis benedicto, atque illo illa miracula efficere: quod non est inconueniens; alijs enim huiusmodi rebus, vt signo crucis, vel tactu suo solebant opera illa miraculosa edere.

Ad auctoritatem Innocentij respondet Soto.

Respondetur ergo cum Innocentio in cap. 6. Marci, & alijs sensum Innocentij, & Bedæ esse, quod omnibus, tã sacerdotibus, quàm laicis licet vti oleo sancto, idest recipere hanc sacram vnctionem, & sacramentum; ita quod sermo ibi non est de ministris, sed de recipientibus hoc sacramentum. Et reuera hic est germanus sensus illius assertionis Innocentij, & consequenter Bedæ, & Concilij Vormatiensis adducentium illam auctoritatem. Quod patet ex verbis proximè antecedentibus superius adductis. Tota enim sententia est hæc. *Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus intelligi*. Loquitur de verbis D. Iacobi, *vel accipi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis, licèt in sua, aut suorum*

Responsio Bellar. approbatur.

rum

rum necessitate. Patet ergo loqui de recipientibus, non de ministris.

Licet etiã episcopo ministrare hoc sacramentum.

Quod verò aliqui quærunt, An liceat etiam episcopo conferre hoc sacramentum est inane dubium, vt ait ibi Innocentius I. si enim episcopus potest ipsum oleum sanctum conficere, quod non potest sacerdos simplex, quare non poterit deinde oleo sancto inungere infirmum, & conferre sacramentum?

Maius est conficere Chrisma, & oleũ sanctum, quã conferre sacramentũ.

Vbi obseruo vnum, quod non est parui momenti in hoc sacramento, & sacramento Confirmationis; quod Pontifex Innocentius asserit esse actionem digniorem, & sublimiorem conficere, seu benedicere oleum sanctũ, quam eo deinde inungere infirmum. Argumentũ enim eius, quod liceat episcopo, non autẽ solũ sacerdoti est à maiori ad minus affirmatiuè, est enim ac si dicat. Si episcopus potest consecrare oleum sanctum, quæ est materia huius sacramenti, quod non potest presbyter simplex, quanto magis poterit inungere deinde infirmum, & conferre hoc sacramentum? Ex quo confirmatur id, quod diximus suprà agendo de materia Confirmationis disp. 27. cap. 3. aliud esse conficere Chrisma, & aliud conferre sacramentum Confirmationis. Conficere Chrisma, & materiam sacramenti Confirmationis pertinet ad ordinem episcopalem de iure diuino: ideo Papa non potest concedere hanc facultatem simplici sacerdoti. Conferre autem sacramentum Confirmationis non est de essentia ordinis episcopalis de iure diuino: ideo potest concedere licentiam conferendi illud simplici sacerdoti.

Conficere Chrisma pertinẽt ad ordinem episcopalẽ, nõ autem conferre sacramentis Cõfirmationis.

Quod dictum est licere soli sacerdoti, & omnibus conferre hoc sacramentum, intelligitur ratione potestatis ordinis; nam loquendo de potestate iurisdictionis non licet omnibus sacerdotibus conferre hoc sacramentum, sed solum Parochis, & illis, qui habent subditos: quia in Clem. 1. de Priuilegijs cauetur sub pœna excom. ne religiosi sine licentia proprij sacerdotis ministrare audeant vllum sacramentum, excepto sacramento Baptismi in necessitate extrema. Vnde si sacerdos ministraret sacramentum istud suo nõ subdito, peccaret mortaliter, licèt sacramentũ teneret; sicut qui suspensus conficeret sacramentum Eucharistiæ: iurisdictionis enim potestas non est de essentia potestatis ministri huius sacramenti, sicut in sacramento Pœnitentiæ, sed extrinsecè addita ex ordinatione ecclesiæ.

Sacerdos non habẽs subditos, non potest cõferre hoc sacramentũ sine licentia Parochi.

An sufficiat opinio ratihabitionis.

An verò sufficiat opinio futuræ ratihabitionis proprij sacerdotis ad excusandum sacerdotem cõferentem hoc sacramentum sine licentia proprijs sacerdotis. Soto vbi suprà tenet cõtra Archidiaconum sufficere, quando adsit periculum extremum, & nõ adest proprius Parochus: quia licèt hoc sacramentum non sit necessitatis, est tamẽ magnæ vtilitatis, vt visum est suprà; & sępè contingere posset, vt homo per illud fieret ex attrito contritus: ideo in tali casu absque scrupulo posse, & debere sine licentia ministrare. Ad Clem. respondet, non debere eam intelligi cum tanto rigore; edita enim est ad reprimendam audaciam Religiosorum, non in detrimentum populi Christiani. Quod etiam mihi probabile videtur: quia iurisdictio ista requiritur non ratione sacramenti, sed ratione præcepti, quod non est credibile obligare cum tanto discrimine.

6. Dubiũ de suscipiẽte.

Sextum dubium est, quæ conditiones requirantur in suscipiente hoc sacramentum. Verùm istæ explicatæ sunt suprà cap. 1. à Scoto diligenter, & doctrina est communis, & rationes simul adductæ sunt. Dictum est enim suscipientem debere esse infirmum, non sanum; Vnde si sanis applicetur, nihil fit. Non tamen quacunque infirmitate infirmus est capax huius sacramenti, sed debet esse talis, quod timeatur periculum mortis. Ratio est, quia hoc sacramentum institutum est pro infirmis, qui ex hac vita ad aliam sunt migraturi ex infirmitate, vt ex verbis D. Iacobi, & praxi ecclesiæ, quæ est verus interpres legis habetur. Vnde licèt aliquis sit expositus morti violentæ, vel periculo, armorum, vel submersionis, non est capax huius sacramenti: quia est sanus. Et quia effectus huius sacramenti est dimittere peccata venialia, vt diximus; illi qui non habent peccatum, non sunt capaces huius sacramenti, vt paruuli, furiosi, & non habentes vsum rationis, neque vnquam habuerunt, vt primo capite diximus: & ij, qui sunt perfectè innocentes, qui nunquam peccauerunt vllo peccato.

An omnis ĩfirmus ad mortẽ sit capax hui⁹ sacramẽti.

Obiectio Lutheri.

Sed dubium est, an quicunque infirmos ad mortem sit capax huius sacramenti. Lutherus enim ridebat catholicos, dicens eos conferre hoc sacramentum semimortuis cum tamẽ D. Iacobus dicat. *Si quis infirmatur, non si quis moriatur*. Et Soto dist. illa 23. quæst. 2. art. 2. licèt distet à Luthero, dicit tamen non esse expectandum articulum mortis, quia effectus huius sacramenti requirit, vt homo deuotione huius sacramenti afficiatur, & spe gloriæ recreetur, quod non potest haberi ab ijs, qui sunt in extremo articulo mortis. Et insuper non debet eius salus esse omninò desperata: quia hoc sacramentum non operatur miraculosè, sed per causas naturales illas adiuuando virtute ordinaria supernaturali. Vnde non debet expectari, quod causæ naturales roborari non possint, sed adsit aliqua spes salutis.

Solu. vera.

Sed respondetur derisionem Lutheri esse spernendã: quia iam ex sacra scriptura, & praxi ecclesiæ probatum est hoc sacramentum esse institutum ad dimittendum peccata venialia viatoribus exeuntibus ex hac vita, vt recta ad gloriam tendant, & dimittit illa ex opere operato, non ex opere operãtis: ideo dummodo sit viuus licèt sit propinquissimus morti, donec exalet animam est capax huius sacramenti, & fructus eius. Et ex eodem fundamẽto rationes Soto non concludunt: quia etsi melius sit non expectare articulum mortis, in quo omnino vires amittit, nec possit habere aliquem bonum motum in susceptione sacramenti huius; tamen hoc est accidentarium huic sacramento. Quia vt dictum est, eius effectus est conferre gratiam gratum facientem, & delere peccata ex opere operato, qui est effectus principalis huius sacramenti: ideo parum refert, quod hoc sacramentum consequatur infirmo, vel quando habet integrum vsum sensuum, vel quando non habet. Vis eius etiam tendit ad corroborandum animam rationalem: adeo quod licet sensus externi sint oppressi, possunt vigere interim cum ratione, & sic anima poterit confortari, & exhilarari.

Ad rõnes Soto.

7. Dubiũ. An vngere omnes partes sit de essentia.

Opinio D. Tho. Soto, Bellarm. & Valentiæ.

Septimò est non leuis contentio, An omnes illæ septẽ vnctiones principales, quas cum Scoto cap. 1. enumerauimus, sint de essentia huius sacramenti. Nam D. Thomas in hac dist. 23. quem sequitur Soto eadem dist. q. 2. art. vltimo. Valentia 4. par. quæst. 2. de sacramento Extremæ Vnctionis puncto 2. & Bellarminus vbi suprà cap. vltimo dicit vnctionem solam quinque sensuum esse de essentia, reliquas duas vnctiones renum, & pedum nequaquam, sed secundùm diuersos ritus ecclesiarum adhibentur, vel omittuntur. Et Soto loco citato dicit omnes septem vnctiones esse de integritate sacramenti, non autem de essentia. Quod confirmat: quia vniuersalis ecclesia habet vsum solum vngendi quinque organa partium sensitiuarum; quædam verò ecclesiæ alias duas solent adhibere: si autem omnes septem vnctiones essent de essentia, vniuersalis ecclesia omnibus vteretur. Et confirmatur, quia in fœminis vnctio renum propter honestatem solet omitti.

Opi. Scoti.

Ex parte altera Scotus vbi suprà enumerat has septem vnctiones, & licèt apertè non dicat esse de essentia, tamen apertè dicit omnes illas esse inungendas, neque excipit aliquem casum. Vnde videtur velle, quod omnes sint de essentia: quia de omnibus, & eodem modo loquitur. Idem habet D. Bonau. hac dist. 23. art. 2. q. 3. Richardus eadem dist. art. 2. quæst. 5. Durandus eadem dist. quæst. 4. & ex antiquis alij. Vnde hæc est cõmunior, & omnes assignant hanc rationem: quia cum sint tres potentiæ, ex quibus peccata in nobis oriuntur, scilicet sensitiua, generatiua, & motiua, secũdùm locum organa omnium istarum potentiarum debent inungi. Organa autem

D. Bonau. Richard. Durand.

tem.

tem potentiæ sensitiuæ sunt organa quinque sensuum exteriorum. Organa potentiæ generatiuæ sunt renes; motiuæ secundùm locum sunt pedes: ideo omnes istæ partes debent inũgi. Sed quod magis vrget, adest auctoritas, & decretum Concilij Florentini in institutione Armenorum cap. de Extrema Vnctione, vbi habet hæc verba. *Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, qui in his locis vngendus est: in oculis propter visum: in auribus propter auditum: in naribus propter odoratum: in ore propter gustum, vel locutionem: in manibus propter tactum: in pedibus propter gressum: in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Consideranda sunt illa verba. *Qui in his locis vngendus est.* Doctrina autem illius Concilij est doctrina, & decretum vniuersalis ecclesiæ; asserit autem infirmum septem illis vnctionibus principalibus vngendum esse; neque facit exceptionem moris, & consuetudinis aliarum ecclesiarum.

Conc. Flo.

Responsio Soto.

Sed respondet Soto, quem secuti sunt Bellarminus, Valentia, & alij ex recentioribus, quod sacrum Concilium non præscribit, vt partes omnes illæ inungantur, sed solum enumerat partes omnes, quæ vngi solent iuxta variarum ecclesiarum ritum. Vnde inquit in religionibus, & quamplurimis ecclesiis vnctio renum non est in vsu maximè in mulieribus propter pudorem; immò subiungit, quod si fœminæ essent inungendæ propter appetitum, essent inungendæ in vmbilico: quia sicut viris luxuria est in lumbis, sic in fœminis est in vmbilico, secundùm Iob cap. 4.

Cõfutatio.

Verùm hæc expositio non videtur rectè congruere textui Concilij; loquitur enim absolutè Concilium, *qui in his locis vngendus est.* Non dicit *qui in his locis inungi solet iuxta ritum diuersarum ecclesiarum.* Ideo salua veritate, puto consuetudinem illam inungendi solum organa quinque sensuum, vel in alijs partibus corporis habuisse ortum ab opinione D. Thomæ, cum de consuetudine illa aliarum ecclesiarum antiqui Doctores nec Concilium mentionem faciant. Ex quo colligitur, morem, & ritum vniuersalis ecclesiæ esse inungere omnes septem partes prædictas, cui non debet aliquarum ecclesiarum particularium vsus emanatus ex alicuius Doctoris doctrina introductus vt D. Thomæ, derogare.

Distinctio autem illa Soto, quod omnes septem vnctiones sint de integritate huius sacramenti, non autem de essentia iam in materia de consecratione Eucharistiæ disp. 32. num. 7. & 8. reiecta est. Quod enim est de integritate alicuius sacramenti, est etiam de essentia eiusdem in hoc sensu, quod si desit, sacramentum non fit: quia esset imperfectum. Id enim sine quo aliquid consistere potest, non dicitur de essentia seu substantia illius, sed accidentale illi. Quod etiam additur de pudore fœminarum. Respondeo renes non esse partes pudendas, & proinde illas inungere modo debito, & conuenienti (sufficit enim simplex tactus exiguæ partis) non est quid turpe, neque indecens. Vnde etiam secundùm aduersarios in multis ecclesijs seruatur: quod si esset indecens, non permitteretur. Et quod additur, quod in fœminis concupiscentia est in vmbilico, non aufert quin etiam sit in renibus, & principaliter: quia illud est organum vis generatiuæ.

Adde quod sicut quando homines sunt mutilati, & truncati, ita quod vel pedes, vel manus non habent vnguntur in proximis partibus, etiam cæci à natiuitate, & surdi: quia licèt exterius per illa organa non deliquerint, tamen possent peccare per internas potentias, quibus illa organa respondent, vt ipsemet Soto fatetur; ita quãdo vel infirmitas, vel aliqua grauis necessitas impediret ne possent renes inungi, possent inungi partes proximiores illis, quæ pudorem non generant. Hæc probabiliter in re difficili dixisse sufficiant. Et hæc de hoc Sacramento.

F I N I S.

Corrigente Adm. R. D. Iacobo Massinio publica auctoritate.

Libri ſtampati da Marco Ginammi alla Libraria della Speranza.

D. Laurentij Iuſtiniani opera omnia f.
Dioſcoride del Mattiolo Volg. con figure f.
Fauentinus in quattuor Libros Sententiarum f.
Idem De Prędeſtinatione f.
Idem De Pœnitentia f.
Idem De Reſtitutione, & Extrema Vnctione f.
Vite di Plutarco Volg. 4.
Orlando Furioſo grande 4.
Parere ſopra li Caratteri del Manico del Coltello di S. Pietro 4.
Conſiderationi Politiche del Zuccoli 4.
Diſcorſi dell'Honor del Zuccoli 4.
Diſcorſo delle Ragioni del numero del Verſo Italiano del Zuccoli 4.
Diſcorſi ſopra Cornelio Tacito del Malvezzi 4.
Diſcorſi contra il diſpiacer del morir del Gliſſenti 4.
De operibus Sex Dierum 4.
Tragedie di Seneca tradotte in Volg. dal Nini 8.
Sommario delle Scienze del Sig. Domenico Dolfino 8.
Capricci del Bottaio del Gelli 8.
Horribile Inferno del Gliſſenti 8.
Il Parto della Vergine Rappreſentatione 8.
La Maddalena rauueduta Rappreſentatione 8.
Sentiero al Paradiſo del Petrelli in Rame, & in legno 12.
Concerto di Rime del Petrelli 12.
Ducento ſignificati della Meſſa 12.
Ode del Piacentini 12.
Galeria delle Vergini di D. Celſo Roſini 12.
Speuſierato fatto penſieroſo 12.
Morte Innamorata 12.
Diligente, ò ſollecito 12.
Giuſta Morte 12. — *Fauole del Gliſſenti.*
Huomo Innocente 12.
Poſſanza della Carne 12.
Mercato della vita humana 12.
Ninfa Guerriera Paſtorale 12.
Regole di San Franceſco 32. Lat. & Volg.
Libri diuerſi in lingua Slaua, & in carattere Slauo.